H

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 B
32

Digitized by Google

8.31.B.32.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

תשובת יהודה

SIVE, PRO

CONVINCENDIS, ET CONVERTENDIS JUDÆIS,

LIBRI OCTO.

AUCTORE

JOHANNE HOORNBEEK,

S.S. Litterarum in Eccleſiâ, & Academiâ Lugduno-Batavâ Doctore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LUGDUNI BATAVORUM

Ex Officinâ PETRI LEFFEN.

Sub ſigno Phœnicis,

CIƆ IƆ CLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtribus, ac Præpotentibus,

HOLLANDIÆ, WEST-FRISIÆQVE ORDINIBUS.

Illuſtres, atque Præpotentes Domini,

NON ille Supremarum Dominationum dignitatem perſpectam ſatis habet, & onera, qui quæ ad illas defert negotia, non breviſſime expedit, & in illarum admiſſus Conſeſſum, quam pauciſſimis philoſophatur. Siquidem Reip. intereſt, ſumma tractantes ne avoces facile, vel detineas. Illam quidem legem mihi dixi, ut vel Senatum veſtrum non adirem, vel non prolixo uterer hic ſermone: ſed tribus, quod dici ſolet, verbis quid ad Vos me agat, quidque adferam, exponerem. Duo atque viginti anni ſunt, quod Dominationes veſtræ ad Academiæ noſtræ Facultatem Theologicam legendos cenſendoſque miſerunt libros celebris inter Judæos Doctoris, Menaſſis ben-Iſraël: de quibus tum hoc reſponſum à venerandis Prædeceſſoribus datum, haud parum illis tum Judaicam ſtabiliri infidelitatem & er-

 rores,

Digitized by Google

rores, tum Sacratiſſimæ religionis Chriſtianæ fundamenta ſubrui, & evelli: quorum indicem teſtem exhibere promptos ſe ajebant, paratoſque. Illius Auctoris libros, pluresque quàm tùm extabant, & ſimilis perfidiæ alios examinare, id eſt, Chriſtianam fidem & religionem contra Judæorum inſultus ac dogmata tueri atque vindicare aggresſus ſum, & tum Noſtra confirmare, tum devictis Judæorum rebus, eos convincere propoſui, & convertere, *ſi forte ſalvarem ex illis aliquos*. Huc omnis inſtitui diſputatio noſtra debet & dirigi, ut *ſalvemus* homines, ſaltem *aliquos*, etiam *ex illis*. Quod utique conſilium & animi propoſitum Vobis non improbari certiſſime ſum perſuaſus. Jam & iſte labor, uti à Profeſſione noſtrâ primũ poſtulatus jure fuit, ita præſtitus quoque ad nullos ire debuit, quam ad ejus Imperatores primarios, ſupremos: addo, & Judices. Nam quâ ratione fidem noſtram evertere, deſperatis rebus ſuis ſuccollare Judæi miſere atque fruſtra allaborent, Vos pro pietate veſtra & prudentia optimẽ judicaveritis. Non agimus hîc de titivilicio, aut parvi momenti re, ſed de argumento,

quod

quod cor & fundamentum religionis, & Chriſtianiſmi ſummam complectitur, atque defenſionẽ. Controverſiæ aliæ aliis ſunt graviores, aut leviores; eas vero, quæ Chriſto cum Judæis, omnium eſſe ponderoſiſſimas, Chriſtianus nemo ignorat. Etenim non hîc ex principiis, ſed, quod difficillimum ubique, & de iiſdem, de Deo, de Chriſto, de fide diſputatur. Quæ Chriſtiani immota aliàs, & merito habent, coram Judęis probanda nobis ſunt, & vindicanda. Habent illi quoque nugarum affatim, ad fabulas & riſum facta, ſcenæ, quam cathedræ convenientiora; ſed nos ſeria ſectati ſumus, & quæ religionem concernunt, quę fidem, & ſalutem, non quæ ingenium magis, quam animum exercent, & afficiunt. Alia plus rixarum & contentionum continent, quam bonæ frugis, fere prout differentia, quâ de litigatur, major in animis eſt, quam rebus: at hic maxima quum ſit in ipſis rebus diſcrepantia, eo minus vulgaris illius habet æruginis vitiique. Rebus hic agitur, armiſque decretoriis, ubi de Chriſto & cælo per eum obtinendo, id eſt, de ſumma rei,

& ſalute

Digitized by Google

& ſalute, non Græciæ, ſed Judæorum. Nullum ego quidem ſtudium agnoſco, quod res Theologica & tempora noſtra magis efflagitant, quam iſtud. In multis aliis ſatis, forte & plus ſatis diſputatum; hic multa adhuc ſuperſunt, dicenda primùm, tum & agenda. Eo magis, quo illa erga iſtos adhibemus, quorum non tantum Patres, & priſca fædera, gloria, atque ex quorum gente Chriſtus eſt ſecundum carnem, ſed & quibus factas promiſſiones novimus de liberatione & converſione ipſorum aliquando etiam ad Deum & ad Chriſtum futurâ. Hæc quo magis appropinquant tempora, eo ardentius exſpectamus. Certe mihi quidem nihil antiquius, quam Deo, uti in aliis omnibus, ita in illâ exequendâ promiſſione inſervire, in generatione meâ. Utinam per me, & hunc, quem inſumſi nunc laborem, qui & vobis offertur *Nobiliſſimi DD.* aliquid boni redeat ad Eccleſiam, ad Judæos ipſos, & uſus quis præſentis operis futurus ſit in horum ad illam reductione, atq; reinſitione! Sic demum ſanctam utilemque operam navaſſe me comperiam, comperiant illi, qui uſum ejus factu-

ri aliquem

ri aliquem ſint, vel victuri, quando Deus, pro gratiâ & promiſſione ſuâ, hoc quod deſideramus nunc, efficiet, & liberatore ex Zione miſſo *totus Iſraël ſalvabitur*. Alii alia agant, ego nullum arbitratus ſum argumentum eſſe, in quo Theologus, ſe & ſæculo dignius operetur, quam iſto. Uti delectus eſt ingeniorum, ita & argumentorum, in quibus illa occupentur: ego iſtud ſelegi, ſecurus in nullo me fructuoſius verſaturum, quam quod Judæis in viam vitamque revocandis impenditur; quod illos luci, lucem illis reddit, & ſalutem aliorum impenſius curando, propriam nec negligit, ſed firmat magis, promovetque. Hoc nunc agimus: hoc in celebri veſtrâ Academiâ, in quam pedem inferre me voluiſtis, doceo illos, qui curæ noſtræ & inſtitutioni committuntur. Quod quanti ſit, ſciverunt Nobiliſſ. Ampliſſimique Viri, à Vobis ad curam Academiæ conſtituti, quando ſingularem Profeſſionis Theologicæ partem eſſe voluerunt *Controverſiarum Judaicarum*. Nimirum prudenter & pie judicarunt, non in aliis magis partibus proviſum debere eſſe Theologicæ profeſſioni, &

veſtræ

Digitized by Google

veſtræ per eam Scholæ, quàm illà, quæ infidelibus, quæ Judæis operam ſuam deſtinat. Nullis non debemus multa, aliaque aliis, Judæis, mea quidem ſententiâ, omnia. *Judæo primum, & Græco.* Hoc Eccleſiæ votum eſt, hoc piorum omnium, Judæi ut juventur, ut curentur, ut denique ſalventur. Illis hæc noſtra opera, liber, diſputatio inſervit; atque hoc alios doceo, ut poſſum, exemplo opereque, iiſdem curam, & tempus, & ſtudia impendere. Dixi *Nobiliſſ.* atque *Præpotentes Domini*, de libro meo, deque meipſo: namque hæc nunc oblatum eo, & deberi Vobis, teſtor. Finiendum, ex lege mihimet in limine præfixâ brevitatis, poſtquam Vos Deo, me Vobis, eâ, qua par eſt, humilitate atque obſervantia, commendavero. Faxit ſupremum Numen, fælix, pacatumque veſtrum Regimen, ordinem, Remp. & hæc ſentiat ætas, poſteraque.

Illuſtres, atque Præpotentes Domini,

Veſter devotiſſ. Cliens,

IOHANNES HOORNBEEK.

Digitized by Google

PROLEGOMENA
DE
JUDÆIS,
EORUMQUE
CONVERSIONE.

ARGUMENTUM.

HEbræorum, & Judçorum nomen quid. Conſideratio populi tripartita: in Hiſtoriâ priſcâ, conditione hodiernâ, & futurâ tandem converſione. Hiſtoria ſpectatur populi infantis in familiis, adulti in terrâ Canaan, & diſperſi in exiliis. Calumniæ Græcorum de Judæis. An LXX mundi nationes ſint, & linguæ, ſcilicet juxta LXX animas deſcendentium in Ægyptum? Diſperſio populi trina, Aſſyriaca, Babylonica, Romana. Quid de X. tribubus factum, in Aſſyriam abductis? Poſt Romanam diſperſionē, in Babyloniam ejecti, inde in Hiſpaniam, hinc in reliquam Europam, Italiam, & Germaniam. Varie expulſi Judæi Galliâ, Angliâ, Germaniâ, Poloniâ, Hiſpaniâ, Luſitaniâ, Neapoli, & Siciliâ, ditione Papæ Romanâ. Scripti contra Judæos libri, & habitæ diſputationes. Judæorum libri pro ſe, & ſuâ infidelitate, contra Chriſtianos. Judæorum præjudicia ponuntur, & examinantur. Media ad Judæorum converſionem.: Eccleſiaſtica, Politica, Scholaſtica. De futurâ Judæorum converſione. Capita controverſiarum. Modus diſputandi iiſcum. Precatio.

§. I. *Hebræi, ſive Judæi, dilecta olim Deo gens, & ſola ſacra; nunc à multo tempore gravem paſſa maledictionem, & à Deo, ac ſacris excommunicata, & rejecta; aliquando per Dei gratiam reditura ſperatur iterum ad Deum, & Eccleſiam, in fide atque cultu veri Meſſiæ.*

ANtiquiſſima illorum denominatio eſt, qua *Hebræi* dicuntur: ſic quippe ſcribendum arbitror Hebræi, cum aſpiratione, ad ſervandam, ubi & quantum licet, λέξιν primigeniam, non Ebræi: uti Johannes, non Joannes, & ſimilia Hebrææ originis & ordinis vocabula. Ab Hebero appellati, Geneſ. x. 21. *Hic pater omnium filiorum Heber.* Unde & Joſephus, Antiquit. lib. I. cap. VII. τοῦ δὲ Ἕβερος, ἀφ' οὗ τοὺς Ἰουδαίους Ἑβραίους ἀρχῆθεν ἐκάλουν. Melius quam ſi cum aliis, Hebræos à trajectione fluminis Euphratis, aut Tigris, עברים, quaſi *Trajectores* dicas, aut quod fere idem, Ultrajectinos; aut vernaculâ noſtrâ lingua, quemadmodum habet *Orat.* III. *de linguâ Hebræâ* Erpenius, *Overlanders*. Origenes, ex verſione Eraſmi, in Matt. XIV. dicit *tranſmiſſorios*. Quemadmodum Martialis eoſdem *Tranſtiberinos* vocat. Alias nominis derivationes præterimus, quas ſatis diſcuſſas vide apud Franciſcum Gomarum, *Proleg. in epiſt. ad Hebræos.* Buxtorfium, in Diſſertat. *de linguæ ſanctæ conſervat.* Bochartum, lib. II. *Geographiæ S. cap.* XIV. & Hottingerum, *Theſauro Philologico, lib.* I. *pag.* 45.

Extra dubium eſt, *Judæos* à Judâ, Jacobi Patriarchæ filio, appellari: cujus etymon conſtat

conſtat ex Geneſ. xxix. 34. *& peperit filium ac dixit, hac vice* אורה *prædicabo Iehovam, propterea vocavit nomen ejus Iehudam.* Ad nominis ſignificationem reſpexit Parens in auguſtiſſimo vaticinio, Gen. xlix. 8. *Iehuda*, אתה יורוך, *te laudabunt* fratres tui. Judæi poſtea commune omnium Hebræorum nomen fuit, neque diſcrimen obſervatum, niſi à Samaritanis, quando vel Judæis ſe accenſerent, vel ab iiſdem cuperent diſtingui: unde ab Alexandro M. interrogati, quinam eſſent, dum cum Judæis paria ſibi indulgeri privilegia petebant, reſponderunt quidem Hebræos ſe, & Sichemitas à Sidoniis nuncupari; ſed rogati denuo, an ergo Judæi eſſent, expreſſe negarunt, unde & negata iis quoque quæ primò petierant beneficia. Joſephus ἀρχαιολ. lib xi. in fine.

§. 2. *Triplex populi Judaici ſtatus à nobis conſiderari poteſt, ac debet: quando fuit* Ammi, *Dei populus; vel* Lo-ammi, *non Dei populus; vel denique* Ruchama, *quando poſt iſtam rejectionem miſericorditer à Deo iterum accipietur.*

Confer Hoſ. 1. Sive tria hæc à nobis ſpectari in populo Judaico poſſunt, gentis *hiſtoria*; tum *hodierna conditio*; denique eorum per Dei gratiam aliquando *converſio*.

§. 3. *Hiſtoria gentis Judaicæ attenditur à primâ ejus origine, vel quaſi vagiens in familiis; vel ut adulta, & collocata in regione ſuâ Canaan; vel in exilio & diſperſione.*

Antiquiſſima, & ſupra aliarum nationum tum ætatem, tum notitiam gens Judaica. Nam ut Græci, atque Ægyptii habeantur vetuſti, hi tamen præter fabulas de Judæorum exitu ex Ægypto, vel expulſione propter lepram & ſcabiem quaſi; illi ſupra Homerum nihil ſciunt, qui poſt bellum Trojanum demum vixit: omnes autem longe antecellit unus Moſes. Ab Ægyptiis ſua ſe didiciſſe Græci non diffitentur, eorumque primi, Pherecydes, Pythagoras, Thales: jam ab Hebræis ſapientiam ſuam Ægyptios creviſſe, certum. Nam illos in Ægyptum divertiſſe aliquandiu, Ægyptiacarum rerum Scriptores etiam, interque eos Manethon, prodidere: at in origine Judæorum aſſignandâ, unde primum venerint, ortique ſint; tum in causâ egreſſus ex Ægypto exponendâ fœde aberrarunt. Paſſim ajunt, illos ob lepram & ſcabiem, atque aliorum morborum fœtorem & contagium Ægypto expulſos: ſed quæ egregiè refellit Flavius Joſephus, in ſuis contra Appionem libris. Nec fere aliter Romani credidere. Tacitus, Hiſtor. lib. v. in initio: *Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum ut inviſum Deis, alias in terras avehere juſſum.* Quodque addit, aſini caput poſtea à Judæis religioſe habitum, in memoriam monſtratæ in deſerto per aſinum forte aquæ, *effigiem animalis, quo monſtrante errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacravere:* Joſephus eandem ab Appione ſuis impactam calumniam refert, & refutat; ſimulque quod conſpectum dicitur in Judęorum ſacrario caput aſini, quando illud Antiochus intraret. Quæ de Judęis, eorumq; hiſtoriâ & rebus unde conficta haud difficile eſt divinare: nempe quod ſemotis ab aliarum gentium commercio Judæis, *nos enim* (inquit) Joſephus *neque regionem maritimam habitamus, neq, mercimoniis gaudemus neq; per hoc alterutris peregrinationib. fatigamur:* exteri, ſi quando de Judęis verba facienda, ut de rebus ſibi ignotis, vix potuerunt niſi errare,

& de

& de illis, quemadmodum de ſuis rebus, paſſim fabulari. Hinc Lucano dictum, *Ignoti Iudæa Dei.* Non aſinū ſolum, ſed & ſuem illos veneratos creditum, illum aquę, hanc nempe ſationis magiſtram. Sic Plutarchus, cætera gravis ſcriptor, *Sympoſiac. lib.* IV. Qui & alibi, Judæos Bacchum colere, ob ſeptimi ſcilicet diei cultum, aſſeruit. Quod inertiæ Tacitus adſcribit, ſuavique, quò delectarentur nempe, otio: unde etiam illos ſeptimum quietis annum obſervare autumat: & ſues ob memoriam cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal valde obnoxium, venerationi fuiſſe. Adeo, præ religione erga immundum animal, illos eo abſtinuiſſe opinati. Petronius:

Iudæus licet & porcinum numen adoret,
Et cæli ſummas advocet auriculas.

Juvenalis, Satyr. XIV. *Nil præter nubes, & cæli numen adorant.* Alii: *cæli limen* legunt. Paſſim *cælicolas* appellatos conſtat, cum ex aliis, tum ex *l. de Iudæis & cælicolis.* ubi non per Cœlicolas intelligendi Chriſtiani, ſed vel Iudæi, vel Judaizantes. Confer Baronium, *Annal. Tom.* V. *ad a.* 408. Neque de aliis, quam Judæis Tertullianum accipio, ubi in Apologia dicit, *alius, ſi hoc pietatis, nubes numeret, orans.* non de Chriſtianis: nam inde ad Chriſtianos, & ſe concludit, quod quum aliis liceat ſic, aliis aliter Numen colere, quare non Chriſtianis quoque integrum ſit, Deum colere pro arbitrio & conſcientia, *ut non liceat mihi colere quem velim, ſed cogar colere quem nolim?*

Ad originem gentis quoque facere videtur, quod Judæi dicunt, Deum in diſtribuendis per mundum populis ac nationibus, non ſolum rationem ſui populi habuiſſe ſingularem, ſed eorum quoque numerum attendiſſe, atque ad eum numeratas gentes alias. Nempe quia deſcenderunt olim in Ægyptum ſeptuaginta cum Iſraële animæ? in totidem ajunt gentes Deum diſpertitum fuiſſe univerſum orbem. Atque huc trahunt paſſim illa ex Cantico Moſis, Deut. XXXII. 8. 9. *quum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus, quum diſpararet filios Adami, ſtatuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraelis. Quia pars Iehovæ populus ejus, Iacob funiculus poſſeſſionis ejus.* Quæ ſic exponunt, ut dicant, Deum deſcendiſſe ad extructionem turris Babelis, comitatum lxx. Angelis, hos cum lxx. diverſis ſcripturæ loquendique modis, in quos totidem nationes diſpergeret. Ita Targumim, & Rabbini: ut quoque in Geneſ. XI. 4. 5. Deut. XXVII. 8. & Cantic. IV: 10. R. Eliezer, *capit.* XXIV. aliique. Quin Ioſuam, quando legis δευτέρωσιν inſcriberet lapidibus, Ioſ. VIII. 32. ajunt quoque eum ſcripſiſſe ſeptuaginta linguis, quò à quavis gente ac populo legi poſſet atque intelligi. David Kimchi in illum locum. Talmud, in Codice Sanhedrin, judices jubet ſeptuaginta callere linguas, ut quoſvis ſine interprete audire poſſint, ac judicare. Alii ſeptuaginta & duas faciunt mundi nationes, ſeu linguas, prout Græci, Geneſ. X. in genealogiâ duos addunt: quos Lucas Evangeliſta ſequitur, cap. III. Unde Irenæus, lib, III. de Hæreſ. cap. XXXIII. *Propter hoc Lucas genealogiam quæ eſt à generatione Domini noſtri uſque ad Adam* LXXII. *generationes habere oſtendit, finē conjungens initio, & ſignificans quoniam ipſe qui omnes gentes exinde ab Adam diſperſas & univerſas linguas & generationem hominum cum ipſo Adam in ſeipſo recapitulatus eſt.* Sic & Epiphanius, *Panarii lib.* I. *tom.* I. & lib. *de menſuris ac ponder.* Auguſtinus, *lib.* XVI. *de Civit. Dei. cap.* III. VII. Clemens Romanus, *Recognition. lib.* II. Zeno Veronenſis, Serm. in Pſalm. CXXVIII. *ſunt & Moyſe teſtante ſecundum numerum Angelorum fines gentium Adæ conſtituti.* Guido Fabritius Boderianus, *præfat. in Teſtam. Syriacum.* Genebrardus, *Chronol. ad a.* 1850. & 2049. Aliam ſententiam ſequitur Clemens Alexandrinus, ſtatuitque *Stromat. lib.* I. linguas primigenias eſſe ſeptuaginta & quinque, pro numero animarum quæ ex Iacobo venerunt in Ægyptum, prout eæ alibi recenſentur. Verùm, quod ad ſententiam vel hanc, vel reliquas, ſive ſeptuaginta, ſive ſeptuaginta duas, aut lxxv. vel quod ad illa-

Digitized by Google

rum opinionum fundamentum, ſive in numero Patriarcharũ Ægyptum ingreſſorum, ſive Angelorum Deo vel circumſtantium, vel diſperſioni Babelis præfectorum, à Iudæis illa omnia ſplendide conficta ſunt, uti plura talia, in gentis ſuæ præconium, nempe quaſi Iudæi Deo, reliquæ nationes ſuis ſingulæ Angelis ſubſint, eorumque ſubjaceant imperio ac influentiis: quomodo illa explicat Maimonides, *More Nevech. part.* II. *cap.* VII. adeoque perquam vana illa eſſe, nullo fundamento Scripturæ, aut rationis ſubnixa, exiſtimo. Nam quod ad locum Deut. XXXII. 8. *quum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus* &c. *ſtatuit terminos populorum*, למספר בני ישראל. quomodo probabunt reſpici ad diſperſionem gentium factam tempore ædificatę turris? quomodo, ſi vel למספר ſit ad numerum, quod intelligi debeat numerus animarum ingreſſarum in Ægyptum, ſive ſeptuaginta, ſive plurium? cur non potius ſenſus erit, quod in poſſeſſionibus terminiſque gentium conſtituendis Deus ſingularem ſemper habuit curam ſui Iſraëlis, qemadmodum hoc inſequentibus declaratur verſibus? Confer Diſſertationes Philologico Theologicas Buxtorfii, de *ling. Hebræâ.* Sam. Bochartum, *lib.* I. *Geograph. S. cap.* XV. ne dicam alios. Miſſis vero hiſce, gentis Iudaicæ hiſtoria, qualis vel in familiis Patrum primo fuit, vel in ipſorum regione, ex Sacris abunde ſatis haberi poteſt.

§. 4. *Diſperſio populi trina fuit: Aſſyriaca decem tribuum, ſub rege Aſſyriorum Salmanaſſare; & Iſraëlitarum, Hoſeâ: Babylonica, tribuum duarum, ſub rege Zedekiâ; & Babyloniorum, Nebucadnezare: tandem Romana, cum pleno Reip. Judaicæ interitu, ſub Imp. Tito.*

Illius hiſtoriam legere eſt II. Reg. XVII. Iſtius, II. Reg. XXV. & II. Chron. XXXVI. Hujus apud Flavium Ioſephum, libris *de bello Iudaico*, & de *Ipſius vitâ*, alioſque plures eum ſequutos. Quid decem tribubus, poſt aſportationem Aſſyriacam, evenerit, & ubi locorum manſerint, vel adhuc forte hæreant, curioſe inquiſiverunt multi. Ultra portas Caſpias abductas, vel ad flumen Sanbatium; & ab Alexandro Macedone montibus incluſas, inter Iudæorum figmenta reponi debet: qui inter ſe diſputant, an tribus illæ ad Meſſiam ſuum reverſuræ ſint, annon? Partes hîc facientibus R. Akibâ, qui negat, & ſortem iis adimit in futuro ſæculo; atque R. Eliezere, aſtruente contrarium. Meâ ſententiâ, abducti in Aſſyriam Iſraëlitæ decem tribuum, hîc, & in Babylone (præſertim poſtquam Aſſyriorum imperium ad Babylonios tranſlatum, quo tum & reliquæ duæ tribus, uti notum, per Nebucadnez. abactæ) habitarunt cunctarum tribuum Iſraëlitæ: ut qui hinc poſt ſeptuaginta exilii annos adſcenderunt iterum Jeruſalemum, potiſſimam partem quidem fuerint tribus Iudę & Benjamiticæ, at illarum nec omnes, nec ſoli, ſed & aliarum tribuum aliqui illis immixti, & ſic ſive reduces, ſive Babylonis, aliarumque regionum incolæ duodecim tribuum plures fuerunt Iſraëlitę: ut ideo etiam Iacobus Apoſtolus inſcribere epiſtolam potuerit, ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Præterquam quod probabile, δωδεκαφύλου multos ad Gentiliſmum deſciviſſe. An autem ex illis Colchi deſcendant, vel Tartari, aut Chinenſes, quod nonnulli exiſtimant, ego pro incerto habeo. Menaſſe ben Iſrael, in libello *Spes Iſraëlis* operosè conatur aſtruere, decem tribus in Indias Occidentales, in Tartariam, in Chinam, Æthiopiam, Mediam, Sabbathionem fluvium, atque Euphratem tranſlatas variis caſibus, diſperſaſque fuiſſe: conatu certe majore, quam ſoliditate. Ego, exceptis illis qui ad Ethniciſmum prolapſi Iudæi, parem fere omnium rationẽ facio, ſive in rejectione, ſive converſione. Statum religionis & reip. Iudaicæ qualis fuit à reverſione ex exilio Babylonico, uſque ad ſupremam Urbis per Romanos devaſtationem, de-

ſcripſit.

Digitized by Google

ſcripſit peculiari libello Paulus Eberus, Wittembergenſis Theologus: qui & tranſlatus in Gallicum.

§. 5. *Ab hac supremâ Judaici populi per Romanos devaſtatione ac diſperſione, miſerrimagens hac quaquaverſum diſſipata oppreſſaque, loci ſpeique juxta exul, ex ſede priſtina in Babyloniam multi, inde in Hiſpaniam, hinc in Italiam Germaniamque commigrarunt.*

Monumentum triſtis devaſtationis populi Iudaici, inter alia eſt nummus, multis ſervatus ac viſus, in quo effigies mulieris ſub arbore ſedentis, & plorantis, cum inſcriptione: *Iudæa capta*, ex altera parte Tit. Veſpaſiani, hoc modo.



Diſperſionem populi per omnes inde mundi nationes, quibus non parum gravis ſemper ille quaſi incubuit, elegantibus juxta ac celebratiſſimis verſibus expreſſit Rutilius, lib. 1. Itinerarii.

Atque utinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet,
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ gentis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Diſperſi, ac palabundi vagantur Soli. Et cæli ſui profugi, per hoſpitia aliena vagantur; inquit de iis *Cyprianus* lib. *de vanit. idol.* fortè legendum, *Soli, & cæli ſui profugi.* quo modo Magiſter ejus Tertullianus dixit in apol. *diſperſi palabundi & cæli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur*: de ſuo tempore loquitur. Didymus, de Spiritu ſancto, lib. III. *In univerſo enim orbe cunctiſque regionibus ſoli exules Patriæ, in terrâ vagantur alienâ: non urbem antiquam, non ſedes proprias poſſidentes: id quod Prophetis, & Salvatori ſuo fecerunt, receperunt.* Hiſtoriam populi Iudaici, ab ultimâ illorum diſperſione tum ipſi contexerunt, variis in libris, *Iuchaſin, Schalſcheleth Hakkabala, Schebeth Iehuda, Zemach David.* tum Chriſtiani; ſive ex monumentis Chriſtianorũ, uti Centuriatores Magdeburgenſes, ad ſingulas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Centurias*; ſive ex ſcriptis Iudęorum, quod diligenter & accurate nuper præſtitit in *Eccleſiaſticâ Novi Teſt. hiſtoriâ*, Ioh. Henricus Hottingerus. In Palæſtinâ, etiam poſt urbis & reip. excidium, diuſculè Iudæorum reliquiæ hæſerunt, celebreſq; habuerunt Scholas ſeu Academias Iaſnæ, Zephoreæ, Cæſareæ, Tiberiadi., uſque ad annum poſt Chriſtum, trigeſimum ſupra ducenteſimum: atque ibi compoſitum ab illis

 Talmud,

Digitized by Google

Talmud, quod Jeroſolymitanum appellant. Sed qui in Babyloniam conceſſerunt Iudæi אנשי בבל, & Academias conſtituerunt Nehardeæ, Soræ, ac Pumbedithæ, digniores aliis habiti doctioreſque, & hi autores Talmudis Babylonici.

Atque inde in Europam, & Hiſpaniam primo; hinc in reliquas Chriſtiani orbis partes, Italiam, Galliam, Angliam, Germaniam utramque penetrarunt ac pervagati ſunt. Aliquoties admiſſi, iterum repulſi hinc inde: hodie magno numero ſunt in Germaniâ, Belgio, Poloniâ, Lituaniâ, Bohemiâ. Pragæ ultra quindecim millia Iudæorum ſuo tempore fuiſſe ſcribit Poſſevinus. In Aſiâ multi, atque etiam Africâ. In Italiâ, Romæ, Venetiis, ubi anno CIↃ IↃ LXX. cenſita capita CIↃ C LVII. quod ſcribit, in Peregrinatione Ieroſolymitanâ, Bockenbergius. Romæ ad decem millia Iudæorum, ab aliis plures numerati. Avenioni, quod dominii Pontificii, à quo tempore Clementi VI. donatum à Iohannâ Siciliæ Reginâ, permulti Iudæi, ex quibus gravem cenſum quotannis colligit Papa, nequaquam eorum territus ἀνζωδία, quum tamen in Galliâ, cujus illud ditionis oppidum, nulli Iudæi: expulſi à Rege Philippo Pulchro, inter quos numeratus quoque R. Selomo Iarchi, celebris Legis, unde פרשנדתא dictus, & Talmudis interpres Lunenſis Gallus, Luna ירח Galliæ Narbonenſis oppidum. Atque hic plures ſemper Iudæi. Unde in epiſtolis Gregorii, libr. III. epiſtol. XXI. Venantio Epiſcopo Lunenſi inſcripta ita incipit: *multorum ad nos relatione pervenit, à Iudæis in Lunenſi civitate de gentibus ad ſervitium Chriſtiana detineri mancipia.* Denique etiam à Philippo Longo, anno CIↃ CCC XXIII. regni ejus ultimo, Galliis penitus expulſi fuerunt, ob impactum crimen infectorum ab illis puteorum. Angliâ ejecti ab Eduardo I. anno CIↃ CC XC. Per Germaniam ob ſimile crimen venenatorum puteorum, gravia paſſi, & combuſti quotquot deprehenſi anno CIↃ CCC XLVIII. Poloniâ exulare coacti anno CIↃ CCC LXXXII. à Rege Ludovico. Hiſpaniâ, anno CIↃ CCCC XCII. à Rege Ferdinando. Sexennio poſt Luſitaniâ, ſub Rege Emmanuele. Neapoli & Siciliâ, anno CIↃ IↃ XXXIX. ſub Carolo V. Conſtitutione Pii V. anno CIↃ IC LXIX. univerſo ſtatu Eccleſiaſtico, exceptis Româ, & Anconâ. Privilegia Anconenſibus Judæis à Paulo III. data, Clemens VIII. confirmavit, conſtitutione anni CIↃ IↃ XCIV. Abrabaniel in Jeſa. XLVI. quatuor gravia refert ſuorum exilia, quæ à Chriſtianis ſuſtinuerunt: primum Anglicum, anno 1020. Secundum Gallicum, diebus R. Levi ben Gerſon, quo ajunt duplo plures Judæos Galliâ expulſos, quam olim Ægypto exiverunt. Tertium, quo ejecti fuerunt ex Aſiâ, Germaniâ, Sabaudiâ &c. Quartum Hiſpanicum, anno 1211. quo ſcribunt tot Hiſpaniâ Judæos emigraſſe, quot iterum olim ex Ægypto. Valde gravem memorant ſuæ gentis perſequutionem, anno IↃCCC LVI. juxta ſuum computum, id eſt, noſtrum CIↃ XCVI. (nam ubi illi compendio minorem computum ſequuntur, omiſſis millenariis, uti vulgo לפק ſive לפרט קטון ſi addas annos CCXL, cum noſtro convenit) quo Chriſtiani validiſſimo atque numeroſiſſimo exercitu Palæſtinam ibant recuperatum, & communi decreto omnes fere terris ſuis expellebant Judæos, atque in obvios miris modis ubique ſæviebant. Quod ita ab iis notatum: *illo anno facta ſunt decreta & perſequutiones in omnibus diſperſionibus Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Italiæ, Bohemiæ, atque Vngariæ; cujuſmodi ſtatuta ad affligendum audita non ſunt.* Chronicon Tzemach David, authore R. Davide Ganz, Germano, ad illum annum. Neutiquam verò probamus, ſi durius habeantur Judæi, vexentur indignis modis, vel opprimantur; quin omni potius miſericordiâ digni, ac demulcendi officiis videntur, quo minus alieni etiam hoc modo fiant à Chriſtianis, atque à fide & doctrina noſtrâ.

Nihilo

Digitized by Google

§. V. *Nihilo autem ſecius in infidelitate ſuâ contumaciter perſtiterunt miſeri Judæi. Et utut variæ quovis tempore adverſus eos inſtitutæ à Chriſtianis diſputationes, ac conſcripti libri, nequicquam tamen ceſſere, niſi valde pauci, & ſingulariter noti.*

Scriptis contra Iudæos olim hodieque clari fuerunt. Iuſtinus Martyr, *Dialogo cum Tryphone*. Tertullianus, lib. *contra Iudæos*: & de *cibis Iudaicis*. Cyprianus, *adverſus Iudæos*, libris tribus. Alius ſub ejus nomine eſt, *de Sion & Sina*. Euſebius Cæſareenſis ſcripſit lib. *Demonſtrationum Euangelicarum*. Gregorius Nyſſenus, *de Trinitate*, contra Iudæos. Prudentius, in *Apotheoſi*, contra eos quoque agit. Chryſoſtomus, *orat. quinque adverſus Iudæos*. Tractatu, *quod Chriſtus ſit Deus*. De *Euangelio*, contra Iudæos. Auguſtinus, orat. *de quinque hæreſibus. Ad Catechumenos. De altercatione Eccleſiæ, & Synagogæ*. Et *Epiſtolâ ducenteſima*. Cyrillus Alexandrinus, *quæſt. adverſus Iudæos*. Iſidorus Hiſpalenſis, *contra nequitias Iudæorum*. Iulianus Pomerius Toletanus, libris tribus, *de Demonſtratione ætatis ſextæ contra Iudæos*. legitur præterquàm ſeorſim, etiam inter Orthodoxographa, Baſileæ edita; & in Bibliothecâ Patrum. ubi præterea extant contra Iudæos Tom. IV. Anaſtaſius Abbas: qui & apud Caniſium eſt, *Antiq. Lect. Tom.* III. Iterum in Bibl. PP. ſunt Tom. IX. Agobardus. Tom. XV. Theodorus Abucara. Oddo abbas. Et *Collectanea* contra Iudæos. Tom. XIV. Andronicus Conſtantinopolitanus. Tomo Græco latino, Gregentii Diſputatio cum Herbano Iudæo. Qui & ſeorſim habetur: atque ejus ſummarium, in Antonii Dauroultii *Catechiſmo Hiſtoriali cap.* I *tit.* IV. Fulbertus Carnotenſis, *ſerm. adverſus Iudæos*. Petrus Damianus ſcripſit *Antilogiam contra Iudæos*. Legitur ſub nomine Samuelis Marrochani epiſtola ad R. Iſaacum, ex Arabico tranſlata, varias in linguas, Latinam, Italicam, Hiſpanicam, in bibl. PP. Tom. IV. inter Orthodoxographa pag. 1301. & ante tractatū Petri Cevallerii contra infideles; & cùm Scrutinio Script. Pauli Burgenſis. Sed quam epiſtolam ego quidem pro verâ & genuinâ vix habeo. Ex interpretatione Alphonſi hominis Hiſpani, & paulo aliter, quam in expreſſis exemplaribus legitur, extat in Bibliothecâ Ultrajectinâ. Petrus Cluniacenſis ſcripſit, *contra Iudæorum duritiem*. Inter Orthodoxographa item legitur *Veri Meſſiæ paraſtaſis*. Petrus Alphonſus, ex Iudæo Chriſtianus, antea Moſes, poſt converſionem dictus Alphonſus, ex nomine Alphonſi Regis, qui eum à baptiſmo ſuſcepit, ſcripſit *Dialogum contra Iudæos*, ſub nomine Petri, & Moſis. extatque MS. in Bibl. Ultrajectin. Euthymius Zygabenus, in *Panopliâ* etiam diſputat adverſus Iudæos. Rupertus Tuitenſis, lib. *Victoria verbi Dei*. Petrus Bleſenſis, Bathonenſis archidiaconus, *contra perfidiam Iudæorum*. Mſ. extat in Bibl. Ultrajectinâ. Raymundus Martini, vel Deſ-Martins, Catalanus, Ordinis Prædicatorum, ſcripſit ductu & conſilio potiſſimum S. Raymundi à Pennaforti, Magiſtri Generalis, anno CIↃ CC LXXVIII. *Pugionem fidei*, adverſus Mauros & Iudæos. Qui liber hucuſque fere latuit, niſi quod ex eo, ſuppreſſo nomine, meliora quæque ſuffuratus fuit, ſuiſque libris inſeruit Galatinus: melius nominato authore, Porchetus Salvaticus. Editus nunc demum operâ Franciſci Boſquet, Epiſcopi Lodovenſis, cum obſervationibus doctiſſimis Ioſephi de Voiſin, Pariſiis, anno CIↃ IↃC LI. Scripſit idem Raymundus quoque Compendium contra Iudæos, cui titulum fecit, *Capiſtrum Iudæorum*. Nicolaus de Lyra, cui aliquoties citatur Raymundus iſte, ſcripſit *de Meſſia, ejuſque adventu præterito, contra Iudæos*: addiditque in fine *Reſponſionem* ad tractatum Iudæi alicujus, qui quatuodecim argumenta contra veritatem Euangeliorum, ex iiſdem, hinc inde produxerat. Mſ. extat in Bibliothecâ Ultrajectinâ. Iohannes Bacço, ſive de Bachone, Anglus, ſcripſit lib. *contra*

Iudæos.

Judæos. Similiter Ioh. Hildesheimenſis, Monachus Carmelita. Paulus Venetus, ordinis Auguſtini. Hieronymus de ſancta fide, converſus Iudæus, & P. Benedicti XIII. Medicus, ann. CIↃ CCCC XIV. recitavit librum contra Talmud, ejuſque errores, in magno tam Chriſtianorũ quàm Iudæorum in Hiſpaniâ cœtu, ex quo quinque Iudæorum millia ad fidem converſa dicuntur. Prodiit liber primũ Tiguri, a. CIↃ IↃ L II. inde Hamburgi, inſcriptus *de Iudaicis erroribus ex Talmuth*; ſed plenior, totoque libro auctior, Francof., a. CIↃ IↃ C II. ſcilicet in primis illis editionibus duntaxat ſecundus liber legebatur de erroribus Talmudicis: ſed in hac, etiam primus, iſque major, quo de Meſſiâ diſputat. eique in calce adjunctus eſt liber Nicolai Lyrani, de adventu Chriſti. Extat quoque in Bibl. Patrum, Tom. XV. Paulus Burgenſis, ſive Paulus de ſancta Maria, Iudæus converſus, Profeſſor Theologiæ, & Burgenſis in Hiſpaniâ Epiſcopus, anno. CIↃ CCCC XXXIV. ætatis ſuæ LXXXI. ſcripſit (poſtquam compleviſſet additiones ſuper Nicolaum Lyranum) *Scrutinium Scripturarum* contra *Iudæos*, titulo facto juxta libri initium, quod eſt: *Scrutamini Scripturas*. conſtat duabus partibus, quarum priori continetur Dialogus inter Saulum & Paulum, ſive Judæum, & Chriſtianum, ſuper vulgatis horum inter ſe controverſiis, per diſtinctiones decem: alterâ, Dialogus inter Magiſtrum, & diſcipulum; quo, qui jam, deſerto Iudaiſmo, Chriſtianæ doctrinæ aurem præbere incipit, de. Chriſtianiſmo plenius erudiri cupit, & fidei articulis imbui. Convenienti optimaque methodo, ut profligato primum & deſtructo Iudaiſmo, deinde Chriſti doctrina probetur atque ſtabiliatur. Liber Mſ. extat in Bibliothecâ publicâ: Ultrajectinâ ibidemque in Bibliothecâ Eccleſiæ S. Mariæ. Petrus de la Cevalleria, Hiſpanus, ſcripſit *Zelum Chriſti, contra Iudæos, Sarracenos, & Gentiles*, cum gloſsâ Martini Alphonſi Vivaldi, anno. CIↃ CCCC L. Bernardus Senenſis, aliquot *Sermones* habuit contra Iudæos. Item Bernardinus de Buſtis, in *Roſario ſermonum, part. I. ſerm.* XIV. longam inſtituit contra Iudæos Digreſſionem. Petrus Brutus, Epiſcopus Catharenſis, lib. *Victoria adverſus Iudæos*. Cujus libri lectione, ut & Iacobi de Valentia, Chriſtopolitani epiſcopi, poſt Pſalmorum explicationem, motus Finus Hadrianus Ferrarienſis, ſcripſit *Flagellum in Iudæos*, à filio editum, anno CIↃ IↃ XXXVII. Cardinalis de Turrecremata, *de ſalute animæ*, contra Iudæos, quo ſeptem adverſus eos agit argumentis. Defenſorium fidei, contra Iudæos, Hæreticos, & Sarracenos, conſtat libris ſeu Dialogis ſeptem, inter Belial & animam. Eſtque in Bibl. Ultrajectinâ publicâ; & S. Mariæ. Illic quoque *I*gneti Contardi Mercatoris *I*annenſium, in civitate Majorca, *Diſputatio* MS. eſt cum Judæis. Iohannes Baptiſta, Medicus, anno CIↃ IↃ. ſcripſit *Confutationem Sectæ Hebraicæ*, partibus duabus. Victor à Carbe, converſus Iudæus, ac poſtmodum Colonienſis ſacerdos, de quo ad valvas templi Urſulani Coloniæ, ubi & docuit, ferro inſculptum, *Victor olim Iudæus*, ſcripſit anno CIↃ IↃ IX. *contra errores Iudæorum*, libros quatuor. Antonius Margarita, item Iudæus converſus, & Profeſſor poſtea Lipſienſis, *de fide Iudaicâ*. Iohannes Pefferkorn, qui primo à Iudæis ad Papiſtas, hinc ad Iudæos relapſus, Halæ Saxonum tandem combuſtus, ſcripſit varia: *Speculum adhortationis Iudaicæ. de Iudaicâ confeſſione. Contra Iudæorũ uſuras. de Iudæorũ Paſchate. de abolendis Iudæorũ ſcriptis, ad Imp. Maximilianũ.* Petrus Galatinus, Ord. Minorum, & Laurentii Puccii Card. familiaris, ſcripſit ſub annum CIↃ IↃ XVI. ad Maximil. Imp. libros XII. *de Arcanis Catholicæ veritatis*. Ubi multa paſſim ex ſcriptis Iudæorum Talmudicis & Rabbinicis adfert: ſed quæ partim in Iudæorum ſcriptis nondum reperta, partim deprehenſus exſcripſiſſe ex *Pugione fidei* Raymundi. Primus Ioſephus Scaliger fuit, qui hoc detexit, ex inſpecto à ſe, in Collegio Fuxenſi Toloſano, iſto Raymundi libro: ſed quem fruſtra tum putabat eſſe Raymundum Sebon, auctorem libri *de Theologiâ naturali*. deceptus ſimilitudine nominis; & quia inſcriptio modò præ ſe ferret Raymundi nomen,

Digitized by Google

men, putavit haud aliumRaymundum eſſe,quam illum. Facem à Scaligero monſtratam ſequuti, Caſaubonus, lib. I.Epiſt. CCCCLXXII. Druſius, Sixtinus Amama, ubi de nomine יהוה differunt,deque ejus multiplicato nomine XII. & XLII literarum: de quibus multa Galatinus, & quidem ex Rabbinis, quæ apud illos nondum reperta. Buxtorfius verum nomen produxit Martini Raymundi. In Diſſert, de Decalogo, Theſ.74. *Sic legitur in Galatino; cum tamen in Talmud ipſo Maccoth fol.*24. *col.*1. *& in Pugione Chriſtianorum Martini Raymundi part.* 3. *diſtinct.* 3. *cap.* 12. (*ex quo libro omnia ſua deſcripſit Galatinus*)*legatur.*&c.Rem omnem èxponit Ioh. Morinus, Bleſenſis, *Exercit. Biblic. part.* 1. *lib.* 1. *exercit.* 1. *cap.* 11. *pag.* 17. Atque pleniſſime totam Galatini, & libri tum ejus, tum Raymundi hiſtoriam pandunt, qui primi Raymundi iſtum librum ediderunt Pariſiis, anno CIↃ IↃ CLI. de quo modò diximus. At putare non debemus, quaſi aut omnia Raymundi deſcripſerit, atque in ſuum Commentarium tranſtulerit Galatinus; aut quæ in Galatino, eadem occurrant apud Raymundum. Nam præterquam quod pro diverſis tractatibus habendi ſint, qui diverſâ methodo conſtant & ſcriptione, ſæpeque etiam rebus; permulta ex libro Zohar adducit, item ex Gale razeia, q. d. *revelator Arcanorum* (ex quo forte librorum ſuorũ titulum deſumſit)Galatinus; quæ non ita Martinus,non alii norunt, aut probant. Ex Raymundo tamen præcipua, & potiſſimas Talmudicorum allegationes Galatinum accepiſſe,nemo jam neſcit. In hoc præſertim culpandus,quod Raymundi nomen ac librum ſubticuerit, illaque quaſi ſua venditarit. Ad quod procul dubio multum etiam fecit Vatinianum inter familiam utramque Dominicanorum, cujus Raymundus fuit; & Franciſcanorum, inter quos Galatinus, odium. Meliori fide circa hæc verſatus fuit Porchetus Salvaticus, Genuenſis Monachus, Carthuſienſis, qui anno CIↃ IↃ XX. ſcripſit, *Victoriam contra Iudæos.* Et tum ipſe in proœmio, tum Auguſtinus Juſtinianus, in Præfat. ad illum librum, ingenuè ſcribunt, ex Raymundo præcipuè compilatum. Antonius Marinarius, Carmelitanus, ſcripſit anno CIↃ IↃ LXI. *Conſonantiam Ieſu & Prophetarum.* Ludovicus Carretus, Iudæus converſus *epiſtolam*, ſeu librum viſorum divinorum, ad liberos ſuos, reliquoſque Iudæos. anno CIↃ IↃLIII. Marquardus de Suſannis, de Utinis, anno CIↃ IↃ LVIII. *De Iudæis & aliis infidelibus.* Paulus Weidnerus, ex Iudæo Chriſtianus,Philoſophus & Medicus Imperatoris, & Hebræã linguam profeſſus Viennæ, ſcripſit anno CIↃ IↃ LIX. *Loca præcipua fidei Chriſtianæ collecta & explicata contra Iudæos.* atque anno CIↃ IↃ LX. juſſu Imperatoris Viennæ publice coram Iudæis concionatus fuit, & diſputavit: quem ſermonem poſtea in lucem edidit. Contra Iudæos, Sarracenos, alioſque Chriſtianæ fidei inimicos *Fortalitium fidei*, editum anno CIↃ IↃ XC. auctore Guilielmo Totano, niſi forte Bartholomæo de Spina, Colonienſi Carmelitâ. Jacobus Peretz de Valentia ſcripſit, *contra Iudæos.* Vincentius di Coſta Mattos, *de hæreticâ perfidiâ Iudæorum*, Luſitanicè. Joſephus Acoſta, *de Chriſto revelato.* Raphael Aquitanus, Italicè, *contra Iudæos.* Ut & Johannes Andreæ, *Epiſt. parænetícam ad congregationem Iudæorum.* Petrus Niger, *Stellam Meſſiæ.* Hieronymus Oſorius, in lib. *de verâ ſapientiâ*, præſertim lib. I. & II. Judæos tangit. Roſellus, in Pœmandrum Triſmegiſti, *lib.* IV. *Comment.* IX. Gilbertus Genebrardus, *Reſp. ad argumenta Ioſephi Albo, Davidis Kimchi &c.* Poſſevinus, *in Biblioth. lib.* IX. *de juvandis Iudæis.* Thomas à Jeſu, *de procurandâ converſ. omnium Gentium, lib.* IX. Ne authores nominem Cabaliſticos, quos Piſtorius Baſileæ edidit, uno tomo; inter quos Paulus Ricius, converſus Judæus; Joh. Reuchlinus; Archangelus de Burgo novo; Sepher Jezira, Abrahami Patriarchæ (uti Judæi fingunt); alii R. Akibæ tribuunt: quem anno CIↃ IↃ C XLII. de novo tranſtulit, notiſque egregiis illuſtravit Joh. Stephanus Rittangelius. Inter Proteſtantes viri quoque magni & celebres variis contra Judæos ſcriptis laborarunt. Lutherus, Tom.

** VII.

VII. & VIII. edit. Jenenſ. Urbanus Rhegius, lib. *de Prophetiis*, cum præfatione Lutheri. Johannes Schwebelius, *Dialogo Chriſtiani cum Iudæo.* Opuſc. pag. 116. Calvinus, *epiſt.* CCCLVIII. Paulus Fagius, lib. *Sepher amana*, Hebraicè, & Latine. Munſterus, *in Euangelio Matthæi Hebraico*; & epiſt. ad Hebræos. Jacobus Brocardus, lib. *de primo & ſecundo Meſſiæ adventu.* Phil. Mornæus, *parænesi ad Iudæos.* & lib. *de religione Chriſtianâ.* Julius Conradus Otto, Judæus converſus, & Profeſſor poſtea Altorfinus, lib. *Gali Razia*, ſive *Detectio occultorum.* Johannes Rhombergius, Profeſſor Wittenbergenſis, Diſſert. *de adventu Meſſiæ contra Iudæos.* Buxtorfius, *Synagogâ Iudaicâ*; & ſubjunctâ *Diſputatione*, ſive colloquio; quod item inter Calvini epiſtolas eſt; & cujus eaſdem objectiones refutandas ſibi ſumpſit Genebrardus, in libello contra argumenta Joſephi Albo, & Davidis Kimchi. Chriſtophorus Helvicus, *Elenchis Iudaicis.* qui & in Germanicum tranſlati, à Ludovico Seltzero. Abrahamus Coſterus, lib. *de fide Iudæorum*, Belgice. Jacobus Martinus, *Diſput. de Meſſiâ.* Chriſtianus Matthias, Diſputationibus, *de divinitate, & officio Meſſiæ*, habitis in Academia Altorfina. Item Dan. Toſſani *Diſput.* Montacutius in *Actis & monumentis Eccleſiaſticis*, Anglicè. Joh. Weemſus Scotus, lib. *de quatuor filiis degeneribus*, ſimiliter Anglicè. Joh. Pagetus, *contra Allegationes Talmudicas.* ut & Ioh. Harriſon, *Directorio contra Iudæos.* Hugo Brouchtonus, variis ſcriptis, Latinis, Anglicis, & Hebraicis. Michael Haveman, libello Germanico, *Wegeleuchte wider die Iudiſche Finſterniſſen.* Item Chriſtianus Gerſon, converſus Judæus, lib. *contra Talmud.* Ern. Heſſen *Flagellum Iudæorum.* Marcus Lombardus, *Detect. Iudæorum.* Wilhelm. Schickardus, in appendice lib. *de jure Regio Hebræorum.* Conſtant. l'Empereur, lib. *contra Abrabanielem in Ieſa.* cap. LIII. lib. *in Danielem, contra R. Iachiadem.* Item notis in *Itinerarium R. Benjaminis.* & in tractatus *Halichoth Olam. Middoth. Babakama.* Joh. Coccejus, in Notis ad tractatum Talmudicum *Sanhedrin.* Guilielmus Vorſtius, obſervat. in *Chronologiam R. David Ganz. In Pirke Eliezeris. Maimonidem, de fundamentis legis. & Abravanelem, de capite fidei.* Theodorus Hackſpan, *contra Nizachon, R. Lipman.* Johannes Mullerus, Theologus Hamburgenſis, ſpiſſum volumen in quarto nuper ſcripſit *contra Iudæos*, Germanice, tit. *Iudaiſmus.* Anonymus eodem anno, id eſt, CIↃ IↃ CXLIV. *Diſputationem adverſus Iudæos.* Antonius Hulſius, Profeſſor & Theologus Bredanus, *Theologiam Iudaicam, de Meſſiâ.* Ne Scriptores dicam de veritate religionis Chriſtianæ, qui argumentum iſtud etiam contra Iudæos perſequuntur, & tractant. Quales Marſilius Ficinus, cui Notas adjecit Ludovicus Crocius. Hieronymus Savanarola, lib. *Triumphus Crucis.* Ludovicus Vives. Charron, *de tribus veritatibus*, Gallice. Grotius. Amyraldus, & ſimiles. Illi in Controverſiis Iudaicis conſuli Scriptores poſſunt, & pro fide Chriſtiana, contra Iudæos ſe diſputando ſcribendoque exercuerunt. Inter quos, ex Judaiſmo etiam converſos aliquos notare eſt; ſed raros.

§. 6. *Quin & ipſi non deſierunt quoque libros pro confirmatione infidelitatis atque errorum ſuorum aliquoties exarare Iudæi.*

Quales, R. David Kimchi, in Pſalmos. Liber *Ikkarim*, ſive de fundamentis, aut radicibus doctrinæ fundamentalibus, R. Joſephi Albo. Varii libri *Nizachon*, (ſic enim ſplendidis titulis ſua ſolent exornare) ſive *Victoria* & *triumphus* contra Chriſtianos. De quibus Buxtorfius, in Bibliotheca Rabbinica, ad נצחון: & in præfatione ad R. Lipmanni Nizachon, egit Theodorus Hackſpan. Similiter varii libri *Emunoth*, ſive fidei. Ne commentaria dicam Abrabanielis in Jeſaiam, & Danielem; R. Alſchechum.

chum, & ſimiles. Adde ſcripta *Menaſſis ben Iſraël*, quibus, ut notis nimium vulgatiſque, ubi in fidem noſtram incurrunt, enervandis nos potiſſimum occupabimur.

§. 7. *Adeo autem inter homines res etiam religionis fere aguntur prætextibus, & errores ſua paſſim habent præjudicia, quibus homines à vero abducuntur, neque ſinuntur propriam ejus intueri ſpeciem; ut Judæi quoque adverſus Chriſti religionem formarint ſibi aliqua vana & falſa præjudicia, quibus à veritate dignoſcendâ amplexandaque miſere abſtrahuntur.*

Προκρίματα, & προκαταγνώσεις, unde ſequitur πρόσκλισις animi indebita: hinc Apoſtolus conjungit 1.Tim.VI.21. ταῦτα φυλάξῃς χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν. Unde qui debito modo ſanare hominum animos velit ab erroribus, penetrare aduſque mentis ipſorum præjudicia debet, eaque inveſtigare, tum evellere. Quibus demtis errores corrigere facile eſt, qui, quouſque illa manent, fere immobiles videntur.

§. 8. *Judæorum adverſus Chriſtianiſmum præjudicia haud unius ſunt generis. Quædam illis communia cum quibuſvis aliis errorem & falſam quamcunque religionem ſequentibus: quædam ipſis particularia. Quæ aut petunt ex ſuo Judaiſmo; aut ex noſtro Chriſtianiſmo. Illa potiſſimum hæc ſunt.*

1. *Religionem ſuam ipſis eſſe πατροπαράδοτον. Philo, de legat. ad Cajum:* omnes gentes libenter ſervant ritus patrios; ſed Judæi præ cæteris.

Commune hoc omnibus, poſt parentes ſuos à veri tramite aberrantibus, & vulgare eſt præjudicium; ex perverſa & ſuperſtitioſa parentum obſervantia natum, atque ſimul inertiâ inquirendæ veritatis. Hoc idem Gentiles obfirmatos tenet in ſuo Paganiſmo. Quod Chryſoſtomus annotavit, Homil. VII. in II. Cor. *Gentiles cum nullâ ſe poſſunt ratione defendere, Patres, avos, proavos in ſuam adducunt excuſationem.* Et Lactantius, libr. *de origine erroris,* præſertim cap. VII. *Hæ ſunt religiones, quas ſibi à majoribus ſuis traditas pertinaciſſime tueri ac defendere perſeverant, nec conſiderant quales ſint, ſed ex hoc probatas atque veras eſſe confidunt, quod eas Veteres tradiderunt: tantaque eſt authoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam ſcelus ducatur.* Quod proinde Julianus Imp. Chriſtianis objiciebat, illos veteres majorum ritus deſeruiſſe, quando Paganiſmo nuntium miſerant, inquiens: *à majoribus veſtris Deus hoc modo cultus eſt?* uti eſt apud Chryſoſtomum, orat. II. *contra Iudæos.* Et Judæis idem à Gentilibus exprobratum. Ioſephus, libr. II. contra Appionem. *Accuſant nos, quare nos eoſdem Deos cum aliis non colamus.* Unde Romani lege caverant, *ſeparatim nemo habeſſit Deos, neve novos, ſive advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto. Ritus familiæ patriæque ſervanto. Sacra privata perpetua manento.* inter leges XII. Tab. Et apud Athenienſes, ex oraculo Apollinis, non licebat alio quàm patrio ritu & conſuetudine Deos colere. An bene propterea, quod Majoribus ita viſum, & à parentibus ſic filii accepiſſent? Livius libr. IV. *datum inde negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui, niſi Romani*

Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur. Unde decantatum hoc, & à Gentilibus paſſim objectum, quod in epiſtola Ignatii legitur ad Philadelph. *niſi Euangelium in archivis repererо, non credam.* Ex adverſo reſpondebant Chriſtiani, quomodo Iuſtinus Apologiam ſuam adGentiles orditur: *ne putetis, vos Majoribus injuriam facere, ſi ab iis diſſentiendo, potiora ſequamini: ſolet enim exactum rerum examen ea, quæ prius placuerant, examine certiore deprehendere, quod aliter quàm exiſtimabantur ſe habeant.* Sic & Tertullianus, *contra Nationes libr.* I. *cap.* X. Euſebius, *ευαγγ. προπαρασκ. lib.* I. & II. & alii paſſim. Deſtruendum ergo hoc idolum, idolorum omnium maximum atque vulgatiſſimum, quo Diabolus hominum animos in ignorantia & errore tenet obſtinatiſſimos, ſolâ Majorum aliam religionem ſequutorum, ſed perverſiſſimâ reverentiâ. Quaſi religio propter parentes,& non parentes propter religionem ſectandi eſſent atque obſervandi. Niſi velimus effœtam Gentilium reſorbere ſuperſtitionem, quod eam aliquando Majores noſtri tenuerunt, eoſque in erroribus & pertinacia ſequi patronos ſolos. Camerarius, in Catalogo Cæſarum, de Theodoſio: *Suaſit Senatui, qui religionem priſcam ſtuderet retinere; ut decepti & inducti in errores, reſipiſcere, & Chriſtianam religionem, in quâ omnium ſcelerum abolitio denuntiaretur, amplecti vellent. Sed nemo motus omni oratione ejus dicitur, quod negarent ſe facere poſſe, ut majorum ſuorum inſtituta & tradita novitiis Chriſtianorum inventis poſtponerent.* Rectius, magiſq; cordatè Seneca: *nihil magis præſtandum eſt, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.* lib. *de vita beata*, cap. I. Vel ſi ita Iudæis viſum, ut ſolam ſequamur parentum noſtrorum religionem, nihil jam habent quod nobis opponant, quando Chriſtianam retinemus religionem, tot ſeculis confirmatam, & quam Majores noſtri exemplo, voce, martyrio nobis commendarunt. Sed ſciat ex Scriptura Judæus, non ſemper Deum velle, ut in hujuſmodi negotio parentum veſtigia liberi premant. Joſ. XXIV. 14, 15. *Amovete Deos quos coluerunt majores veſtri.* Quin Deo probatur etiam qui tali in caſu patri ſuo dicit ac matri, *non reſpicio eum, & qui fratres ſuos non agnoſcit, & filios ſuos non recognoſcit: quia obſervant verbum tuum & fœdus tuum cuſtodiunt.* Deut. XXXIII. 9. Pſalm. XLV. II. *obliviſcere populi, ac domus tuæ paternæ.* & Pſal. CXIX. 115. Hinc tantopere laudatur Aſa Rex, I. Reg. XV. 12, 13. *quod amoverit omnes Deos, quos fecerant majores ſui, quin & ipſam Mahacam aviam ſuam amovit &c.* II. Chron. XXX. 7, 8. *Neque eſtote ut patres veſtri, & ut fratres veſtri, &c. Ne obdurate cervices veſtras, ut patres veſtri.* Quin nos jubet Deus aliquando contendere cum matre, *contendite ipſam non eſſe uxorem meam.* Hoſ. II. 2. Ieſa. L. I. Amoſ. II 4. *O durum patrem! ô ſervam matrem! ô crudeles parentes & impios, immo non parentes! qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis.* uti non nemo Chriſtianorum ſcite loquitur, Bernardus, epiſt. CXI.

II. *Alterum præjudicium habent, quum cogitant ſuæ religionis multos adhuc eſſe viros egregios, præſtantes, magnos.*

Quaſi non communis hæc rerum humanarum ſit conditio, ut nihil adeo turpe aut falſum ſit, cui non maximi ſæpe viri patrocinium accommodent? *Sapientes erubuerunt, conſternati & capti ſunt, ecce verbum Dei ſpreverunt, quæ iis ſapientia?* Jerem. VIII. 9. cap. II. I. *Sacerdotes non dicebant, ubi eſt Iehova? & qui legem tractabant, me non norant, & paſtores transgrediebantur adverſum me, & Prophetæ prophetarunt per Baal, & poſt illa quæ non proſunt ambularunt.* Similia leguntur, Jeſa. III. 12. & IX. 14, 15. Jerem. V. 31. & VI. 13, 14. & XIV. 14. & XLIV. 17. *Prophetæ tui vident tibi vanum & inſulſum.* Thren. II. 14. & Ezr. IX. I. *etiam manus ipſorum principum & Antiſtitum prima fuit in præva-*

Digitized by Google

prævaricatione iſtâ. Adeo primi & maximi quique inter homines ad peſſima etiam facile dilabuntur. Neque aliis, neque Gentilibus deerit excuſatio illa pro ſuis erroribus & vitiis, ſiquidem admitti debeat. Maimonides, de Idolol. cap. I. §. 4. loquens de priſco tempore Gentilium idololatrarum, ante Abrahamum ונכצאו, ex interpretatione Dion. Voſſii, *Iamque totum humanum genus & mulieres puerique nihil ſciebant præter imagines è ligno aut lapide, ac templa lapidea, in quîs didicerant à teneris adorare ac colere & jurare per nomen illarum. Sapientes autem qui inter eos erant, ut Sacerdotes, aliique id genus, ne ipſi quidem rebantur alium eſſe Deum, præter ſtellas ac ſphæras, quarum cauſa ac ſimilitudine ſimulachra illa facta erant.* Verè dixit Ariſtoteles, Metaphyſ. lib. III. cap. V. τὸ μὲν γὰρ ἀληθὲς ὐ πλήθει κρίνεσθαι οἴονται προσήκειν, ὐδὲ ὀλιγότητι. *Idem enim*, inquit, *quibuſdam guſtantibus dulce, quibuſdam amarum videtur. Quare ſi omnes ægrotarent, aut omnes inſanirent, duo vero vel tres ſani aut mentis compotes eſſent, hi utique videri poſſent ægrotare aut inſanire, cæteri vero minime.*

III. *Præjudicium. quod ſatis in religione ſua ſalvari ſe poſſe exiſtimant: quare nil neceſſe eſſe, ut eam cum Chriſtianâ commutent.*

At vero hoc quam falſum ſit, teſtem appellamus ipſorum conſcientiam, quæ in iſtâ religione ſolatium aut tranquillitatem firmam non reperit, neque etiam reperire poteſt. Cogitent autem, quomodo extra verum Meſſiam, eoque pervicaciter & improbe contemto, ſalvari poſſint, qui inter fidei capita fundamentalia juxta Maimonidem, art. XI. referunt quoque fidem in Meſſiam. Videri de hoc argumento poteſt Nicolai Vedelii liber, *de Deo Synagogæ.*

IV. *Præjudicium. Religionis inveteratæ mutatio vel converſio opus eſſe valde grave, difficile, invidioſum.*

Ita quidem carni videtur & mundanæ ſapientiæ; at recte rem trutinanti longè ſecus ſe habere deprehenditur; opuſque eſſe omnium maxime neceſſarium atque utile, quod animis veram adferat æternamque felicitatem.

§. 9. *Hæc præjudicia communia. Particularia petuntur Judæis (uti diximus) vel ex ſuo Judaiſmo; vel ex noſtro Chriſtianiſmo. Atque ex illo quidem hæc.*

I. *Quaſi religio ipſorum hodierna ſit eadem cum antiquâ Moſaicâ, cui, quæ de ea dicuntur, applicari poſſint & debeant.*

Quod longe aliter ſe habet, diſtatque δὶς διὰ πασῶν. Antiquæ doctrinæ hodie nomen ſectantur & ſpeciem modo, ipſa ejus anima deſtituti, ac VI. Namque ad Meſſiam ſpectabant pleraque Moſaica, & duratura ſe ſolum ad tempora uſque διορθώσεως ſignificabant, quando illis adimpletis abolitiſque Deus per Meſſiam abſque umbris & cæremoniis, ſpiritu colendus eſſet ac veritate. Vide hujus argumenti Tertulliani librum, *contra Iudæos.* Quomodo qui Meſſiam, quem Moſes & Prophetæ tantopere prædicant, non repudiant modo, ſed diverberant, occidunt, crucifigunt, quibus nullus jam ſupereſt Sacerdos, altare nullum, nullum ſacrificium, neque alia legis antiquæ ſymbola, ſe

 cum

cum priſci ævi Patribus componere poſſunt, aut æquiparare? *dicentes Iudæos ſe eſſe, & non ſunt, verum Synagoga Satanæ.* Quare ne dicatis, *Patrem habemus Abrahamum &c.* vel, *nos Moſis diſcipuli ſumus. Siquidem Abrahami eſſetis filii; etiam opera faceretis Abrahami.* Non eſt veſtra hodie doctrina & religio eadem quæ Moſis, neque antiqua; ſed recens, & poſt Meſſiæ noſtri tempus efformata, contraque ejus Euangelium: nam ſpectari Iudaiſmus hodie debet ut oppoſitus ad Chriſtianiſmum. Quare noſtra doctrina & religio veſtrâ infidelitate & improbitate eſt antiquior, quam noſtram Moſes & Prophetæ olim præformarunt. Ut fruſtra ſit Iudæorum adverſus nos præjudicium hoc, quod Herbanus Iudæus dixit in Diſputatione cum Gregentio: Διὰ τὸ πρωτοτύπως τὸ ἡμέτερον νόμον δοθῆναι ἡμῖν, καὶ ἔπειτα τὸ ὑμέτερον, δεῖ τὸν πρωτοτύπως δοθέντα ἐπικρατέστερον εἶναι. Neque enim veſtra illa hodierna religio, ſi ita dicenda ſit, à Deo eſt, vel veram habet antiquitatem.

II. *Præjudicium, quod exiſtimant, ipſorum Majores Meſſiam noſtrum bene accepturos fuiſſe, ſaltem non interemturos, ſiquidem verus ille fuiſſet Meſſias.*

Quaſi non antiquiores etiam illis veſtris Majoribus qui cum Meſſia noſtro vixerunt alii, qui Moſem & Prophetas, tantaque divinæ ſemper majeſtatis ac præſentiæ ſigna apud ſe habuerunt, pari inſania ſæviiſſent ſæpius contra ſanctiſſimos optimeque de ſe meritos homines, atque adeo ipſum Deum? an autem hoc vel aliquid detrahit dignitati illorum Prophetarum; vel ſequendos in eo majores θεοκτόνους indicat? Quum inſuper prædictum fuerit à Prophetis, Meſſiam à Iudæis haud aliter excipiendum tractandumque: de quo in ſequentibus latius agemus. Non quia majores peccarunt, ideo & nobis peccandum, niſi quia liberet cum aliis una perire. Quam improbi circa illa tempora fuerint Majores veſtri, ſic Joſephus in hiſtoria belli lib. VI. cap. XVI. teſtatum reliquit: *Non equidem recuſabo dicere, quæ dolor jubet. Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu trræ devorandam fuiſſe civitatem aut diluvio perituram, aut fulmina ac Sodomæ incendia paſſuram, multo enim magis impiam progeniem tulit, quam illa: denique cum eorum pertinaciâ deſperatâ totus populus interiit.* Ite, atque iſtorum hominum prædicate pietatem, eoſque jam ultra miremini Chriſtum, doctrinam & ſalutem ejus repudiaſſe.

§. 10. *Præjudicia Judæorum petita ex Chriſtianiſmo, vel ex Chriſto ſumuntur; vel ex ejus doctrinâ & religione: vel ex variis in Chriſtianiſmo ſectis; nominatim Papiſticâ. Ex Chriſto:*

I. *Quod habetur & colitur à nobis pro Deo.*

II. *Et tamen etiam tam abjectæ fuit conditionis, ut tandem ſit interemtus. Numquid ille eſt fabri filius? ſcandalizabantur in eo. Matth.* XIII. 55. 57. *Herbanus, in dictâ Diſputatione:* τὸ βιοθάνατον γεγονέναι τὸν χριστόν σου, σκανδαλίζει τὸ πνεῦμά μου.

Hæc omnia ſuo loco de Meſſiâ probatum imus, & ita humiliandum eum fuiſſe, & à Judæis occidendum: neque illa obſtâre ejus veræ divinitati. Quî vos offendit quod Deus dicitur, ſi non feratis ejus humilitatem? vel quod humilis adeo, quando negatis Deum? Jam autem ne quem hoc, aut illud offendat ſeorſim, utrumque fuit, Deus; ne

ne vileſcat apud nos ejus humanitas; etiam homo, qualem cupitis Meſſiam: verè θεάνθρωπος. Quid in eo carpere poteſtis, quod interemtus, nam idem de Meſſiâ veſtro ben Joſeph aſſeritis, occidendum eum in prælio? Et hic invitus in bello ſuperatur, atque occiditur; ille volens, & in noſtrum æternam ſalutem, lubens ſe dat pro nobis æternæ ſalutis victimam.

§. II. *Ex religione Chriſtianâ præjudicia.*

I. *Quaſi credat tres eſſe Deos: propter articulum de Trinitate. Quo animo ſuum Kri-ſma quotidie recitant: Audi Iſraël, Jehova Deus noſter, Deus unus eſt.* Deut. VI. 4.

At falſiſſimum eſt, nos tres Deos colere: neque enim aliter credimus Perſonarum in Deo Trinitatem, niſi cum ſummâ naturæ divinæ unitate. Tertullianus, lib. IV. contra Marcionem: *Veritas Chriſtiana directè pronuntiat; Deus, ſi non unus eſt, non eſt.* Nec alium tenemus Deum, quam Abrahami, Iſaaci, & Jacobi illum, אף הוא. *Ubi Iehovæ Deus Eliæ?* II. Reg. II. 14. eundem ipſum nos quærimus ac veneramur, neminem alium. Quod ipſi nobis teſtimonium perhibent Judæi. Menaſſe ben Iſrael, in Epiſt. dedic. lib. I. de Reſurrect. ita Chriſtianos alloquitur: *Unum enim Deum colimus, ejus præceptis nos ſubjicimus, & poſt hujus vitæ difficultates meliorem vitam expectamus.* In Dedic. lib. III. de Reſurrect. ſimiliter: *quam* doctrinam *communem habemus. Nec enim non reſurgere amant omnes, qui Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi piis animis venerantur.* In Dedic. lib. de fragilitate humanâ: *Tam hujus quam illius religionis in unum tamen Iſraëlis Deum credentis homines.* Abravanel in Jeſa. XXXIV. ex verſione Sebaldi Schnell. pag. 10. ut Chriſtianos cum Edomæis convenire faciat, quemadmodum Jacobum & Eſavum: *Quemadmodum conjuncti fuerunt Eſau & Iacob reſpectu patris & fidei ſuæ; Sic fides Chriſtianorum & Iudæorum convenit in eo quod unus uterque in religione pater eſt, atque hic Deus ſummus.*

II. *Præjud. Quaſi religio noſtra Moſaicæ ſit contraria. Unde contra Stephan. protomartyrem inclamarunt olim Judæi, mutare ipſum mores, quos Moſes tradidiſſet. Et contra Paulum Apoſtolum: præter legem ſuadet homines Deum vereri.* Act. VI. 14. & XVIII. 13.

Quæ nos negamus. Eſt quidem diverſa; non contraria noſtra religio. Ipſa Moſaica ſat multis argumentis ſignificavit ſui cultoribus, haud ſe fore perpetuam, ſed ceſſuram aliquando meliori & magis ſpirituali alteri doctrinæ veri Meſſiæ, quem Prophetam audiendum Moſes dixerat, Deut. XVIII. 18.

§. 12. *Iam præjudicia quæ ex ſectis Chriſtian. capiunt, iiſque in genere, ſunt.*

I. *Sectarum multitudo, quæ incertum quem faciant, cui ſe debeat applicare. Quare Judæus quærit in Amica Diſput. pag.* 31. *quæſt.* XXXIX. Si Chriſtiana religio eſt vera, quî fit ut inter ipſos tanta ſit religionum & ſectarum ſe multuò damnantium diverſitas?

Quaſi non commune ſit hominum vitium, vel conditio, ſententiis diſcrepare,

quod

quod in quavis arte, ſtudio, doctrinâ, Theologiâ etiam, & ubique obtinet. An non tum olim, tum hodie apud Judæos Sectarum fuit varietas? Phariſæi, Sadducæi, Eſſæi: hodie Karæi, quos, quamvis meliores, Judæi Deuterotæ, ob ſolum diſcrimen & controverſiam traditionum, tanto odio perſequuntur, ut Karæum ad ſe venientem non recipiant niſi prius ad Turcas, vel Chriſtianos deflexerit, & hinc ad eos redeat, defæcato ſcilicet probe Karaiſmo. Imo & quem librum legis hi pergameno aut corio inſcribunt, ideo quod à Karæo, prophanum æſtimant. Ita refert Rittangelius, Judæus converſus, ad librum *Iezirah. pag.* 33. Origenes Celſo Gentili, idem præjudicium afferenti, libro III. *Quæcunque res majoris momenti facile ſectas experitur. Sic Medicina, Philoſophia, & Iudaiſmus ipſe quot non ſectas de ſe patitur? haud tamen ideo quis ipſam Medicinam vel veritatis cognitionem, aut etiam Moſis, Prophetarumque doctrinam culparit.* Nam Gentiles quoque Chriſtianis diverſitatem illam exprobrabant, neque credendum aſſerebant διὰ τὴν διαφωνίαν τῶν αἱρέσεων, uti eſt apud Clementem Alexand. *libr.* VII, *Stromat.* Huc pertinet Euagrii Scholaſtici Ἀπολογία τῆς συγχωρήσεως ὑπὲρ τῶν ἐν ἡμῖν διαφορῶν quæ eſt hiſtoriæ ejus *libr.* I. *capit.* XI. Atque apud Sozomenum *hiſtor. lib.* VI. *cap.* XXV. Themiſtius philoſophus Valenti Imp. librum ſcripſit, obtulitque, quo oſtendebat Chriſtianorum diſſenſiones tantas vel tam plures non eſſe, quin Gentilium eſſent longe majores, gravioreſque.

II. *Præjudicium faciunt. Bella Chriſtianorum inter ſe, atque ſæpe propter ipſam religionem. Hinc Judæos illud identidem nobis regerentes audias*, מלחמות , מלחמות.

Neque hæc probamus, nec probat etiam Chriſtiana religio, ſed contra eam eſt quod homines leviter belligerent, vel foveant inimicitias. Nihilque eorum animas tandem componit counitque melius ipſâ illâ Chriſti religione, quæ pacem & charitatem inter homines tantopere commendat. Separa ergo religionem, à vitio hominum, illam non bene profitentium: quorum hic peccatum eſt, non illius. Annon quando viguit olim vera Moſis religio, quoque inter tribus, inter Hebræos graviſſimæ exarſerunt inimicitiæ, ac bella? aliquando etiam cauſâ religionis? Annon cum Meſſiâ ben Joſeph, eoque auctore, Judæi bella exſpectant immania & cruenta admodum, quorum temporum non aliter meminerunt quam ſub *doloribus Meſſiæ* חבלי המשיח? Et R. Johannes in Talmude inquit, Cod. Sanhedrin, cap. XI. ex verſione noſtri D. Cocceji: *qua tempeſtate venturus eſt Chriſtus, diſcipulorum magna erit paucitas, cæterorumque oculi in angore, & gemitibus contabeſcent, ingruent calamitates, & decreta graviſſima conficientur: ita ut primâ calamitate vix exantlatâ ſecundâ maturet ſupervenire.* Et quod ad odia & diſſidia Judæorum inter ſe, vere dixit Iſaacus Levita, converſus Judæus, lib. II. contra Lindanum, quod *non minori odio, quam hodie Lutherani & Papiſtæ ſe mutuo perſequuntur.* Ne dicamus de odio Iudæorum olim atque Samaritanorum, cujus etiam hiſtoria noſtra meminit Euangelica.

§. 13 *Sed Papiſmus longe plura Judæis præbet ſcandala, eoque etiam præjudicia. Nempe.*

I. *Quod hic lex hominis, vid. Papæ, pluris ſæpe habeatur, quam ipſius Dei.*

Immo aliquando etiam ſupra Deum & divina extollitur Papæ cultus atque authoritas

Digitized by Google

ritas. Menaſſe, lib. III. de Reſurrect. cap. v. exponens illud Zachariæ XIII. ſuper virum ſocium meum: *vel potius de Papa Romano capiendum eſt*, inquit, *qui ſe paſtorem & proximum à Deo appellat, & Dei vicarius audire vult. Contra illum, ſimileſque illi, qui poteſtate ſunt inferiores, Deus bellum ſuſcitabit.* Nos hæc quidem excuſare aut imminuere nequimus: dolemus autem illa à Chriſtianis ſcandala præberi Judæis, & offendicula. Verum nihil hæc ad nos, quos norunt Iudæi illa æque deteſtari, ac ſe, & noſtras Eccleſias eſſe illis ſcandalis vacuas.

II. *Valde offenduntur Judæi adoratione & cultu ſanctorum, atque imaginum in Papatu, & quod huc facit, ſecundi ex Decalogo præcepti eraſione.*

Judæus, in Amica Diſputat. pag. 28. quæſt. x. *Quomodo jure gloriantur Chriſtiani, quaſi Decalogum in pretio habeant, facientes ſimulachra?* Caſtigavit illud Abravanel, libr. de capit. fidei, capit. XII. *Hæc vero ſententia*, loquitur de invocatione idolorum quaſi interceſſorum & patronorum apud Deum, *ſuperſtes permanſit in manibus hominum, atque etiamnum hodie manifeſto apparet in fide* Nazaræorum, ſive Chriſtianorum: *nos vero non ſic judicamus; ſed preces ad Deum Dominum noſtrum dirigimus, ſemper eum invocamus.* Templa Papiſtarum propter imagines, earumque cultum, Iudæi appellare ſolent, בית התרפה *domum turpitudinis*, Elias, in *Tisbi*, ſeu lexico, ſic appellato, ad iſtam vocem. R. Lipman, adverſus Petrum, converſum Iudæum. Quantopere Iudæi imagines deteſtentur, in religione præſertim & ſacris, nemo, niſi qui illos, ignorat. Deque eo jam diximus in *Examine Bullæ P. Vrbani* VIII. *de cultu imaginum, pag.* 72. Simul quantum & Muhammedanis, & Iudæis hinc oriatur adverſus Chriſtianam religionem præjudicium: quæ ibi quis videat, ex variis Authoribus comprobata. Quibus adde Auctorem Schebet Iehuda, vel Hiſtoriæ Iudaicæ, à Gentio in Latinum converſ. pag. 459. ubi objicitur: *ex Num.* XXXIII. 4. *clare liquet, Deum ſimulacra averſari: quod ſi Deus ſimulacra abominari videtur, quomodo nos igitur illis ſupplices poſitis genibus honores deferimus?* Unde & Paulum Ricium, converſum ex Iudaiſmo, Papiæ, diligenter monuiſſe ut imagines omnes à templis amoverentur, quia iis multi Hebræorum ab amplectendo Chriſtianiſmo retraherentur, ſcribit Petrus Martyr, *Loc. Commun. claſſ.* II. *cap.* V. *pag.* 225. Adeo nos in his non defendimus, neque excuſamus Pontificios, ſed illis Iudæos jure offendi agnoſcimus, at in hoc peccant Iudæi, quod illa quæ Moſaica, & Chriſti religio improbat, adverſus eam proferunt, quum non religionis, ſed hominum illud ſit vitium, religioni hac in parte manifeſte graviterque adverſantium.

III. *Nimium quoque terret Judæos tremendum illud apud Papiſtas tranſſubſtantiationis & Miſſæ idolum.*

Hinc R. Lipmannus, in Nizachon, contra Petrum quendam converſum judæum: *Ajunt, Nazarenum eſſe in pane, deque eo dicunt*, מגואל, *redemptorem.* Atque ad Pſalm. XXXIV. 9. *Guſtate quàm ſuavis Dominus. Hic*, inquit, *loquuntur Chriſtiani verba, quæ audire nefas eſt. Exponunt enim verbum guſtate, ſignificatione manducandi, dicentes ſe manducare Deum ſuum, quod eſt contra omnem rationem.* Idem in Pſalm. XC. *Quidam tamen illorum ajunt: Nazarenum per mortem ab ipſis eſſe ſeparatum. At tu oppone: annon dicunt, quod ad ipſos ſingulis diebus veniat, appareatque eis in ipſorum pane?*

ne? Terret hoc valde Iudæos, quod illa ſtatuere homines poſſe, ſeque coram pane, aut vix etiam pane, adeo ſuperſtitioſe procumbere vident & geniculare. Execrandus certe error & ſuperſtitio.

IV. *Monachatum etiam exprobrant Judæi.*

Quem comparant cum idololatriâ Molochi, quâ parentes liberos ſuos tradebant flammis comburendos. Sic in monaſteria, ceu libidinum fornaces conjici homines, & invitos aliquando à ſuis parentibus, abominandum cenſent. neque id præter rationem. Nizachon, quod Munſterus edidit, pag. 285. כל תועבת *Cunctas abominationes Dei, quas ille odit, exhibent Diis; nam & filios ſuos atque filias ſuas igne comburunt Diis: cujus expoſitio eſt, quod hæretici comburunt filios ſuos & filias ſuas, hoc eſt, Monachos & Monachas, qui comburuntur fornicatione, fervent enim & flagrant deſiderio fornicandi, & non poſſunt exequi, hæc inquam combuſtio, abominatio eſt Deo, quam ipſe odit, & fornicatio ipſa vocatur apud minores Prophetas combuſtio, quemadmodum ſcriptum eſt, adulteri, quaſi fornax ignis, flamma in medio eorum, ſed & ſcriptum habent in libro ſuo erroneo, quomodo Paulus dixerit, melius eſſe nubere mulieri, quam uri poſt eam: en habes demonſtrationem, quod fornicatio ſit quædam combuſtio.*

V. *Et quod Monachorum fere proprium, miracula fingere ac jactare, hoc quoque Judæos haud leviter pungit, videntes falſis miraculis adeo turpiter deludi in Papatu homines: unde jam exiſtimant ſimilia fere fuiſſe quæ de Chriſto prædicantur, & in confirmationem doctrinæ Chriſti, ſive ab eo, ſive ab Apoſtolis facta perhibentur.*

Miraculis ſemper dedita fuit Iudæorum gens: & quemadmodum Gentiles paſſim ſapientiam mundanam, ita Iudæi miracula quærere erant ſoliti. Idque etiamnum. Cujus generis eſt quod in Schebet Iehuda objectum aliquando à Iudæis legimus, ut ſi Deus eos, quemadmodum in ferendâ primâ per Moſem lege, ita & nunc convocaret ad montem aliquem, ibique variis prodigiis ſe, ut olim, manifeſtaret, novamque Chriſti legem ſeu doctrinam, loco Moſaicæ, ſequendam diceret, ſe eam amplexuros eſſe: nam probabile videri, ut eodem, quo lata lex modo, quoque abrogaretur. Verum ſimilia, & plura, & majora à Chriſto, & ad ejus prædicationem miracula contigere, ac olim cum Moſe, quæ legenti hiſtoriam Euangelicam, cui pari ratione fides debetur atque hiſtoriæ Moſaicæ, ſatis ſunt manifeſta. Atqui figmentis, Legendis, & præſtigiis Monachorum obicem poni haud vulgarem animis, ad fidem miraculorum & doctrinæ Chriſti adducendis, haud imus inficias. Inter quæ hoc loco non prætereundum videtur, quod mihi à Iudæis quandoque exprobratum, ubi videbant ex vano aliquo rumore ad ſua loca confluere immenſam hominum Papalium turbam, viſurorum (ut falſo ſparſum fuerat) Iudæum, qui à Chriſti temporibus ſuperfuiſſet, & vagari incertis ſedibus credebatur, uſque ad diem adventus Chriſti noviſſimum. quærebant, an tale quid de Judæo aliquo noſtra in lege (ſic vulgo loquuntur.) contineretur? & quomodo adeo creduli eſſent Chriſtiani, & mendaciis addicti? Fateor, haud leve ſcandalum ſic ipſis objici. Quæ negare quidem haud poſſumus, ſed retorquere facilius eſt in ipſos Adverſarios, ſimili ſæpe vulgi errore deluſos, in re quoque graviori; in amplectendis nempe Meſſiis ſuis, ut in Bar-

Barcozbâ &c, aliis. Iam & hiſtoriis nonnullis, cætera notæ haud infimæ, inſertam illam vagantis Iudæi Legendam, magis indignamur. Primò nominatum ajunt Chartaphilum, & fuiſſe cuſtodem tribunalis, in quo Salvator dum damnatus ad crucem paulum moraretur,(Alii dicunt, Chriſto crucem bajulanti, eamque reponere aliquo in loco conanti, ut parum interquieſceret) eum Chriſto dixiſſe: vade, quid moraris? Chriſtum autem reſpondiſſe: ego vado, tu autem morare, donec rediero. Atque inde eum coactum omnes terras oberrare & loca, baptiſatum ab Ananiâ, & vocatum Ioſephum &c. Meræ nugæ. Hæc & ſimilia Papatus Iudæis facit ſcandala: neque de vitâ præcipuorum inter ipſos adhuc dico, quæ quanta iis præbeat offendicula, audiamus loquentem Pontificium Scriptorem haud incelebrem, Thomam à Ieſu, ordinis Carmelitarum, qui in libris de Converſione Gentium, ubi dixiſſet erigenda Romæ varia Semniaria, etiam pro convertendis Iudæis, hanc coactus fuit addere clauſulam: *quinto, ne omnes, qui ad Seminarium Romanum pertinent, in ipſa urbe Româ nutriantur, ob varias cauſas: vident enim & audiunt aliqua ſcandala, tam in Eccleſiaſticâ, quam in civili vitâ, quæ omnino ipſis decet eſſe ignota.* lib. III. cap. III. pag. 112.

Alia, præter jam dicta, adferri poſſe Iudæorum præjudicia, equidem non nego: ſed illa ſunt præcipua. Tum non cauſas hic tractamus incredulitatis Iudæorum, niſi illas, quæ ſub præjudiciis veniunt. De illis videri poſſunt Coccejus, oratione ſingulari: & Epiſcopius, Oper. Tom. I. pag. 431. *de cauſis incredulitatis Iudæorum.* Sed in quo multa citra cenſuram præterire Lectori non licet.

§. 14. *Demtis animo præjudiciis, nihil ſequitur quam ut de modo & mediis converſionis, cum curâ agamus. Media ſunt duum generum, alia negativa, poſitiva alia: tum quæ cavere & omittere, tum quæ adhibere oporteat; nam quæ obſtaculo ſunt removere, inter media etiam jure collocaveris. Hoc de mediorum hic applicandorum natura, & qualitate in genere. Definite & in ſpecie, alia ſunt communia, alia particularia.*

Magnum & grave opus eſt, aliquem ad ſanam rationem convertere, & vitam, & religionem: ſed omnia exſuperat converſio Judæorum. Ut omnino hic multa agere opus ſit, ſolliciteque alia adhibere, omittere alia. Judæum converti tribus verbis poſſe, quod inter miracula ab Ignatio Loyola perpetrata ſcribitur, credet nemo, niſi qui mendacium amat, atque figmentum. In nonnullis peccant hic Chriſtiani, dum iis modis Judæos adoriuntur, quibus nefas exiſtimamus: alia omittunt, quæ majori cum ratione uſuque adhibere æquum ſit. Sed quædam curare omnium hominum eſt, puta *Chriſtianorum*: quædam *aliquorum*, pro diverſitate, quibus diſtinguuntur, ordinum.

§. 15. *Hæc ſunt vel Eccleſiaſtica, Politica, vel Scholaſtica.*

Prout res Judæorum, ad eorum converſionem hoc, iſto, illoque modo curari & promoveri poſſunt, tum debent.

Media primum communia, quæque tum omitti, tum curari debent, ſunt.

I. *Ne quod iis ſeu verbo ſeu actione & malis in vitâ moribus præbeamus ſcandalum Chriſtiani. Ne dicere Judæi queant, quod Abravanel in* Ieſa. XXXIV. Gentes, *ſic Chriſtianos appellant*, colunt Deum ſuum fraudulenter, & moribus minus ſinceris, legi non reſpondentibus. *Quin ſemper horrendæ admonitionis ſimus memores: væ mundo à ſcandalis.*

I. Cor. IX. 19, 20. *Etenim quum liber eſſem omnium, omnibus me ſervum feci, ut plures lucrarer. Et factus ſum Iudæis ut Iudæus, ut Iudæos lucrarer.* inquit Apoſtolus.

II. *Ne petulanter, aut ſevere Chriſtiani Judæos divexent.*

Id quod multis in locis nimis eſt vulgare, præfertim in Germaniâ, extorquendo Iudæis teſſeras, verberando, ne profanam dicam & temerariam baptizationem, aut violentam nominis Jeſu ab iis extorſionem. Neque ego probare poſſum inſolitum ſuſpendendi Iudæos ex pedibus morem, canibus ad eos lacerandos & devorandos incitatis, quod apud Germanos ſolet fieri. Peſſimè omnia: neque enim ita vel inquilinos, vel homines, minime Iudæos excipere decet, pro quorum converſione ſemper precari & laborare oportet. *l. nullus C. de Iudæis.* Prohibet idem variis in locis Epiſtolarum ſuarum Gregorius Papa; & Bernardus Clarevallenſis, *epiſt.* CCCXXII. ad Germanos ſcriptâ, iſtius facinoris jam olim reos. ad Francos Orientales & Bajoarios, ut habet Otto Friſingenſis, *lib.* I. *de rebus geſtis Frederici*, *cap* XXXVI. vel ad epiſcopum, clerum, & populum Spirenſem, ut habet inſcriptio epiſtolæ apud Bernardum; dixit: *non ſunt perſequendi Iudæi, non ſunt trucidandi, ſed non effugandi quidem &c. Propter hoc diſperſi ſunt in omnes regiones, ut, dum juſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ redemptionis.* Illos alloquitur, quos in arma contra infideles movenda fuerat hortatus, quos ſæpe Iudæos inclementius tractaſſe, præcipuè ex inſtigatione Radulphi Monachi, notat, qui & *multa populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Wormatia, Spira, Argentina, aliiſque vicinis civitatibus, oppidis vicinis ad accipiendam crucem accendit*, & ſimul docuit, *quod Iudæi in civitatibus, oppidiſque paſſim manentes, tamquam Chriſtianæ religionis hoſtes trucidarentur.* teſte Ottone illo Friſingenſi: at cujus impetuoſæ ac crudeli, de interficiendis per omnes Chriſtianorum regiones Iudæis, ſententiæ, Bernardus, aliique ſe tempeſtive oppoſuerunt. Quo etiam ſpectat Concilii Turonenſis canon, apud Bochellum, Decret. Eccl. Gallic. lib. I. tit. XIII. *Nos diſtrictius inhibemus, ne cruce ſignati, vel alii Chriſtiani Iudæos occidere, ſeu verberare, vel poſſeſſiones eorum invadere vel auferre, vel quaſcunque injurias inferre præſumant* Idemque in Germanis ſuis, aliiſque carpit Lutherus in epiſt. ad Iudæum Ieſel. quæ eſt *Oper. Germ. Ien. Tom.* VI. fol. 508. Eraſmus, libro *De bello Turcis inferendo*, *pag.* 16. Eamque inter cauſas pono, quod tam rari in Germania, ubi tamen frequentiſſimi, ad Chriſtianam religionem adducuntur Iudæi. Huc referenda ſacerrima Hiſpanorum Inquiſitio, contra Iudæos intentari ſolita. De quo querela Menaſſis eſt, in libello *Spes Iſraëlis*, pag. 87.

III. *Omnium eſt, pro Judæorum converſione aſſiduis apud Deum inſtare precibus: eamque quovis modo procurare.*

Ex Apoſtoli exemplo, Rom. IX. 2, 3. & X. 1.

Media

§. 16. *Media particularia, & primum Eccleſiaſtica, quæ ſive cavere, ſive adhibere oportet*, ſunt.

I. *Ne per vim Judæos conemur adigere ſive ad baptiſmum, ſive ad Chriſtianæ religionis externam fucatamque profeſſionem.*

Quod nimis familiare item Papiſtis, & in priſcorum Cruciatis paſſim contingebat, ut inviti traherentur Iudæi, eorumque liberi ad baptiſmum: quod tum cedebat in rei Chriſtianæ merum opprobrium atque contemtum. Illud in Oriente Heraclius, & poſtea quoque Leo Imperator; in Franciâ, Dagobertus Rex; in Hiſpaniâ Siſebutus aliique, conſilio in ſpeciem pio; ſed revera malo & infelici, tentarunt. Vide Baronium, *Annal. Tom.* VIII, ad anno 614. ſub finem. & ad annum. 722. & Severini Binii annotationes in Concilii Toletani IV. habiti anno 671. can. LVII. *De Iudæis autem hoc præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes; ut integra ſit forma juſtitiæ: ſicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante gratia Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed libera arbitrii facultate, ut convertantur ſuadendi ſunt, non potius impellendi. Qui autem jam pridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti; quia jam conſtat eos eſſe ſacramentis divinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam percepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini & ſanguinis extitiſſe participes, oportet, ut fidem, etiam quam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur; ne nomen divinum blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur.* Idem de convertendis Gentilibus, aut quibuſvis infidelibus monuit Nicolaus P. ad Conſulta Bulgarorum, cap. XLI. *De iis autem qui Chriſtianitatis bonum ſuſcipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud ſcribere poſſumus vobis, niſi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione illos potius, quam vi, quod vane ſapiant, convincatis.* Diſputationes Canoniſtarum, Scholaſticorum, & Summiſtarum qui quæſtionem hanc prolixe tractant, ubi in contrarium, nauci non ſunt. II. cap. XXIII. qu. VIII. Decret. Gregor. de Iudæis, & Sarracenis, c. Sicut Iudæi: *Iudæi inviti non ſunt baptizandi, nec ad hoc cogendi, nec ſine judicio puniendi.* Thomas II. II. qu. X. art. XII. oſtendit, non eſſe infidelium pueros invitis parentibus baptizandos. Adde III. qu. LXVIII. art. X. Alios in IV. Diſt. IV. & V. Aliter datur Iudæis, quod jure hic conquerantur. Qui in Gentis ſuæ Hiſtoriâ hodiernâ accurate ſatis annotant tempora & loca, quibus præter modum vexari & cogi eos ad ſuſcipiendum baptiſmum contingit. Friburgæ Briſgoum olim illa quæſtio de baptiſandis Judæorum infantibus vehementer agitata: qua occaſione iſtius argumenti librum ibidem ſcripſit J. C. Ulricus Zaſius. Quando autem Iudæi ipſi ſimilia tentare quandoque in alios auſi, & circumcidere invitos, reſtitere ex ipſis meliores, & ſic Flavius Ioſephus in tali caſu reſpondit, uti in vitâ ſuâ ſcribit, oportere quemque κτ̀ τὴν ἑαυτοῦ αἵρεσιν Deum colere, ἀλλὰ μὴ μετὰ βίας: *neque committendum ut alios ſecuritatis cauſa ad nos confugiſſe pœniteat.*

II. *Non tamen huc trahi volo conciones Chriſtianas, quæ coram Iudæis inſtituuntur, ad eos in verâ Chriſti doctrinâ inſtruendos.*

Quod omnino probandum, & genuinum medium Eccleſiaſticum, ad illos convertendos. Non ut ad illas cogantur adeo Iudæi, quam ut parati & idonei adſint

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Concionatores & Doctores Chriſtiani, qui apud eos *καίρως ἀκαίρως*, privatim ac publice, ſeorſim & in cœtu, lingua Iudæis familiari, ſive Hebræâ, Luſitanicâ, aut Germanicâ, tractent doctrinam Chriſtianam, ſpeciatim ad id ſolum deſtinati, & huic unice incumbentes operi; quibus nunquam deerit occaſio, eam ſi, ut oportet, captent. Atque fatendum certe id quod res eſt, omnes nos hic deeſſe operi, & officio noſtro. Nempè ita in mutua Chriſtianorum diſſidia ruimus toti ac contentiones, ut vix animus, facultas, tempus ſuperſint negotio omnium graviſſimo ſanctiſſimoque, converſionis Iudæorum. Quod ego quidem, quantum in me, pro viribus curatum cupiam, & emendatum. Utque in Scholis ita inſtruantur Studioſi noſtri, ut in illis locis, ubi frequentes ſunt Iudæi, conſtitui poſſint Miniſtri, qui hoc, & nihil fere aliud agant, ego quidem vehementer annitor. Quid quod in Papatu, variis locis, Romæ, Venetiis, Pragę, ejuſmodi concionatores & ex profeſſo aluntur, qui ſtatis temporibus ad Iudæos conciones habent? Quos nobis in hoc præire, haud ferendum ultra videtur. Tali modo Viennę coram Iudæis concionem habuit Paulus Weidnerus, converſus Iudæus, anno cIɔ Iɔ LXIX. quæ Germanicè edita, & ad quam plurimi dicuntur fuiſſe converſi. Ne dicam, noſtrum nonnullos aliquando ita imparatos in rebus & controverſiis Iudaicis eſſe, ut fugere Iudæos ipſi neceſſe habeant. Quod neſcio majuſne Iudæis ſcandalum, an opprobrium noſtris ſit. Inter Leges Wiſigothorum antiquas eſt, lib. XII. tit. III. l. XXI. quod Judæi ſingulis ipſorum Sabbathis & feſtivitatibus concurrere & convenire debent ad loci Epiſcopum, vel Sacerdotem, pro accipienda veritatis inſtructione. In Cod. LL. Antiquarum Lindenbrogii, fol. 235. Jacobus olim Arragonum Rex, anno cIɔ cc LXIII. quendam Ordinis Prædicatorii Monachum ad omnes ſuæ ditionis miſit, hoc apud eos in negotio, ſuo munitum diplomate, quod hic in exemplum proferendum duximus: *Mandamus & diſtrictè præcipimus vobis, quatenus cum dilectus filius noſter Fr. Paulus Chriſtiani de Ordine Fratrum Prædicatorum, quem ad vos pro vita ſalutis oſtendenda mittimus, venerit ad vos, ad ſynagogas vel domos veſtras, vel cætera loca cauſa prædicandi verbum Dei, vel diſputandi, vel conferendi vobiſcum de ſcripturis ſanctis in publico, vel in privato, vel familiari collocutione, ſimul vel ſeparatim, ad eum teneamini venire, & manſuetè, & favorabiliter auſcultare, ſuiſque interrogationibus de fide & ſcripturis ſacris ſecundum quod ſciveritis, humiliter & reverenter, & abſque calumnia & ſubterfugio reſpondere. Et libros veſtros, quibus ipſe indiguerit ad veritatem vobis oſtendendam, eidem exhibere: & expenſas quibus indiguerit dictus frater circa libros ſuos appertandos, de loco ad locum, quos propter veritatem vobis oſtendendam deferri fecerit, & fratres ſui ordinis ex Conſtitutione ſua habent, quod expenſas non deferant, vos eaſdem expenſas ſolvere teneamini, nobis illas imputantes, do tributo quod nobis facere tenemini deducentes. Mandamus inſuper & diſtrictè præcipimus omnibus Bajulis, vicariis, & aliis officialibus noſtris univerſis, ut prædictos Iudæos, ſi prædicta gratis facere noluerint, auctoritate noſtra compellatis, ſi de noſtri gratia confiduntvel amore.* Dat. Barchinone. IV. Calend. Sept. anno Domini 1263. Interque Edicta P. Benedicti XIII. vel Petri Lunæ, in Concilio Conſtantinenſi depoſiti, anno cIɔ cccc XV. poſtremum fuit, contra Judæos: *Ter annis ſingulis ad Chriſtianam concionem audiendam de præcipuis religionis capitibus congregantor.* Decrevit ſic quoque Concilium Baſileenſe, anno cIɔ cccc XXXIV. *ſeſſ.* XIX. *proinde, ut Iudæi aliique infideles ad orthodoxam convertantur fidem, quique ad ipſam converſi fuerint, in illa conſtanter permaneant, his ſalubribus inſtitutis provide decernens in primis ſtatuit, omnes diœceſani quoſdam in litteris divinis bene eruditos, aliquot vicibus annuatim deputent in locis, ubi Iudæi, aut alii infideles degunt, ad*

præ-

prædicandum & explicandum taliter Catholicæ fidei veritatem, ut ipſi infideles, qui audiunt, ſuos valeant errores recognoſcere. Ad quam prædicationem ſub pœnis tam commercii per fideles illis interdicendi, quam aliis ad hoc opportunis, ipſos infideles cujuſcunque ſexus in annis diſcretionis conſtitutos, accedere compellant. Concilium Mediolanenſe, ſub Carolo Borromæo, anno CIↃ IↃ LXV. *Monemus verò Epiſcopos, ut ab hominibus piis ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudæorum, vel, ſi hujuſmodi non reperiantur, ab aliis doctis, ac bonis viris curent fidem ac doctrinam Chriſtianam Iudæis prædicandam. Ad eas conciones Iudæi omnes juſſi conveniant; ſed pueri, ac puellæ ſeorſim à parentibus, atque aliis majoribus natu, concionatorem audiant: qui ipſos familiariter inſtituat; & interrogantibus benignè ſatiſfaciat. In quo ſignum aliquod converſionis cognitum fuerit, is ab aliis ſeparetur: & in domum aliquam catechumenorum ad id paratam, deducatur; ubi diligentius omnia, quæ ſcire Chriſtianum oportet, doceatur. Catechumeni ne baptizentur, niſi prius diligenter inſtructi, & examinati fuerint, præſertim ſi grandiores ſint. Baptizati curæ alicujus probi viri, ſaltem per annum committantur, qui vitam illorum iis rationibus regat ac moderetur.* Adde ejuſdem Cardinalis Mediolanenſe Concilium V. anno CIↃ IↃ LXXIX conſtitutionum part. I. Gregorius XIII. anno CIↃ IↃ LXXXIV. in gratiam Judæorum Romæ degentium inſtituit, ut hebdomadariæ ad illos haberentur conciones: & Seminarium, pro efformandis ad convertendos ubique infideles ac Judæos miniſtris. Deque ſtudio habendarum concionum ad illos ſingulis ſeptimanis, commendat inter Cardinales Annam Eſcarſium, Metenſen Epiſcopum, Henricus Albius Jeſuita, in Elogiis Cardinalium, Gallice, *lib.* II. *pag.* 415. Atque de Seminariis illis vide Thomam à Jeſu, Monachum Carmelitam, *lib.* III. *de Conv. Gent. cap.* III. ubi inter alia, *oportet* (inquit) *maximè, ut pro Græcis & Ruthenis ſchiſmaticis, ad unionem fidei perducendis, unum Seminarium, alterum pro Orientalibus Schiſmaticis, pro Iudæis, ac Saracenis ſingula: pro hæreticis & gentilibus varia, ſecundum locorum, nationum ac temporis oportunitatem inſtituerentur. Hac etenim via Eccleſia, cujus præcipua cura eſt operarios idoneos efformandi, & mittendi in veniam, provideret errantibus oviculis vigilantiſſimos Paſtores.* Additque aliud inſuper medium ſeu conſilium, erigendæ vid. novæ alicujus religionis (ſic in Papatu loquuntur) ſeu ordinis, qui ſoli negotio incumberet converſionis infidelium, quod (audiant Jeſuitæ) hactenus omiſſum ſic conqueritur, nam quid vetat quo minus audiamus? *Præterea cum in Eccleſia Dei innumeræ ſint Religiones, pro ſalute proximorum procuranda, inſtitutæ, oporteret aliquam de novo fundari, cujus ſcopus ac finis particularis, præter orationem & contemplationem, eſſet fidei per univerſum orbem propagatio, & infidelium omnium ad Eccleſiæ unitatem reductio; nam licet plurimæ ſint, quæ animarum converſioni ſtudeant, diviſa tamen ſunt eorum piiſſima ſtudia, ac partim fidelibus, partim verò infidelibus impenduntur. Nulla verò eſt in Eccleſia Dei hucuſque congregatio erecta, quæ ſolum animarum converſioni procurandæ deſtinetur. Quamobrem foret opus Deo longè acceptiſſimum, ſi huic functioni Religio aliqua à ſancta Sede Apoſtolica, inſtitueretur, quæ unicè converſioni infidelium invigilaret, atque inter ipſos ut plurimum verſaretur.* Nos hæc non ad ſingularem aliquem Chriſtianorum, vel miniſtrorum ordinem, ſed ad univerſos ſpectare arbitramur Chriſtianos. Interim ex Pontificiorum illis exemplis ſtudemus noſtros παραζηλῶσαι, adſimile ſtudium, meliuſque pro miſerorum hominum, nobiſque præ aliis haud uno nomine commendatorum, ſalute omni conatu promovendâ. Præivit hic ſola, quod ſciam, omnibus Reformatis Haſſiæ Lantgravia Elizabetha, vidua, quæ Caſſellis, aliiſque ubi Judæi degunt locis, conſtituit Paſtores duos, qui legendo & concionando apud Judæos, iis convertendis unicè incumberent: atque ad quorum conciones

nes

Digitized by Google

nes ſaltem bis in trimeſtri audiendas Judæi omnes adigerentur. Nempe ita demum diſcitur, quid ſit, quod de Apollo refertur in Actis, cap. XVIII. 26. *παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ συναγωγῇ.* quod idem de Paulo quoque, cap. XIX. 8. *ingreſſus vero Synagogam, ἐπαῤῥησιάζετο, per tres menſes diſſerens, ſuadenſque ea quæ ad regnum Dei* pertinebant. Hoc omnibus & ſingulis Eccleſiarum Paſtoribus proponimus, ut ſedulo imitentur. Ad quod non ſatis eſt Hebræam linguam noſſe, quâ intellectâ penetramus quidem ad controverſias Judaicas; ſed requiritur quoque ut eâ, aliaque Judæis familiari, loqui valeamus, & promte cum iis agere. In quo eminuerunt conatus Brouchtoni Angli, qui Hebraice ſcribere ac loqui potuit: & Munſteri, Hutteri, Tremellii, cujus hoc ultimum morientis effatum celebratur, aut apophthegma: *vivat Chriſtus, pereat Barrabas.* quocum comparandum benè cenſeo Lucam Helicium Poſnanienſem, in Bohæmia clarum, ab anno CIↃ IↃ LXIV. inter Fratres, cujus operâ tranſlatio Bibliorum Bohæmicorum haud parum adjuta: uti Biblia Latina opera Trimellii, utriuſque antea Iudæi, & coætanei. Suaſerunt idem de concionibus coram Iudæis habendis, Lutherus, Melanthon, Theologi Haſſiæ, uti videre eſt apud Geörgium Theodorum, Haſſiæ Conſiliarium, *De Statu Iudæorum.* Eodemque facere exiſtimo librum, mihi nondum viſum, Franciſci Torrenſis Jeſuitæ, *de exponendâ lege per omne Sabbathum Iudæis*, citatum Poſſevino, *lib.* IX. *Biblioth. cap.* III.

III. *Inter Eccleſiaſtica etiam commendandum, ut in precibus Judæorum mentio non negligatur, ſed eo ardentius pro eorum converſione apud Deum nunc inſtemus, quo promiſſum ejus tempus indies magis magiſque appropinquat.*

Nam hujus quidem rei non eſt uti aliarum communis ſors, ut optabilis ſit, & bona ſimpliciter, quam ideo petere conveniat: ſed ſperari & credi debet ex divinâ promiſſione, ut ſuo tempore aliquando futura. *& ſic omnis Iſrael ſalvabitur.* Rom. XI. 26. quod Judæi ita exprimunt, כל ישראל יש לו חלק בעלם הבא.

§. 17. *Jam ad media politica.*

I. *Nihil agitur, imo male agitur, Judæos perſequendo, vexando, vel opprimendo, fugando, aut interficiendo.*

Videlicet ſolius Iudaiſmi reos, aliorum verò criminum, juxta cum aliis, plectere æquum eſt. Neque tamen durius ideo quod Iudæi ſunt. *Non propterea quia Iudæi vel Sarraceni ſunt, arctari volumus innocentes.* inter antiquas leges Siculas conſtituit Fredericus Imp. Conſtit. Sicul. lib. I. tit. XVII. Atque tit. XXVI. *Nec minus Iudæos & Sarracenos, quoſque Chriſtianæ ſectæ diverſitas reddit infeſtos, omnique alio auxilio deſtitutos, protectionis noſtræ potentia pati non poſſumus defraudari.* Perverſum iſtum Iudæos iniquius tractandi morem notarunt ex Iudæis converſi Chriſtiani, magno impedimento eſſe, quod non plures convertantur: quippe violenta ad fidem ingenerandam adhibere alieniſſimum eſt. Petrus Alphonſus Hiſpanus, in Dial. Moſis & Petri: *captivare & interficere, donec quis vel credat, vel cenſum perſolvat, non eſt ex Dei operibus, neque Prophetarum quilibet juſſit cogere aliquem credere.* Sic & Stephanus Iſaacus (cui cum patre ſuo Ioh. Iſaaco poteſtatem fecerat Cardinalis & legatus Papæ Franciſcus

Digitized by Google

ciſcus de Mendozâ in Iudæos omnes, per tres Electoratus Eccleſiaſticos, inquirendi, igneque ac ferro ſæviendi) merito iniquum & peſſimum dixit eſſe conſilium iſtud, pluſque modeſtia & benignitate, quam crudelitate profici aut ſævitiâ. *in Apol. ſuâ Germanicâ*, *pag.* 42. Annotavit idem Pefferkornus, & alii. Quare tolerandos Judæos, non quidem alliciendos, ſed ubi ſunt, non durius habendos, melior ac communior eſt ſententia, qua Theologorum, qua Juriſconſultorum. Sic Baldus, *Vol.* I. *Conſil.* CCCXV, CCCXVI. Rolandus à valle, *vol.* III. *Conſil.* XXV. Alexand. Alenſis, *Summæ part.* II. *quæſt.* CLXXIX, CLXXX. Vincent. Beluacenſis, *Specul. Doctr. lib* X. *cap.* XXXVIII. *&c.* Joh. Gerhardi, *Loc. Comm. de Magiſtratu. pag.* 631. Hottingerus, *Theſauro Philolog*, *lib.* I. *cap.* I. *Sect.* II. *quæſt.* I. Et qui ſingulari libro docte & copioſe rem hanc tractavit, Georgius Theodorus, Haſſiæ Conſiliarius, *De jure & ſtatu Iudæorum in Repub. Chriſtianorum.*

§. 18. *Veruntamen illis quamvis promiſcue indulgeri libertatem nolo: non eam, quæ vergat in præjudicium aliquod rei, vel hominum Chriſtianorum. Quare nec pro libitu ipſis ſua habere ſacra permiſſum ſit, illimitatâ licentia; vel fungi aliquo Magiſtratu; vel Chriſtianis imperare, & uti ſervis aut mancipiis; vel uſura illos premere; aut conjugia eorum ambire; vel quovis alio pacto noxiam & periculoſam cum Chriſtianis colere communionem.*

Id eſt, coërcendos publicâ authoritate Judæos, in Sacris, politicis, & domeſticis omnino arbitramur. Vide Gerhardum, loco citato, pag. 635. Voetii Diſp. *de Iudaiſmo.* Georgii Theodori lib. modo citatum: ubi in fine addita Theol. aliquorum ſuper hac re reſponſa. Decem cauſas enumerant Papiſtæ, in can. *Nullus* XXVIII. *qu.* I. quibus interdicta Chriſtianis, cum Judæis communio: in habitatione, conviviis, balneis, uſu medicinæ reciproco, enutritione puerorum Judaicorum, famulatu illis præſtando, aut ſervitute, in publicis muneribus, denique in comedendis eorum azymis: in quibus cavendum omne cum Judæis conſortium docent. Videſis Azorium, *Inſtit. Moral. Tom.* I. *lib.* VIII. *cap.* XXII. Neque facile iis ſtandum, in quavis etiam cum Chriſtianis cauſa aut lite, propter familiare ipſis perjurium, quo, una cum reliquis ſceleribus, purgari ſe opinantur annuo expiationis die; tum etiam propter internecinum gentis adverſus Chriſtianos odium, de quo vide Pauli Fagii *Sepher amana*, *cap.* IX. גוים paſſim nos appellant, ſive *Gentiles*, neque alio nos habent cenſu. Maimonides, hilchot teſchuba, cap. III. ואלו הן, *iſti vero ſunt, qui non habent partem in futuro ſæculo, ſed exſcinduntur, perduntur, & judicantur juxta magnitudinem impietatis ac peccati ipſorum in omnia ſæcula ſæculorum: videlicet hæretici, epicurei, & abnegatores legis &c.* Ubi Gloſſator addit: *R. Selomo Iarchi ſcribit, minim vel hæretici ſunt diſcipuli Ieſu Nazareni, qui pervertunt verba Dei vivi.* Atqui de גוים communis hæc ipſorum eſt ſententia, הם מאכל לאש של גהינם, *ſunt illi pabulum ignis infernalis.* In Breviario precationum vulgari habent precationem Judæi, quæ incipit, עלינו לשבח, *noſtrum eſt laudare Dominum univerſi, atque efferre Creatorem, quod non fecit nos quomodo gentes terrarum, nec poſuit nos inter familias hujus regionis, neque inter illos partem collocavit noſtram, ut ſortem illius populi, qui incurvant ſe* .... hic hiatus eſt. *Nos vero adoramus Regem omnium Regum, Sanctum Benedictum illum.* Hæc recitant in Precatione

****

Digitized by Google

catione novi anni; & Collectâ diei propitiationis, *Lemuſaph jom kippur.* in Seder Tephilloth Menaſſis, Fol. 110. a. & 119. b. Hiatum illum in impreſſis libris ita quidem relinquunt; verum ſubintelligunt, & admurmurant, ומתפללים להבל וריק ללא יושיע, qui incurvant ſe *vanitati & idolo*, *atque adorant eum qui non eſt Servator*, is eſt, Jeſus. Illud quidem contra idola Papatus; hoc autem in Jeſum dicitur. Atque ita vacuum illud in impreſſis ſpatium, & abruptum loci ſenſum ſupplendum eſſe primus aperuit Ant. Margarita, Iudæus converſus, lib. *de fide & relig. Iudæorum.* Atque à converſo Judæo idem ſe quoque accepiſſe, ſcribit in *Obſervat. ad Chronologiam R. Davidis Ganz*, *pag.* 269. Guljelmus Vorſtius: qui ex R. Lipmanno Mulhuſino idem confirmat. Etiam Buxtorfius, in Abbreviat. ad ישו, ſibi eſſe antiquum exemplar, in quo illa legantur; & vidiſſe ſe in Judæorum libris calamo adſcripta, teſtatur. Huc quoque trahunt, quod וריק per Gematriam Kabaliſticam facit eundem numerum quem ישו, id eſt, 316. Quod ad Judæorum in teſtimonio ferendo vel juramentis fidem, quâ de vide etiam Mullerum, *Iudaiſmi part.* II. *cap.* VIII. definivit Conſtitutio Imperialis Spiræ CIↃ IↃ XXXVIII. quo pacto ab illis juramentum exigi debeat, legiturque Tom. I. Statutorum Imper. Germanico, fol. 134. & confirmatum in Comitiis Auguſtanis, anno CIↃ IↃ XLVIII. & CIↃ IↃ LV. Odii autem ipſorum in Chriſtianos innumera in hiſtoriis, ac communi ubivis vitâ exempla ſuppetunt. ut hinc proverbio locus datus ſit, felicem eſſe remp. ubi non ſit Abraham, id eſt, Iudæus, Nimrod, ſive tyrannus, & Naaman, hoc eſt, leproſus. An autem verum ſit, quod vulgo in hiſtoriis legitur, ad aggravandum Iudæorum in Chriſtianos odium, illos quotannis, die Paraſceves Paſchatis, infantem Chriſtianum clam ſuffuratum crudelem in modum mactare, in opprobrium Chriſti, cujus tum paſſionem & crucifixionem Chriſtiani recordentur, ego non pro certo aſſeruero, gnarus quam facile fuerit temporibus, quibus illa contigiſſe memorantur, præſertim poſt ortam in Papatu Inquiſitionem, confingere, & quàm illorum ſæculorum hiſtoriæ, pro affectibus Scriptorum, fabulis nimium quantum fuerint deditæ ac figmentis. Certe nondum vidi ex omnibus illis hiſtoriolis ullam, quæ factum certo documento probet: ſemper ſe recipit in vagam vulgi narrationem; vel Monachorum officii Inquiſitorii delationem; ne dicam delatorum avaritiam, Iudæorum opibus improbe inhiantium, indeque ſcelus facile confingentium. Certe in libro Sicularum Conſtitutionum primo, tit. XXVII. Imp. Fridericum dicentem videmus: *Si vero Iudæus vel Sarracenus ſit, in quibus prout certo perpendimus, Chriſtianorum perſecutio nimis abundat ad præſens*, ita Chriſtianorum quorundam contra Iudæos violentiam taxans. Vel ut aliquando contigerit, à Iudæo Chriſtianum trucidatum, inde mactationem infantis Chriſtiani quotannis, & in omnibus Judæorum locis frequentari, dicendum non eſt. Atque in eo Thomæ Cantipratenſi *lib.* II. *cap.* XXIII. aſſeveranti, certiſſimè com- „ pertum eſſe, quod omni anno Judæi in qualibet provinciâ ſortes mittunt, quæ ci- „ vitas vel oppidum Chriſtianum ſanguinem aliis civitatibus tradat. Haud aliam habeo fidem, quam reliquis commentis, quibus alveare ſuum opplevit. Atqui iſtum, ſimileſque Scriptores alii in hac materiâ ſequuti fuerunt. Veruntamen coercendos Judæos eſſe, nemo ambigit. Eumque in finem ſcripſit Agobardus Lugdunenſis epiſcopus librum ad Ludovicum Imperatorem, qui inter opera ejus eſt *pag.* 56. *De inſolentiâ Iudæorum.*

Ac primo quidem circa ipſorum *Sacra*: non ego iis *Synagogas* conceſſero, non *novas* erigere, non *plures*, non pro ſuo arbitrio hic *agere*, & *docere* quævis: ſed ſiquidem Synagogam alicubi habeant, ſatis iis ſit, κατὰ πᾶν σάββατον Moſem legere & Pro-

Prophetas, *Novell.* CXLVI. vel ſi quid exponere ultra conentur, fiat hoc non in præjudicium ullum Chriſtianæ fidei; atque ſub Inſpectoribus Chriſtianis. Solerter ubique diſpiciendum, quid è re ſit Chriſtianiſmi, & Judæorum quidem, ſed quò eos ab errore ac infidelitate avocemus, neutiquam per noſtram imprudentiam obfirmemus. *C. de Iudæis & Cælicolis l. ult.* prohibentur novam Synagogam extruere, ſolum veteres ſuſtentare, quæ ruinam minentur, vel *ſi quis Synagogam extruxerit, compendio Catholicæ Eccleſiæ noverit ſe laboraſſe*, & l. XIII. Decret. Gregorii, de Judæis & Sarrac. c. III. *Iudæi antiquas Synagogas retinere poſſunt, novas erigere non poſſunt.* Item c. *conſuluit.* P. Benedictus XIII. per Hiſpaniam edixit olim: *Synagogæ nullæ denuò ædificentur, unaque tantum eſto in ſingulis civitatibus.* quod P. Paulus IV. ſequutus fuit anno CIↃ IↃ LV. & deinde Pius V. adeo ut ſi unus locus ſatis haud videretur capiendis omnibus iſtius loci Judæis, alius tum quidem adjungeretur, ſed ſub uno ingreſſu tamen, egreſſuque. Quæ vide in Barboſæ Collectaneis Bullarii, voce *Hebræus.* vel in ipſius Cherubini *Bullario, part.* II. Papas Romanos adeo indulgentes Judæis eſſe nemo mirabitur, qui cogitet quam multa hinc lucrentur: neque enim alio fine illa concedunt, quam pro acquirendis nummis. Caſſiodorus, Variar. lib. II. *Tegumen tantum vetuſtis parietibus ſuperimponere Synagogæ veſtræ, præſenti vos authoritate cenſemus. Petitionibus veſtris eatenus licentiam commodantes, quatenus conſtituta Divalia permiſerunt. Nec aliquod ornatus fas ſit adjicere, vel in ampliandis ædibus evagari. Noveritis vos ſeveritatem minime diffugere veteris ſanctionis, ſi rebus non abſtineatis illicitis.* Hinc & Agobardus conquerebatur, quod *eis contra legem permittitur novas Synagogas extruere.* Ubi Synagogas non habent, tempeſtive occurrendum, ne aliquas conſtituant. Et ad hoc apud Politicos graviter inſtare Eccleſiaſtici debent. Quomodo Pernambuci Noſtros egiſſe, adverſus ingruentem Judaiſmum & Synagogas, diſcimus ex Actis Claſſis iſtius anno CIↃ IↃ C XXVIII. & CIↃ IↃ CXLI. Neque concedendas illis Synagogas. multis probat Mullerus, *Iudaiſm. part.* II. *cap.* IV. Magis autem videndum, ne Synagogis ſuis, aliiſque locis abutantur, in contumeliam Chriſtianæ religionis, talia vel docendo, vel agendo, quæ non citra diſpendium veræ fidei tolerari queant. Super quo, videlicet illimitatâ illa, qua Judæi apud nos quoque utuntur, licentiâ agendi & docendi, addo & ſcribendi, ſæpe Eccleſiæ noſtræ merito conqueſtæ fuerunt, apud Supremas Poteſtates. Synodus Hornana, anno CIↃ IↃ C XXIII. art. XXII. Enchuſana, anno CIↃ IↃ C XXIV. Amſtelodamenſis, anno CIↃ IↃ C XL. art. LV. Enchuſana, anno CIↃ IↃ C. XLIII. art, art. 35. Atque ab obitu Principis Mauritii, exc. mem. Delegati Ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæque idem inter alia expoſuerunt Ordinibus Generalibus, libello ſupplice, qui exhibetur à Wilhelmo Telingio, in lib. Belgico, *Neceſſariæ Demonſtrat.* Tum in Concilio Narbonenſi, ſub Reccaredo Rege decretum, anno IↃ. LXXXIX. *Vt Iudæis non liceat corpus defuncti deducere pſallendo: ſed ut eorum habuit mos & conſuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant. Quod ſi aliter facere præſumſerint, inferant Comiti civitatis uncias ſex.*

Plura alia ſunt, quæ æque minus illis concedi debeant. Inter quæ præterire impræſentiarum nequeo, quod Typographicam artem exercere, & quævis imprimere, extra cenſuram Chriſtianorum, iis neutiquam concedendum ſit: neque ut vulgari linguâ libros edant pro ſuâ infidelitate, contra doctrinam Chriſti; quod Menaſſe egit, linguâ Luſitanicâ, & Latinâ; Salomon Hirſch, Germanicâ. Quippe illiſne poteſtas erit, pro arbitrio quævis protrudere & dare in publicum, non rogatâ vel impetratâ licentiâ, quod nec aliis, nec Chriſtianis quidem licet? Vel apud Reformatos abſque cenſura agant & ſcribent quævis, & linguâ non ſuâ, ut non ſuis adeo,

 quam

quam aliis ſcribere appareat, quod non inter Pontificios Judæis conceditur? Novum certe eſt, & inſolens, quod Menaſſe, non Latinâ modo, aliave lingua, quævis edit contra Chriſtianos & eorum religionem; ſed quoque approbationem apponit, non Chriſtianorum Cenſorum, ut quidem mos eſt, ſed Judaicorum. Uti in libro Hiſpanico *Los Dinim*, ſtatim initio occurrit, *Approvacaon è licenca.* Qui Approbatores (quod valde notandum) non modo ibi judicant de libro, ejuſque materia, ſed quod indignum, ſua nempe authoritate, poteſtatem faciunt imprimendi, & diſtrahendi: *Concedem os Senhores do Mahamad licenca para ſe poder imprimir è vender: dado en Amſterdam.* Quæ non ferenda, tum propter argumentum, & exemplum; tum etiam quod ex talibus ſibi imaginari facile ſolent aliquam αὐτονομίαν Judæi, politiis noſtris & religioni æque infeſtam.

Contrà prudenter paſſim Leges civiles & Eccleſiaſticæ Judæis omni *Magiſtratu* interdicunt: quod omnino neceſſarium, ne videantur ſibi adhuc ſceptrum aliquod habere, quod auferendum genti, cum adventu Meſſiæ, docemus: tum præſertim ne eo inſoleſcant, contra Chriſtianos. In C. Theodoſ. de Judæis, Samarit. &c. *neminem Iudæorum, neminem Samaritam neutra lege conſtantem ad honores & dignitates accedere, nulli adminiſtrationem patere civilis obſequii, nec defenſoris fungi ſaltem officio ſancimus.* C. Juſtiniani, *l. 5. & ult. de Iudæis.* Capit. Caroli M. *lib.* VI. *cap.* CXX. In Concilio Arvernenſi, anno IↃ XLI. *cap.* VIII. *Ne Iudæi Chriſtianis populis judices præponantur.* In Matiſconenſi I. anno IↃ LXXXII. *cap.* XIII. *Ne Iudæi Chriſtianis populis judices deputentur, aut telonarii eſſe permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Chriſtiani videantur eſſe ſubjecti.* Similiter in Concilio III. *cap.* XIV. & Toletano IV. *c.* LXIV. Meldenſi, *cap.* LXXIII. Regiaticino, *can.* XX. Lateranenſi, ſub Innocentio III. *can.* LXIX. aliiſque multis. In Concilio apud Caſtrum Gonterii, anno CIↃ CC XXXI. apud Bochellum, *Decret. Eccleſ. Gallic. lib.* I. *tit. de Iudæis*, *pag.* 115.

Perquam multis item conſtitutionibus cautum, ne Iudæis liceat *Chriſtiana* habere *mancipia*, vel ſervos. Cod. Theodoſiano, lib. XVI. tit. III. *ne Chriſtianum mancipium Iudæus habeat.* In Capitulari Caroli M. Concilio Aurelianenſi. III. c. XIII. Matiſconenſi I. c. XVI. Toletan. III. c. XIV. Toletano. IV. c. LXVI. Toletano. X. c. VII. Præterea, in Synodo Pictavienſi, aliiſque in Galliâ, apud Bochellum. Hac occaſione librum ſuum *de inſolentia Iudæorum* ſcripſit Agobardus, merito deteſtatus quod mancipia Chriſtiana non ſolum Iudæi haberent, aliquando & auſurarentur à Chriſtianis; ſed quoque Iudæis ipſi Chriſtiani venderent: tum quod tam familiariter Iudæorum convivia Chriſtiani frequentarent. Adde Mulleri Iudaiſmum, *part.* II. *cap.* VII.

Pariter prohibita Judæis ea quam in Chriſtianos, quaſi in manicipia ſua, mordaciſſimam exercent, *uſura*; illis etiam, quas jam adduximus, Synodis; & Conſtitutionibus Imperialibus variis. Auguſtanis, anno CIↃ IↃ XXX. & anno CIↃ IↃ XLVIII. Ratiſbonenſibus, anno CIↃ IↃ LXXVI. Illudque inter impedimenta converſionis, quod uſura iſta iis conceditur, annotatum à viris doctis, & converſis judæis. Luthero, libello, *de uſuris Iudæorum.* Paulo Fagio, *Annot. in Chaldæam Paraphraſim Deut.* XXIII. 19. & in *Sepher amana pag.* 126. Antonio Margaritâ, lib. *de fide Iudæorum.* Pfefferkorno, lib. *Specul. Adhort. part.* I. *cap.* IX. *& part.* II. Victore à Carbe, *contra Iudæos lib.* IV. *cap.* XLIV. Adde ſagacis ſcriptoris Edwini Sandis lib. *de Statu relig. cap.* XL. Bochellum, *loc. cit. pag.* 113. 114. 115. 116. Ut mirum ſit, inter Papiſtas eſſe hæc qui defendunt, & uſuram, quam omnes Canones tantopere execrantur, judæis tamen, nempe quia ſic D. Papæ propter lucrum viſum, concedunt. Noſtri aliter, atque

Digitized by Google

atque uno ore hæc deteſtantur. De quo vide eximium Tractatum Georgii Theodori, Haſſiæ Conſiliarii, *De jure & ſtatu Judæorum in Republ. Chriſtian.* cum ſubjunctis Theologorum aliquorum in eandem rem conſiliis & judiciis. Et Johannis Mulleri *Judaiſmum*, *part.* II. *cap.* VI.

Supra omnia merito interdicitur Judæis Chriſtianorum *conjugio.* II. Cor. VI. 14. Quamvis autem conjugium Chriſtianum ineundum impediat Judaiſmus; haud tamen dirimit contractum. I. Cor. VII. 12. &c. Neque aliter canones accipiendos, vel ſequendos cenſeo. Ut Concilii Aurelianenſis II. anno IↃ XXXVI. c. XIX. *Placuit, ut nullus Chriſtianus Judæam, neque Judæus Chriſtianam in matrimonio ducat uxorem: quia inter hujuſmodi perſonas, illicitas nuptias eſſe cenſemus. Qui ſi commorati à conſortio hoc ſe ſeparare diſtulerint, à communionis gratia ſunt ſine dubio ſubmovendi.* In Arvernenſi, can. VI. *Si quis Judaicæ pravitati, jugali ſocietate conjungitur, & ſeu Chriſtiana Judæo, ſive Judæus Chriſtianæ mulieri conſortio miſceatur carnali, quicunque horum tantum nefas admiſiſſe dignoſcitur, à Chriſtianorum cœtu atque convivio, & à communione Eccleſiæ, cujus ſociatur hoſtibus, ſegregetur.*

Quid conjugia dico? *convivia* cum Judæis agitare ſuſpectum eſt antiquis legibus. Certe vulgaria, & nullâ vel neceſſitatis, vel inſtructionis cauſâ, illorum ambire converſationem aut convictus, omnino improbandum. Huc ſpectat Agobardi opuſculum, *De inſolentia Judæorum*; & *de Superſtitionibus Judaicis.* Nam hic ex S. ſcriptura, & Veterûm teſtimoniis probat, quantopere cavenda Chriſtianis ſit omnis illa nimia cum Judæis familiaritas ac comeſſatio. Concil. Veneticum, circa annum CCCC LIII. c. XII. *Omnes deinceps Clerici Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quiſquam excipiat.* Idem omnibus deinde imperatum, ſive Clericis, ſive laicis, in Concilio Agathenſi, c. XL. *Omnes deinceps clerici, ſive laici Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quiſquam excipiat.* Conc. Matiſconenſe I. anno IↃ. LXXXII. c. 15. *Ut nullus Chriſtianus Judæorum conviviis participare præſumat. Quod ſi facere quicunque (quod nefas eſt dici) clericus aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe noverit compeſcendum, quiſquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.* Adde Photii Nomocanonem, tit. XIII. *de Laicis*, *cap.* XV. Præcipuè cavenda illorum *convivia ſacra*, in feſtis, aut azymis, & ſimilia. Quod jam olim Synodus Conſtantinopolitana VI. in Trullo vetuit, ca. XI. *Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine numerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis lavet. Si quis autem hæc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit clericus, deponatur, ſin laicus, ſegregetur.* Adde inter Canones Apoſtolicos dictos, LXIV LXX. Synodum Antiochenam c. XXXVII. Eliberin. can. XL IX. &. Atque contra tales Chryſoſthomus orationes ſuas habuit adverſus Judæos, nimirum qui ad Judæorum Synagogas, feſta, jejunia nimis avide & curioſe accurrebant: *Neque enim exiguum intervallum eſt inter nos & Judæos, neque de rebus levibus aut vulgaribus inter nos eſt controverſia, ne tu unum & idem eſſe credas noſtrum & illorum inſtitutum, ac non miſcenda miſceas. Illi crucifixerunt Chriſtum, tu Crucifixum adoras. Vides, quantum intereſt? Qui fit igitur, ut ad illos, qui Chriſtum occiderunt, curras, profitens te adorare Crucifixum?* & oratione III. *ad horum Synagogas accurris? nec metuis, ne fulminis impetus cælitus emicans exuras caput tuum?* poſt: *Tu verò ubi Pater afficitur contumelia, ubi Filius laceſſitur convitiis, ubi Spiritus ſanctus contemnitur, eò ſtudes accurrere? age dic mihi, non metuis, non horreſcis, quum teipſum in loca prophana impuraque conjicis?* Orat. V. *quomodo particeps es feſti? quomodo cum illis jejunas?*

Hinc paſſim legibus & uſu obtinuit, ut ne promiſcue inter Chriſtianos Judæi *habitent*, nec quibuſvis locis; ſed ſegregatis à communi Chriſtianorum converſatione habitaculis degant & vicis. Quoque certius dignoſcantur, neque errore ſe in Chriſtianorum conſortia intrudant, certâ alibi in *veſtitu* externo *notâ* viſum eos diſcernere. quod à Concilio Lateranenſi cœpit ſub Innocentio III. Inde in Decret. Gregor. tit. *de Iudæis*, c. XV. *Iudæi & Sarraceni utriuſque ſexus debent in terris Chriſtianorum uti habitu, per quem à Chriſtianis diſcernantur.* Per Hiſpaniam juſſit P. Benedictus XIII. ut Judæi rubeo croceove ſigno à cæteris diſtinguerentur: viri in pectore, in fronte fœminæ. Crocei coloris pileum geſtare illos voluit P. Paulus IV. Alii alio quo veſtitus diſcrimine diſcerni. Concil. Lateranenſe iſtud, quod diximus, III. cap. LXVIII. Viennenſe, ſub Clemente IV. Ravennenſe, ſub Clemente V. Ravennenſe IV. Saliſburienſe, apud Binium, *Concil. Tom.* III. *part.* II. *fol.* 969. Adde Conc. Mediolanenſe I. Barboſæ Collectanea, in voce *Biretum*. In Germaniâ idem ſæpe conſtitutum, & Iudæis injunctum fuit, cum alias, tum in Reformatione Politiæ, anno CIↃ IↃ XXX. In Diœceſi Colonienſi idem obſervari voluit anno CIↃ IↃ LII. Cardinalis Cuſanus. In Anglia idem inſtituit Rex Eduardus, anno CIↃ CC LXXIV. R. David Ganz ad A. 256. *Hoc anno juſſi ſunt filii gentis noſtræ in Vrbe Venetorum capitibus ſuis pileum flavum imponere.*

An autem Chriſtiano homini liceat Iudæis uti *Medicis*, dubitatur. Præſertim quum nec rationes deſint, per quas ſcrupulus injiciatur: vide Mulleri *Iudaiſmum part.* II. *cap.* V. & Hottingeri *Theſaurum Philologicum lib.* I. *cap.* I. *ſect.* II. *quæſt.* IV. neque exempla fraudum Iudaicarum, ſub medicationis ſpecie commiſſarum. Uti in Carolo Calvo Imp. à Sedechia Iudæo medico fraudulenter extincto, aliiſque. Attamen quia apud quoſcunque etiam artis optimæ profeſſores dolus vel malitia poteſt locum capere, & nec omnes Iudæi pariter improbi, neque vitium perſonæ arti imputandum, ubi ab eo nihil metuis, ex ejus arte fruſtra meo quidem judicio ſcrupulum moveris. Interim quod temerario vulgi judicio aliquando extranea & Iudaica notis præponuntur, inter errores & peccata popularia merito reponendum, quod tum etiam vitio & periculo non caret propenſionis plus æquo erga Iudæos majoris, & ad Iudaica defectionis. Mullerus judicia & ſententias profert Theologorum Wittembergenſium, Argentinenſium, & Roſtochienſium, qui non damnant ſolum quod quis Medico utitur Iudæo, ſed & quod Medicus Chriſtianus artem una cum eo exercet. Quæ tamen ego ſimpliciter reprehendi nolim. Cavendum ſolum, juxta regulam ante poſitam, ne quid committatur in præjudicium rei aut hominum Chriſtianorum.

§. 19. *Politiæ quoque intereſt Chriſtianæ, providere ne unquam Iudæus Chriſtianum ad defectionem à fide ſollicitet, vel ne impune quem ad infidelitatem ſuam pelliceat, aut avertat.*

C. de Iudæis. *l.* XVII. *Iudæus, qui eum, qui Iudaïcæ religionis non eſſet, contraria doctrina ad ſuam religionem traducere præſumſerit, bonorum proſcriptione damnetur, miſerumque in modum puniatur.* Concil. Aurelian. IV. *c.* XXXI. De genere pœnæ nil definio, ſaltem ne leviter & impune hoc committant, diſpiciendum arbitror.

§. 20. *Ex alterâ parte, ubi per Dei gratiam, Iudæus aliquis ad Chriſti fidem pervenit, curandum ne hoc ei ullatenus fraudi ſit, vel ne ideo à*

ſuis

ſuis lædatur, ullove afficiatur damno; ſive à parentibus, vel amicis in rebus ac bonis poſtponatur, iiſque, vel debitâ ſecludatur hæreditate.

Eternim Iudæi in eos, qui ab ipſis deſciverunt, paſſim ſolent valde eſſe inclementes, quin eos immani odio perſequi, & perdere. de quo Victor à Carbe converſus Iudæus, loquitur, *lib.* I. *contra errores Iudæorum. cap.* XX. Quare in hoc contra domeſticam injuriam protegendi. Imp. Conſtantinus, in Cod. Theodoſ. *l.* I. *de Iudæis*, hoc reſcriptum dedit ad Evagrium: *Iudæis, & cœlicolis; & majoribus eorum, & patriarchis volumus intimari: quod ſi quis poſt hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexit, ſaxis, aut alio furoris genere (quod nos fieri cognovimus) auſus fuerit attentare; mox flammis dandus eſt, & cum omnibus ſuis participibus concremandus.* Cod. Theod. *lib.* XVI. *Eum qui ex Iudæo Chriſtianus factus eſt, inquietare Iudæos non liceat, vel aliqua pulſare injuriâ; pro qualitate delicti, iſtiuſmodi contumelia punienda.* Benedictus XIII. P. inter leges adverſus Iudæos, per omnes Hiſpaniæ provincias promulgatas, ad annum CIↃ CCCC XV. & hoc edixit: *qui Chriſtiana ſacra ſuſceperint, iis jus eſto, in propinquorum bonis ſuccedendi nihilominus.*

II. *Uti nec ſpoliandi Judæi converſi omnibus ſuis bonis, ſub prætextu nimirum quod per uſuram ea inique acquiſiverunt.*

Joh. Gerſon, apud Bochellum, tit. *de Iudæis: & ſi velint converti, non omnino ſpolientur ſuis rebus.* Nam illud inter impedimenta converſionis ipſorum etiam connumeratur ab ipſis Papiſtis, inter quos mos ille obtinet. Gaſparus Belga, Ieſuita, inter primos Ignatii ſocios, in Epiſt. Ormutina (eſt inter Epiſtolas Indicas) ſcripta anno CIↃ IↃ XLIX. loquutus de Rabbi quodam Salomone, qui baptiſmum petierat, ſubjungit: *ut mihi facile perſuadeam, eum & pleroſque alios Chriſti fidem recepturos eſſe, niſi Chriſtiano jure quidquid fœnerando quæſiſſent, reſtituere cogerentur.* Quare morem illum ſuſtulit ſingulari diplomate, anno CIↃ IↃ XLII P. Paulus III. quin jam diu ante, Concilium Baſileenſe ſeſſ. XIX. & Lateranenſe, ſub Alexandro III. c. 26. carpſitque malum morem Bradwardinus obiter, *lib.* I. *de cauſa Dei, cap.* I. *Coroll. part.* XXXII. Cardinalis à S. Severina, in *Catechiſmo Generali, pro Catechum. cap.* XX. Inter Noſtros, Edwin Sandis, in *Relat. de Statu relig. cap.* XLI. Georgius Theodorus, *de ſtatu Iudæorum in Repub. Chriſtian. cap.* IX.

§. 21. *Uti Scholas ubique Eccleſiis inſervire oportet, ita, quoque ad promovendam Judæorum converſionem nonnulla ſunt, in quibus etiam Scholæ adjumento eſſe debent.*

I. *In lingua Hebræa uberi ſedulâque inſtitutione.*

Nam abſque ejus probâ cognitione nihil quidem hic agi poteſt: quæ tum ad res & controverſias Iudaicas pernoſcendas eſt neceſſaria; tum ad earum quamcunque cum Iudæis ipſis tractationem. Ut huic applicari debeat vulgatum Hæbræorum verbum illud: הַתְקֵן עַצְמְךָ בַּפְּרוֹזְדוֹר כְּדֵי שֶׁתִּכָּנֵס לַטְּרַקְלִין, *præpara te ipſum in veſtibulo, ut poſſis intrare in triclinium.* Hieronymus de ſe ipſo, in Epitaphio Paulæ: *Hebræam linguam, quam ego ab adoleſcentia multo labore & ſudore ex parte didici & indefatigabili*

tigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab eâ deſerar. Neque tantâ hodie ad diſcendam eam moleſtiâ opus, magis copioſa jam & familiari redditâ ejus cognitione ac uſu. Ut inde, quod eam nunc per omnes fere Chriſtianiſmi terras, magis ac unquam antea omnibus retro ſæculis, confertâ diligentiâ, excoli ac frequentari video, aliquando omen capiam appropinquare tempus converſioni populi à Deo deſtinatum. Cui ſubſervire omnium ſtudia linguaſque, Theologorum imprimis, addecet. Prout quorumvis eſt in ſua generatione divini conſilii eſſe miniſtrum, *Act.* XIII. 36. Huc reſpexit Concilium Viennenſe ſub Clemente V. quando juſſit in celebribus tunc Academiis, Romanâ, Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantinâ Profeſſores ſpeciatim docere linguam Hæbræam, Arabicam, & Chaldæam, *ut inſtructi & edocti ſufficienter in linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint, (Deo auctore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.* Quod confirmatum in Synodo Baſileenſi, ſeſſ. XIX. atque hoc etiam ſæculo, à P. Paulo V. anno CIↃ IↃ CX. At nullibi diligentius rectiuſque obſervatur, quam in Scholis & Academiis Reformatis. Inſtructo Hebrææ linguæ cognitione nihil adeo metuendum à Iudæis, qui ſupra Hebraica raro ſapiunt. Præter Hebræas non ſolebant olim aliquas litteras tractare, vel addiſcere. Hinc in Talm. Ieroſolymitano, cod. *Pea fol.* 15. *col* 3. rogant R. Iehoſuam: מהו שילמד אדם את בנו יוונית אמר להם ילמדנו בשעה שאינה לא יום ולא לילה דכתיב והגית בו יומם ולילה *quando quis pueros doceat linguam Græcam? reſpondit, quo tempore nec dies nec nox erit, quia ita ſcriptum: meditaberis in lege die ac nocte*, Pſalm. I. Haud aliter ac Cato, qui aſpici quidem litteras Græcas, non perdiſci volebat. Quare conjungere Iudæi ſolent: *qui aluerit ſuem, aut didicerit ſapientiam Græcorum.* Eaque de cauſa, qui inter illos præter domeſtica pluſculum ſapiunt, facile reliquis exoſi fiunt, & non ſine gravi ſuorum odio nomen illud redimunt. Præſertim ſi qui philoſophica tractent. Primus qui inter illos Dialecticam excoluit, dicitur fuiſſe R. Iacob Falck, Doctor Pragenſis, *cujus nomen*, inquit Tzemach. ad A. millen. ſexti CCXC. *ab uno mundi extremo exiit uſque ad alterum. Dicunt hunc* R. Falck *fuiſſe primum, qui publice protulit limatum acumen ſuum, & ingenioſè ventilavit ſubtilem methodum diſputationum, quâ ſolent uti præſides ſcholarum in illâ provinciâ ad acuendum per illas diſcipulos ſuos ab illo tempore uſque in hunc diem, licet modus illorum agendi non ſit receptus ab omnibus ſapientibus & rectis corde: ſententia enim multorum ex præcipuis captivitatis, præſtantioribus mundi, ſenioribus, & admirandis, in iſtâ non acquieſcit.* Et anno hujus millenarii LXVI. Synagoga Barcelonenſis decrevit, ne quis ſapientiam Græcorum ante annum ætatis vigeſimum quintum addiſceret. Qui philoſophica inter illos tractarunt, habent R. Moſem Aben Tybbon. Hic Phyſicam ſcripſit *ruach hachen.* Quam Joh. Iſaac Levita Latinè dedit, Colon anno CIↃ IↃ LV. Idem Tybbon Euclidem ex Arabico in Hebræum tranſtulit A. 6030. R. Eliezarem F. Chaſmæ, & R. Jonathanem tantos faciunt philoſophos, ut dicantur potuiſſe ſupputare, quot guttæ eſſent in mari. Papæ! R. Iſaaco Aben Sid attribuunt tabulas Alphonſinas. Aben Ezra aliquot libros Arithmeticæ & Aſtrologicæ conſcripſit. Celeberrimus R. Moſes F. Maimon, (abreviatè Rambam, de quo elogium: *à Moſe ad Moſem*, à Prophetâ ſc. ad hunc Moſem Maimonidem, *nullus extitit ſicut Moſes hic* Maimonides,) philoſophus fuit eximius, atque vir verè eruditus, patriâ Cordubenſis, celebri urbe in Hiſpaniâ. Ægyptius vocatur, quia in Ægypto habitavit, ibique Regis medicum egit, quod ei exprobratum à ſuis haud ſemel, & in libro Mikkothi parvo, quem Munſterus edidit, *præc. neg.* CCXXVII. quia ſc. prohibitum erat in Ægyptum reverti. Quantæ autem

Digitized by Google

ſem hic eruditionis fuerit in linguis, artibus, & ſcientiis profanis etiam, ejus libri demonſtrant & ſcripta, cum Talmudica, Commentarius egregius *in Miſnam*, *Iad chazeka*; tum Epiſtola, quam *de aſtrologiâ* ad Judæos Maſſilienſes ſcripſit, & Joh. Iſaac Levita, ſimul cum Tybbonis Phyſicâ, latinè dedit: ſive Theologica, inter quæ eminet, *More Nevuchim*, *Doctor perplexorum*, ſcriptus ab Authore Arabicè, & à variis in linguas Hebræam, ac Latinam converſus: qui tantas, (eo quod minus nugarum, & plus omnigenæ eruditionis contineret, quam pro palato judæorum,) turbas dedit, ut cum Authore à Judæis Gallis condemnatus fuerit, ac liber quidem combuſtus. Unde quod in epitaphio Maimonidi poſitum מבחר האנושי *ſelectiſſimus hominum*, depravarunt in מוחרם ומין *Anathematiſatus*, *& Hæreticus*. Sed turbas alii ſapientiores compoſuerunt, atque in authores illarum, quorum præcipui R. Selomo F. R. Abrahami, cum diſcipulis ſuis R. Jonâ, & Davide, F. Saulis communi anathemate animadverterunt. De quibus videſis Epiſtolas Maimonidis poſt Buxtorf. *de ſcrib. litt. Ebr.* & in præf. ad *More*. Similiter in Præfatione ad eundem librum, Auguſtinum Juſtinianum Nebienſ. Eundemque in *Pſalm.* LXVIII. Atque ſimilem ſuorum æmulationem haud obſcure fatetur ſe experiri Menaſſe, in præfatione ad Problem. de creat. *nec jam de hominibus ſolum loquor, qui diverſum in religionis negotio cenſeant; ſed illis imprimis, qui eadem prorſus ſequuntur ſacra. Expertus hæc liberiùs promo.*

More, *Doctorem* ſignificat, differtque à *Rabbi*. Elias in voce רב *Rab*: ואמרו רז״ל כל רב ומר מבבל וכל רבי מארץ ישראל, *Et dicunt Rabbini noſtri b. m. omnis Rab & Mar ſive Mor dicitur de eo, qui venit ex Babylone; Rabbi, qui venit ex terrâ Iſraelis.* Similiter Aruch in voce אביי. Ribbi dialecto Ieroſolymitanâ dicitur, pro Rabbi; quo modo *bir* pro *bar* בר *filius*. Ribbi, vel Rabbi, qui in Palæſtinâ promotus; Rab, vel Mar, qui in Babyloniâ. Quod ſolenni ritu χειροθεσίας סמיכות fit. Hinc titulus R. Jehudæ ben Babæ הסומך χειροθέτ, cui ſervatas promotiones acceptum ferunt. R. Sira, quamdiu in Babyloniâ docuit, Rab quando Jeroſolymam vocatus, ibique ſolenni χειροτονίᾳ promotus, Rabbi dictus fuit. Promotus ad Rabbinatum, vocatur חבר *Chaber*. Tiſbi, אדם שהוא נסמך לרבנות, *Qui promotus quidem eſt ad Rabbinatum, ſed necdum dignus ut ſit doctor, vel ut vocetur Morenu harab doctor noſter rab, eum vocant chaber rab*, ſocium τοῦ Rab. Quales ſocii collegiorum dicuntur apud nos in aliquibus Academiis. In Scholis hoc ferè ordine ad ſummum gradum progrediuntur: qui in diſcipulum cooptatur, dicitur בחור *juvenis, electus*. Reſpectu ſtudiorum, תלמיד *ſtudioſus. Promotus*, חבר. inde *Rabbi* גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו *Rabbi plus eſt quam Rab, & Rabban plus quam Rabbi, attamen nomen ſolum plus etiam quam Rabban.* id eſt, minor titulus eſt Rab, major Rabbi, maximus Rabban, qui non niſi Principibus videtur dari. At titulis omnibus præſtat proprio ſuo deſignari nomine, quomodo Prophetæ citra alium quem titulum ſuo ſolum nomine veniunt. Quâ ætate tituli iſti ignorati. Paulo ante Chriſtum natum in uſu eſſe cœperunt: ideoque Servator dixit, *Matth.* XXIII. 7. de Phariſæis, *amant vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi.* Ambitioſam titulorum uſurpationem exprobrans. Addo & primam inventionem, non niſi ex ambitione factam. Sane ut notat Author Aruch,

והדורות הראשונים שהיו גדולים מאד לא היו צריכין לא ברבן ולא ברבי ולא ברב.

Priſcis ſæculis homines quoque maximi non neceſſe habebant magiſtrari vel per Rabban, aut Rabbi, aut Rab, ſive ſapientes Babyloniæ, ſive ſapientes terræ Iſraelis. Quin ipſe Hillel ex Babylone adſcendens, non fuit Rabbi nomine appellatus. Primum in Hillelis

***** filiis

filiis, iiſque qui principatum in Iſraele per ducentos fermè annos tenuere, fueruntque נשיאים *Principes*, nomen illud Rabban uſurpatum: verum primi ante illos, titulos hoſce ignorarunt. Sic Prophetæ & viri (quos vocant) Synagogæ magnæ, titulum nomine ſuo meliorem non repererunt. R. Ganz ad A. 4500. & 768. rationem dat, quare Rabbini hodiè vocentur etiam Rabbanim, quia ſcil. Ribbi, vel Rebi cum ſcheva, non ita admittit plurale; (vide & Tiſbi in רב) quamvis inquit, melius dicerentur *chebarim*, *ſocii*. Atque, præ titulis Rab, & Rabbi, recentiſſima eſt appellatio *More*, vel *Morenu*, *Doctoris noſtri*, jam retro ducentis annis in Germaniâ demum nata. Author Tzemach ad Annũ 6187. *Scias Doctorem noſtrum R. Iakob Morilin* (qui *Maharil* vulgò dicitur מהריל id eſt, *Morenu harabh Rabbi Iacob Levita.*) *& R. præceptores ejus R. Salom, atque R. Kadeſob fuiſſe primos, quos inveni creatos eſſe nomine Doctoris noſtri excellentis. Inauguratio enim vel tituli impoſitio, Doctor noſter, eſt recens inter Germanos inventa, quâ priores non cenſebantur. Scribit autem Don Iſaac Abravanel ſub initium cap. 6. pirke Avot ad Miſnam, nikra riah, his verbis: ſed poſtquam veni in Italiam, deprehendi morem obtinuiſſe illos inaugurandi iſtis titulis &c. Vide autem initium hujus moris inter Germanos omnes illos inaugurantes, & inauguratos. Neſcio autem unde iſta eminentia ad illos pervenerit, niſi quod comparaverint eam ex moribus gentilium, qui Doctores creant, ut faciant idem, immò longe magnificentius. R. Levi Aben F. Chabib de hoc diſceptat in Theſchuva ſua, atque ſcribit magnifica, & longe petita. Ego autem ſcriptor audivi ab excellente Gaôn Doctore noſtro R. Sinai Bizleel (quem rupes ſua conſervet) iſtam inaugurationem recens introductam eſſe inter Germanos ob rationem iſtam, quod illo tempore multi eſſent operam navantes adminiſtrationi libellorum repudii & ſponſaliorum, etiamſi non recte ſcirent illorum conſtitutiones, & proinde comparabatur iſta inauguratio in ſignum pro omnibus filiis diſperſionis Germanicæ, ut quicunque non eſſet creatus Morenu Doctor noſter, illi non eſſet poteſtas ritè agendi de libellis repudii, & ſponſaliorum.* Hæc obiter.

§ 22. *Deinde ſingularem in Scholis rerum & controverſiarum Iudaicarum volo haberi tractationem, non ſuperficiariam aut levem, ſed diſtinctam, ſolidam, copioſam.*

Ut ſtudia in hoc genere æquè, ſi non plus, occupentur, quam alibi, vel in controverſiis quorumvis errantium Chriſtianorum: prout in illo certe plus ſitum, quàm hic. Cui proinde fini in *Summâ Controverſiarum* locum ſuum ordinemque aſſignavimus, inter prima, controverſiis Judaicis.

§. 23. *Quæſitum diu fuit, an Talmud, libroſque Talmudicos perdere, & exterminare omnes, vel ſaltem Judæorum manibus excutere opus, aut conſultum ſit?*

Sic quidem Paparum multi ſtatuerunt. P. Gregorius IX. Innocentius. Clemens IV. Honorius IV. Iohann. XXII. Iulius III. Paulus IV. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. quorum decreta videre eſt in Bullario Cherubini; & Directorio Inquiſitorum. Maxime in nervum erupit lis iſta præcedenti ſæculo, ſub initium Reformationis, anno CIↃ IↃ X. in Germaniâ, inter Iohannem Reuchlinum, ſeu Capnionem, & Jacobum Hogoſtratum: quæ quas turbas moverit in Academiis, & aulâ Romanâ, Sleidanus

Digitized by Google

danus memorat, *lib.* 11. aliique. Et Hogoſtrati de abolendo penitus Talmude argumenta refutanda ſibi propoſuit Galatinus, *lib.* 1. Neque video quorſum libri illi omnes tollerentur è medio, vel etiam quomodo tolli poſſent. Aliud eſt, ut in iis, quæ contra fidem & Meſſiam faciunt, cenſurâ notentur; eorumque uſus reſtringatur; vel an omnino aboleantur ſeu comburantur. Quod uti fieri nequit, ita in rebus quam plurimis, quæ antiquitatem & ritus concernunt, haud contemnenda ex iis erui, multaque pro veritate fidei noſtræ, adverſus hodiernas Iudæorum exceptiones & cavillationes, ex illis adduci poſſe, viri docti affatim oſtenderunt. Interim valde ſe mihi probat conſtitutio Haſſiæ principis Georgii, ſuper recipiendis in ditione ſuâ Iudæis, quâ ſolemni primum juramento ſe obſtringunt, quod nullos ſecum habituri ſint libros, fidei Chriſtianæ contrarios. quemadmodum etiam, ſe nihil contumelioſum dicturos contra Chriſtum, fidem aut religionem noſtram.

§. 24. *Quæ de mediis ad Judæorum converſionem ſpectantibus hucuſque dicta, eò ſpectant, ut in opere hoc omnium graviſſimo ſanctiſſimoque, tanto fœlicius verſemur. Ad quod dum in præſenti diſſertatione jam pervenimus, de hoc nonnulla, quæ obſervari debeant, annotanda videntur, quæ ſive ex lectione Auctorum, ſive proprio uſu deprehendimus. Eorumque quædam reſpiciunt convertendos; alia converſos.*

Illorum primum eſt, quod Judæorum populum convertendum aliquando, per Dei gratiam, ad cognitionem & fidem Meſſiæ, credamus.

Sunt quidem, fueruntque olim etiam, variæ de hoc Chriſtianorum ſententiæ, an adhuc convertenda, poſt ſolennem rejectionem, Judæorum natio ſit? aliis vel in dubium id trahentibus, vel negantibus. Nos tamen freti tum antiquo Dei cum populo illo *fœdere*, tum factis hinc *promiſſionibus*, *rationibuſque* aliis, omnino ſtatuimus, futuram aliquando gentis iſtius admirandam, atque *generalem* converſionem. Quam generalitatem nequaquam extendimus ad omnes Judæos & ſingulos, ſed quomodo Gentium vocatio fuit communis, & in genere, corporis Gentiliſmi, non autem diſtributive omnium, ita Judaici populi inſignis & communis futura eſt mutatio, quæ in hoc diſtat à converſione proſelytorum aliquorum, qualis jam & tum contingit Iudæorum ad nos, uti olim Gentilium ad Judæos, quod illa habeatur communis vel generalis futura populi, non ſingularis aliquorum. Deinde, nihil quidem nos deteminamus de particularibus futuræ illius converſionis *circumſtantiis*, nihil de *modo*, *tempore*, *numero*, aut *loco* convertendorum, vid. quod ad illorum momenta ſpectat, omneſque rationes, gnari Deum illa ſervare *ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ*. & alia eſſe הנגלות, alia הנסתרות, illa quidem nobis, hæc autem Deo relinquenda. Et quando generalem dicimus Iudæorum converſionem, non univerſalem, neque ſingulorum individuorum, declinamus vel conciliamus nobis ſententiam illorum, qui in hoc ſolo à nobis videntur diverſum ire, quod ſingulorum converſionem futuram non credant. Judæi quidem (nam de Chriſtianis, eorumque qua veterum, qua hodiernorum ſententiis, aut diſcrepnatibus, aut convenientibus, dixerunt multi, præterquam Commentatores in *Rom.* XI. Andreas Willetus, ſingulari tractatu, *De Univerſali Iudæorum vocatione*, & in Rom. XI. Johannes Prideaux, *Orat.* VI. Joh. Gerhardi, *Loc. Comm. Tom.* IX. *De Extremo Iudicio*, *pag.* 188. &c. Voetius, *Diſp. peculiari.*

 Hot-

Hottingerus, *Theſauro Philolog.* pag. 9. Hulſius, *Theol. Iudaic. lib.* 1. *pag.* 252.) in hoc ad nos accedunt, quod inſignem ſtatus ſui mutationem futuram credant, & *reverſionem*, ſed carnalem in terram priſtinam, non ita *converſionem* ad verum noſtrum Meſſiam. Interim ex illâ parte, quod eam ſibi pollicentur ſtatus ſui verſuram, diſputatio nobis hactenus redditur facilior: carnalem autem iſtam imaginationem & ſpem ſuo loco imus profligatum. Pro fide autem & ſpe noſtra, de Iudæorum converſione futurâ, faciunt cum Vet. Teſtamenti loca, tum Novi. Ex illo, Levit. XXVI. 44, 45. qui locus quia incipit ab ואף גם זאת , אף, atque אף Germanicè *aff ſimium* vocant, Iudæi iſtius regionis locum iſtum extollentes dicunt ſe in Bibliis aureum ſimium reperiſſe, videlicet hoc ואף *atque etiam hujus memor ero, quod quum in terra inimicorum ſuorum eruunt, non rejiciam illos, neque faſtidiam eos ad perdendum illos, irritum faciendo fœdus meum cum iis, quia ego ſum Iehova Deus eorum. Sed recordabor illis fœderis priſcorum, quos eduxi ex Ægypto ante oculos gentium, ut eſſem ipſis Deus, ego Iehova.* Hoc inde ſumimus, quod fœdus ſuum Deus cum illo populo velit eſſe perpetuum, quamvis alias in oras diſperſo captivatoque: unde ſemper illi fuerunt ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ. Non verò quaſi vel nos pro inimicis populi verè Iſraelitici habendi ſimus; vel hodierni Iudæi adhuc ſtent in Dei fœdere, neque à multo jam tempore à Deo repudium paſſi ſint; aut quaſi ex illo fœdere reducturus eos Deus etiamnum ſit in terram priſtinam, exponendus locus: ſolum quod *Fœdus* cum illorum Patribus Deus illud pepigit, cujus ſemper ſit *recordaturus*, & ex eo nunquam eos pleniſſime *rejecturus*, vel *perditurus*. Deus quidem eos *totaliter* nunc rejecit; non verò *finaliter*. Atque fœdus iis ſartum tectumque ſervat à parte ſui *active*, quamvis ipſi hodie non ſint in fœdere *paſſive*, ſed ab eo ἀπηλλοτριωμένοι, & ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, uti Gentiles olim, quamvis ipſis facta fuiſſet vocationis promiſſio. Ex textu illo argumentamur generatim, vel ex ejus ſcopo, fundamento, & analogia: ſpeciatim enim reſpicit populi captivitatem Babylonicam, quando inter *gentes*, verſ. 33. 38. & *inimicos* 31. 39. 44. verſabantur; terraque quieſcebat ob non ſervata *Sabbatha* ſua. 2. 35. 42. & Deus *terræ* ipſius recordabatur, non ſolum populi. verſ. 42. Confer Jeremiæ Prophetæ Threnos. *Deut.* IV. 31. *Quandoquidem Iehova Deus tuus, eſt Deus fortis, miſericors, non deſeret te, neque perdet te: nam non obliviſcetur fœderis Majorum tuorum, quod juramento ſancivit illis.* Jerem. XXX. 9. *Sed ſervient Iehovæ Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo, quem excitabo eis.* Cap. XXXI. 1. *Tempore illo*, agi autem de tempore Meſſiæ, ex contextu, & conſenſu Iudæorum, ſuo loco probamus, *dictum Iehovæ, ero Deus omnibus familiis Iſraelis, & ipſi mihi erunt populus.* 10. *Audite verbum Iehovæ, ô gentes, & annunciate in regionibus loginquis, ac dicite, qui ſparſerat Iſraëlem, congregat eum, & ſervat eum, ut paſtor gregem ſuum.* Adde verſ. 31. Ita poſt rejectionem, & diſperſionem dicuntur convertendi ad Deum, & Meſſiam, ut iterum fiant populus Dei. *Iezech.* XXXIV. 22, 23, 24. & XXXVII. 23, 24. *Neque contaminabunt ſe amplius Diis ſtercoreis ſuis, & rebus deteſtandis ſuis, aut ullis defectionibus ſuis; ſed ſervabo eos ex omnibus habitationibus ipſorum, in quibus peccaverunt, & mundabo ipſos, ut ſint mihi populus, & ego ſum ipſis Deus. Et ſervus meus David Rex erit ſuper ipſos, ac paſtor unicus erit omnibus ipſis, ut in judiciis meis ambulent, ac ſtatuta mea obſervent facientes ea*, Hoſ. III. 5. *Poſtea revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in noviſſimo dierum.* Intelliguntur dies Meſſiæ; & per Davidem, Meſſias: ſic Targum, Ezra, Kimchi. Convertentur, & quærent Meſſiam,

ſiam, nempe à quo averſi fuerant. Unde ad illum loc. Raſchi, & Kimchi R. Simeonem fil. Menaſſæ citant, qui dicit Iſraelitas primùm debere quærere מלכות שמים *regnum cælorum*, quod primò rejecerant etiam tempore Roboami; atque hoc eſſe, *& convertentur filii Iſrael, & quærent Iehovam*, Hoſ. I. 10, 11, 12. & VI 22. Menaſſe ben-Iſrael de reſurrect. lib. III. cap. III. *Et profectò veriſſimum eſt, ſi Iſraelitæ seriò factorum ſuorum pænitentiam egiſſent, Meſſiæ adventus non fuiſſet procraſtinatus: at nunc quia profundè immerſi jacent, hærentque defixi in vitiis & peccatis ſuis, hinc eſt quod differatur beatitudo illa uſque ad finem dierum: nam tum juxta* Oſeam cap. III. 18. *Poſtea revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David regem ſuum* &c. Ita certum, hoc loco agi de converſione Iudæorum à peccatis ſuis ad Meſſiam. Non autem agitur de adventu Meſſiæ; quia ſe convertent ad illum, ut ad Iehovam: ergo jam tum ille fuit: & ab eo averſi antea fuerant, quem poſtea quærent. Non dicitur, is tum ipſis adveniet; ſed illi eum quærent.

At ex Novo Teſt. idem evidentiſſime colligimus, nimirum ex *cap.* XI. Epiſt. ad Romanos. Quo capite poſtquam Apoſtolus de rejectione Iudæorum, ſalvis tamen electorum reliquiis, egiſſet ad *verſ.* 11. explicat inde rationem conſilii divini, quare hoc factum ſit: nempe non quaſi in illorum lapſu acquieſceret Deus: ſed ut in illorum locum, pro incomprehenſibili judiciorum ſuorum abyſſo gentes vocaret; quo facto, iterum Iudæos, & poſtremò in Eccleſiam ſuam reaſſumeret. Ideoque non extremam & perpetuam illis dicit obveniſſe rejectionem; ſed ἀπὸ μέρους *ex parte verſ.* 25. quæ illos opprimat, uſque quo plenitudo gentium intrarit. *eod. verſ.* poſt quæ Iſrael ſit iterum vocandus; quod erit, ſicuti vita è mortuis. *verſ.* 15. Atque Apoſtolum de tali generali Iudaici populi converſione agere, patet. I. quia quod hic de illorum converſione narrat, tam auguſtè myſterium appellat, *verſ.* 25. *Neque enim volo vos ignorare fratres hoc myſterium.* jam autem hoc non adeo myſterium, quod quandoque aliqui Iudæorum proſelyti ad fidem acceſſerunt. II. Opponit hanc converſionem illorum lapſui, qui ut generalis fuit totius populi, talis & hæc futura inde æſtimatur converſio. *verſ.* 11, 12. *Quod ſi eorum lapſus opulentia mundi, & defectus eorum opulentia gentium, quanto magis plenitudo ipſorum?* & *verſ.* 15. III. confert, & explicat converſionem Iudæorum, cum illâ gentilium: atqui illa generalis fuit. *verſ.* 11. 12. 25. 30. 31. *Quemadmodum vos quoque contumaces fuiſtis Deo ab initio* (converſos ex Gentilibus Romanos Apoſtolus alloquitur) *nunc autem gratiam conſequuti eſtis per contumaciam illorum. Sic etiam illi contumaces ſunt facti jam propter miſericordiam, quæ eſt erga vos, ut etiam ipſis fiat miſericordia.* IV. Et ſcribit illa Apoſtolus, poſt miſſum Iudæis Dei nomine repudium. *Act.* XIII. 46. poſt rejectos & obduratos Iudæos. *verſ.* 1. 7. V. Quo non obſtante dicit tamen, ideoque ut rem aliam, & tum non factam promittit, nempe omnem Iſraelem ſalvatum iri, *verſ.* 26. *& ita omnis Iſrael ſalvabitur.* Deneque *dicitur* πλήρωμα, πλῆθος, verſ. 12. oppoſitè ad paucos, ad λεῖμμα verſ. 5. λοιποὶ verſ. 7. Atque rationem ejus dat, verſ. 16. *Quod ſi primitiæ ſanctæ, etiam ſancta maſſa: & ſi radix ſancta eſt, etiam rami*, verſ. 28, 29. *Secundum electionem autem dilecti propter Patres. Nam immutabilia ſunt dona & vocatio Dei.* Philo, de creat. in princ. *Cæterum Moſes pollicetur huic orbitati deſolationum nunquam defore providentiam cæleſtis numinis, tanquam peculiari ſibi provinciæ, totiuſque humani generis ceu ſacratis primitiis, in cauſa eſt inclyta juſtitia virtuſque primorum autorum hujus gentis, unde quaſi ab immortalibus plantis perpetui fructus germinant, & proveniunt ſalubres etiam poſteris utiliſſimique ad omnia, atque inſuper peccatis eorum afferentes remedium, modo non ſint prorſus inſanabiles.* Quare de

hac admirandâ divinæ providentiæ & prædeſtinationis ratione tam affectuosè exclamat Apoſtolus *verſ.* 33. *ô dives abyſſus & ſapientiæ & notitiæ Dei ! quam imperſcrutabilia ſunt ejus judicia, & imperveſtigabiles ſunt ejus viæ !* Hæc autem certiora, quam ut levi exceptione ſolvantur, iiſve quæ iſtum in finem adferuntur à Georgio Groſſenhain, in Diatriba, de Catholica Iudæorum converſione.

Præter hæc ex Scripturis argumenta, rationes etiam aliquæ adferri poſſe videntur, pro Iudæorum converſione, ex populi iſtius *ſtatu* petitæ ac indole. quod utcunque gravibus captivitatibus, exiliis, & diſperſionibus jactati hinc inde, attamen ſuum *genus* ita diſtinctum ſervant & impermixtum aliis, quin ſingulariter ſegregatum ubique & notum. *Eſth* III. 8. *Eſt populus quidam diſperſus, ac diſſipatus inter populos in omnibus provinciis regni tui, quorum jura diverſa ſunt ab omnibus populis.* Adde *Num* XXIII. 9. *Deut.* XXXIII. 28. Τὴν πρὸς ἀλλήλους αὐτῶν τῆς διαίτης ἀμιξίαν, Joſephus appellat, *Antiq. lib.* XIII. *cap.* XVI. Similique modo impermixto paſſim etiam hodie ſe quadantenus ſaltem componunt. Ita etiam ſuas leges, & *ſacra* ſeorſim, atque fervidè ſervant. S. Scripturam non vilipendunt aut abjiciunt, neque lectionem ejus corrumpunt, ſed magnifaciunt, & frequentant diligenter. Quæ rem rite conſiderantibus argumento eſſe queunt ſtatuendi, Deum ſingulare quidpiam illi populo deſtinaſſe, quem in finem illum tam ſollicite & diſtincte conſervet ac regat. Tertullianus, in Apol. *Sed & Iudæi palam lectitant, veſtigalis libertas vulgo aditur, Sabbatis omnibus : qui audierit inveniet Deum, qui etiam ſtuduerit intelligere, cogitur & credere.* Lubet dicere cum Bernardo, Epiſt. CCCXXII. *convertentur tamen ad veſperam : & in tempore erit reſpectus eorum.* Nempe uti Apoſtolus inquit II. *Cor.* III. 16. ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. *Ieſa.* XXV. 7. R. Menaſſe, *lib. Spes Iſraëlis*, pag. 91. *Secundo, non poteſt eludi ratio, ob quam Deum nos ad meliora ſervare dicimus quàm à noſtra in tot malis conſtantia ducimus. Moſes ſub finem maledictionum hæc addit : quamvis in terris inimicorum ſuorum ſunt, non odi tamen eos ; nec rejeci eos, ut conſumam eos, & annihilem fœdus, quod pepigi, Dominus enim Deus ipſorum ſum.*

Dicitur *Ieſa.* XI. 16. quod reliquo populo ex Aſſur futurum ſit, quemadmodum Iſraeli fuit tempore exitus ejus ex Ægypto. Ut quoque in converſione populi decem tribuum cenſendi videantur. Quod omnino ita eſt, intelligendo nimirum id de δωδεκαφύλοις qui inter Iudæos manſerunt, neque deſciverunt ad Gentiles. Illi enim & magno numero ſemper, & cenſu habiti quoque fuerunt apud cæteros Iudæos. Unde Hyrcanus apud Babylonios, non ſolum à Iudæis Babyloniis, ſed & Aſſyriis, magni habitus, & ceu rex atque ſacerdos veneratus fuit. Quin ab iſtis, quorum multa millia Babylonem incolebant, oriundus Ananelus Pontifex fuit, cui Herodes dignitatem illam ademit. Atque ita inter Iudæos varii ſemper aliarum quoque tribuum hæſerunt. Hinc in Euangelio Anna, ex tribu Aſer. *Luc.* II. 36. *Act.* XXVI. Verſ. 6. inquit Apoſtolus, *in quam ſpem* τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν *ſperat devenire.* *Iac.* I. *v.* I. ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Reductas autem, vel reducendas in terram Iſraeliticam tribus iſtas, fruſtra dicitur, & ſatis contrà prophetias. *Iezech.* XVI. 53. *Hoſ.* I. 6, 7. Vide hac ſuper re, inter alios, Torniellum, in *Annalibus*, *Tom.* II. *ad* 4. 3314. Ubi etiam adverſus illos diſputat, qui decem tribus abiiſſe ſtatuunt in Americam. Pro qua opinione libellum ſuum ſcripſit Menaſſe, *Spes Iſraëlis*: Confer Cornelium à Lapide, in *Hoſ.* I. 7. Ioh. Tobiam Majorem, in *Acta Apoſtol.* XXVI. 9. *pag.* 145. Thomam Fullerum, in *Deſcript. Palæſtinæ*, *Anglice*, *lib.* I. *cap.* IX. Ant. Hulſium, *Theol. Iudaic. pag.* 40. Convertendos tamen, juxta cum aliis Iudæis, etiam iſtarum tribuum, bene colligitur, cum ex aliis locis, tum

tum *Hoſ.* 1. 10, 11, 12. Quod quidem apud Prophetas paſſim proponitur ſub reductione in terram ſuam; ſed ſpiritualiter ac myſtice exponi debet. Quæ ubi de regno Meſſiæ, non carnali, ſed ſpirituali, latius explicamus. Interim quod ad argumentum hoc converſionis Iudæorum, diſſimulare non debemus, eſſe nonnullos in eâ vel ſententiâ, vel metu, quod propter Chriſtianorum ex Gentilibus ad Chriſtum adductorum malam vitam atque contumaciam, forte non ad Chriſtianos ſint aggregandi Iudæi, ſed veritas atque Eccleſia à Chriſtianis transferenda ad Iudæos, uti olim factum in vocatione Gentium ad Eccleſiam, & earum inſitione in priſcam veramque oleam. Hinc Lamb. Danæus, in fine ſui Commentarii ad Auguſtinum, de Hæreſibus: *Ac mihi tot hæreſes & tantas, tum in Deum, tum in Chriſtum ipſum tàmque horrendas blaſphemias à Gentibus, & præputiatis (quibus magna ſua miſericordia Dominus tam liberaliter ſalutem euangeliumque ſuum communicaverat) excogitatas, pertinaciterque defenſas, intuenti horret animus, venitque ſæpe in mentem fore, ut propter tam gravem verbi nominiſque ſui contemptum, Dominus Deus à Gentibus ſuum Euangelium, juſto ſuo judicio auferens, transferat iterum traducatque ad Iudæos, à quibus primum ortum eſt. Nam ſi Deus illis naturalibus ramis non pepercit, ut ait Paulus, vide ne tibi, qui oleaſter es, & in eorum locum tantum inſitus, non parcat. Ac certe notanda eſt illa maximè neceſſaria Pauli admonitio & ſententia ad nos Gentes*, Rom. 11. verſ. 22. *Vide igitur benignitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te verò benignitatem, ſi permanſeris in benignitate: alioquin & tu excideris.* Atque Sebaldus Schnell, Diſputat. contra Abravanelem, in *Ieſa.* XXXIV. *pag.* 141. *Fortaſſe igitur, inquam, ita futurum miſera dolebit poſteritas, ut Deus à gentibus irritatus modo quodam novo atque extraordinario uſurus ſit in convertendis ad ſe Iudæis, ſicut à Iudæis, irritatus modo ſimili gentes ad ſuum obſequium pertraxit. Qui de adoptione noſtrâ in populum Dei accipiendum verſum* 21. cap. 32. *Deuteronomii edocti ſumus, e* Rom. 10. 19. *cur non viciſſim expaveſcimus, quæ dicuntur vers.* 35. 36. 41. 43. *Confer th.* 191. *Abſit, ut imitati Iudæos promiſſiones cupide amplectamur, & quàm latiſſime explicemus, comminationes verò reſtringamus ad quoſvis alios potius, quam ad nos, quos, ſi vera fateri volumus, non parum feriunt.* Quidquid ejus demum ſit, totum id Deo commendamus, & committimus.

II. *Quicunque diſputare cum Judæis inſtituit, ante omnia probe teneat controverſiarum Syſtema eſt neceſſe.*

Quod ego quidem hoc ordine extruo. Primo loco ut de principio, unde omnis ordinanda diſputatio, liqueat, nempe de *S. Scripturâ.* ubi de Iudæorum *traditionibus, Talmude, & Kabala.* II. Diſp. de *Creatione*, &, qui eam ſequutus fuit, *Statu peccati.* III. de *Meſſiâ*, præcipuo capite, in quo hæret ſumma rei, & diſſenſionis inter Iudæos, atque Chriſtianos. hic primo de Meſſiæ *adventu* diſputatur. deinde quis Meſſias ſit, & an *Ieſus* noſter Meſſias? tertio, qualis, an *Deus homo?* ubi tum de *Trinitate.* quarto, de *officio* Meſſiæ, & præcipuè de ejus *ſatisfactione.* Quarta diſputatio eſt, de hominis coram Deo *Iuſtificatione.* V. de *Lege Moſaicâ*, quatenus vel *abrogata*, vel etiam *obſervanda.* VI. denique de hominum *Vltimis*, ſive ſtatu eorum ad, & poſt mortem.

III. *Prin-*

Digitized by Google

III. *Principium autem, ex quo diſputatio inſtituenda, & quod inter partes conceſſum, eſt Scriptura ſacra.*

Nempe, uti nos dicimus, Vet. Teſtamenti Scriptura. Nam de Novo, ejuſque tum veritate, tum authoritate, ex profeſſo & peculiariter diſputandum erit ſuo loco. Verùm quod ad Vetus Teſtamentum, ejuſque *authentiam*, tum libros *canone* comprehenſos, nulla inter nos eſt diſcrepantia. Quod enim Papiſtæ Apocryphos libros alios canoni aſſuunt, eoſque quaſi pariter divinos Eccleſiæ, non ſuæ modo, ſed antiquæ etiam Iſraëliticæ obtrudunt, in eo næ nimis ineptiunt. Vel enim eccleſia iſta verum perfectumque Scripturæ canonem habuit, aut non: ſi hoc, culpantur Prophetæ, & præſertim Ezra, cui paſſim attribuitur, quod canonem conſtituerit. Sin ita, quid Papiſtis noſtris in mentem venit, illorum negare canonem & invertere? Neque enim poſtremæ ætatis hominum eſt abſque inſigni ſtoliditate dictare nunc velle, non quos libros ipſi velint canonicos, ſed quos Eccleſia omnis & antiqua Iſraëlitica pro canonicis habuerit, & libros hic ſuggerere Eccleſiæ iſti priſcæ omnino incognitos. Quod perinde eſt, ac ſi vellemus antiquiſſimis mortalium genus ciborum hoc impingere, quod illi ignorarunt penitus, & ultimâ hæc ætate nobis forte inventum, aut placeat. De moribus & fide Veterum, utiquè ipſi audiendi ſunt. Jam in Codice ſuo Biblico Iſraelitæ nullos alios Scripturæ libros habuerunt unquam, quam quos etiamnum habent tam ipſi, quam nos. Joſephus contra Apionem lib. I. *δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία*, ſolùm duo & viginti ſacros libros memorat; quinque Moſis, Prophetarum tredecim, & hymnorum quatuor. Nempe juxta litterarum totidem Hebraicarum numerum, uti inquit apud Euſebium, *libr.* VI. *hiſtoriar. cap.* XIX. Origenes, qui viginti duos ibidem libros recenſet. Aliàs libros Biblicos vocant Iudæi עשרים וארבעה *viginti & quatuor*, prout libri Ruth, & Threnorum, aut conjunguntur cum libro Iudicum, & Ieremiâ, aut ab iis ſeorſim ponuntur. Ingenuè Galatinus, libro primo Arcanor. Catholic. veritatis, capit I. *Hos igitur duntaxat quatuor & viginti, quos enumeravimus libros, Iudæi tanquam ſacros & divinos habent. Librum enim Iehoſuæ Syrach, & Iudith, & Tobiam, primumque Machabæorum licet habeant, non tamen inter viginti quatuor connumerant. Tertium & quartum Ezræ Hebraicos adhuc ipſe non vidi: quidam tamen ex ipſis aiunt, eos nuper inventos Conſtantinopoli reperiri. Secundum verò Machabæorum, & Philonis Hebræi librum, qui Sapientia Salomonis dicitur, nuſquam apud Hebræos reperi, ſed tantum Græcos vidi. Hymnum præterea trium puerorum, & Suſannæ, ac Belis, Draconiſque hiſtorias, quæ nos apud Danielem habemus, ipſi nuſquam habent. Hæc ideo dixi, ut ſcire valeamus, quos libros Judæi tanquam authenticos approbent. Præter prædictos igitur quatuor & viginti libros, nihil Scripturæ apud Iudæos uſque ad Ezræ tempora extitiſſe, certum eſt.* De variis Apocryphis libris hæc Iudæorum ſublegimus hinc inde judicia. De libro Tobiæ, R. David Ganz in Chronologiâ *lib.* II. *pag.* 170. *Scias autem librum Tobiæ, qui inter nos extat lingua Hebraica, verſum eſſe è lingua Latina in Hebræam, operâ Sebaſtiani Munſteri, in urbe Baſilea ferme centum abhinc annis; prout intelliges ex ſtylo hujus cum errore labiorum ſuorum (confectio); adeo ut quilibet prudens primo intuitu animadvertat, compoſitionem ejus non eſſe à filiis Iſraëlis. Etiam narratio facti ipſius in ſeſe, meo judicio, eſt falſa, adeo ut omnia ejus dicta in oculis meis ſint dicta fatua & ſtolida.* De hiſtoriâ Suſannæ Idem Auctor, *pag.* 181. *Hiſtoria Suſannæ filiæ Chelkiæ, &c. prout conſignatum eſt in libro Suſannæ, ab illis (Chriſtianis ſcil.) per traditionem recepta eſt, à nobis verò non.* Chriſtianos intelligit Pontificios: quos in eo

in eo errore, lubenter fatemur. De libro Bel, Idem *pag.* 175. *Daniel vir deſideratus deſtruxit ſapientiâ ſuâ idolum Bel, atque demonſtravit regi totum eſſe vanitatem, uti conſcriptum eſt libro dicto Bel, qui ab ipſis (Chriſtianis ſcil.) receptus eſt, non verò à nobis.* Similiter de hiſtoriâ Iudithæ, ibidem. Libri Eccleſiaſtici authorem facit Ben Sira: *Sapientes autem b. m. interdixerunt legere in libro Ben Siræ, uti extat ſub initium Cap. Chelek: cum ajunt: Quia illicitum eſt legere in libris extraneorum vel hæreticorum. & inquit R. Ioſeph, Etiam in libro Ben Siræ illicitum eſt legere.* Sed verò falli eum, quando Ben Sira confundit cum Siracho Eccleſiaſtici authore, obſervatum Guilielmo Vorſtio, in Notis ad illam Chronologiam, *pag.* 254. Quod autem librum Eccleſiaſtici ſacris codicibus Chriſtiani quidam annumerant, notat quoque cenſurâ ſuâ Auctor *Schebet Iehuda*, ſive *Hiſtoriæ Iudaicæ*, apud Gentium, *pag.* 4. De libro quarto Eſdræ Menaſſe, lib. *Spes Iſraelis*, *pag.* 22. citans ex eo aliquid, addit, *licet apocryphus ſit.* In hoc ergo cum Iudæis conſentimus, quod eoſdem habent nobiſcum libros Scripturæ canonicos, & æque rejiciunt apocryphos. *Tantos ſon los que ſe hallan enel canone Hebræo*, dicunt de iiſdem illis Scripturæ libris, quos juxta ac nos, pro canonicis habent, in Tabulâ librorum Sacrorum, præmiſsâ Bibliis Hiſpanicis, Ferrarienſibus, à S. Inquiſitione viſis examinatiſque. Ioſephus de Voiſin, in Obſervat, ad *Pugionem fidei* Raymundi Martini, non alium fatetur ſecundum Hebræos canonem, probatque, ex Talmude, lib. *Baba bathra*, *cap.* 1. & R. Moſe, aliiſque, à *pag.* 94. & deinceps. Ut nullius ſit, quod poſtea ingerit, reliquos etiam libros apocryphos, à Iudæis, non quidem pro canonicis, attamen hagiographis haberi, ſecundi ordinis. Nam hagiographa, ſecundum Hebræos, inter Canonica referri ſatis novit. Quid autem hagiographa ſecundi ordinis? nam utcunque Iudæi *aliquos* iſtorum librorum haud ignorent, dicantque, שאיננו נדחה מחכמנו *quod non rejiciantur à Sapientibus*, uti R. Azaria loquitur, haud aliter tamen quam pro humanis, & apocryphis habent, atque extra canonem poſitis: uti idem inquit, Iudæos non alios libros canoni inſerere, quam quos Ezra huc retulit. Et Auctor Iuchaſin, de libris Iudith, & Tobiæ, quod recipiuntur à Chriſtianis, non ita à Iudæis מקבלים להם ולא לנו. Quæ nemo unquam cum ſtatuto Concilii Tridentini conciliabit, quod *pari pietatis affectu ac reverentia* ſuſcipiendos & venerandos libros apocryphos cum canonicis, ſub pœna *anathematis*, præcepit. In quem tamen finem illa à Voiſino dicta, & allata fuerant.

De *Daniele*, ejuſque libro; & cenſu vel ordine librorum *Hagiographorum*, quos כתובים Iudæi appellant, cum ipſis lis nobis eſt, ac diſputatio. Quoniam libros iſtos inferiori loco, adeoque pretio collocant à Propheticis aliis; & Danielem inter eos, ut quem minoris ordinis Prophetam habent, ſi modo Prophetam, à reliquis omnibus. Verum in hoc ſupra modum falſi. Nam quod ad iſtud de libris Hagiographis, eorumque cum ſcriptione, tum auctoritate, unde tum de Danielis Prophetiâ judicium ſumi facile poteſt, in hoc quidem graviter errant Iudæi, quod cum à Spiritu S. ſcriptos dicant, hunc alium auctorem faciunt à Prophetiis cæteris, & non parum iſtis inferiorem. Quis enim obſecro Prophetas afflavit, iiſdemque dictavit, niſi Sanctus Dei Spiritus? θεόπνευστοι omnes fuerunt, & in hoc ab hominum vulgo diverſi, & vaticinitati ſunt, ſcripſeruntque ſua vaticinia οὐ θελήματι ἀνθρώπου, ἀλλ' ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι. Alio atque alio modo nonnunquam cum hominibus egerit, ſuaque revelarit Deus; attamen negari non poteſt, utcunque διαιρέσεις ſint donorum virtutumque, eſſe eundem Spiritum, eundem Deum, qui omnia in omnibus operatur. Huic per Spiritum datur λόγος σοφίας, alteri λόγος γνώσεως,

****** ſecun-

Digitized by Google

ſecundum eundem Spiritum. Neque ullam diverſitatem realem aſſignare poterunt Iudæi, inter prophetiam Danielis, aliorumque, quos inter veri & proprii nominis Prophetas habent. Quod Danieli, idem aliis; & quod aliis, id Danieli contigit. Vel, an reliqui Prophetæ Spiritu ſancto deſtituti fuerunt & vacui, quando prophetarunt? annon Spiritui ſancto omnis, iſque excellentiſſimus prophetandi modus adſcribitur, qualis eſt Meſſiæ? *Ieſa.* LXI. 1. *Spiritus Domini Dei ſuper me, ideo unxit me Dominus ad euangelizandum* &c. Idem Spiritus eſt, qui recubat ſuper Meſſiam, *Ieſa.* XI. 2. *Sapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris Domini.* Omnes Prophetæ acti fuerunt uno eodemque Spiritu, nimirum prophetico. Conſtituunt verò Iudæi varias Prophetarum claſſes, & gradus. Atque quando aliquis auxilio Spiritus divini ad egregia & ſingularia quædam impellitur ſeu agenda, ſeu loquenda, eum quidem Spiritu divino agi dicunt, & Prophetam indigetant ſignificatione latâ, non propriâ ac ſtrictâ. Hujuſque generis Prophetas faciunt, tum heroas, facinoribus in bonum gentis patratis claros, quales & Iudices fuere, quos ſæpe dicitur Spiritus Domini induiſſe; tum doctrinâ eximios & ſcriptis, quales ſunt ipſorum hagiographi, David, Salomon, Daniel, Iobus, & reliqui authores הכתובים. Quos in duobus diverſos faciunt à reliquis Prophetis: quod à Dei Spiritu inſtructi fuerunt, potius quam à Deo. Quaſi illa diverſa ſint, & Dei Spiritus à Deo alius ſit, atque minor. Deinde, quod extra ſenſuum alterationem docuerunt, ſcripſeruntque, quum Prophetas alios turbatos exiſtiment phantaſiâ, quando illis incumberet vel influeret prophetia. Quod à rei experientiâ refutatur, ac ſenſu, & Scripturâ, tum & ipſi Iudæi refellunt. Neque enim Prophetia, vel aliquod ſuperius Dei, Spirituſque donum naturam & inferiores facultates deſtruit aut lædit, ſed corroborat magis perficitque: & non ad modum lymphaticorum Prophetas ſe habuiſſe putandum, quos quoties in Scriptura legimus vaticinatos, tum quidem mente optimè conſtitiſſe omnes deprehendimus. Vel ſi recipienda quidem regula illa eſſet, certe vel hinc, juxta Iudæos, Danielis Prophetia æque æſtimari deberet, ac aliorum. Quippe de quo ſic Maimonides, More Nevoch, *part.* II. *cap.* XLI. explicaturus quid ſit viſio prophetica, ſcripſit: *Eſt terror quidam Panicus qui occupat Prophetam inter vigilandum, ſicuti ex Daniele patet, quando ait; Et vidi Viſionem magnám hanc, neque remanſit in me ulla fortitudo, & vis mea mutata in me eſt in corruptionem, nec retinui fortitudinem ullam. Item, Et fui lethargo oppreſſus ſuper faciem meam, & facies mea ad terram. Sermo enim Angeli, quo ipſum allocutus eſt, & illius erectio, facta utique fuerunt in Viſione Prophetiæ. In tali autem negotio ſenſus omnes à ſuis functionibus quieſcunt, & venit influentia illa ſuper facultatem rationalem, ac ab iſta diffunditur in facultatem imaginatricem, hocque pacto opus ſuum perficit & abſolvit.* Quod de terrore illo, & conturbatione ſeu mentis, ſeu ſenſuum, egregie exploſum quoque vide à Cunæo, *de Rep. Hebræor. lib.* III. *cap.* VII. Sed quare ergo minus Prophetam Danielem habent Iudæi, ac alios? ſi quod illis, huic; & viciſſim huic, quod illis æque evenit? Ajunt, notam Prophetiæ eſſe, quod ab Angelo reveletur, atque accipiatur. Solius Moſis volunt privilegium, immediate eam habuiſſe à Deo. Tum, quod in ſomnio detur prophetia, vel viſione, juxta illud *Num.* XII. 6. *In viſione me notum faciam ei, in ſomnio loquar ei.* Atqui utrumque Danieli contigit, modo certe non vulgari; quod nemo ignorare poteſt, qui librum ejus legerit. Maimonides explicans rationem & modum parabolarum Propheticarum, facit hoc collato inter ſe Zachariâ, & Daniele: atque de hoc quidem ſic loquitur *cap.* XLIII. *Idem etiam videtur ex Danielis exemplo. Dicitur de eo, Daniel ſomnium vidit, & Viſiones capitis ejus ſuper cubili ejus: deinde*

Parn-

Digitized by Google

parabolas omnes exponit, gemitus item & ſuſpiria ſua, propter illarum interpretationis & expoſitionis ignorationem: quâ de cauſâ ſe ad Angelum contulit, ac veritatem rei ex ipſo quæſivit, qui etiam in eadem Viſione Prophetica expoſitionem ipſi indicavit. Hoc ſibi vult Propheta, cum ait, Acceſſi ad unum de adſtantibus, & veritatem quæſivi ab eo ſuper toto hoc, & dixit mihi, interpretationemque ſomniorum indicavit mihi. Totum autem iſtud negotium vocavit Viſionem, quando inquit: Somnium vidit: quia Angelus ei ſomnium in ſomnio Prophetico expoſuit. Hoc idem eſt, quod poſtea quoque dicit: Viſio apparuit mihi ipſi Danieli poſt eam, quæ apparuerat mihi in principio: id quod ex hoc manifeſtum eſt, quia vocabulum Chaſon Viſio, quâ Daniel utitur, derivatur à verbo Chaſah, & Mareh à verbo Raah. Duo autem hæc verba unum idemque ſignificant, nullaque eſt differentia, ſive dicas Bemaseh, ſive Bemochaſeh aut Bechaſon. Atqui ſequenti capite, ubi de modis agit, quibus Prophetæ ſuas prophetias perciperent, hoc iterum ex exemplo Danielis oſtendit atque illuſtrat, & quidem collato cum cæteris Prophetis, Iezechiele, Zachariâ, & Ieſaiâ. Ut non niſi præconcepta opinio ſit, & placitum Eccleſiæ ſequioris, cui hac in parte ſe adſtringunt, & patrocinium accommodant Iudæi, contra id quod res eſt. Cujus quidem argumentum in hoc ſatis eſt manifeſtum, quod ubi loca proferuntur, ad commendandam Hagiographorum prophetiam, uti Davidis, quum ait: *dixit Deus Iſraelis mihi, loquutus eſt fortis Iſraelis.* II. Sam. XXIII. *v.* 3. Salomonis : *in Gibeon viſus eſt Dominus ipſi Salomoni, in ſomnio noctis, & dixit Deus* &c. 1. *Reg.* III. 5. excipiunt, quò prophetiam negent; vel per Prophetam aliquem, non per Deum, ſermonem iſtum illis factum, vel ſomnium, & viſionem fuiſſe meram, non prophetiam. Scilicet, quia poſt habitum ſomnium Salomonis, ſomnium appellatur, *quumque evigilaſſet, en ſomnium.* 1. *Reg.* III. 15. & ſic de Danielis viſionibus ajunt, quod, licet in illis viderit Angelum, ejuſque audiverit verbum, tamen ſomnia appellat, poſtquam abiiſſent, & res revelatas jam percepiſſet. *Tum ſcripſi ſomnium* &c. *Dan.* VII. 1. *Ideo monui te*, inquit Maimonides, *quod licet in iſta Prophetiæ ſpecie, quæ contigit Danieli, & Salomoni, Angelum viderint, tamen non invenerint & deprehenderint in ſeſe, quod prophetia pura ſit, ſed ſomnium tantum, veritatem rerum aliquarum ipſis notam faciens.* Quam futile argumentum, hiſtoria nominat ſomnium quod illis obvenit; ergo fuit tantum merum ſomnium? Falſiſſimum. Somnium appellatur, quia revera ſomnium fuit, at non merum, non *ſomnium tantum.* Aliud *verum* ſomnium, aliud *merum.* Somnia illa vel mera fuerunt, vel prophetica. Non illud: quia res magnas & futuras Deus per illa revelavit. Ergo fuerunt prophetica. Neque ſufficit, quod *generaliter* prophetica appellari, & auctores Prophetas concedat, quia hæc ei catachreſis eſt, dum illos prophetiæ modos à veris diſtinguit & ſegregat. Tum, non ſomnium modò dicitur fuiſſe Danielis, ſed quoque viſio, ut omnino per hoc probetur Propheta fuiſſe ſi quis alius, juxta *Num.* XII. 6. *in viſione me notum faciam ei; in ſomnio loquar cum eo.* Neque, quod vel David inquit, *dixit Deus Iſraelis mihi:* vel quod de Salomone, *& dixit Deus, pete* &c. magis ad alium, quàm Deum, trahi poteſt, ac Prophetarum communis formula, quâ teſtantur ſibi loquutum, & præcepiſſe hæc vel illa Deum. Quin hæc eo minus, quo quæ Salomoni, quæ Danieli in ſomniis revelata ac propoſita, à nullo fieri potuerunt, quàm à Deo. Adeo non alia, non inferior ratio eſt horum, ac quorumvis Prophetarum. Atque omnino ineptè in Talmude, Codic. Sanhedrin, *cap.* XI. (ad citata ex Daniele *cap.* X. 7. *Et vidi ego Daniel viſionem illam: at viri, qui mecum erant, non viderunt.* ubi quærunt: quinam illi viri ſocii fuerunt? & reſpondent, fuiſſe Haggæum, Zachariam, & Malachiam) ajunt: *hi præſtabant ipſi, ipſe*

ipſe alia in re illis. Illi, quod prophetæ erant, ipſe autem non erat propheta, ואיהו לא נביא. E contra ſic argumentor: Qui prophetiam revera parem habuerunt cum aliis, ſi non modum & gradum ſuperiorem, illi æque Prophetæ cenſendi ſunt cum illis; atqui Daniel, David, Salomon &c. prophetiam revera parem habuerunt cum aliis, cum Haggæo, Malachia &c. vel iis, quos inter primos Prophetas collocant Iudæi, cum Scriptoribus libri Ioſuæ, Iudicum, Samuelis &c. Ergo. Da mihi aliquid, in his aut illis Prophetis, poſterioribus prioribuſque, quod non in Daniele, imo quod non προφητικώτερον in eo fuerit: aut quid quæſo Prophetas illos, & primæ quidem claſſis facit, auctorem librorum Ioſuæ, Iudicum &c. quod non idem, non excelſius etiam reperitur in Daniele, Davide, Salomone, aliis, quos proinde hoc majori jure deberet arguere prophetas, ac illos? Aut quid meruerunt libri hiſtorici, Ioſuæ, Iudicum, Samuelis, Regum, quod inter priores Prophetas recenſentur, ſupra ejuſdem ordinis hiſtoricos libros Chronicorum, Ezræ, Nehemiæ &c. qui ne quidem inter Propheticos poſteriores locum invenerunt, ſed inter hagiographos rejecti ſunt? Certe illi libri pari ratione ſunt omnes hiſtorici, & prophetici, prout omnia ſcripta θεόπνευστα, illius nempe temporis, pro propheticis merito æſtimanda: non verò qui paris ordinis ſunt, à ſe invicem divelli, aut poſtponi aliis debent. כתובים hæc dicuntur. quaſi non tota Scriptura ſit כתובה, quemadmodum מקרא? vel quaſi oppoſitio ſit inter נביאים, & כתובים? atque non omnia נביים ſint כתובים, & viciſſim? eodem modo tota Scriptura eſt ἁγιόγραφον; ſcripſerunt enim οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, neque oppoſitio eſt inter *Prophetam*, & *Spiritum*, niſi Iudaica, id eſt, omnino anilis. Quis extra partium præjudicia conſtitutus non dicet Danielem prophetam æque habendum eſſe, ac Zachariam, vel Malachiam? ejuſque librum tam bene, ſi non magis, inter Propheticos ponendum, ac libros Samuelis, vel Ioſuæ, aut Iudicum? ne dicam alios.

Quod *Num.* XII. 6. Deus dicit: *Si propheta vobis fuerit, ego Dominus in viſione me notum faciam ei, in ſomnio loquar ei. Non ita ſervus meus Moſes &c. ore ad os loquar ei, & per viſionem, & non in ænigmate, & ſimilitudinem Domini adſpiciet.* non bene Iudæi explicant, quaſi ſoli Moſi Deus ſe revelarit immediate, extra ſomnium & viſionem; quum ſenſus ſit ſolum hic, nemini Deum ſe tam familiariter & copioſe manifeſtare ac Moſi. Quâ in re Moſes parem non habuit. At extra viſionem & ſomnium Deus ſe multis *immediate* etiam revelavit, per Spiritus prophetici divinum afflatum, quo in hominum animos influit, ſuamque iis patefacit voluntatem. Quod intelligendum, ubi nullâ viſionis aut ſomnii factâ mentione, vel ullius alterius modi, ſimpliciter dicitur, verbum Domini ad aliquem factum, aut Deum huic & illi loquutum. Omnino falſam exiſtimo Maimonidis hypotheſim, ex qua hic diſputat, videlicet, nullam prophetiam fieri, niſi uno aliquo duorum modorum, aut ſomnio, aut viſione; utroque per manum Angeli ſubminiſtrato: non ut quis immediate agat cum Deo ipſo: adeo ut, juxta eum, quoties in Prophetis dicitur Deus cum Prophetis loquutus, ſemper intelligi debeat per Angelos factum, ſolo Moſe excepto. Quæ longe aliter ſe habent. Nam, ut ſemel hæc ordine exponamus, ſciendum: quod quum Deus πολυτρόπως ſe hominibus in extraordinaria revelatione manifeſtarit, per viſionem, per ſomnium, per afflatum, & quovis alio modo, tum tres claſſes & capita modorum conſtituenda, quibus, ut percipere objecta homines poſſunt, ita illis ceu viis Deus ſe patefecit, per intellectum, phantaſiam, & ſenſus, modo *intellectuali*, *phantaſtico*, *ſenſuali*. Ille fuit, quo Deus per Spiritum ſuum impreſſit, immediato in animam influxu, ſpecies intelligibiles, qui-

quibus noſſe, quæ illos ſcire volebat, poterant. Hic eſt afflatus Spiritus, non communis & ordinarius, ſed extraordinarius & ſingularis, רוח הקדש. Atque hic modus intelligi debet, quoties Prophetæ dicunt, Deum ſibi loquutum, *dixit Dominus*, *verbum Domini factum ad me* &c. Atque ad hanc claſſem refertur à nobis, tum *excellentiſſimus* ejus modus, qualis Moſi contigit, *Num.* XII. 7. conſiſtens in illâ tum *familiaritate*, *copiâ*, *aſſiduitate*, ac *claritate*, quæ præter eum indulta nemini; tum Sacerdotis *Vrim*, *ac Tummim*, Exod. XXVIII. quod non per lapides ſignificabat, uti multis viſum, Dei voluntatem ac reſponſum; ſed ſpiritualis illapſus immediate in animam atque in intellectum erat ſacrum ſymbolum. Alter divinæ revelationis modus, priorique inferior, eſt φαντασιώδης: quando Deus immediate agit in hominis *phantaſiam*, varias imprimendo, vel excitando & componendo ſpecies: *vigilantibus*, *Ierem.* I. I. II. 13. *Zach.* III. 2. atque hæc apud Jezechielem frequentia. vel *ſomniantibus.* בחלום. לחלמי חזויא, inquit Chaldæus. *Geneſ.* XV. 8. & XXVIII. 12. & XXXVII. 7. *Iudic.* VI. 25. I. *Reg.* III. 5. *Dan.* I. 17. *&* II. 19. *&* VII. 2. Hic vero aliquando aliis contingebat *revelatio*: & aliis iſtius *expoſitio.* *Geneſ.* XLI. *Dan.* II. Denique aliis *utrumque*, & revelatio à Deo, & iſtius, expoſitio. Sic Danieli, *cap.* VII. & X. Tertius modus fuit, quando Deus adhibuit *ſenſibilia* externa, tum *viſibilia*, *Exod.* III. 2. *Ieſa.* VI. I. *Dan.* V. 5. tum *audibilia.* *Gen.* XXII. V. II. *Num.* VII. 89. I. *Sam.* III. 3, 4, 7. atque etiam *utraque*, ut cum aliàs, *Exod.* III. 2, 4. & XIX. 18, 19. I. *Reg.* XIX. 9, 11, 12, 13. tum in apparitionibus *Angelicis* fiebat. Aliud ab hiſce eſt raptus *ecſtaticus*, & ſingularis ſpecies, non adeo revelationis divinæ, quæ hominem conſiderat paſſive tantum, ac quidem communionis cum Deo valde ſingularis, in qua tamen etiam Deus aliqua homini ſubinde communicat revelatque.

Maimonides, ut ad illum revertamur, ex principio haud rectè poſito, quod nullus Propheta agat cum Deo immediate, præter ſolum Moſem, omnes alii ſermonem Dei excipiant miniſterio Angelorum, videns objici ſibi poſſe in contrarium, quod Ieſaias dicit, *cap.* VI. I. 8. *Vidi Dominum.* ſimiliter & Micha, *Reg.* XXII. 19. aliud effugium reperit; non his immediate loquutum tamen Deum, ſed per aliquod medium, & quod hoc fuerit *facultas imaginatrix*, *qua audiverunt quod Deus loquatur cum ipſis in ſomnio prophetiæ. Moſes vero audivit ex propitiatorio inter duos Cherubinos*, *ſine miniſterio facultatis imaginatricis.* At hactenus ſaltem falſum, quod in genere poſuit, interventu Angelorum Deum ſemper loquutum cum Prophetis, vel *omnes Prophetas audire ſermonem mediante Angelo*, *præter unicum Moſem.* Deinde, non facultas imaginatrix obſtat, quominus immediate cum Deo agant Prophetæ, modo Deus non per ſigna alia, ſeu imaginatrici impreſſa, ſe revelet & voluntatem ſuam. Extra ſomnium fuit, quod illi Deum viderunt, de quibus hic ſermo eſt. Neque magis illi, quam Moſes, per medium phantaſiæ Deum loquentem audiverunt, ſed illis Deus loquutus fuit per ſpecies intelligibiles, modo ſpirituali & intellectuali, quamvis gradu eminentiori Moſi.

Longius à veritate abit Menaſſe, *Problem.* VI. de *Creat.* quando hanc prophetiæ Moſis, & cæterorum facit differentiam, quod his tantum res revelabatur, non verba, quibus illa eſſet proferenda, & quod verba ipſi de ſuo addiderint pro humano arbitratu; Moſes autem retulerit & res, & verba ſibi à Deo tradita: *Prophetia Moſis per omnia tanto dignior*, *præſtantiorque fuit cæterorum omnium prophetarum prophetiâ*: *quod his*, *quo tempore prophetiam acciepiebant*, *tantummodo ſenſus*, *ſive res prophetia comprehenſa revelabatur*: *iſtam autem rem*, *ſive ſenſum propriis ſuis verbis populo enarrabant. Atque ea de cauſa uſurpabant hanc loquendi formulam*, *Et locutus*

cutus eſt Dominus mihi, & dixit Dominus mihi. Quaſi dicerent, ea quæ dicimus, licet noſtris verbis exprimamus, ſenſum tamen habent, quem à Deo ipſo accepimus. At vero Moſi non tantum res prophetice revelabatur, ſed ſimul etiam propria, quibus efferenda erat, verba dictabantur. Atque hæc cauſa eſt, quod Moſes, quando revelationes iſtas narrat, non loquatur aliter, quam ſi tertia perſona loqueretur, recenſendo ea, quæ Deus præceperat, & quæ Moſes ipſe fecerat. Vnde ſunt iſtæ loquendi formulæ, & locutus eſt Dominus Moſi, & dixit Dominus Moſi. Negamus omnino, differentiam prophetiæ Moſis, & aliorum, in hoc ſitam. Negamus, aliis non revelata vel inſtigata θεοπνεύστως verba, una cum rebus, æque ac Moſi. Tum negatur & hoc, quod ullâ veri ſpecie illud colligi queat ex formulâ ſive hac, *dixit Dominus mihi*; ſive illa, *dixit Dominus Moſi.* Quin contra ſi quid ex his colligi detur, ex illâ formulâ, *dixit Dominus mihi*, evincas potius & verba inſpirata, nempe totam dictionem; quam ex aliâ: ſaltem æque facile. III. Quod ſignum vis ſolius traditæ rei, abſque verbis, aliquando apud Moſem legas, *dixit Dominus mihi*, in primâ perſonâ; & contra *dixit Dominus* Prophetæ, in tertiâ perſonâ, apud alios: unde ſequitur, inanem obſervationem, atque theſin illam eſſe, de αὐθεντίᾳ vel rei ſolius, vel etiam verborum, ex diverſitate iſtius locutionis. Nam Moſes quidem plurimis fateor locis dicit, Deum loquutum ad Moſem, ſed verò inficiari nequis, quin aliquoties etiam in primâ perſonâ dicat, Deum loquutum ſibi. *Deut.* II. 17. *& dixit Dominus ad me, dicendo.* Similiter *verſ.* 31. ejuſdem capitis. *Cap.* III. 26. & IV. 14. *& præcepit mihi Deus illo tempore.* Cap. IX. 11. *& dixit Dominus mihi.* Cap. X. 1. & alibi. Jam apud Prophetas etiam, non modo occurrit, dixit Dominus mihi, in primâ perſona, vel, verbum Domini factum ad me; ſed quoque in tertiâ, *dixit Dominus ad Ieſaiam.* cap. VII. 3. *Verbum à Domino factum ad Ieremiam.* Jerem. VII. 1. & XI. *Verbum Domini ad Ieremiam.* cap. XIV. 1. & XVIII. 1. & XXI. 1. & XXV. 1. & XXX. 1. & XXXII. 1. & XXXIII. 1. & XXXIV. 1. & XXXV. 1. atque pluries. Ex quibus fallax Iudæi criſis ſatis hac in parte fit manifeſta. IV. Pertinet ad αὐθεντίαν Scripturæ totius, ut non ſolum res dicantur à Deo traditæ, ſed dictata quoque, quibus illas explicarent Prophetæ, verba: ſiquidem à verbis rerum ſenſus ac pondus pendet. Et Scriptura tota quanta quanta eſt θεόπνευστος, à Scriptoribus ſacris non motu proprio exarata, ſed ex afflatu & inſtigatione Spiritus Sancti, quod ad res ſimul & verba. Alioqui & heterogenea eſſet, & multam partem reſolvenda in ſpiritum & ductum humanum. V. Hinc etiam Philo Iudæus inquit, in *lib. quis rerum divinarum hæres? Propheta nihil ex ſe proloquitur; ſed omnia, ſubmonente alio.* Denique quid hoc ſit, quos nos Chriſtiani, ex Gentilibus oriundi, majori ſtudio ac fervore zelemur pro Scripturæ univerſæ honore & authoritate, præ ipſis Iudæis, hac in parte adeo glorioſis, Iudæo etiam atque etiam conſiderandum relinquo.

Atque hæc dicta, & dicenda fuerunt, de Scripturæ, ex quâ omnis noſtra ordinanda diſputatio eſt, authoritate, præſertim librorum Hagiographorum, interque eos Danielis; & Iudæorum hac in re mala opinio de libris ſacris, de prophetiâ & prophetis in anteceſſum explodenda fuit, & vindicandus nobis in ſervis, in ſcriptis ſuis, Deus.

IV. *Præ-*

Digitized by Google

IV. *Præterquam ex Scripturâ Sacrâ, principio utrimque conſeſſo, contra Judæos, ad hominem, quod dicunt, agere etiam licet ex Targum, Talmude, & Rabbinis.*

Quæ qui ignorat, non ſatis paratus eſt ad negotium illud dignè ſuſtinendum.

Targum eſt Chaldæa paraphraſis, non tranſlatio verborum adeo, quàm expoſitio, rerum magis, quam vocabulorum, libera, non reſtricta. Quare etiam Hebræi dicunt, Paraphraſtas רודפין הענין לא המלות, *ſequutos ſenſum, non voces.* Incertum maxime, quibus *Auctoribus*, quoque *tempore* factæ paraphraſes iſtæ. Conſtat quidem, Jonathanem Onkelos authorem, eſſe paraphraſis in Pentateuchum; & Uzielidem, ejus quæ in Prophetas eſt: verum de reliquis paraphraſibus, ſeu in hagiographa, ſeu in legem quæ circumferuntur, Targo Uzielidis, & Jeroſolymitano; tum quando Onkelos, & Uziel vixerint, uter antiquior, in incerto poſita. Onkoloſo paſſim, quoad ætatem, iſtum præponunt. Sed quo hi tempore, quorum celebriores magiſque certæ paraphraſes, viguerunt? Breviter exponam, quæ mea quidem hic ſit ſententia. Non ego tam antiquos habeo Targumiſtas, ut à tempore Babylonicæ captivitatis, vel reverſionis acceſſendos putem. Nam utcunque populus tum quidem de linguæ Hebreæ cognitione, uſu & puritate haud parum per diutinũ cum Chaldæis commercium remiſiſſet, non tamen ideo Scripturæ paraphraſim aut verſionem facere Chaldaicam, vel confirmandos in eo linguæ ſuæ neglectu & omiſſione homines putaverunt Prophetæ, ſed corripiendos potius, corrigendoſque. Quippe ſi iſtorum temporum neceſſitas uſuſve efflagitare viſus fuiſſet Chaldæam Bibliorum verſionem, ſatius fuiſſet durante captivitate eam procurare, quam poſt eam; fuiſſetque opera hæc à Prophetis ſumta, vertendi & exponendi Scripturam, neque ignotum opus eſſet, vel intermortuum: verum poſt captivitatem id operam dederunt Prophetæ, ut in priſtinum purioremq; ſermonis uſum ſenſim populum reducerent; & ipſi non Chaldæâ, ſed Hebræâ purâ ſcripſerunt Haggæus, Zacharias, & Malachias. Jam nec inſecuta tempora Chaldæam poſtularunt verſionem, ſermonis populique Chaldaici deficiente tum conſuetudine. Quæ eadem ratio per plura militat ſecula. Et Chriſti tempore extitiſſe, aut in uſu fuiſſe Chaldæam Paraphraſim, certo documento probari nequit. Similiter nec Apoſtolorum ævo. Quin nec Joſephus aliquid iſtorum meminit. Neque apud Patres primæ Eccleſiæ, Originem dico, & Hieronymum, in Hebraicis verſatos, & verſionibus Bibliorum obſervandis colligendiſque, tum in aliis inſtituendis novis admodum diligentes, ulla Paraphraſium illarum mentio. Quare ſic cenſeo, non aliâ ætate Paraphraſes illas factas, quam poſt Chriſti Apoſtolorumque tempora, & diſperſam Judæorum gentem; quando ab ultimâ Templi deſolatione plerique eorum in Babyloniam commigrarunt, ibique in terræ & linguæ conſuetudinem redire coacti celebres ac diuturnas conſtituerunt Scholas, quæ ſtudiis ipſorum longo adeo tempore floruerunt. Quales famoſæ ad Euphratis flumen fuerunt Nehardeæ, Soræ, ac Pumbedithæ, quæ ab ultimâ Judæorum diſperſione ibi quidem collocatæ, at maximam celebritatem acquiſivere poſt obitum R. Jehudæ ſancti, famoſiſſimi in Scholis Palæſtinis Doctoris, & auctoris Miſnæ, ſub annum Chriſti cxc. poſtque confectum iiſdem in oris Talmud Jeroſolymitannum ſub anno ccxxx. Hinc florere Scholæ Babylonicæ cœpere, ſupra omnes Palæſtinas, & ſtudia continuari Judaica, ſteteruntque ad annum uſque Chriſti cIↃ xxxvii. Quo tempore per Turcarum dominium & ſævitiam abacti inde Judæi, in Europam confluxerunt. Sed per mille fere annos in Babyloniâ hæ-ſerunt,

ſerunt, & ſtudiis libriſque variis conſcriptis valde inclaruerunt Judæi. Hinc Maſora profecta. Hic conſcriptum Talmud Babylonicum, ad annum æræ noſtræ Chriſtianæ I ɔ V I. Et mea quidem ſententiâ hic facti Targumim, ſive Chaldææ Paraphraſes. De Talmude certum. At quemadmodum de Maſorâ eruditi cenſent, eam tum ante Talmud, tum pòſt, confectam: nam in Talmude Maſoræ multiplex mentio, & in actu ſignato, ut dicunt, & exercito: ſic in Talmude fateor ſit mentio τȣ̃ Targum; at in Targum quoque aliquo, Talmudis. nempe Targum *Cantic.* v. 10. & Targum, quod dicunt, Uzielis in Legem, *Exod.* XXVI. 9. quare certum quoque, Targumim non eſſe omnes ejuſdem auctoris, & ætatis: deinde alias iſtarum paraphraſium ante Talmud, alias poſtea, factas. Sed tamen his in locis ſcholiſque omnes, quas nos quidem habemus paraphraſes, & de quibus inſtituta diſquiſitio, elaboratas ego exiſtimo. Quo præciſe tempore, latet. Juvit hæc, æmulatio Babyloniorum contra Palæſtinos, qua illi ſoli ἄναϕ' τι & celebrari voluerunt. Ex qua cauſa alterum, poſt Jeroſolymitanum, fecerunt Talmud, quod prius illud multis modis ſuperavit oppreſſitque. An forte par ratio Targum Jeroſolymitani, quod omninò pro fragmento majoris operis habeo, & ceu tabulas ex naufragio ſervatas? Certe Targum Jeroſolymitanum, obſidionis ac famis Jeroſolymitanæ mentionem facit, forte ut rei non ita diu geſtæ. *Levit.* XXV. 29. *ô quam mala fuerunt illa delicta, & quam acerba illa peccata, quæ coëgerunt* לאבהתן בירושלם למיכל בשר בניהון ובנתהון, *Majores noſtros commedere carnem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum.* Atque hinc, quod nimirum iſta ætate fuit ſcriptum Targum hoc, forte venit, quod tanta in eo nominum exoticorum commixtio, uti Elias loquitur in Præfatione ſui Methurgeman, לפי שהוא מורכב כן הרבה לשונות בבלי ויוני ורומי ופרסי *ideoque plenum vocibus Babylonicis, Græcis, Romanis, & Perſicis.* Quamvis mihi non ſit eadem cum Eliâ hac de re, ejuſque cauſa & origine, ſententia.

Magnæ apud Iudæos authoritatis, & ſatis divinæ eſt Targum, præſertim Onkeloſi, & Jonathæ: tertium in hagiographa, quod adſcribunt vulgò R. Joſepho luſco, dicto *ſaggi Nahor*, non tanti merito ſit, continetque plures fabulas & deliria. Ad commendandam Jonathæ authoritatem narrant; quod quo tempore operi incubuit, ſi forte vel muſca, aliave aliqua avis ſupervolaret, extemplo divinitus combureretur, ne quod ei ſcilicet impedimentum, vel operi vitium adferrent. Et peracto jam opere terræmotum concitatum ajunt per quadraginta leucas, & hinc filiam vocis prodiiſſe, inclamantem, מי היא זה שגילה כתריי לבני אדם, *ecquis iſte qui arcana mea revelavit filiis hominum?* reſpondiſſe autem Jonathanem, ſe hoc, nec ullo ſui honore, at in Dei gloriam feciſſe, *idque ne multiplicarentur diſſenſiones in Iſraële.* Quumque intendiſſet idem addere Targum in Hagiographa, retinuit eum vox cæleſtis, dicens, דייך *ſufficit tibi*, nempe, quia in Hagiographis panditur finis Meſſiæ. videlicet, apud Danielem. Nugæ quidem illæ, & fabulæ, quales fingere & recitare iſtud hominum genus aſſolet in exponendis rerum & factorum apud ſe egregiorum originibus atque hiſtoriis: interim quanti Targum faciant, ex iis ſatis redditur manifeſtum. Ideoque in omni iiſcum diſputatione ad Chaldæas paraphraſes jure appelles, & ex iis agas. Quo fine factum ſingulari Dei providentia arbitramur, quod Auctores illi ſæpe adeo ingenuè & clare exponant, procul dubio ex Antiquorum ſenſu, quæ de Meſſiâ, in Scripturis quidem dicuntur, at Iudæi hodierni pervertere malunt, & de Meſſiâ dicta inficiari. Quod ex plurimis, in progreſſu diſputationis, obſervabitur. Buxtorfius, in Lexico Talmudico ad vocem משיח annotavit omnia quæ Targum de Meſſia exponit, ſive in Lege, ſive Prophetis, aut Hagiographis.

Digitized by Google

phis. Uti Geneſ. III. 15. & XXXV. 21. & XLIX. 1. 10. 11. 12. Exod. XII. 41. & xl. 9. 11. *&c.*

Quod ſi extaret hodie *verſio Græca*, qualis à lxx. Interpretibus olim ſub Ptolomæo Philadelpho prodiit, vel à Judæis Alexandrinis, ejus jure omni uſus nobis aliquis faciendus eſſet. Non quidem divinus, quaſi paris cum Scripturâ eſſet authoritatis vel inſpirationis; ſed tamen haud vulgaris, præſertim propter antiquitatem. Nam quæ aliquorum eſt ſententia, alias etiam Græcas verſiones ante illam fuiſſe, propter adducta quædam à Gentilium Philoſophis & Poëtis ex lege & ſacris Judæorum teſtimonia, non probat vel tam crebram aut claram eſſe Judaicorum apud profanos Scriptores citationem, vel propterea debuiſſe extare librorum ſacrorum verſiones, aut quod ex Judæorum ſacris libris illa deſcripſerint Gentiles, & non vel ex ſcriptis aliis, vel traditione & doctrinâ orali eadem acceperint. Non autem nullius videtur, quum Joſephus exſerte dicat, in *præfat Antiquit.* non totam Scripturam ab illis verſam, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου, ſolam legem, quod in tanta Judæorum ἐλληνιζόντων copiâ, & ante Chriſti Apoſtolorumque tempora videantur extitiſſe ſi non plures, aliqua ſaltem totius Scripturæ Sacræ verſio Græca, aut Joſepho hac in parte deroganda fides ſit, dicendumque non ſolam ab illis interpretibus legem, ſed imò Scripturam univerſam tranſlatam; aut, ſive ante hanc tranſlationem, ſive poſt, aliam vel alias reliquæ Scripturæ verſiones extitiſſe Græcas. Videtur autem una aliqua fuiſſe, in Synagogis Judæorum Græcorum uſitari ſolita, quæ ab iiſdem facta. Joſephus Gorionides, Hiſtoriæ Judaicæ lib III. cap II. ויפרשו הכהנים את כל התורה והמקרא כד" כפרים אשר המליצו שבעים הכהנים מלשון קדש אל לשון יוונית. *Et explicuerunt ſacerdotes omnem legem & Scripturam viginti quatuor librorum, quos ſeptuaginta ſacerdotes verterunt de linguâ Sanctâ in linguam græcam.* Ex qua ſolâ re, & ſententiarum diſcrepantiâ apparet, quod Joſephus hic non eſt idem cum Flavio, quod multis temerè viſum: qui & à Flavio ſemet ipſe alicubi diſtinguit. Nuperum Scriptorem, Gallum, Scaliger oſtendit, in *Elencho Trihæreſ.* contra Serarium, *cap.* IV. Adde & Druſium, *lib* I *de ſectis Iudæor. cap.* VIII. Atqui vel ſequenda iſta ſententia Joſephi Goriondis, quam multi ex Chriſtianis, qua veteribus, qua recentibus tenent, ut verterint iidem Interpretes reliquam, cum libris Moſis, Scripturam; vel ſi Joſephi, Ariſteæ, Philonis, Talmudis, R. Azariæ, aliorumque placeat opinio, (de quibus Hieronymus, in Ezech v. *quanquam & Ariſtæus, & Ioſephus, & omnis Schola judæorum, quinque tantum libros Moyſi à* lxx. *tranſlatos, aſſerant*); dixerim ab illis quidem legem, at non ita diu poſt ab aliis, Alexandrinis ſcilicet Judæis additam verſionem Scripturæ reliquam. Præcipua hic eſt Ariſteæ authoritas, quem omnes hac in parte ſequuntur & citant, primuſque illorum Flavius Joſephus, ſive idem Ariſtæas, quem etiamnum manibus habemus, & legitur in Bibliothecâ Patrum, ſive alius ſit, ut noſter hic ſit ſuppoſitius, quod multi judicant, Scaliger, Druſius, Ludovicus Vives, Salmero, Wowerus à in Syntagm. de *Græcâ Bibliorum verſione*; Rivetus, *Iſagoge Script. cap.* x. Robertus Cocus, *Cenſura Patrum*, in initio. Nimis autem ea, quæ apud Fl. Joſephum, cum Ariſtæâ hoc conveniunt, ut vel eundem, vel ejus nominis alium, at argumenti ejuſdem & rerum, ante ſe habuiſſe Joſephus omnino videatur. Verùm quia in Ariſteæ, quiſcumque is demum fuerit, & Joſephi, & aliorum reſolvitur narratio, an ille fidem mereatur, an omnem, jure quis inquirat. Non novum eſt nec inſolens, Iudæos confingere multa circa rerum ſuarum origines, & magna quæque ac ſtupenda. Annon idem in hac Hiſtoria uſu venerit, impræſens

nolo ſevere nimis examinare. Si quis velit, Scaligerum adeat, in *Euſebianis*, *fol.* 123. & Iohannis Wouweri *Syntagma*, *cap.* 11. Veritatem hiſtoriæ valde elevat, ne dicam quod Demetrium Phalereum Bibliothecæ Regiæ præfectum conſtituunt, & ſeptuaginta cellulas alii fabricant, non hoc ex Ariſtea, vel Ioſepho; at quod ex XII. tribubus ſenos (quorum etiam apud Ariſteam nomina) miſſos dicunt à Pontifice, addunt alii, & cum pontifice Eleazaro: quum difficile creditu ſit, non, quin aliqui quarumcumque & duodecim tribuum ſemper quidem inter Iudæos, atque in urbe hæſerint, ſed ita diſcretos, & celebres, & numeroſos fuiſſe, atque in linguâ Græca adeo bene in urbe tum temporis inſtructos & verſatos, ut ad hoc opus Alexandriam mitti debuerint. Annon vero longe ſimilius, quod quum magnus Iudæorum numerus in Alexandriâ tum, totaque Ægypto hæreret, cum ab aliis, tum à parente Philadelphi, Prolomæo Lago adducti, quorum in initio hiſtoriæ ſuæ multam mentionem facit ille Ariſteas, & Ioſephus, lib. XIV. cap XII. ubi de Craſſi expeditione contra Parthos: *per Ægyptum ſane etiam coloniæ ſunt Iudæorum, abſque eo quod Alexandrinæ urbis magna pars eis aſſignata eſt.* quod forte ab illorum (dico) Alexandrinorum aliquibus verſio Græca adornata ſit? quodque ad retundendam aliorum invidiam & inſectationem, præcipue Palæſtinorum & Ieroſolymitanorum, qui illud opus tanquam profanum impotenter criminabantur & damnabant, talia alii fuerint commenti? Nam & triduanas tenebras mundo incubuiſſe propter illam legis profanationem ſeu tranſlationem in peregrinum ſermonem Ieroſolymitani dicere audebant; atque annuum inſtituere Iejunium, octavo Tebeth; & Iudæos illos Helleniſtas per contemtum appellare *inverſo ordine legentes* הקורים לכפרע, vel *legentes Ægyptiacè* רק ריום גופהירם. Iterum ne ſc. minus verum videatur, tranſlationem illam non conſenſu Ieroſolymitanorum, ſed iis ipſis auctoribus, omniumque tribuum auctoritate & ductu ſuſceptam, Ariſteas ille narrationis auctor deberet quidem gentilis eſſe, ex ſcopo & argumento libri; interim in principio haud aliter loquitur de Divinâ lege, quam ſi Judæus fuiſſet. Quidquid verò hujus ſit, certe ſi verſio ea Scripturæ græca, ſive à lxx. Senioribus Ieroſolymitanis, Alexandriam miſſis; ſive à Iudæis aliis Alexandrinis facta extaret hodie, qualis ab iis prodiit, & non confuſa jam olim fuiſſet, variiſque modis corrupta, & jam incerta vel deperdita, eſſet unde & hic cum Iudæis congredi, armaque adverſus eos promere liceret. Iam verò quia parum certi de ea aut dici, aut haberi poteſt, hoc quod ex Græcâ verſione adferimus multum de pretio ſuo atque vi amittit. Attamen quia hæc, quam habemus dicta vulgo lxx. verſio, & ab aliis, & à Iudæis cenſetur inde orta, & plurimam forte adhuc partem talis eſt, tum quæ ei obtigit commixtio, debetur aliis quoque Iudæis, nam tales fuerunt Aquila, Symmachus, & Theodotion, miris modis facti Iudæi, quos proinde Hieronymus, Apol. II. *Iudaicos* appellat; & præfat. in Iobum, *Iudaizantes hæreticos*: quid ni Græcam verſionem, ubi opus & utile videtur, adferamus?

Iam nihil ſupereſt, quam ut conſideratâ diligentius, rei quam præ manibus habemus, eſt autem converſio populi Iudaici, gravitate, illam, & nos, & ſtudia huc noſtra Deo enixe, & fervide commendemus. Hoc officii noſtri ſemper exiſtimantes, cum aliis, tum illis præſertim inſtruendis ſalvandiſque, omnem operam impendere, qui olim Dei propria gens & peculium, atque etiamnum *capſarii* noſtri, uti Auguſtinus loquitur, οἷς ἐπιϛεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, & *quorum ſunt Patres, ex quibus Chriſtus eſt quantum ad carnem*; *ſi forte Deus illis reſipiſcentiam daret in cognitionem veritatis*, tolleretque ab illorum cordibus τὸ κάλυμμα, quod hactenus inſenſatos illos tenet obduratoſque: ſaltem noſtrum eſt huc anniti, & precibus ſtudiiſque

diiſque totos in eo eſſe, ut veritatem illis quavis occaſione, quovis modo ingeramus, & , quomodo R. Hillel loquitur, in Pirke Avoth : אם לא עכשיו אימתאי, *ſi non jam, quomodo tandem?* unumquemque horum lectorem Chriſtianum obteſtor, ut rerum aliarum omnium vacua mente, & ad ſolam devotionem compoſitâ, in has mecum Deo dicendas, cum fide & charitate ardenti, pro miſerorum hominum converſione, preces ſe componat, pariaque inde ſtudia.

SUmme ac clementiſſime Deus, Tu qui cœlum, terram, omniaque condiſti, Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Te ipſum illum, qui Te revelaſti Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, ſupplices ex animo rogamus, ut placeat miſereri tandem populi iſtius, qui olim tuus, jam dudum à Te, quia à filio tuo Meſſiâ, male aberrans. Satis ſit irarum juſte Deus, in eos, pro merito infidelitatis, quin pro merito nunquam ſatis; ſed pro ſummâ tuâ clementiâ illorum pœnæ cedant tuæ gratiæ, atque diutina ipſorum calamitas vertatur in fœlicitatem, ideo ſummam, quia ſpiritualem & æternam: depulſo errore, infidelitate, pertinaciâ, veritatem tuam videant, in eâ Chriſtum, cum Chriſto ſalutem; nec videant ſolum, ſed & amplectantur, et fruantur Te nobiſcum, in omnem uſque æternitatem. Quouſque carebunt illi tuo priſtino favore, nos illorum ſocietate, utrique, et tota tua Eccleſia, quin cœlum ipſum eo gaudio, quod ex illorum reverſione ſequuturum ſperamus? Reminiſcere quæſumus fœderis tui, cum Parentibus illorum initi, atque promiſſionis de illorum reductione ad Te, ad Meſſiam, ad Eccleſiam. Fiant tandem unum ovile nobiſcum, ſub eodem animarum Paſtore Chriſto Jeſu. idque omne ad Tui Nominis ſupremam gloriam, ipſorum, noſtramque æternam in Te Salutem, per et propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum Spiritu S. per omnia ſæcula concelebrandum, AMEN, AMEN.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

CONTRA

JUDÆOS.

DE

S. SCRIPTVRA.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGE JUDÆORUM ORALI.

QUÆST. I. Num Moſes, in monte Sinai quum eſſet, præter Legem Scriptam, acceperit quoque oralem שבעל פה, ſeu Legis Traditiones, viva tantum voce docendas?

De Scripturâ quænam extra diſputationem ſint cum Iudæis: & quæ diſputentur. Sententia Iudæorum de lege non ſcriptâ, ſive orali. Quomodo eam Moſes in monte Sinai acceperit; quomodo deinde tradiderit aliis. Quanti illam legem vulgò Iudæi faciant. Diſtinctiones in hac controverſia obſervandæ. Argumenta noſtra. Nulla legis oralis in lege Scriptâ mentio, vel indicium. Nihil apud Prophetas vel legis iſtius, vel ejus traditionis & ſucceſſionis de ore in os. Nihilque de prohibita ejus ſcriptione. Contrà vero Moſes legem ſcribere juſſus. Lex ſcripta perfecta dicitur, & nihil ad religionem vel ſalutem neceſſarium ei addi inſuper, nedum alterius legis aliquid poteſt. Contra legem oralem ſtant inter Iudæos Sadducæi, Samaritani, Karaitæ, Eſſeni. Soli Phariſæi traditiones propugnant. Ad Objectiones Iudæorum reſpondetur. ad Exod. XXXIV. 27. & 12. cap. XVIII. 16. Deut. XVII. 8. 9. 10. 11. *Tum ad rationes, à R. Menaſſe ben Iſaël, in Conciliatore, adductas.*

בע״ש

SUper principio ſemper cum quovis prima debet eſſe diſputatio, ex quo omnis ulterior inſtitui ac decidi tum debet. Hoc quum in rebus Theologicis ac religionis ſit Scriptura Sacra, videndum ante omnia, an & quæ hic controverſia ſit Chriſtianos inter atque Judæos. *Scriptu-*

 ram

ram Sacram, Moſis & Prophetarum, ſeu (uti Chriſtiani loquuntur) Veteris Teſtamenti eſſe divinæ tum *originis*, tum *authoritatis*, inter utroſque eſt ἰξαγώνιον. Simul etiam de *libris* conſtat, quibus illa contineatur: nec enim alios pro canonicis, aut Nos, aut Judæi habemus, quam quos Eccleſia & Iſraelitica, & Chriſtiana Orthodoxa pro talibus ſemper agnovit & venerata fuit. Sed utcunque libros non habeant alios à Canonicis Iudæi, pares iiſcum authoritatis, traditiones autem & aliam à Scriptâ legem oralem jactant, quam non æquiparant ſolum illi, ſed imò præponunt. Et hic error eſt longe graviſſimus, in quo totius Iudaiſmi vis hæret ac momentum. Quare ab eo diſcutiendo Diſputationum noſtrarum exordium faciendum fuit. Atque ante omnia Judæorum hac ſuper re exponenda ſententia, quæ talis eſt.

Moſem, in monte Sinai quum quadraginta diebus ac noctibus diverteret apud Deum, accepiſſe non legem illam ſolum, quam ipſe Deus atbulis, & Moſes poſtea totam ſacris ſcripſit voluminibus, *ſcriptam*; ſed præter eam inſuper, at ſcripto nec à Deo traditam, neque à Moſe committendam, *oralem* aliam, legis ſcriptæ ſatis amplum, ac divinum ſcilicet commentarium, à Moſe Aaroni, Joſuæ, Senioribus, hinc Prophetis, atque ſerietim aliis; ſed de ore in os, relinquendam, uſque ad ultima ſupremę populi Judaici deſolationis ſæcula, quibus tempori conſulentes, iſtam legem quoque ſcripto tandem conſignarunt, in Talmude uno, atque altero. Ad tria hic attendere nos oportet. I. Ad Legis oralis à Deo per Moſem *acceptionem*, quam dicunt. II. Ejuſdem perpetuam ad poſteros, & oralem *traditionem*. III. Denique *conſcriptionem* factam in *Miſchna*, & *Talmude*. Unde oritur triplex quæſtio, de *orali lege*; de *Kabala*; de *Talmude*: quæ primo hoc libro nobis erunt pertractanda. Num Moſes in monte Sinai acceperit à Deo legem aliquam oralem? Num Kabala, continuâ ſucceſſione à Moſe, per Prophetas, in Eccleſiâ habita fuerit agnitaque? Poſtremo, Num Talmud legem illam contineat, & hoc nomine ſuſcipiendum ſit, & venerandum?

Propter triplicem legis illius oralis conſiderationem, trinâ appellatione apud Judæos celebratur, *Kabala*, *Maſora*, *Talmud*. Quamvis hæ voces nonnunquam ſtrictius, latius alias accipiantur, præſertim Kabala, ac Maſora, hæc pro Criticâ ſacrâ, quâ legis & Scripturæ omnes voces litteraſque in numerato habent, præcipuè quæ anomaliam quandam continent; illa pro myſticâ quadam in litteras voceſque arte: de quibus in ſequentibus plenius. Illa Legis à Deo in monte acceptio

Kabala:

Digitized by Google

Kabala dicitur: משה קבל תורה מסיני, *Moſes accepit legem in Sina.* קבל, *accepit.* Hinc קבלה, *Cabala, acceptio.* Relativum ejus מסר *tradidit*; מסורה *traditio.* Utrumque venit in celebri illo capite: *Moſes* קבל *accepit legem in Sina*; ומסורה *& tradidit eam Jehoſua.* Atque in ſcriptis Rabbinorum frequens, מסורה ביד משה *Maſora*, vel *traditio Moſis.* Παράδοσις. In Euangelio dicuntur παράδοσις πρεσβυτέρων, πατρικαί, πατροπαράδοτοι. Παράδοσιν Talmudici dicunt תניא *traditionem*, ſeu *doctrinam*, מתניתא. Unde nomen Doctorum תנאי *Tannaim.* מסר & קבל ſunt πρός τι, quaſi locutionis formâ dictum: παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ὃ καὶ παρέλαβον.

תלמוד *Talmud*, *doctrinam* ſignificat, cum reſpectu ad inſtitutionem. למד *didicit*, תלמיד *diſcipulus*, & תלמיד חכם *diſcipulus ſapientis.* Quod docetur, in genere eſt *Talmud*: per appropriationem ad legem oralem, apud Judæos ſignificat, eam ſcriptis conſignatam, præcipue explicatam in Gemarâ, ubi ſunt Doctorum ſuper eâ lege ſententiæ & diſputationes, ad doctrinam vid. factæ.

Quo pacto Moſes legem oralem in monte à Deo acceperit, audiamus exponentes Judæos ipſos. Apud R. Eliezerem in capitulis, cap. XLI. inquit R. Joſua filius Karcha: משה היו רגליו עומדת בהר וכלו בתוך השמים: *Moſes ſtabat pedibus in monte, & ipſe totus erat in cœlo*: quemadmodum, ait, quando quis in tentorio conſtitutus, pedibus quidem terram tangit & terit, cæterum corpus in tentorio eſt: ita in cœli aulâ poſitus Moſes, perluſtrabat cuncta, quæ in cœlo contemplanda ſe offerebant. Idem R. Joſua, cap. XLVI. inquit, ארבעים יום עשה בהר קורא במקרא ביום ושונה במשנה בלילה *quadraginta diebus, quos Moſes egit in monte, de die legebat Scripturam; ſed nocte repetebat Miſchnam*, quæ eſt lex oralis. Ita vulgò Judæi reſpondent, Moſem, dum quadraginta diebus in monte diverteret, de die, utpote ad lucem, ſcribere & legere potuiſſe; at nocte, quid feciſſet, inquiunt, niſi quod tum legi orali perdiſcendæ, memoriæque mandandæ vacare commode potuerit. R. Tahana, ירד משה וגו' *deſcendit Moſes cum tabulis, poſtquã egerat XL. dies in monte, conſidens coram S. Benedicto, ſicuti diſcipulus ſedet coram præceptore ſuo, legens interdiu Scripturam, noctu vero repetens Miſchnam* Rabbi Eliezer, *eod. cap.* ait, veſpera ſabbati, die ſexta menſis, horâ diei ſextâ Iſraelitas legem, ſeu decalogum accepiſſe. Quo tempore cunctos Iſraelitas ſanctitate, atque omni decore ornatiſſimos fuiſſe volunt, quin ipſis Angelis, nempe quos appellant מלאכי השרת, præſtantiores. Tunc temporis Iſraelitę nec egerebant excrementa ſua ut homines, nec aliquis patiebatur

Digitized by Google

tur inter eos ſanguinis aut ſeminis profluviū, non ullum eis dominabatur genus pediculorum, non denique angelus mortis מלאך המות, quando ut daret ſuis legem deſcenderat Deus ſtipatus, ſexaginta myriadibus Angelorum, juxta ſexaginta myriades fortium Iſraëlitarum. Angeli in manibus ſuis ferebant coronas, quibus Iſraëlitas præcingerent. De quibus plura legere licet, in *Capitulis R. Eliezeris, cap.* XLI. XLVI. & XLVII.

Jam lege utraque inſtructus Moſes deſcendit, tradiditque eam Iſraëlitis in peculium. Ben Bethira inquit: *Moſes egit in monte* XL. *diebus*, דורש בדברי תורה וחוקר באותיותיה *ſcrutans verba legis, & inveſtigans ejus litteras, ac poſt* XL. *dies aſumtâ lege deſcendit decimo die menſis ſeptimi die expiationis* (cujus diei ſolennitate credunt ſe Iudæi eſſe expiatiſſimos,) *atque dedit eam Iſraëli æternâ poſſeſſione in monumentum perpetuum.* Sed optimè, quomodo Moſes legem Iſraëlitis tradiderit, & nominatim oralem, de quâ nunc agimus, ad Iudæorum ſententiam, exponit R. Moſes ben Maimon, in præfatione ad commentarium ſuum in Miſchnam, ubi ſic loquitur: דע כי כל מצוה שנתן הקבה״ למשה רבינו עה״ נתנה לו בפירושה וגו״, ſcias, omnis præcepti, quod ,, ſanctus Benedictus dedit Doctori noſtro Moſi ſervo Domini, ipſum ,, dediſſe ei quoque ſenſum, & explicationem: primò dixit ei præ- ,, ceptum, tum ejus explicationem: atque modus, quo Moſes Iſraë- ,, lem legem, legiſque ſenſum docuit, ita ſe habet, juxta id quod ,, dicitur, eum convocaſſe Iſraelem in tentorium ſuum. Nempe vo- ,, cato primum Aharone, ei revelavit præcepta ſibi data, docuitque ,, unà eorundem interpretationem, primâ vice. Quo facto ſeceſſit Aha- ,, ron, atque ad Moſis dexteram ſe recepit. Tum vocati Eleazar, & Itha- ,, mar, Aharonis filii, iiſque repetiit Moſes, quod jam dixerat Aha- ,, roni; & ſeceſſerunt, alter ad ſiniſtram Moſis, ad dextram Aharo- ,, nis alter. Tum introierunt ſeptuaginta Seniores, inſtruxitque eos, ,, ſicuti docuerat Aharonem, ejuſque filios. Poſt eos acceſſit multitu- ,, do populi, omneſque religioni addicti, & coram iis explicuit præ- ,, cepta, quouſque omnes audiviſſent. Adeo ut hac vice Aharon ex ,, ore Moſis eandem legem quater audiverit, filii ejus ter, ſeniores bis, ,, populus denique ſemel. Atque tum abiit Moſes. Aharon eandem ,, explicuit legem, quam quater jam ex Moſis ore audierat, abiitque, ,, poſtquam ejus filii ſimiliter quater eandem legem audiviſſent, ,, ter ex Moſe, ſemel ex Aharone. Poſt ſeceſſum Aharonis acceſſe- ,, runt duo ejus filii Eleazar atque Ithamar, legem eandem docentes reli-

Digitized by Google

„ reliquos : atque ſic Seniores quoque quater audiverunt , à Moſe „ ſemel, ab Aharone iterum, ſemel ab Eleazaro, & quoq; Ithamare. De- „ niqueSeniores acceſſerunt ad reliquam populi multitudinem in eadem „ lege inſtruendam. Unde factum , ut univerſa congregatio quater le- „ gem eandem audierit , ſemel ex ore Moſis , ſemel ex Aharone , ter- „ tium ex ore filiorum Aharonis , & quarto à Senioribus. Quibus per- „ actis abiverunt omnes , docuitque quilibet proximum ſuum , quod „ à Moſe audiverat. Hæc Maimonides. Atque ita tempore Moſis innotuit omnibus lex , ſive quæ ſcripta, ſive quam oretenus Moſi traditam & reliquis enarratam dicunt. In ſerie verò ſucceſſionis oſtendendâ, quâ ad poſteros hæc derivata lex dicitur, ajunt in capitibus Patrum,, Pirke aboth, cap. I. *Moſes accepit legem in monte Sina, & tradidit eam Joſuæ : & Joſua Senioribus : Seniores Prophetis : Prophetæ denique tradiderunt eam viris Synagogæ Magnæ.* nempe ut hæc ſigillatim explicant , Moſes cum Ioſuæ iſtam legem tradidiſſet, qui in omnibus Moſi, ut ſamulus intimus ſemper aſtitit, Joſua eandem tradidit Phineæ, Eleazaris filio; Phineas τῷ Heli; Heli Schemueli; Schemuel Davidi; David Achię; Achias Elię; Elias Eliſæo; Eliſæus Jojadę; Jojadas Zacharię; Zacharias Hoſeę; Hoſeas Hamoſo; Hamoſus Jeſaię; Jeſaias Micheę; Micheas Joëli; Joel Nahumo; Nahum Habacuco; Habacuc Tzephanię; Tzephanias Jeremię; Jeremias Barucho; Baruch Ezrę; quem principem Judæi faciunt Synagogę Magnę. Ezras autem, ut filum pertexamus, eandem legem tradidiſſe fertur Simeoni Jaddo; Jaddus Antigono; Antigonus Joſepho Johannis filio, & Joſepho Johezeris filio. Ii Nitæo Arbolenſi, & Jehoſuæ F. Perachjæ. Hi porro Judæ F. Tibæi, & Simoni Satæ F. Ii Semaiæ, & Abtalioni. Hi Hilleli, & Schamai, celebrium inter Iudæos Sectarum Auctoribus ſatis famoſis. Hillel & Schamai legem oralem tradiderunt Iohanni Zacchæi F. & Simeoni Juſto Hillelis filio, qui ex Synagogæ M reliquiis כשירי כנשת הגרולה & iſtius ordinis ultimus conſtituitur , idemque vulgò cenſetur cum Simeone, qui Meſſiam ulnis ſenex amplexus fuit, Luc, II. 25. eo quod hic vir juſtus denominatur : ſed male confundi utrumque docuit Seldenus, lib. *de ſucceſſionibus in Pontificatum Ebræorum. cap.* VII.

Iſti ergo, quos diximus, aliique eos inſecuti (quorum catologum texit in præfatione ſui *Jad chazaka*, R. Maimonides) legis oralis Kabalam tenuerunt, uſque dum Rabbi Iehuda Sanctus, ex conſilio ſuorum, collectis undequaque Veterum traditionibus, illarum aphoriſmos

 ſeu

ſeu leges ſcripto comprehendit, atque in unum contraxit volumen, quod *Miſnajoth* appellavit, δευτερώσεις: quâ lex oralis per capita ſua diſponitur & locos. Cujus legis ſi quæras argumentum, facilis jam reſponſio. Quippe nemo adeo rerum Judaicarum imperitus eſt, qui neſciat iſtud hominum genus permultas miraſque, præter legis Scripturam, habere obſervationes atque dogmata: & hæc omnia lege orali, Moſi à Deo, quomodo audivimus ſcilicet, datâ contineri, atque hinc demonſtrare omni operâ volunt.

Legem aliam Judæi vulgari diſtinctione vocant *Scriptam*, שבעל כתב; aliam *oralem*, שבעל פה, quæ traditiones continet, מפי השמועה ſolo ore atque animo retinendas. Sic Philo Judæus lib. *de Decalogo*, in initio, leges alias *Scriptas*, alias *non Scriptas* loquitur, & paſſim alii. Tantique lex oralis, ſeu non ſcripta, aut traditionū apud Judæos, ut inter articulos fidei Judaïcæ nono, quo profitentur *legem eſſe à Deo*, כי התורה הזאת מועתקת מאת השם, quamvis de lege ſcriptâ proprie intelligendo מועתקת, legem oralem quoque comprehendi, ceu articulum fundamentalem, paſſim doceant. Ita Maimondes in Commentario Miſchnæ, ad Cod. Sanhedrin, cap. x. ubi articulos illos compoſuit, exponit tam de lege orali, quam ſcriptâ. Poſtquam enim dixiſſet, legem à Deo eſſe, *neque præter eam aliam, nihil que ei addendum aut detrahendum* לא בתורה שבכתב ולא בתורה שבעל פה, *neque* (ait) *ad legem Scriptam, neque ad oralem.* Similiter hunc articulum de utraque lege diſtinctè exponit Iſaac Abrabanel, lib. *de Capite fidei, cap.* VIII. Et Maimonides quoque in halachot *Jeſude thora* ſive *de fundamentis legis*, *cap.* IX. §. 8. pſeudoprophetam ait, dignum qui laqueo ſtranguletur, eſſe, *qui aliquid eradicarit ex verbis, quæ traditione accepimus.* Et alibi inter Apoſtatas, legis abnegatores ponens, eo refert quoque הכופר בפירושה והיא תורה שבעל פה, *qui negat expoſitionem, ſive legem oralem.* Teſchuva, *cap.* III. Et in Aboda zara, *cap.* 12. & Mamrim, ſeu *de rebellibus*, *cap.* III. talem legis oralis abnegatorem à quovis & quandocumque, nullo juris aut teſtium obſervato ordine vel examine, occidi poſſe ac debere ſtatuunt.

Atque hæc Judæorum ſententia de lege ſuâ orali, quam præter Scriptam, à Deo Moſi in monte datam, atque inde per longam ſucceſſionis ſeriem conſervatam, tandemque ſcripto traditam, aſſerunt. Quæ nos negamus. Diſputabitur ergò impræſentiarum, ſuper lege ſecunda orali, an verum ſit, quod de lege illa Moſi tradita Judæi narrant, & quam omnino credi volunt eſſe divinam. Non eſt quæſtio, 1. de lege *Scripta*, quam

Digitized by Google

quam Moſes ut accepit, ſic quoque tradidit, ſive moralem, ſive ceremonialem, ſive politicam. II. Concedimus, ejus *explicationem* Moſem à Deo edoctum fuiſſe, præ aliis. Sed negamus I. Expoſitionem legis facere *aliam*, ſecundam, & diverſam legem, II. eam eſſe quam Iudæi dicunt ſuam *oralem*. III. eamque diſtinctam Moſem *accepiſſe* à Deo, in monte. IV. deinceps illam à Moſe aliis *traditam*, atque commiſſam *ori* fuiſſe. V. cum *prohibitione ſcribendi*. VI. denique eam *Talmude* tandem comprehenſam. Quippe tenuit quidem Moſes legis ſibi datæ expoſitionem, ſed quæ ipſo legis ſenſu continetur, vel ſingulari oraculo, non aliâ legiſlatione in monte, à Deo paſſim explicabatur, eamque ſcribere nunquam eſt veritus vetituſque, nec ſcribi uſquam interdixit.

Argumenta contra legem illam oralem nos quidem damus hæc.

Arg. primum. Legis oralis Moſi traditæ nulla *mentio* in *hiſtoriâ* legislationis. Nihil ibi, quod de nocte Moſes aliam, vel ſecundam legem didicit; nihil quod eam tum Aaroni, tum ejus Filiis, & Senioribus, univerſo denique populo expoſuit. Nihil in totâ S. Scripturâ quod oſtendat, Moſem Joſuæ, Joſuam Senioribus, & hos Prophetis perpetuâ ſerie eandem commendaſſe. Quare inanis eſt Iudæorum fabuloſitas, quod de lege iſta narrant, & credulitatis nimis temerariæ. Etenim ſic agere ſi liceat, & modo dicere, הלכה למשה מסיני, *eſt traditio Moſis in Sinâ*, quidnam erit adeo monſtroſum vel futile, quod ſi homines docere non erubeſcant, de quo non ſtatim ſint dicturi, hoc Moſi in monte traditum, ſi quidem dicere & confingere ſatis ſit, non probare? Nec ſane levis hic res controvertitur, ſed fundamenti quidem & articuli fidei, ex quo omnis porro Iudæorum ſuperſtitio dependet & Theologia. Scriptura non ſolet tanti momenti negotia præterire, quæ multo leviora plura commemorat & exponit: neque omiſiſſet & in hiſtoria legis, & alibi ad hujus mentionem id ſaltem inculcare, ejuſmodi quam legem Moſem, præter priorem ſcriptam, accepiſſe, ut conſtare poſſet, legem iſtam datam, in eamque inquirendam, quamvis ſcripto non committendam. Iam verò quia iſtorum nihil, nullumque uſpiam indicium per totam Scripturam occurrit, quid hinc aliter colligas, quam nullam talem legem à Deo datam, vel à Moſe acceptam unquam fuiſſe? Oralem Scriptæ comparare ſolent & præponere Iudæi. At quoties, & quibus, quantiſque argumentis Deus nos reddit certiſſimos, legem iſtam à ſe latam fuiſſe? ut de hoc quidem nemo ex Scriptura dubitare queat, ſi vel maxime vellet. Et legis illius alte-

rius

Digitized by Google

rius nullum Deum documentum dediſſe, indicium nullum, credi à quoquam poteſt? quam *traditam* ulli hominum, Deus nuſpiam teſtatus eſt: ad quam nemo unquam *remittitur*; quod ad ſcriptam legem adeo frequenter in Scriptura fit: & cujus ad alios διαδοχὴν *ſucceſſionem* nulli in Sacris loquuntur.

Arg. ſecundum. Illud, quod jam diximus, ſpectat legis traditionem, quod ad legis traditæ *hiſtoriam* & conditionem, quâ ſe deinceps habuit, ut ex utriuſque legis collatione pateat, hinc certitudo ſcriptæ, inde oralis falſitas, attendere oportet, quod dum multiplex ſcriptę *uſus caſuſque* proponitur in hiſtoria ſacra, altum de orali ſit ſilentium. Ut non aliter ſtatuere liceat, quam nullam fuiſſe. Quum tempore Ioſuæ regis, liber legis pridem perditus repertus iterum eſſet, quanta inde conſternatio, & notabilis facti quam memoranda hiſtoria? II. Reg. XXII. & XXIII. Quid quæſo hoc caſu legi factum orali? Eane integra manſit & illæſa? Quanto melior ſic fuerit ejus conditio præ Scripta? Imo ubi tanta homines occupat oſcitantia, ut quod ſcripto tenent perdant, quid de memoriâ ipſorum, eoque, quod ejuſdem generis pretiique, animo duntaxat cuſtodire fas, ſtatuas? Perditâ lege ſcriptâ, an ſervari oralis potuit? Hac ſartâ tectâque, illa quomodo amiſſa? Et hæc ſi exciderit, quî reſarciri potuit, unde repeti? Non ex Scriptâ lege: eâ enim non continetur. Non ex hominum memoriâ, & ingenio; quo jam obliterata. Quod ſi ſemel in oblivionem abiit, nova revelatio comminiſcenda erit, unde reducta in notitiam, atque tam vaſta legis volumina, qualia Talmud, fabricata demum fuerint, libro legis Scriptæ immenſùm majora. Quodcumque hic dixeris, quia extra hiſtoriam erit, & ex ſolo confictum ingenio, nemini perſuadebit, legis alîus mentionem faciendam non fuiſſe, ſiquidem in rerum naturâ extitiſſet, vel non ejus quemcunque caſum, præſertim illis locis quibus varia de lege Scriptâ memorantur, narrari debuiſſe. Fabulantur quidem Iudæi, in Tractatu *Temura cap.* II. Iſraëlitas, tempore quo Moſem lugebant mortuum, oblitos fuiſſe tria millia traditionum הלכות: ſed quæ bono omine poſtea iterum Othniel f. Kenazi, de ingenio ſuo produxerit. Ohe, quantus ille traditionum accervus ſit oportet, ex quo uno quaſi jactu tot millia ablata! belle probaveris ſcilicet, iſta oblivione, ceu lethargo aliquo correptos Iſraëlitas, & tempore luctus Moſis, & tot juſte traditionum millia oblitos, eaque iterum eructaſſe quaſi Othnielē, atque ex acumine ingenii depromſiſſe. Nempe, Othniel vicit Kiriath-

ſephr.

Digitized by Google

ſepher. Ioſ. xv. 16, 17. ô elegans & firma probatio? Sed quis tempore Ioſuæ, & deperditæ legis, oralem ſuo pectore recluſit? Quomodo ſe habuit lex iſta in captivitate Babylonicâ? & quando per Ezram legis lectio publicè revocata, quid illis periodis legis nunc neglectæ, nunc productæ, orali contigit? Adeone ſiluiſſet hæc Spiritus S. in tam copioſâ rerum ſacrarum hiſtoriâ, ſiquidem legis iſtius aliquid fuiſſet? ita, præter & contra morem ſuum, nullo apice notaſſet rem tam pretioſam, adeo ſibi charam, populo utilem, qualis lex eſt? Quare, ex hoc iſtius rei ſilentio, bene argumentamur contra legem verè ἄγραφον.

Arg. Tertium. Addunt inſuper, Legem iſtam ſcribi *prohibitam.* Obſecro, & qui hoc probabunt? Ubi, quis hoc dixit? quis vetuit? An ſcripta lex? proferantur tabulæ. Oralis ipſa? ubi, & quando? Et quare tum conſcripta hodie, & lecta à mille annis fuit? In Codice *Gittim* dicunt, *cap.* 1. דברים שבכתב אין אתה רשאי לאומרן על פה, *Verba legis ſcriptæ non tibi licet ori committere, neque verba legis oralis ſcripto.* Similiter Sclomo Iarchi, in *Exod.* xxxiv. verſ. 27. ולא אתה רשאי לכתוב תורה שבעל פה, *neque licet tibi conſcribere legem oralem.* Sed hæc unde probant? Deus cum lege ſuâ ſemper alio pacto agere ſolitus, & commendare atque injungere hominibus omnimodam ejus doctrinam, & obſervantiam. Quæ ſcriptione, inter alia, valde promovetur. Atque ſic videretur conſultius legi orali ſc. etiam fuiſſe, ſaltem non nefas, legem, non ſolis Prophetis, ſed toti populo, ab initio traditam, vulgare, & conſervare ſcripto. Quod poſtea ſic cenſuiſſe dicuntur poſteri in elaboratione Talmudis. Atqui non licuit eam ſcribere. Cujus aut lex aliqua profertur; aut non. Si hoc, non fuit peccatum, eam quandocunque ſcribere: οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος οὐδὲ παράβασις. Sin ita, peccarunt Talmudici. Diſponere de præcepto, propter temporum conditionem, quid ni & aliis licuit, omnibuſque olim æque gravia paſſis, ac poſtea? Sed nos ad hominem hic diſputamus, & ex hypotheſi, ab Adverſariis jactâ. Cæterum uti non entis nullæ ſunt affectiones, ita de prohibitione legis ſcriptæ temere, niſi apud illos, diceremus.

Argum. quartum. Quidquid *legum* Moſes à Deo accepit, & populo tradidit, etiam *ſcripſit*, & ſcribere fuit juſſus. Exod. xxiv. 3. 4. *Et venit Moſes atque enarravit populo omnia verba Jehovæ, omnia judicia; atque reſpondit populus voce unâ, dixeruntque, omnia quæ dixit Jehova verba faciemus. Et ſcripſit Moſes omnia verba Jehovæ.* Moſes hic deſcendit

 à monte,

Digitized by Google

à monte, inſtructus omni lege, quam à Deo in monte acceperat, omnibus verbis, uti Sacra phraſis paſſim habet: atque omnia illa, mox à traditione, conſcripſit etiam. Nihil Moſem retinuiſſe aut ſubduxiſſe eorum, quæ Deus ei commiſerat ad populum perferenda, credere par eſt. Sic quoque, nihil ab eo prætermiſſum in ſcriptione. Nam tria hic narrantur de eo, quæ ſe mutuo ſubſequuntur: legem omnem *accipere* à Deo; eandem *tradere* populo; atque *ſcribere*. Nos ubique Moſis credimus fidelitatem, & tuemur. Quid negas? Omnem eum legem hic accepiſſe? At eam ob cauſam in montem vocatus à Deo fuit, & adſcendit. Hoc in monte egit, hoc populo retulit. *Omnia verba* dicuntur ideo in textu; & *omnia judicia*. Et qui omnia à Deo accepit, ita & retulit. Audivitque populus, *omnia quæ dixerat Jehova verba*. Eadem hic Moſis verba fuerunt, & Dei. Ideoque populus dicit, non tua, ſed Dei verba, & hæc quidem omnia. *Et ſcripſit Moſes omnia verba*. Quod aperto ore Iudæi nunc Moſi in faciem negant: ſed meliores illis Chriſtiani agnoſcunt, tenent, & propugnant. verſ. 7. *& accepit librum fœderis iſtius, & legit audiente populo*. Deinde verſ. 9. poſtquam iteratò adſcendiſſet Moſes in montem, accepit ibi, verſ. 12. *tabulas lapideas, & legem, & præceptum*, ita legendum. & ſic Iudæi Hiſpani *y la ley, y la encommendança. quod ego ſcripſi*, inquit Deus, *ad docendum illos*. Adeo ſcribi Deus leges ſuas voluit, ut ipſe eos ſcribere dignatus ſit, ſuoque hac in re exemplo Moſem præire & inſtruere. Ut & hinc Moſes ſciverit, ea quæ ſibi Deus deinceps loquutus fuit, ſcribenda eſſe. Unde cap ſequenti, in initio: *Et alquutus eſt Jehova Moſen, dicendo: dic filiis Iſraël*. Quod Deus ei dixit, retulit ad populum, ac ſimul ſcripſit. Ita illud *dic* interpretatus: non enim Deus inquit, *ſcribe*, ſed *dic*: Moſes autem iſtud non aliter intellexit, quam ut, quæ dicenda acceperat, etiam ſcriberet. Atque ita omnem legem, quam Moſes accepit à Deo, ita & populo tradidit, & poſteris ſcripſit. Nam quo pacto in legiſlatione Auctori propoſitum fuerit, non præſentibus, ſed & ſequuturis conſulere, ipſe alibi teſtatur, Deut. XXIX. 14, 15. *non cum vobis ſolis ego pango hoc fœdus, & hanc adjurationem: ſed cum eo qui adſtat hic hodie nobiſcum coram Jehova Deo noſtro, & qui non eſt hic nobiſcum hodie.* Quem in finem ſcriptionem adhibere optimum fuit. Unde etiam expreſſe hoc injunxit Moſi Deus. Exod. XXXIV. 27, 28. *Et dixit Jehova ad Moſem, ſcribe tibi verba iſta: quia juxta verba illa pepigi tecum fœdus, & cum Iſraële. Et fuit ibi cum Jehova quadraginta dies, & quadraginta noctes, cibum*

non

non comedit, & aquam non bibit, & ſcripſit Deus *in tabulis verba fœderis decem verborum.* Vide, ut ſcriptio legi conveniat: nam & Deus ſcripſit, & Moſes. Atque ideo ſcriptam legem tandem tradidit Moſes Sacerdotibus, ad fidelem ſanctamque cuſtodiam. Deut. xxxi. 9. *Et ſcripſit Moſes legem hanc, & dedit eam Sacerdotibus, filiis Levi, portantibus arcam fœderis Jehovæ, omnibuſque ſenioribus Iſraël.* Quam legem ipſis dedit, eandem & ſcripſit. De lege aliâ non ſcriptâ, nullum uſpiam teſtimonium, vel indicium. Verſ. 24. *Et fuit, quando abſolviſſet Moſes ſcribere verba legis hujus in libro ad eorum uſque finem,* עד תמם. hoc eſt illorum omnia. *præcepit Levitis portantibus arcam fœderis Jehovæ, dicendo, accipientes librum legis hujus, collocate eum à latere arcæ fœderis Jehovæ Dei veſtri, & ſit ibi vobis in teſtem.* Lex ita ſcripta in teſtem eſt, non quæ alia. Imo quodcunque aliud, ex legis illius teſtimonio examinari & judicari debet, quodcunque facti, & doctrinæ ſit, vel legis cujuſdam alterius ementitæ, qualis oralis eſt, ex lege illa coargui debet & repudiari. Hoc & iſto Ieſaiæ docetur loco, cap. viii. 20. *ad legem & ad teſtimonium.* Sequutus Moſem miniſter ejus fuit Ioſua, illiuſque exemplum in ſcribendâ lege, tum obſervandâ. Unde *cap.* viii. 32. dicitur, quod *inſcripſerit lapidibus* את משנ תורת *legis Moſis miſchnam, δευτέρωσιν, exemplum.* (Iudæi Hiſpani *aſegundamiento*) *quam ſcripſerat* Moſes *coram filiis Iſraël.* cap. i. v. 7. *non recedat liber legis hujus ab ore tuo.* ii. Reg. xvii. 13. *& conteſtabatur Jehova Iſraelem, & Iehudam &c. dicens, obſervate præcepta mea, ſtatuta mea, juxta omnem legem quam præcepi majoribus veſtris, quæque commiſi vobis per ſervos meos prophetas.* 37. *& ſtatuta, & judicia, & legem; & præceptum quod ſcripſit vobis obſervate ut faciatis.* Quoties legem Deus memorat, ſcriptam addit, & obſervantiam, quam poſtulat, ad hanc exigit & examinat. Neque, ob eandem cauſam, alia docetur, quàm quæ ſcripta eſt. ii. Chron. xvii. 9. *& docuerunt in Jehuda, habentes ſecum librum legis Jehovæ, & obiverunt omnes civitates Jehudæ docentes populum.* Nehem. viii. 3, 4, 6, 9. & xiii. 1. Dic mihi, ubi docuerunt legem non ſcriptam? Nec eſt quod dicas, factum hoc quidem, ſed non narrari in Scripturâ. Nam, præterquam quod hoc ex præconceptâ opinione & hypotheſi dicis, non ex veritatis ſenſu, vel animi, qui potes ſtatuere factum, & nullâ indicari id hiſtoriâ, quæ de omnibus legis negotiis adeo plena eſt & copioſa? Illa nunquam dixiſſet, quando legem alteram, ſiquidem fuiſſet ea, homines aut ſervaſſent,

 aut

Digitized by Google

aut docuiſſent? Quando lex Moſis, ejuſque memoratur obſervantia, additur vel intelligitur ſemper ſcripta, hujus præcepta, hujus officia, atque inde conſueta in ſacris formula, *Sicut ſcriptum eſt in lege Moſis.*

Arg. quintum. Lex ſcripta *perfecta* eſt, & ita quidem, ut nihil ei addi vel demi poſſit, debeatque. Ac proinde oralis alia ſuperflua, & nulla. *Pſalm.* XIX. verſ. 8. תורת יהוה תמימה, *Lex Jehova perfecta, convertens animam, teſtimonium Domini verax, ſapientem reddens ſimplicem* &c. Ad quem locum adjungo verba Ioſephi Albo, Hiſpani, *ſermone* III. *cap.* XXV. prout eum tranſtulit Genebrardus ipſe: *Falſum quoque eſt, & planè veritati diſſentaneum, legem, quod ad formam pertinet, imperfectam eſſe: in cunctis enim partibus omnis generis perfectorum abſoluta eſt.* Pergit, *conſtat omni genere perfectionis legem noſtram cumulatam, abſolutamque eſſe. Ac id quidem à Davide compendioſe ſignificatur, dum eam commendat, à quatuor cauſarum generibus: lex Domini, inquit, perfecta, convertens animam.* Addimus ad locum Pſalmi, pro legis ſcriptę perfectione, Deut. IV. 1, 2. *Et nunc Iſrael audi ſtatuta & judicia, quæ ego vos doceo ut faciatis, quò vivatis, atque ingrediamini, & poſſideatis terram, quam Jehova Deus Patrum veſtrorum dat vobis. Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque auferetis ab eo, ſed ſervabitis præcepta Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Eadem Moſes repetit *cap.* XII. verſ. ult. *Statuta*, inquit, *judiciaque*, quibus nominibus paſſim lex ſcripta indigetatur. Nil de lege orali: quam vel primo loco exprimere oportuiſſet, utpote præſtantiorem, ſecundum Iudæos, lege ſcriptâ. Sed nunquam, nuſquam Deus aliquid de iſta lege vel dixit, vel præcepit. Imo quod nihil legi ſcriptę addi Deus tam expreſſe cavit, oralem illam transfigit & condemnat manifeſte: neque enim hoc leve additamentum, novam legem adjungere, quin & præponere. Prov. XXX. 5, 6. כל-אמרת *omnis ſermo Dei purgatus eſt, ſcutum recipientibus ſe ad ipſum: ne adjicito ad verba ejus, ne corripiat te, & conſtituaris mendax.* Ieſa. VIII. 20. *ad legem, & ad teſtimonium.* hoc legis ſcriptæ eſt: *quod ſi non loquantur ad verbum hoc, non ei aurora* cuicunque. Ponamus hominem accedere aliam quam legem adſerentem, & novam: annon hoc inter alia contra eum pugnabimus argumento, quod ea, quam habemus, lex perfecta ſatis eſt, cui addi quidpiam nec poſſit, nec debeat? & ſi alibi, quare non & hic valet argumentum idem contra legem oralem?

Digitized by Google

lem? Perpendamus legis perfectionem, omnimodam illam, adeo non perfectionem, ſed abundantiam & copiam, ut nihil ſit creditu, factu, ſperatu ad ſalutem, ad religionem neceſſarium, quod non ex Scripturâ doceri queat. Quorſum nunc lex alia, lex non ſcripta, quum ſcripta ſit omnibus numeris plena & perfecta? Et hanc qui ſervat, qui mores & vitam ad eam componit, annon dices religioſe ſatis vivere; atque quantum ad ſalutem ſit neceſſarium? Quorſum ergo lex alia? Proferant Judæi atque enumerent quæ neceſſaria ad religionem & ſalutem exiſtiment, neque in lege contineantur: nos oſtendemus, vel non neceſſaria eſſe, forte nec vera; vel, ſi talia, lege edoceri. Attendant ſemper probè, duo ab illis exigi, dogmata quæ *neceſſaria* ſunt, & *nullibi* in *lege* ſignificentur vel comprehendantur. Quarumcunque legum iſta eſt natura, ut plurima complectantur; nempe omnia quę, quamvis ſpeciatim non expreſſa, ad illud caput pertinent. Neque ullius Scripturę major eſt latitudo, quam legum.

Non eſt quod dicant, nos Chriſtianos quoque præter legem, Euangelium habere & ſequi. Nam hoc non alia lex eſt: valdeque incommode & improprie nonnulli, & per magnam κατάχρησιν, legem appellant. Quidquid præceptorum, legis: euangelium promiſſionem loquitur gratię, ſalutiſque. Interim quę legis ſunt, & ad mores ſpectant, applicat quidem etiam ad hoc vel iſtud ſubjectum, quod vel lex ignoret. Tum Scriptura eſt euangelium; idque nos in tabulis oſtendimus à Dei eodem Spiritu, unde reliqua Scriptura, promanaſſe; non quod in hominum ore hæreat vel cerebro.

Arg. ſext. In omni *obſervantia*, quam Deus à nobis exigit, nunquam exigit obſervantiam aliam, quam legis ſcriptę: quod argumento eſt, aliam nullam legem eſſe, vel non obſervandam: quod ſi non obſervanda, neque lex eſt. Age proferant unam legem, unum legis jota, quod pro orali alia lege loquatur, eamque commendet. Nos in totâ Scripturâ videmus ubique ad ſcriptam legem obedientiam omnem reſtringi. Deut. XI. ult. *Et obſervetis facere omnia inſtituta atque judicia, quæ ego hodie coram vobis trado.* ſcripta intelligit, nam ſic paſſim ea vocantur, inſtituta & judicia; & illa populo traduntur; & mox ea Moſes conſcribere aggreditur, cap. ſeq. *Hæc illa ſtatuta & judicia, quæ obſervabitis faciendo.* Cap. X. 12, 13. *Et nunc Iſrael, quid poſtulat Dominus tuus à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, ut eas*

in omnibus viis ejus, & ut diligas ipſum, atque ut ſervias Domino Deo tuo omni corde tuo, & omni animâ tuâ. Ad ſervandum mandata Domini & inſtituta, quæ ego hodie tibi præcipio in bonum tibi. Deum diligere, & ſervire ei, prout oportet, tum mandata ejus ſervare, ſcriptura ſatis ſuperque exponit, atque eo continetur omne quod ad religionem eſt neceſſarium, ad obtinendam promiſſionem, ut benè tibi ſit, atque ad iſtam regulam exigitur omnis cultus, obſervantia omnis: quare hæc Scriptura & perfectiſſima eſt, & obſervatu ſola neceſſaria, atque ſufficiens. Cap. XXVIII. 1. *Et erit ſi audiendo audieris ad vocem Jehovæ Dei veſtri.* hæc ſcripta. *ut cum obſervantiâ faciatis omnia præcepta ejus, quæ ego vobis hodie præcipio* &c. verſ. 58. *quod ſi non obſervetis facere omnia verba legis hujus, ſcripta hoc in libro* &c. Vides aperte, ad ſcriptam legem exigi obedientiam omnem. Cap. XXXIX. 9. *& ſervabitis verba fœderis hujus, & facietis ea.* Cum *verba* dicit, ſcripta intelligit. verſ. 19. *neque ſit cum audierit verba adjurationis hujus.* 20. *incumbet ei omnis adjuratio, quæ ſcripta in libro hoc.* Cap. XXX. 20. *Diligendo Iehovam Deum tuum, auſcultando voci ejus.* Cap. XXXII. 45. *quumque abſolviſſet Moſes eloqui omnia hæc verba omnibus Iſraëlitis.* Eadem quę dixit, ſcripſit etiam. 46. *& dixit iis, adjicite animum ad omnia verba, quæ ego vobis hodie atteſtor, quæ præcipietis filiis veſtris, ut obſervantes faciant omnia verba legis hujus.* Hæc lex obſervanda, non quę alia, hæc liberis commendanda, atque huc animum adjicere oportet parentes, poſteroſque. Itane legis oralis nihil uſpiam, non Deus ullibi eam memoraſſet, non ejus efflagitaſſet obedientiam, ſiquidem in rerum naturâ extitiſſet, quando tam copioſe & ſollicite cavit legi, ejuſque obſervantię? nemo dicet, niſi cui conſtitutum, pertinaciter errare. Ioſ. I. 7, 8. *modo ſis fortis & confirmare valde ut obſervando facias ſecundum legem quam præcepit tibi Moſes ſervus meus, ne recedas ab ea dextrorſum aut ſiniſtrorſum, ut ſecunderis quocunque iveris.* Et ne dubites iſta locutione legem ſemper ſcriptam innui, mox addit: *non recedat liber legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut obſerves facere ſecundum omne quod in eo ſcriptum: nam tunc proſperaberis viis tuis, & tunc ſecundaberis.* Cap. XXIII. 6. *Confortabimini ergo valde, ut obſervetis & faciatis quidquid ſcriptum eſt in libro legis Moſis, ne recedatis ab eo dextrorſum, aut ſiniſtrorſum.* II. Reg. XIV. 6. *Filios vero percuſſorum non affecit morte: ſicut ſcriptum eſt in libro legis Moſis præcepiſſe*

cepiſſe Jehovam, *dicendo* &c. Idem eſt II. Paral. XXV. 4. Et cap. XXX. 18. *non mundaverant ſe quando ederent Paſcha. non ſecundum quod ſcriptum eſt*. Atque hæc omnis obſervantiæ tum regula, tum formula eſt, facere quemadmodum ſcriptum, quemadmodum in libro legis eſt &c. Unde rite concluditur, quod, quum obſervantia ad ſcriptam legem ſemper exigitur, & ad eam ſolam, fruſtra alia quæ lex adfertur vel confingitur.

Atque hæc noſtra ſunt argumenta, tum contra Judæorum legem, quam ajunt, *oralem*; tum pro legis ſcriptæ *perfectione*. Sed etiam hoc in negotio habemus adſtipulantes nobis integras, inter Judæos, *Sectas*, nedum Doctores, & Rabbinos. Soli Phariſæi illi ſunt, qui traditiones propugnant; atque hi poſt tempora Macchabæorum, ex ſchola Hillelis & Schammai. Unde Hieronymus ſcripſit, in Jeſa. VIII. *Sammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi*. Et deinde: *Sammai igitur & Hillel, non multo prius quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Judæa: quorum prior diſſipator interpretatur: ſequens vero profanus: eo quod per traditiones & δευτερώσεις ſuas legis præcepta diſſipaverunt*. Zadducæi ipſo inſtituto Phariſæis adverſi, τὴν συνήθειαν Φαρισαίοις ἀσύμφωνον, inquit Joſephus, habentes, traditiones omnes rejiciunt, & ſolam tenent Scripturam. Et antiquiores his Samaritani. Inque eadem ſententia Eſſeni. & quicunque à Iudæis קראים *Karaitæ*, vel *Karæi* appellantur, quaſi Lectores, & Scripturarii homines. Non quod Karæi ſint omnes Zadducæi, quamvis eandem cum Karæis ſententiam ſequantur Zadducæi. Sed ſive Karæi ſit nomen appellativum, ſtudii & *profeſſionis*, denotans omnes ſoli מקרא Scripturæ adhærentes, quod faciunt Zadducæi, Samaritani ſive Cuthæi & Eſſeni; ſive nomen *Sectæ* diſtinctæ proprium, in hoc à Iudæis Phariſæis diverſæ, & alias quoque à Zadducæis, cæteriſque ſectis; magno illi ſemper fuerunt apud Iudæos numero, qui partes has ſequuti ſunt. Primi Phariſæis ſe oppoſuere Zadducæi. Atque quæ Zadducæis, eadem fuit ſententia Samaritanis. Poſt illos, Eſſeni, ſive Eſſæi. Maimonides, in Abbot, cap. I. והם אשר התחלו להשיב על הקבלה, *& ipſi*, de *Zadducæis* loquitur, *inceperunt contradicere Kabalæ*. Ioſephus, Antiq. lib. XVIII. cap. II. φυλακῆς δὲ οὐδαμῶν τινῶν μεταποίησις αὐτοῖς, ἢ τῶν νόμων, de iiſdem loquitur, *neque quidquam præter legem ſervandum exiſtimant*. Lib. XIII. cap. XVIII. narrat hiſtoriam, ex qua de ſententia Zadducæorum, & eorum numero, ac factione colligi tuto poteſt. *Nec deſtitit*

deſtitit Jonathas furenti calcar addere, in tantum ut deſertis Phariſæis ad Zadducæos deficeret, et abrogatis illorum conſtitutionibus earum obſervatores pœnis afficeret; atque hinc factum eſt, ut et ille et ejus filii parum gratioſi apud vulgus fuerint; quemadmodum aliàs oportunius dicetur. Nunc enim indicandum eſt, quod multas conſtitutionum à Majoribus per manus acceptas ἐκ Πατέρων διαδοχῆς *Phariſæi tradiderint populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſaïcas, et ideo Zadducæi his authoritatem abrogant, dicentes oportere eas tantum ſervari, quæ ſcripſit continentur,* τὰ γεγραμμένα. *Atque hinc magna inter utroſque exorta eſt controverſia, dum ditiores ſtant à Zadducæorum partibus, Phariſæi vero cætera multitudinis nituntur favoribus.* Videmus ſententiam Zadducæorum, & quota populi pars pro eâ ſteterit. Ioſephus Gorionides *hiſtor. Judaic. lib.* IV. *cap.* VI. ſec. editionem Munſteri, vel edit. Venetę (quâ uſus Druſius in comment. *de Haſidais*) cap. XXXIX. *Phariſæi dicebant: ſervemus legem, quam* מסרו *tradiderunt Patres noſtri in manus noſtras* בידינו מפורשת על פי החכמים אשר פרשו את התורה לקבלה *expoſitam juxta os ſapientum, qui expoſuerunt legem per Kabalam. At Zadducæi dicebant: ne credamus, et ne audiamus* לכל מסורת ולכל פורוש *ullam traditionem, aut ullam expoſitionem,* כי אם לתורה משה לבר *niſi legem Moſis ſolam: et Cuthæi ſequebantur iſtis diebus Zadducæos: erantque in Iſraele Zadducæi pars una.* והחסירים לבדם *et Chaſidæi ſoli, cum populo, qui ſequebatur eos, pars altera.* Atque ejuſdem libri *cap.* XIII. Regina Alexandra Ariſtobulum filium ſuum conſtituit בראש *caput Zadducæorum, et principem militiæ. Etiam miſit, atque eduxit è carceribus omnes è Phariſæis captivos, confirmavitque omnem eorum legem,* כל התורה אשר להם *omnes traditiones eorum* (ſic vertit Munſterus) *quas irritum fecerat Hyrcanus ſocer et Alexander maritus ejus.* Elias Tiſbi, quem appellant, in voce צדוק. hoc habet, כפרו בהורה שבעל פה ולא האמינו רק מה שכתוב בתורה שבכתב. *negant legem oralem, neque fidem habent niſi legi ſcriptæ.* Quod verò nonnulli putarunt, Zadducæos ita ſolam legem recipere, ut ſolos etiam agnoſcerent libros Moſaicos, cæteros repudiarent, error eſt: nam *ſolam* legem dicuntur accepiſſe, oppoſite ad traditiones legis Phariſaicas, non ad alios Scripturæ S. libros. Quod cum ab aliis monſtratum, tum à Joſepho Scaligero, in *Elencho Trihæreſii, cap.* XLVI. Johanne Druſio, *de trib. Sectis, lib.* III. *cap.* IX. Menaſſe ben Iſrael, *lib.* I. *de Reſurrect. cap* VI. *certum eſt eos non negaſſe librorum propheticorum authoritatem, ut ex Talmu-*

Digitized by Google

Talmude liquet. Vel, Propheticos libros quidem non rejeciſſe eos; at inferiori loco & authoritate habuiſſe Moſaicis, cenſet Voſſius, *lib.* I. *de Idolol. cap.* X.

De *Samaritanis* aliquid audivimus ex Joſepho Gorionide, videlicet in contentionibus Zadducæorum cum Phariſæis, illos ſequutos fuiſſe Zadducæos. Rabbi Benjamin Tudelenſis, in Itinerario, diſtinguit רבנים *Rabbanim*, ſeu Rabbanæos, qui traditionibus inhærent; & קראין *Karaos*, *ſoli Scripturæ attendentes*; & כותיים *Cuthaos*, ſeu Samaritanos, deque his, *pag.* 38. inquit כותיים שומרים תורה משה לבדה, *Cuthæi ſolam Moſis legem obſervant.* Et Joh. Morinus, Exercit. I. in Pentateuch. Samaritanum, de iiſdem: *litteræ mordicus adhærent, omneſque traditiones exſibilant, hac in cauſa Iudæis quibuſdam, qui* קראים *ſeu Scripturarii à popularibus ſuis dicuntur, conſentientes.* Conſentiunt iiſdem; iidem vero non ſunt Karæi, & Samaritani. Diſtinguitque eoſdem plus quàm uno in loco Benjamin ille Tudelenſis.

Sed etiam à Zadducæis diverſi Karæi. quod adverſus Serarium Scaliger docuit, *Tribæreſ. cap.* II. *et* XXII. Atque *lib.* II. *de Emendat. temporum.* Druſius, *de Sectis lib.* III. *cap.* VII, VIII, XIII. & *in Matth.* XXII. 23. Buxtorfius, *Lexico Talmud.* in voce קרי. Theodoricus Hackſpan, ad *R. Lipmannum*, *in Præfation. pag.* 249. Hottingerus, *Theſauro Philologico. pag.* 40. Karæi adeo quidem traditiones horrent, ut etiam puncta vocalia ſuis libris adſcribi non patiantur, quia illa pro oralis legis parte haberi putant, uti docet Auctor *Coſri*, *part.* III. Karæi reliquis Judæis quanto meliores, eo magis infenſi, ab iiſque variis paſſim lacerantur convitiis & injuriis. Nec modo Karæum neminem in Synagogam & cœtum ſuum admittunt alii, ſed etiam quando quis ex illis ad ipſos tranſire cupit, non mox recipiunt, ſed (ſiquidem Ritangelio fides *ad librum Iezira pag.* 33.) jubent eum primo ad Turcas, vel Chriſtianos abire, ut hoc modo magis à Karaiſmo purgetur, ſcilicet adeo difficulter eluendo. Atque ita infra Turcas, & Chriſtianos illos collocant, magiſque abhorrent, quam iſtos. Inde & Zadducæos illos per convitium appellant. Verè Victor à Carbe, *lib.* II. contra Judæorum errores, *cap.* III. *Moyſi præcepta longe aliter, ac melius forte et tradunt, et ſervant qui inter vos Coraym appellantur; qui nec uſuras committunt, ut vos utique facitis. Unde et hi viri Zadducæi creduntur.* Sunt Karæi

 aliquo

Digitized by Google

aliquo numero in Poloniâ, Ruſſiâ, Turciâ. etiam Africâ, quod Leo Africanus teſtatur, *lib.* II.

In reprobandâ lege orali, & traditionibus, Zadducæis *Eſſeni* etîam accedebant. Menaſſe Conciliat. in Exod. qu. *L. pag.* 177. *Phariſæi ſolas Traditiones ſequebantur,* צדוקים ואיסיאי *Zadducai et Eſſai, hi alio nomine* ביתוסים *Baitoſim appellati ſunt, (de quibus agit R. Natan in Abot cap.* V. *et R. Selomoh in Baba Batra cap.* VIII.*) eandem rejiciebant, ut traditur in Gemara Joma cap.* I. *Megilat Tahamit, cap.* I. IV. & X. *Kiduſin cap* III. *Cuzari lib.* III. *commentario quem compoſuit R. Moſes ad primum cap. Abot. et Holin, ac Nahalat Abot Iſaci Abravanelis.* Idem *lib.* I *de Reſurrect. cap.* VI. quum de Zadducæis dixiſſet, quod *omnes explicationes et traditiones negarunt*; de Baytoſæis addit, quod compoſitum nomen ſibi videtur ex בית & איסיאי bayt & Eſſæi, hoc eſt, domo Eſſæi, *cùm illi*, vid. Eſſeni, cum Zadducæis, *in negatione traditionum conveniant, ad unam claſſem revocari ſolent.*

Miror valde doctiſſimum virum Joſephum de Voiſin, in Obſervationibus ad Procœmium Martini Raymundi, traditiones Phariſaicas *ſanctas* appllare, & Zadducæorum cauſam hac in parte paſſim perſtringere. Bene eſt, quod aliis in rebus, hęreſibuſque Zadducęos rejicit, ſed in negotio traditionum Phariſęorum partes ſequi Chriſtianum velle, hoc eſt Chriſtum hactenus deſerere, & ejus aſſiduas acreſque cum Phariſæis, ſuper eodem traditionum negotio, contentiones tacite reprehendere. Nam in Phariſæis Chriſtus exagitavit, non modo quod traditiones aliquas impias legi addidiſſent, vel oppoſuiſſent veriùs, ſed quod præter Scripturam, & legem Moſis, ad quam illos proinde, ejuſque lectionem perpetuo revocat, alia docerent. Scio quò tendat vir doctiſſimus, dum Judæorum traditiones propugnat, videlicet ut eâdem operâ & patrocinio comprehendat traditiones Eccleſiæ ſuæ Romanæ, in quo vir iſte nimis quam decet laborat aliquando, & nomen eruditionemque ſuam turpiter proſtituit, ut ex Iudaicis ſcilicet res Romanas commonſtret & deducat. *Conſtat,* inquit, *traditiones veras à Moſe, uſque ad Chriſtum perductas eſſe perpetua ſerie: Chriſtus enim in Euangelio ſecundum Mathaum cap.* 23. *ait: ſuper cathedram Moſis ſederunt ſcribæ et Phariſai: omnia ergo quacumque dixerint vobis ſervate et facite.* Quas traditiones veras? ἀγράφους, & extra Moſis ſcriptam legem? Falſum. Atqui dixit Chriſtus, Phariſæos & Scribas ſedere ſuper cathedram Moſis? num hæc eſt cathedra traditio-

ditionum, ſub Moſis nomine ac authoritate falſo confictarum? nihil minus, ſed cathedra doctrinæ Moſaicæ: & quam ſuis illi traditionibus indigne prophanabant. Deinde magis animum & ſcopum ſuum prodit vir doct. pergens: *quemadmodum in veteri lege Conſiſtorium magnum Ieroſolymitanum fundamentum erat traditionum legitimarum, ſic apud nos ſedes Romana fundamentum eſt traditionum noſtrarum.* Inde confert Pontifices ſuos Romanos, eorumque ſucceſſionem, cum ſucceſſione Pontificum Romanorum: in hoc uno certe, ſupra quam vellem, ineptus. Sed hoc jam non agimus, ut latius oſtendamus. Longe melius hac in cauſâ diſputavit Finus, *flagello in Iudæos, lib.* IX. *cap.* II. ubi ita: *Nos autem Chriſtiani unam tantum legem dediſſe Moyſem dicimus: quam licet Deus ſibi bifariam dederit: hoc eſt partim in ſcriptis: hoc eſt in duabus Tabulis lapideis, & partim voce tantum: tamen una, et eadem lex fuit. Et licet eam partem, quam voce tantum habuit Moyſes, propalaverit ipſe Moyſes voce tantum: ſicut voce ipſe habuerat: et hoc variis in locis, et diverſis temporibus: prout temporis opportunitas ſibi poſcere videbatur: tamen eam legem totam: hoc eſt tam in ſcriptis habitam, quam voce datam, in ſuo legis Volumine in ſcriptis redegit. Et ſic omnia tam in ſcriptis habita, quam voce tantum data in ſuo legis Volumine contineri, & deſcripta eſſe dicimus, et aſſeveramus. Quod Volumen legis Pentateuchum Moyſis eſſe fatemur, et tenemus.*

Poſtremo loco videndum nobis, ſi quid Judæi pro ſe, & ſua ſententia adferre queant. Obſervamus, illos aliquid ex *Scripturâ* adducere, tum *ratione*. Singula examinanda, & ordine, quem ipſi illis dabimus commodiſſimum.

Primò locum Scripturæ proferunt, in quo videatur aliqua legis oralis facta mentio. Exod. XXXIV. 27. *Et dixit Dominus Moſi*, כתב *ſcribe tibi verba iſta, nam* עַל־פִּי *juxta verba iſta pepigi fœdus tecum & cum Iſraele.* Vides, inquiunt, quod ſit hic duplicis legis mentio, & ſcriptæ, *ſcribe tibi*; & oralis, nam *ſecundum os* horum verborum fœdus meum vobiſcum eſt. Ita argumentantur in Gemara *Gittin*, *cap.* V. & *Temura*, *cap.* II. Menaſſe *Conciliat. in Exod. qu. L. pag.* 168. R. Iſaac Carbelenſis in *Ammude gola*, ſive libro præceptorum parvo, fol. 39. אל תחשוב, *ne exiſtimes, quod fundamentum ſit lex ſcripta, quin potius fundamentum eſt illa quæ ore tradita; nam propter legem oralem initum eſt fœdus, ſicut ſcriptum eſt; quia juxta verba hac pango tecum fœdus, et cum Iſraele. Et hæc ſunt theſauri Sancti benedicti. Sciebat enim futurum*

ut Iſraelitæ tranſportarentur inter alios populos, et quod tranſcripturi eſſent gentiles libros ipſorum, idcirco noluit ſcripto tradi legem oralem. & Halichot olam, cap. I. in initio. Hoc primum, & fortiſſimum quidem eorum videtur argumentum, ſed ut verum fatear, cujus me pudet, non aliud haberi legis firmamentum. *Reſpondeo.* I. Probetur à Judæis על־פי ſignificare תורה שבעל פה : hoc enim imprimis negamus, & demonſtrandum ipſis eſt. II. על־פי ſimpliciter hic eſt præpoſitio, *ſecundum*, non vero פי diſtinctum nomen. Judæi Hiſpani *por dicho* vertunt. *Por dicho de las palabras juxta dictum verborum.* Paſſim על־פי ſignificat *ſecundum* על־פי Levit. XXVII. 8. אשר תשיג *ſecundum quod manus ejus attigerit.* eodem capite, verſ. 18. על פי *juxta annos reliquos.* Hiſpani utrobique legunt *à ſegun, ſecundum.* Prov. XXII. 6. *inſtrue puerum juxta viam ejus.* Eodem modo habent Hebræi כפי, & לפי : nec in iis ſenſus eſt, ſecundum os. III. על־פי הדברים *juxta verba iſta*, refertur ad priora. quæ vero iſta verba? ſcilicet de quibus dictum erat, *ſcribe tibi* verba iſta. Chaldæus uterque & Onkelos, & Uziel, על מימר פתגמיא האלין, relativum utrumque eſt *iſta, iſta*, & quidem duplex הדברים האלה. IV. Turpis eſt petitio ejus quod in quæſtione, dicere, intelligi legem oralem, & quod juxta eam fœdus à Deo pactum ſit; quum hoc juxta legem ſcriptam initum perquam multis locis aſſeratur.

Secundò objiciunt Exod. XXIV. 12. *Et dixit Dominus Moſi, adſcende ad me in montem, & ſis ibi, atque dabo tibi tabulas lapideas,* והתורה והמצוה אשר כתבתי *& legem iſtam & præceptum quod ſcripſi, ad docendum eos.* Quod in Maſſechoth *Berachoth* fol. 5. ita exponunt: *quid eſt illud, quod ſcriptum legitur: & dabo tabulas lapideas, & legem & præceptum, quod ſcripſi ad docendum ipſos? tabulas, eæ ſunt decem præcepta; id eſt, S. Scriptura* מקרא; *& præceptum, id eſt Miſchna; quæ ſcripſi, nempe Prophetica & Hagiographa; ad docendum ea ipſos, hæc eſt, Gemara.* מלמד שכולם נתנו למשה מסיני, *quibus docemur, omnia iſta data eſſe Moſi è monte Sinai.* Atque ita quidem hic iſti argumentantur; & R. Selomo Jarchi, & Aben Ezra, & Maimonides, in principio ſui *Iad.* Verùm *reſpondeo.* I. Probanda ſunt, quæ hic impudenter, & fruſtra ſumunt; nam illa controverſa ſunt. Oſtendatur, per præceptum Miſchnam intelligi; deinde & Gemaram: æque facile, & majori jure hæc negamus, quam Judæi iſta leviter aſſerunt. II. מצוה *præceptum.* an Miſchnam ſignificat? nunquam, nuſpiam; quum tamen infinities hoc nomen in Sacris uſurpetur. In genere dicit, id quod Deus præ-

Digitized by Google

præcipit. Jam præcepta legis conſcripta annon מצוה? qua ergo ratione ſeclusis iſtis ad Miſchnam trahitur? III. Doce diverſa eſſe, מצוה, & תורה. Dico enim copulativam *&* ו eſſe ἐξηγητικὸν, uti crebro; ut ſenſus ſit, *& legem, hoc eſt, pracepta*: vel disjunctivum; *& legem, ſive pracepta*. IV. expreſſe in textu additur, præceptum, *quod ſcripſi*; ergo non intelligitur lex oralis quæ non ſcripta. II. *Reg*. XVII. 34. dicitur de Samaritanis, quod non fecerunt כתורה וכמצוה *juxta legem, & juxta praceptum, quod Deus Iſraëli praceperat*. quodnam autem hoc ſit, explicat verſus ſequens: *nam pepigerat Dominus Deus fœdus iiſcum*, ויצום *praceperatque iis, dicendo; non timebitis Deos alienos, neque procumbetis illis, neque ſervietis iis, neque iis ſacrificabimini: ſed Dominum, qui vos eduxit è terra Ægypti*, &c. Vides, מצוה, *praceptum*, quod Deus צוה non eſſe Miſchnam, legem oralem; ſed præceptum ipſum Decalogi? Pergit verſ. 37. *Et conſtitutiones & judicia* והתורה והמצוה *& legem, & praceptum*, אשר כתב לכם *quod ſcripſit vobis, ſervabitis* &c. מצוה ergo *praceptum* eſt decalogi, & quod *ſcripſit* Deus: uti in Exodo, *& legem, & praceptum, quod ſcripſi*. Deut. XXX. 10. *Audi vocem Domini Dei tui, ut ſerves pracepta ejus* מצותיו, *& ſtatuta ejus* הכתובה בספר התורה הזה *conſcripta in libro legis hujus*: præcepta ergo מצות ſunt legis ſcriptę.

Tertiò objiciunt Exod. XVIII. 16. ubi Moſes Jethroni genero ſuo inquit: *quando iis*, nimirum populo, *aliqua cauſa eſt, ad me accedunt, & judico inter fratrem, atque ſocium ejus, & indico ſtatuta Domini, & leges ejus*. Similiter Deut. XVII. 8, 9, 10, 11. *quando gravior vobis videbitur aliqua cauſa judicii inter ſanguinem & ſanguinem* &c. *ſurges, atque adſcendes in locum, quem Dominus Deus tuus elegerit. Et venies ad Sacerdotes Levitas, atque ad judicem, qui illis diebus erit, & expones* rem, *atque ſignificabunt tibi rem judicii. Atque facies* על־פי הדבר *juxta verbum, quod ſignificaverint tibi è loco iſto, quem elegerit Dominus, & ſervabis quacunque docuerint te.* על־פי התורה *juxta legem, quam docuerunt te, & juxta judicium, quod dixerint tibi, facies, non abſcedes à verbo, quod ſignificaverint tibi, dextrorſum aut ſiniſtrorſum*. Menaſſe ben Iſrael Conciliat. in Exod. qu. I. pag. 177. *Ut dubitandum non ſit*, inquit, *Traditiones, ſeu legem oralem maxime neceſſariam eſſe. Eamque ob cauſam* Exod. XVIII. 16. *jubetur Iſrael de gravibus quaſtionibus Moſem conſulere; quod opus haud erat, ſi omnia in lege clara fuiſſent. Sed quia non omnes aque recte eam intelligebant, neceſſarium* Deut. XVII. 9. *eſſe dicitur*

ab

Digitized by Google

ab unoquoque conſuli ſui temporis Prophetam. Ideoque Moſes legem ſacerdotibus Levi filiis tradidit, ut eam cæteris interpretarentur; neque expoſitiones illas ſcribere voluit, quia ore tradita melius intelliguntur; ſcripta autem ſæpe ambiguos habeant ſenſus. In hunc ſcilicet modum, ex iſtis ſcripturæ locis, pro lege ſuâ orali concludunt Judæi. *Reſpondeo.* I. Non facit elenchum argumentatio: propoſuerat quidem probandum ſibi Auctor, legem *oralem* eſſe maxime *neceſſariam*; ſed concludit longe quid aliud, nimirum non omnia in lege *clara* eſſe: at hoc non eſt τὸ κρινόμενον, ſuntque admodum diverſa, diſputare de legis perfectione, an perſpicuitate; vel, num præter legem ſcriptam, ſit adhuc alia oralis, aut an ipſa ſcripta ubique ſatis clara ſit? II. Non omnia in lege clara fuiſſe, evincit quidem, neceſſariam eſſe legis *expoſitionem*; non vero aliam ſecundam legem. Illud fatemur lubentes; hoc nequaquam. III. Non ita ſimpliciter adverſus claritatem legis diſputandum, quin in Scripturam, atque in Deum legis hoc pacto inique incurres. Legem etenim *claram* eſſe non uno in loco teſtatur Deus; quare lumini, & lampadi comparatur, *Pſalm.* XIX. & CXIX. IV. Clara ſatis lex eſt, quamvis non *omnia* in eâ, nec *æque* clara ſint. Quæ ad ſalutem, atque ad religionem neceſſaria, ea ſatis dilucide traduntur. V. Neque *neceſſitas* expoſitionis infringit legis claritatem; nam & certiſſimorum, maximeque manifeſtorum adhuc adhibetur explicatio. In Scripturâ clara ſaltem aliqua eſſe negaverit nemo; eadem tamen & in Judæorum commentariis, & concionibus exponuntur. Res in ſe utut clariſſima objectivè, explicatur nihilominus, cum ob hominum ignorantiam ſubjectivam, tum ut preſſius non explicari adeo, ac quidem applicari hominum animis poſſit. VI. Ergone per traditiones lex eſt jam explicatior? obteſtor omnes, qui Miſchnam unquam legerunt, annon lege ipsâ multò hæc ſit *obſcurior?* VII. Tantumque abeſt, ut ea ſit legis perfecta nunc, & dilucida expoſitio, ut ipſa ſuâ utraque ſatis vaſtâ & prolixâ *Gemarâ*, ceu commentario, nimis quam contentioſo, & tenebricoſo, opus habeat. VIII. *Moſem* conſulere de gravioribus, & magis ambiguis neceſſe habuit populus, ut Doctorem divinum; ſed eo non teſtabantur, eum *aliam* inſuper *legem* habere, præter ſcriptam. Ut hodie etiam Rabbini Judæorum à ſuis conſuluntur, & quidem ſuper ſenſu legis (quam dicunt) oralis, qui eo tamen non profitentur ſe aliam inſuper habere legem. Imo ſi in lege orali omnia jam ſatis clara & explicata, contra ac in lege ſcriptâ, *nihil Doctorum*, nihil

nihil commentariorum, vel expoſitionum neceſſarium foret: ſecus ac ſit apud ipſos Judæos. Tum, ut ad Moſem ſæpe acceſſerit populus interrogatum de variis in lege dubiis, & caſibus, ipſe tamen Moſes in multis iſtius generis quæſtionibus coactus fuit ſingulare *Dei reſponſum* perquirere, quod argumento erat, non talem aliquam legem ore ipſum à Deo accepiſſe, quę omnia legis clariſſimè expediret. IX. Non negamus, omnes tempore Moſis, ac Prophetarum, legem non æque rectè intellexiſſe, vel conſulendos ſemper Prophetas fuiſſe, vel Sacerdotes ex officio legem interpretari debuiſſe, vel non omnes iſtas interpretationes ſcriptas eſſe; ſed præter legem ſcriptam, ejuſque jugem ſecundum ejus ſenſum expoſitionem, aliam oralem, aut Moſem à Deo accepiſſe, aut Sacerdotibus, vel Prophetis relictam, & eam conſcribi vetitam fuiſſe, hoc negamus. X. Non ſemper ore tradita, ſcripto ſunt dilucidiora, vel certiora: ſæpe ore tradita minus intelliguntur, ſenſuſque habent magis ambiguos. Nunc lex oralis dicitur in Talmude conſcripta, ſed an ideo nunc melius intelligitur? loquor ad hominem: vel nonne infinito plures habet difficultates & ambiguitates, quam unquam habuit lex ſcripta? XI. Denique in loco Deuteronomii dicuntur reſponſuri Sacerdotes על־פי התורה *juxta legem* vel juxta *os*, aut ſenſum legis, non oralis; neque hoc iſtis verbis contineri, ſuperius jam oſtendimus.

Hæc *Scripturæ* loca objiciunt Judæi, nunc *rationes* audiamus, ne quid deſugiſſe, vel diſſimulaſſe videamur.

Quarto ſic ratiocinatur R. Menaſſe ben Iſrael, Conciliat. in Exod. quæſt. L.

Supereſt, ut neceſſitatem quoque Legis ore traditæ probemus. Quâ in re, ob brevitatem, ſolas quæſtiones proponemus, conſultò prætermiſſa earum ſolutione; ut qui eam adferre ipſi nequeunt, ſponte concedant, Legem certæ expoſitioni adſtrictam, neque hanc aliam eſſe, quam Legem vocalem.

David Pſalm. XIX. ait Legem Domini perfectam eſſe. Iam verò, cum perfectio cujuſque rei in eo conſiſtat, ut neque abundet in ea quidquam, nec de-

Reſp. Primò in genere, tum ad ſingula, à Menaſſe hic adducta vel loca, vel argumēta. I. *Solas* te ais *quæſtiones* proponere; ſed ita non agis, quod primis verbis promittebas, te neceſſitatem legis oralis *probaturum*, neque enim per quæſtiones res probatur. II. Non ſequitur, ut qui nequeat ſolutiones quæſtionum à te propoſitarum afferre, ideo concedere cogatur, legē vocalem; niſi & queſtiones tuę ſint

ſit,

Digitized by Google

ſit, legem ore traditam neceſſariam eſſe confitendum eſt: nam multa ſunt præcepta in quibus deſiderari aliquid videatur; in aliis rurſum ſunt quæ abundare judicaveris; quippe quæ ſemel, iterum, tertiò repetantur: quod ſequentia exempla ſatis comprobabunt.

Ac primo quidem, deeſſe aliquid videtur in principe præcepto, quod his verbis traditur Exod. XII. 2. Menſis hic vobis erit principium menſium, primus ille vobis erit ex menſibus anni. *Nam præterquam quod menſis nomen omiſſum hic eſt, ne illud quidem exprimitur, Solares an Lunares menſes intelligantur; quorum diverſa tunc apud gentes ratio: nam Ægyptiorum annus dies* CCCLXV *& quadrantem diei complectebatur, diviſus in menſes* XII. *Chaldæorum autem annus* CCCLXV *dies, & quartam aut quintam horæ partem. Adhæc non additur quâ ratione Solaris annus in Lunarem, aut hic in Solarem redigi poſſit. nam Solaris annus verâ ſupputatione* CCClXV *dies, quinque horas,* DCCCXVII. *puncta,* XII *fragmenta: Lunaris autem, dies* CCClIV, *horas* VIII. DCCLXXVI *puncta continet; numerum voce* שנה Sana, annus, *contentum, quæ valet* CCLV. *Et tamen cuncta ad intellectum præcepti ſcire neceſſarium eſt. Nam juſſit Dominus Paſcha azymorum celebrari decimaquinta die ejuſdem menſis Niſan ſive* Martii; *idque eo tempore quo jam maturum eſt hordeum: feſtum Hebdomadarum, ſexto menſis Sivan tempore meſſis: eſtum*

totidem *argumenta* legem hanc demonſtrantia, & ſimul convellant ea, quæ ab adverſâ parte contra legem oralem dicta jam ſunt, vel dici poſſunt. Sæpe contingere poteſt, ut aliquis non ſolvat omnes ſibi objectas difficultates, & tamen non ſtatim theſim ideo mutet. Neque hoc de ſe, vel ſuis Judęis facile dabit Menaſſe, cedere debere, ubi ad quæſtiones ſolutionem *adferre nequeunt*. III. David ait legem *perfectam* eſſe, atque uti oſtendimus, non poteſt id negari de lege, vel doctrinâ, quæ conſcripta eſt, quum ea ſit ipſa, quę ſapientiam hominibus confert, & animos convertit. Jam autem probare velle imperfectam illam legem eſſe, non nos adeo ferit ac ipſum Prophetam, illud de lege teſtantem. IV. Non omnia *abundantia*, ut neque omnis *defectus* arguit imperfectionem. Neutiquam illud, quia abundantia perfectionem potius præſupponit; non defectus, niſi privativus, reique neceſſariæ, non negativus. V. c. Quia in ſacris non deſcribitur hiſtoria Romana, vel Græca, vel omnis Philoſophia, &c. haud ideo S. Scriptura imperfecta eſt; neque enim etiam lege orali illa continentur: nempe quia non pertinet ad Sacra, non ad religionem, illa hic deſcribi. Vel quis dubitet plura divinorum operum eſſe myſteria, cœli, Deique ipſius, quam in Sacris à nobis legi, vel intelligi queant?

Digitized by Google

ſtum tabernaculorum, decimoquinto menſis Tiſri, quando jam horreis illata fruges ſunt: conſtat autem graviter peccare, qui ea feſta aliis temporibus celebrat; & exterminii pœnam incurrere, qui fermentum in Paſchate comedit: quod ſi conferre inter ſe annum Solarem & Lunarem neſciremus, haud dubiè delaberemur in errorem Agarenorum, qui unoquoque triennio feſta ſua in diverſis ſignis celebrant. Hæc omnia cum tanti ſint momenti, cui non videatur rationi conſentaneum fuiſſe, ut Moſes eorum ſcientiam ore traderet?

II. Levit. III. 17. *Vetat adipem comedi, qui cum valde ſimilis ſit pinguedini, oportebat declarari, quâ parte beſtiæ unum, quâ alterum reperiretur.*

III. Levit. XI. 13. *Probibet immundas aves edi, non addito, quibus ſignis illæ dignoſcantur, quod tamen in quadrupedibus fecerat.*

IV. Exod. XVI. 29. *Interdicit, nequis Sabbatho è loco ſuo exeat; neque exprimit, per locum illum, domus, area, civitas, an ſuburbia intelligantur.*

V. Ibid. XX. 10. *Opus Sabbatho fieri vetat, non expoſito, quomodo vox illa accipienda, & qualia opera illo die licita ſint.*

VI. Levit. XXI. 12. *probibet Sacerdotem templo digredi, nequaquam addito tempore, quo illud nefas ſit, cum tamen ſacerdos extra templum habitaverit.*

Neque illa etiam lex oralis capit: haud tamen S. Scriptura ideo imperfecta; quippe ſatis eſt, quod pandat neceſſaria religionis & ſalutis; quod & perfecte facit, & abundanter. Moſes Maimonides, in *More Nevochim, part.* II. *cap.* XXXIX. perfectionem legis inde probat, quia talem continet Dei cultum, in quo nec eſt exceſſus, nec defectus, qui in ſuperſtitionibus Gentilium. Quod confirmat ex Pſalmo XIX. adeo & perfecta lex eſt, & rite is locus ad hoc probandum adſertur. V. Ut nihil deſideretur in lege eorum quæ ad cultum Dei, ac religionem in univerſum neceſſaria ſunt; non tamẽ omnia in lege *æque neceſſaria* ſcitu, vel obſervatu, tum ad religionem, tum ad ſalutem: & quamvis ignoret quædam homo, non tamen continuò ſalus, vel religio periclitatur: nedum ut Scriptura hinc accuſanda veniat. VI. Locus Scripturę obſcurus arguit quidẽ neceſſariam *expoſitionem*, non tamen aliam *legem*: illud admittimus, hoc non item. VII. *Obſcurum* aliquod nobis videtur, quod forte tale revera non ſit, neq; etiam aliis ita videatur; adeo non hujus causâ ſtatim alia lex advocanda, vel urgenda eſt. VIII. Aliud eſt, legem exponere; aliud, exponendo legi quid *addere*: hoc nefas eſt, & fieri creditur, ubi ſecunda, aliaque lex, oralis puta, ſcriptæ adjungitur. In expoſitione autem lex eadem ſervatur. IX. Denique aliud

Digitized by Google

VII. Deut. XXII. 23. *Virgo deſponſa, ſi rem cum quopiam habuerit, lapidari jubetur; quod nequaquam intelligendum eſt de ea, quæ verbis tantummodo promiſſa eſt; interea nec Scriptura explicat, quid per deſponſatam intelligere oporteat.*

VIII. Levit. XXI. 9. *Filia coen, ſive ſacerdotis magni, ſi ſtupro ſe pollui paſſa ſit, comburi jubetur; non expreſſo, de libera, an contra jam maritata, aut deſponſa, ſermo ſit.*

IX. Deut. XXII. 14. *Marito conquerente apud ſenatum, conjugem ſuam quum nuberet virginitate caruiſſe, illa lapidibus obrui jubetur; nec additur quo tempore eam impudicam fuiſſe oporteret, ad mortis ſupplicium promerendum.*

X. Ibid. XXV. 1. *Præcepto de fratre cui glos in matrimonio eſſe jubetur, hæc verba legas*: Si duo fratres una fuerint, & alter eorum moriatur &c. *ubi non explicatur, utrum illud* una *accipendum ſit de habitantibus in domo, aut vicinia eadem; an amicitia junctis; vel denique eandem terram incolentibus, cujuſmodi expoſitiones facile nobis intellectus dictat.*

XI. Num. 8. 27. *In hæreditatum deſcriptione non definitur, utrum parentes filii hæredes eſſe queant; quam in hæreditate partem habere coniux poſſit; aliiq; id genus innumeri caſus.*

XII. Exod. XX. 19. *Sabbatho opus prohibitum eſt*, Levit. XII. 3. *cir-* eſt traditiones recipere, aliud traditiones *divinas*, ut à Deo traditas, & *neceſſarias*, ad neceſſaria cultus pertinentes: quales ſuas traditiones eſſe, quas lege orali complectuntur, probare debent Judæi. Nam parum eſt agnoſcere aliquas traditiones in Eccleſiâ; circa ritus, vel hiſtoriam, aut politiam Eccleſiaſticam, modò non divinas, & neceſſarias. Hæc in genere, quaſi ad præfatiunculam Menaſſis dicta ſunt, quæ in ſingulorum examine deinceps obſervanda.

Ad primum ergò, ex Exod. XII. 2. *Reſp.* I. Menſis nomen ſatis notum erat ex *hiſtoria* rei: nam eo tum educebat populum ſuum ex Ægypto Deus; & haud improbabile, quod multi cenſent, ipſo primo hujus novi anni die hæc locutum cum Moſe, ac Aarone: novum quippe annum, ſeu novam anni Sacri ſeriem inchoabat. In politicis à ſeptimo quidem menſe Tiſri numerabant, Exod. XXXIV. 22. Levit. XXV. 9. ſed in Sacris, ſeu Eccleſiaſticis, hic menſis Abib primus cenſitus, in memoriam exodi. II. Alio loco menſis *nomen exprimitur*, Exod. XIII. 4. *Hodie exitis in menſe Abib.* III. Menſes intelliguntur in lege, quales in *uſu* apud Hebræos erant: nam quando vel de diebus, vel menſibus, aut annis aliquę feruntur leges tales accipiuntur, quales uſitatæ. Neque ad hanc legem magis illa difficultas movenda; quam

cumciſio die octavo peragi juſſa: neque additur differendumne hujus cauſſa Sabbathum, an circumciſio in aliam diem transferenda ſit.

XIII. Exo. xii. 6. *Eadem in agno Paſchali difficultas eſt, qui decimo quarto die menſis Niſan offerri jubetur; nec tamen definitur, ſi is dies in Sabbathum incideret, hoc an ille negligendus eſſet.*

XIV. Deut. xxiv. 5. *De matrimonio dicitur.* Quando accipiet vir conjugem; *non addito, quanam matrimonium faciant. Nihilominus cum unaquaque natio certis in eo cærimoniis egerit, videntur et ea Hebræis præſcribenda fuiſſe.*

XV. Ibid. 17. 15. *Rex prohibetur multiplicare ſibi equos, conjuges, aurum, & argentum. Iam verò cum ambitio inſatiabilis ſit, clarum eſt certum modum definiendum fuiſſe, quod tamen non ſit.*

XVI. Levit. xxiii. 40. *In feſto tabernaculorum termites ſpecioſarum arborum accipi jubentur; non addito nomine, quamvis tam multæ arbores ſpecioſæ reperiantur.*

XVII. Ibid. xxiii 17. *Feſto hebdomadarum jubentur die quinquageſimo ex habitationibus ſuis afferre panem agitationis; neque exprimitur, ex quibus habitationibus aut quo ex loco afferendus eſſet.*

XVIII. Ibid. xviii. *Inter matrimonia illicita non prohibetur conjugium cum uxore avunculi, nec* quam ad ſimiles alibi temporis circumſtantias. iv. Non hinc *ſumma religionis* dependet, ut ſciatur, qua ratione Solaris annus in Lunarem, aut viciſſim hic in Solarem redigi poſſit: ſufficit ut iſto die, quem lex ait, & qui pro iſto habetur, Sacra celebrentur. v. Neque ex ipſo *Talmude* habetur illa ratio certæ computationis: quorſum ergo hic lex oralis in ſcenam producitur? Non ipſi Doctores Talmudici hac in re per omnia conveniunt. Vide mihi *Roſch haſchana*, codex in Talmude eſt, ubi hæc agitantur, & tam diverſas, incertaſque Doctorum ſententias reperies, ut nihil minus quam divinam aliquam legis certitudinem, vel omnium ſcrupulorum circa hanc rem ſolutionem ſis deprehenſurus. Addeſis quoque alios codices, *Schabbath*, *Chagiga*, ubi eadẽ diſputantur, & nihilo plus ex iſtis omnibus referes. Quippe eſt hæc quæſtio non merè Theologica, aut ſalutis; ſed Mathematica, & ad politiam non minus ſpectans, quam religionem. vi. Denique non facit hic Menaſſe *elenchum*, vel dicit, iſta *ad intellectum præcepti ſcire neceſſarium* eſſe, vel *rationi conſentaneum fuiſſe, ut Moſes eorum ſcientiam ore traderet*; quæ ſunt extra quæſtionem. Nempe, tradiderit eorum ſcientiam Moſes: ſed an ex lege orali? negatur. Sint iſta ad intellectum præcepti cognoſcendum neceſſa-

matre patris, nec matre matris.

XIX. *Paſcha azymorum celebrari jubetur menſe Abib, maturis jam frugibus, non expreſſo, quibus locis maturæ ſegetes ſint, cum hic citius, illic tardius, matureſcant.*

XX. *De jugulatione animalium* Deut. xix. 1. *dicit*, decollabis boves tuos, &c. ut tibi præcepi, *nec tamen ullum in S. Scriptura locum reperias, ubi id præcipiatur. De quo, ut & cæteris omnibus, Traditiones audiendæ ſunt, quæ omnes illas difficultates expediunt. Et abſque eo eſſet, contra quam David teſtatur, Lex foret imperfecta. Atque hoc quidem quantum ad ipſa verba. Nam præterea et omnia ex ea petere poſſunt Thalmudiſtæ, per regulas quas traditione acceperunt. Simili quoq; ratione ſuperflua nobis multa viderentur, niſi traditiones haberemus. Nam præceptum de non coquendo hædo in lacte matris ſuæ, bis repetitur*, Exod. xxxiii. 19. *&* xxxiv. 26. Deut. xiv. 21. *Etiam cum dicitur hominem ob duorum aut trium teſtimonium moriturum* Deut. xvii 7. *ſupervacuum videtur tres teſtes nominare, quando etiam duo ſufficiebant. Similiter* Exod. xxi. 21. *Servi à domino percuſſi necem vindicandam legimus, niſi diem unum aut alterum vulneri ſupervivat: ſi unus dies vitæ dominum abſolvebat, cur de altero additur, cum ipſa illud res doceat? Hæc omnia nobis Traditiones & Cabala re-*neceſſaria: an ideo petenda ex lege orali? negatur & hoc.

II. *Levit.* iii. 17. *Adipem* חלב dum veſci vetat Deus, ſatis omnes norunt, ex uſu linguæ, quid hoc ſit. Deinde *verſ.* 14, 15. expreſſerat Deus, quarum præcipue partium adipem hic intelligat.

III. *Levit.* xi. 13. quid neceſſe erat immundarum avium *notas* dare, quum earum ſpecies recenſeret Deus, faceretque earundem catalogum? Cedo oralem legem, an illa nobis notas penitus explicat? nihil minus. Quid ergo ex hiſce concluditur pro orali illa?

IV. *Exod.* xvi. 29. ſignificatur ſatis non locus, è quo quis Sabbato exire non deberet; quid enim hoc attinebat? ſed *quò*, vel ad quid exire non liceret, nimirum ad colligendum man; quod proinde pridie pro duobus diebus ימים decidebat.

V. *Ibid.* xx. 10. imo ſatis exponitur, quale opus Sabbatho prohibeatur, ſcilicet *noſtrum, & ſervile*, ſex dierum, *ſex diebus facies* כל מלאכתך; ut ſcilicet Sabbatho quieſcamus, & ſoil Deo, ejuſque cultui vacemus toti. Prohibetur מלאכת עבדה, uti aliàs dicitur. Levit. xxiii. 7, 8.

VI. *Levit.* xxi. 12. Prohibet Sacerdotem templo degredi, nimirum ne ſe, ac ſacrarium polluat, dum mortuum vel tangit, vel luget: non ergo tempus hic reſpicitur, ne unquam

Digitized by Google

velant, & mirabiles dant cauſſas; abſque iis eſſet, ut cæci oberraremus, res, et nihil præter incertas conjecturas adferremus. Vt dubitandum non ſit, Traditiones, ſeu Legem vocalem, maximè neceſſariam eſſe.

unquam templo excedat, verum ne ſe contaminet.

VII. *Deut.* xxxii. 23. Quaſi vel olim, vel hodie obſcurum ſit, quid *deſponſari* ſit, vel virginem eſſe deſponſatam. Et quomodo hoc aliter fiat, quam verbis? namque adhuc virgo eſt.

VIII. *Levit.* xxi. 9. In genere & ſimpliciter intelligitur *filia Sacerdotis* magni, ſive ea ſoluta ſit, ſive, quod peius, deſponſata, aut maritata.

IX. *Deut.* xxii. 14. ſufficit, mulier deprehendatur *deflorata* fuiſſe ante nuptias.

X. *Ibid.* xxv. 5. ſint modo fratres, ſive in eadem domo, ſive viciniâ habitent, nam *una* illos eſſe ſemper præſumitur, additurque id ἐξηγητικῶς.

XI. *Num.* xxvii. 8. Nihil neceſſe erat omnes hæreditatum *caſus* exponere, haud magis hic, quam in reliquis juris articulis. Neque illi omnes explicantur in lege orali. Tum ex *generalibus*, quæ hic conſtituuntur, regulis, de aliis caſibus judicare pronum eſt, nimirum ut propinquitas cognationis, & conſervatio paternæ hæreditatis apud familias conſervaretur, לשארו הקרוב אליו ממשפחתו, ut verſ. 11. dicitur.

XII. Exod. xx. 10. Res ipſa palam loquitur, circumciſionem, utpote octavo die, ex præcepto, ſemper peragendam, atque opus *religionis*, iſthoc die ſacris dicato, vel potiſſimum licere.

XIII. *Exod.* xii. 6. Eademque reſponſio facilis, ad ſolennia Paſchatis, ſiquidem in Sabbathum inciderent.

XIV. *Deut.* xxiv. 5. riſu potius, quam ſeriâ reſponſione excipiendam quæſtionem proponit Menaſſe. Quis neſcit, quænam matrimonium faciant? Vel quis *ritus* ac cæremonias nuptiarum exponere, cenſeat religionis eſſe? vel ejus rei cauſa, aliam legem poſcat? & certus ſum, nec, quod omnes nuptiarum caſus ſpectat, ſingula in orali lege determinata habere Judæos. At in lege ſcriptâ etiam circa hanc materiam, quæ neceſſaria exiſtimavit Deus, edixit. Vel quare non etiam Menaſſe ex omiſſis in Scripturâ, edendi, bibendi, operandi, & in toto vitæ genere quævis exercendi ritibus, legem concludit adhuc magis imperfectam, & aliam etiam neceſſariam, præter oralem iſtam? Sane quilibet facillimo negotio legis cujuſcumque vel oralis, vel alterius, & tradi-

traditionum etiam numeroſiſſimarum defectum annotet, ſi per ejuſmodi ire haud pigeat.

XV. *Ibid.* XVII. Verùm ambitioni quem modum conſtituas, quam *ipſam* damnat Deus, & penitus extirpandam monet? Modus multiplicandorum equorum &c. Regibus ex uſu & decoro, uti in aliis, juxta legem moralem, determinandus fuit. Præterea hoc ipſo in loco modus horum indicatur: vel in genere ne ſibi ea *nimium* מאד multiplicet; vel in ſpecie de equis, ne tali ratione populum in *Ægyptum*, equorum inde arceſſendorum causâ, abigat. Tum ne multiplicet ſibi *uxores*, quæ animum ejus à Deo avertant. Scio quidem hujuſmodi determinari aliquando à Magiſtris ad numerum ſolere: ſed præterquam quod ſimilis generis plura facile queam proferre, nondum liquido ab ipſis determinata; etiam deciſiones illæ ſatis oſtendunt, temeraria ſe Magiſtrorum, & controverſa placita, nòn verò legis divinæ ſtatuta eſſe.

XVI. *Levit.* XXIII. 40. Nempe arbores *ſpecioſas* accipere in tabernaculorum feſto jubet Deus: atque porro iſto ipſo loco arbores ſpecioſas recenſet. Quid plura?

XVII. *Ibid.* XXIII. 17. Imo nunc video, ex profeſſo ſtuduiſſe nugari hiſce ſuis quæſtiunculis noſtrum Rabbi. Ex habitationibus ſuis jubentur adferre panem agitationis: & quæris, ex quibus? ex ſuis; ubi ubi illæ eſſent, in oppidis, in vicis, quaquaverſum.

XVIII. *Ibid.* XVIII. Intelligitur ex lege prohibitum ſatis conjugium cum utraque avia, quia pro *parentibus* habentur, qui in gradu adſcendente; uti pro liberis, qui in deſcendente ſunt; & remotiores iſto gradus, ob verecundiam ſanguinis, caventur. Quare & uxor avunculi eadem neceſſitudine quia habetur cum amitâ, cujus conjugium damnatur verſ. 14. & illius interdici, quum par ſit ratio, manifeſtum.

XIX. Paſcha celebrandum menſe Abib, maturis frugibus, nimirum in *Palæſtinâ*: nam ſic in regionibus ſolemus aliquando tempus ex ratione frugum, vel maturarum, vel metendarum, aut collectarum dimetiri: ut hinc quoque cætera apud Judæos feſta æſtimabantur.

XX. *Deut.* XII. 21. *ut tibi præcepi*, vel eſt enallage temporis, prout tibi præcipio; vel ut reſpiciat ad modum comedendi, qui verſ. 16. exprimitur: *tantum horum ſanguinem ne comeditote, ſuper terram effunditote illum ſicut aquam.* quod repetitur verſ. 23. *tantummodo perſta, ut non comedas ullum ſanguinem, quia ſanguis cujuſque eſt ejus anima: ideo ne co-*

medito

Digitized by Google

medito ullius animam cum ipſius carne. Atque hoc Deus ſæpius in lege præcepit, ne ſanguinem ullum unquam devorarent.

Jam verò ad hæc omnia, quo ſolvantur ſcilicet, neque Traditiones audiendæ nobis, uti Menaſſe temere putat; neque hę illa expediunt: nedum ut abſque iis, contra quam David teſtatur, lex imperfecta ſit. De regulis Kabaliſticis, quas in admirandis Sacrarum litterarum expoſitionibus ſuis Talmudiſtæ ſequuntur, poſtea dicturi ſumus.

Inſtat ad argumentum illud Menaſſe, atque exempla è lege profert ſuperfluorum, unde legis imperfectionem coarguat: *nam præceptum de non coquendo hædo in lacte matris ſuæ bis repetitur* &c.

Reſp. I. Ex iteratâ legum repetitione potius ea *plusquam-perfecta*, quam imperfecta convincitur. Certe abundantia perfectionem præſupponit, non negat, aut evertit. II. Similis repetitio, præterquam in legibus, occurrit quoque in *hiſtoriis*, & *propheticis*; quæ nec ideo imperfectionis arguuntur: neque ex orali lege illa perficiuntur. III. in *lege orali* ipsâ quoties non idem, ſæpiusque tractatur? Si ergo illud imperfectionem legis ſcriptæ arguit, ex orali ſupplendam; quæ lex alia oralem demum corriget? IV. In *quibusvis*, quarumcumque rerum, & nationum legibus, ſive profanis, ſive ſacris, nemo unquam exiſtimavit, repetitionem aliquam vitio vertendam eſſe. Deinde repetitionem eorundem in lege ſacrâ ſæpe *neceſſariam*, nos, licet cauſam ignoremus, exiſtimare æquum eſt, quibus de Legiſlatoris ſapientia dubitare nefas: alioqui legi non jam imperfectionem; ſed & futilitatem exprobrare poſſis, ſi quid ſine cauſa, ſine ratione in ea poſitum ſit. V. In lege, ſacriſque conſcribendis non præciſam Deus neceſſitatem, ut tantundem modo diceret: ſed & *abundantiæ* conſultum ivit, ut copioſe ſermo Dei inter nos habitaret. Hinc illa eorundem in diverſis voluminibus, ab aliis & aliis facta repetitio. VI. Dumque ſæpius in S. litteris idem repetitur, interim quoque *elucidatur* magis & explicatur, magnumque in modum confirmatur fides noſtra. Tantum abeſt hoc ſupervacaneum ut cenſeri debeat. VII. Quando vel *Deut*. XVII. 7. duo, tres teſtes audire jubemur; vel *Exod*. XXI. 21. ſervi à Domino percuſſi mors vindicari conceditur, niſi diem unum aut alterum ſupervixerit; abundantioris cautelæ, favoriſque ampliandi ergò additio iſta fit, tum alterius diei, tum teſtis: maximè quum per particulares circumſtantias valde variari res ejuſmodi contingat. VIII. Adeo non per Traditiones, vel mirabiles *Kabalæ* rationes iſta ſolvi neceſſe

Digitized by Google

ceſſe habent; neque abſque iis eſt, ut cæci, nihil præter incertas conjecturas adſeramus: quemadmodum Menaſſe hic loquitur. Imo ex Kabala demum, ſicunde, incertæ conjecturæ petendæ ſunt.

Hæc ad argumentum pro lege orali, à Menaſſe adductum. Denique aliud argumentum, ex eodem apud Menaſſem loco, colligimus hoc.

Traditione vero freti, Prophetas et pios homines probare poſſimus quædam feciſſe, quæ Legi ſcriptæ adverſari videantur. Ita Selemoh ſanctificavit medium areæ, ſacrificavit alibi quam in ara, et Paſcha XIV *diebus celebravit, incluſo die Kipur. David & Semuel cantores cum inſtrumentis muſicis inſtituerunt, qui in templo canerent. Hurias Propheta contra præceptum Legis in Ægyptum fugit. Hizquiahu Paſcha menſe ſecundo celebravit, quia populus mundatus non erat. Eliahu in monte Carmel, extra templum, ſacrificavit: quæ cuncta, Scripturæ verbis adverſantia, haud feciſſent, niſi Traditionibus freti, quæ nonnunquam certas ob cauſſas hoc aut illud permittebant, ut variis locis in Thalmude legere eſt. Ergo ex his omnibus videre eſt, quam neceſſaria ſint Traditiones, ſive Cabala, ſeu Lex vocalis.*

Reſp. I. Totum argumentum ecce quam elumbe eſt, ubi in formam redigitur. Prophetæ, ac pii homines fecerunt nonnunquam quæ legi Scriptæ adverſari videntur; ergo fecerunt ea ex Traditione, ſeu Kabalâ. Negatur ſequi: neque unquam probabit hanc *conſequentiam* Auctor. II. quæ illi fecerunt præter legem, & bene quoque ex peculiari inſtinctu, *revelatione* ſibi, vel aliis, ad ipſos ſuper tali re inſtruendos, factâ egerunt; ut quæ David & Samuel, circa cantores; Prophetæ enim illi erant. Vel ex aliquâ legitimâ neceſſitate, ut quod Salomo, quod Elias, extra Sanctuarium ſacrificarunt. Verùm juxta legem celebravit Paſcha Hiskias rex: Num. IX. 10. 11. Et fuga Uriæ in Ægyptum, Jerem. XXVI. 21. primò oſtendatur à Deo probata fuiſſe; tum de eâ ex jam dictis facili opera reſpondebimus.

CAP.

Digitized by Google

Caput Secundum, De Kabala.

Quæst. Num Kabaliſtica Judæorum doctrina divinæ ſit originis & authoritatis?

De Kabala. quid Iudæis ſignificet. Senſus ipſis Scripturæ duplex, litteralis, & myſticus. Male, quum unus verborum ſenſus ſit, litteralis: alter, ſenſus iſtius applicatio. Hæc divina, vel humana. Regulæ Kabalæ tredecim exponuntur. Argumenta contra Kabalam. Non eſt legis divinæ. Ad inepta, mala, & falſa æque adhiberi poteſt, ac ad bona. Ipſaque regulari ad legem debet. Per eam etiam Chriſtiana dogmata probantur. Et Iudæi ſæpe Kabalæ obloquuntur. Reſponſio de Kabalâ Scripturariâ.

Kabala קבלה *acceptio*, à קבל *accepit*, duo potiſſimum apud Judæos ſignificat, ipſam legem oralem, quam משה קבל מסיני *Moſes accepit in Sina*, uti Judæi Phariſæi clamitant; & ejus partem aliquam præcipuam, quæ conſiſtit in Logicâ quadam myſticâ, quâ arcanos in lege ſenſus mirum in modum eruunt. *Legem vocalem, quam alio nomine Cabalam aut traditionem vocamus*, inquit Menaſſe, qu. ult. in Exodum. Illam modo ſpectavimus: impræſentiarum Kabalam ſtrictè dictam conſideraturi. Atque hanc una cum orali illa lege Moſi traditam aſſerunt. Ut omnino ſecundo loco ea examinanda nobis ordine nunc ſit. Eſt ars aliqua vel doctrina arcana & ſublimis, ſecundum Judæos, quâ ex litteris, vocibus, & vocum in Scripturâ ſenſu litterali myſtica quæque colligunt. Nam quod pro fundamento ejus habent, Scripturæ ſenſum faciunt duplicem, litteralem unum, alterum myſticum: illum פשוט ſenſum *ſimplicem* & nudum, plenum, atque talem expoſitionem פירוש appellant; iſtum דרש, vel מדרש, nempe diligenti inquiſitione hauriendum, hujuſmodi commentaria מדרשים, & Scholam ubi huic ſtudio imcumbunt בית המדרש. Sed immenſum præferunt ſenſum myſticum litterali, quem infra illum ſatis vilem habent, dicuntque דבר קטן *rem minorem*; illum דבר גדול *rem majorem*. Ex adverſo unius ſententiæ (proprie loquendo) eſt unus modo ſenſus, iſque litteralis, id eſt, quem litteræ & voces ſuâ ſignificatione conſtituunt. Nec negamus tamen myſticè multa in Scripturis accipi. Sed ratio myſtica, non eſt *vocum explicatio*; ſed *ſententiæ* voci-

E bus

Digitized by Google

bus contentæ ad alia, quam littera fert, *applicatio*. Quæ applicatio, ſic eſt, vulgo expoſitio quidem etiam dicitur: ſed propriè, non eſt vocum, neque voces ſpectat, ut eas interpretetur, ſed ſententiam & res vocibus denotatas, ut has alioverſum trahat. Ut imperitè duplices hinc Scripturæ ſenſus alii faciant; peſſime verò litteralem alio multo minorem. Myſtica vero Scripturæ applicatio vel fit ab auctoribus *ſacris*, in ipſo Dei verbo; atque ita eſt à Spiritu divino, ejuſque inſtigatione: vel à *Doctoribus* aliis, ingenio & arte humanâ. Hæc ad verbum Dei examinanda, nam humana eſt, ac proinde fallibilis; illa certa, θεόπνευστος, ideoque αὐτόπιστος. Propter illam non nimium facienda iſta, vel affectanda, aut honoranda: nec propter utramque ulla myſtica Scripturæ expoſitio, aut Kabala, extra Scripturam, pro divinâ habenda eſt. Neque putandum, quaſi ex Kabalæ alicujus penu depromſerint ſacri Authores myſticas doctrinas ſuas, quod video nimis quàm par ſit quibuſdam aliquando placere; & non ex immediatâ Spiritus divini inſpiratione. Nam Spiritus ita illos afflavit, docuitque in hos & illos, non *ſenſus*, ſed *uſus* adferri illa commode poſſe. Quando unius loci plures aliquando à Doctoribus adferuntur ſenſus, non id ita accipiendũ eſt, quaſi in tot multiformes ſenſus trahi & torqueri Dei oracula velint, ſed poſſe locum hoc aut illo ſenſu capi, quocunque nihil tamen contra analogiam fidei & veritatis, ut, quum varia ſint hominum judicia, eligat quiſque eum, quem menti & verbis Spiritus S. putaverit ſenſum eſſe maximè conſentaneum. Non variæ unius loci adferuntur expoſitiones orthodoxæ, ad varios loci formandos ſenſus, ſed ad varia hominum ingenia inſtruenda, & ab errore quocumque modo avocanda, & continenda in ſemitâ veritatis. Nullius ergo eſt Kabala, quæ & hoc nititur fundamento, duplicis in Scripturâ ſenſus; & altero etiam pejori, legis oralis Moſi à Deo traditæ, quam ipſam eſſe Kabalam, & artem hanc Kabaliſticam, ceu præcipuum κεφάλαιον continere, Judæi opinantur.

Atque hæc nobis primum eſt *exponenda*, tum *refellenda*. Continetur autem regulis aliquot, ceu Topicis, quas faciunt tredecim. *Notaricon*, *Ziruf*, *Gematria*, *Zura*, *Raſe tebot et Sophe tebot*, *Temura*, *Chaſer et Mela*, *Setumot et Petubot*, *Kare la quetib*, *et Quetib la Kare*, *Ketannot et Gedolot*, *Hiluf*, *Necudot*, *Taamim*. Ex iſtis tres ſunt celebriores, Temura, quæ conſiſtit in permutatione literarum; Gematria, in ſupputatione litterarum arithmeticâ; & Notaricon, quę fit per formationem vocum aliarum ex ſingulis litteris.

Primo,

Primo ergò *Notaricon* נוטריקון, quaſi ars quædam Notariatus, nam à Notariis, qui per notas ſcribere ſolent multum ſignificantes, vox derivatur, atque eſt, quando ex ſingulis vocabuli litteris totidem formantur voces aliæ. Ut quando ex בראשית primâ Scripturæ voce, quod ſex conſtat litteris, facimus voces totidem, בראשונה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה *in principio vidit Deus, Iſraelitas legem ſuſcepturos*. Vel voces binæ ברא שית *creavit ſex*, nempe diebus, Deus.

Ziruf צירוף, ſive *combinatio*. hæc ex litteris ejuſdẽ vocabuli variis modis tranſpoſitis nova & diverſa format vocabula, nempè per anagrammatiſmum. Sic בראשית per metatheſim, dicunt Judæi, eſt בא' תשרי *primo Tiſri*, ſcilicet quod tum creatus ſit mundus. Vel ex eadem voce ברית אש *fœdus ignis*, Deut. XXIII. 2. & ejuſmodi alia.

Gematria גמטריא, vox Græcę originis γεωμετρία, ſed hic pro altera Matheſeos parte ſumitur, Arithmeticâ, eſtque, quando litterarum ſupputantur numeri. Apud Hebræos enim litteræ ſunt numerales. Sic ex בראשית idem litterarum numerus colligitur, qui eſt in בתורה יצר *in lege formavit*; quaſi nimirum cauſa mundi lex ſit. Ita, quia Scriptura inchoat à litterâ ב indicari dicunt, duplicem eſſe legem, ſcriptam, & oralem. הריון *conceptio*, valet CCLXXI. nimirum etiam per totidem dies fœtus (ajunt) eſt in utero materno.

Zura צורה *forma*, argumentatur ex figuris characterum & litterarum, ut, quia ב prima legis littera conſtat tribus ו *vavim*, & ſi ſcribas ואו numerum etiam facit XIII, quantum יהוה אחד, *Deus unus*, illo innui putant, ſaltem hinc tutò colligi poſſe, *unum eſſe Deum*, per quem mundus creatus ſit. Vel quia littera hæc in ſuperiori & inferiori parte punctum habet, ſequi inde volunt, Dominum, qui in cælis eſt, mundum hunc creaviſſe.

Per *Raſe tebot*, & *ſophe tebot*, *principia verborum*, & *fines verborum*, ר"ת ס"ת. ex litteris vocum vel initialibus, vel finalibus, aliquando etiam mediis, vid. per תוכי תיבות, alias voces conſtruunt. ut Deut. XXX. 12. מי יעלה לנו השמימה *quis faciet nos adſcendere in cœlum?* ex initialibus harum vocum litteris fit מילה *circumciſio*; ex finalibus tetragrammatum, quod Judæi ſcribunt, ne plene efferant יהוה: (ergo dicunt) reſponſio continetur in ipſâ illa interrogatione, nempe Dominus nos faciet adſcendere per circumciſionem.

Temura תמורה *permutatio*, fit per litterarum tranſmutationem, ſcilicet juxta Alphabeti ordinem, primæ cum ultima, ſecundæ cum penultimâ,

א & ח, tum ב cum ש invicem tranſmutatis. Quod Jeremiam cap. xxv. ne Regem irritaret, feciſſe volunt, pro Rege בבל, artificioſâ illa tranſpoſitione dicendo ששך, duo ש, pro duplici ב, & ך pro ל.

Chaſer & Mela, חסר ומלא defectiva & plena, ubi ex litterâ vocis vel deficiente vel abundante doctrina aliqua, ſeu myſterium eruitur. Uti, quando אליה *Deus*, alibi abſque ו ſcribitur & אלהו in regimine, aut cum affixo ſemper defective, exceptis duobus locis.

Setumot & Petuhot, סתומות ופתוחות *clauſa & aperta*. In Scripturæ variis ſectionibus videas ſæpe פ, quod eſt פתוחה; alias ס, quod eſt סתומה. & quid iſta ſibi velint, quare etiam ſejunctio aliqua inter unius פסוק verſus verba, vel littera clauſa, apertave contra regulas Grammaticas reperiatur, ad hanc regulam Cabaliſtæ referunt. Quid *mem* finale in לםרבה, Ieſa. IX. 6. quid initiale הם apud Ezram, hic inquirunt.

Karè la quetib: *Quetib la karè*, ק' ולא כתיב & כ' ולא ק'. *legitur, nec ſcribitur*; *ſcribitur, nec legitur*. Nota eſt marginalis Maſoretharum, quando aliter legendum judicant, quam in textu ſcribitur; ſæpeque addendum aliquid textui opinantur.

Ketannot & gedolot, קטנות וגדולות, de litteris in lege *parvis & majuſculis*, ut quando præter ſolitum litera in voce parva aut magna adhibetur. Quemadmodum Geneſ. II. 4. בהבראם *cum crearentur illi*, ה parvum eſt: contra Deut. XXXII. 6. ה magnum in הליהוה *ſi Domino*.

Chiluf, חילוף *variatio*. Quando pro unâ litterâ alia ponitur. Geneſ. XIII. 2. אהלה *tentorium ejus*, ubi juxta Grammaticorum præcepta ו pro ה ſcribendum erat.

Nekudot נקודות *puncta*, quando myſteria in punctis quæruntur. Ut יְהוָֹה aliter punctatum יְהִוָה & Deut. XXIX. ult. לנו ולבננו.

Taamim, טעמים *accentus*, adhibetur regula de *accentibus*, eorum variaratione, & ſitu. Num. XXVII. 3. אבינו מת *pater noſter mortuus eſt in deſerto*: accentus eſt Zarka, divellens à ſequentibus, cum quibus tamen vox omnino conjungi debet. Ita quare in Decalogo ſingulę dictiones duobus accentibus notatæ veniant, cum per totam Scripturam ſingulæ habeant tantum ſingulos accentus, rem Kabalę eſſe dicunt, atque ex hac ſolâ explicandam. Vide de hiſce Menaſſē ben Iſraël Conciliat. in Exod. quęſt. L. ubi totius ſcientiæ Kabaliſticæ exhibet compendium. Præterquam quod de pręcipuis Cabaliſtarum regulis etiam videri queant, Morinus in *Pentateuch. Samaritanum, exercit.* II. *cap.* VI. VII. VIII. IX. Gaffarellus

Digitized by Google

rellus, *de abditis Kabalæ myſteriis pag.* 19. Rittangelius, in notis ad *lib. Jezirah. pag.* 27. *&c.* Jo. Caramuelis Lobkowitzi *Specimen Kabalæ*; una cum Erycii Puteani diatribâ, *de anagrammatiſmo*, quę Kabalę pars eſt. Wilhelmus Schickardus, *Bechinath Happeruſchim*, *pag.* 60. Tomaſo Garzoni, auctor Italus, lib. *Piazza Univerſale*, *Diſcorſo* XXIX. *pag.* 109. Scriptores Kabaliſticos annotavit R. Menaſſe, lib. *de fragilitate humanâ*, *pag.* 125. Reuchlinus, *lib.* I. *de Kabalâ*. Et celebriores aliquot collegit, atque edidit Piſtorius, Baſileę, A. 1587. ubi & liber Jezira, latinè datus; aliique occurrunt. Certe nonnullos Kabalę plus ęquò addictos etiam in te Chriſtianos reperias.

Præter tredecim regulas vel formas Kabaliſticas, habent Judæi quoque tredecim *modos* exponendę legis, quas R. Iſmaëli atribuunt, & quotidie in Breviario, vel Seder Tephilloth recitant. Pag. 16. edit. Amſteldamenſis, apud Menaſſem: רבי ישמעאל אומר בשלש עשרה מדות התורה נדרשת מקל וחומר, *Dixit R. Iſmaël, tredecim modis lex exponitur, à minori ad majus, à pari &c.* ſunt ferè regulę Logicę. Quas explicatas videre licet, in Halichot Olam Conſtantini l' Empereur; Wilhelmi Schickhardi *Bechinath happeruſchim*, *à pag.* 159. Simonis Epiſcopii *Inſtit. Theol. lib.* III. *ſect.* I. *cap.* V. Non quidem contemnendę illę regulę ſunt, atque paſſim à legis expoſitoribus obſervantur, ex communi videlicet Logicâ; ſed temere Iudæi aſſerunt illas, tanquam legis oralis partem ſingularem, à Deo Moſi traditas: quemadmodum & R. Lipman ab Hackſpan editus, loquitur, pag. 177. Nam & regulę illę communi ingenio patent ac philoſophię, & à Iudęis ipſis R. Iſmaeli attribuuntur; ut ſupervacuum ſit ad extraordinariam Dei revelationem hic provocare, & oralem cominiſci traditionem.

Ejus authoritatis Kabalam & Kabaliſticas regulas Iudi facæiunt, ut à Moſe, & Deo, nempe Moſi à Deo in monte traditas, derivent. Unde in Roſch haſchana dicunt fol. 19. col. I. דברי קבלה כדברי תורה דמו *Verba Kabalæ æquiparanda verbis legis.* Rabbi Menaſſe, in Exodum, quęſt. I. de Kabala: *hæc ſapientum noſtrorum Theologia eſt*, inquit, *non ſolum rationibus validis, ſed ipſius quoque S. Script. verbis ſubnixa; quâ probant Theologi, nullam eſſe ſcientiam, quæ non in Lege contineatur. Ex hac, tanquam Epilogo omnium, omnia colligunt. Quod ſi conceſſeris à Deo profectam eſſe, ſequi ut penitus ſpiritualem eſſe, nec modo talia, ac diximus, myſteria, ſed & infinita alia, incognita nobis, eam complecti. Certe Iſraelitas in deſerto agitantes, quibus panis cœlitus demittebatur, & cibaria, cunctaque ad victum*

 & vi-

& vitam neceſſaria, ſponte obveniebant, veriſimile eſt, cum nullis curis diſtinerentur, tantummodo hujuſmodi myſteriis incubuiſſe; quippe quibus Moſes maximus magiſter eſſet, quem conſulere de cunctis poſſent.

Neque tantùm ad legis ſublimem explicationem facere opinantur hanc ſcientiam Kabaliſticam, *ſublimia per eam myſteria inveniuntur*, ait Menaſſe; ſed inſuper uſque eò extollunt, ut peritum ejus hinc quoque miracula poſſe facere, putent: revera magica, & incantationes. Unde קבלה etiam pro amuleto, alligamento apud Judæos accipitur. Unde diviſio Kabalæ, in *ſpeculativam*, & *practicam*. עיונית, & מעשית. Sic Elias in Tiſbi. Menaſſe: *Cum litteræ ſpirituales & figuræ ſimplices ſint, neceſſario (ut ait rectè R. Moſes Cordoverus) tranſponendæ ſunt variis modis; quod qui rectè facere noverit, etiam miracula edere poteſt.* Quare huic arti, quam Jeſum noſtrum calluiſſe credunt, miracula, quæ patravit, Judæi aliquando adſcriptum eunt, nimirum per Schem hamphoraſch, de quo mira valde & ſuperſtitioſa nugantur.. Idem Menaſſe, Problem. XXII. de Creat. *Multi ſane reperiuntur, qui dæmonas iſtos adjurationibus ſuis advocant, & Necromantias operâ mira admodum multa patrant. Quin & libris quibuſdam Cabaliſtarum, quales ſunt Pircke Ehalot, Raziel & aliorum, recenſentur eorum nomina, exorciſmi & incantationes.* Tanto quidem in pretio Judæi habent, & ita depereunt fere ſuam Kabalam, ut vix eam aliis exponant vel propalent. Quo trahunt illud quod dicitur, Prov. v. 17. *ſint tibi ſoli, neque extranei tecum.* ubi ſermo de propria uxore poſſidenda, ejuſque caſtis uniciſque amoribus. Sed nec facile eam docent, & nihil apud eos carius diſcitur Kabalâ. Unde quum illam docere diſcipulum ſuum Eleazarum vellet R. Johanan, abnuiſſe & reſpondiſſe Magiſtro dicitur, לא קשאי *nondum canui* nempè per ætatem nondum maturus ſibi videbatur & idoneus iſtius Philoſophiæ auditor.

Nos verò de Kabalâ ſic cenſemus: utcumque laborioſa, & ingenioſa quandoque videatur, nihil eâ tamen incertius, atq; fallacius eſſe. Ars eſt, ſi modò ars dicenda, inventionis ac commenti humani, inanem faciens, atque ridiculam operam; neutiquam illa divina, vel divinæ legis pars aliqua. Nugarum plus continet, quam veritatum, & quidquid conficit, ſemper cum divinâ lege examinari debet, an recipi mereatur. Indigniſſimum ſacrâ lege eſt, ut cum hac comparetur, nedum ut paria cum eâ facere videatur: ad luſus, jocoſque nata magis, quam ad ſeria Quare & qui eam admirantur, vel colunt, deridiculo ſunt, & gravi tandem labore, vel ut ait ille, magno conatu magnas nugas

gas agunt. Sed parum hoc, niſi ſacram, & divinam, certiſſimæque authoritatis ſcientiam Kabaliſticam facerent, id eſt, divinæ legis in monte traditæ partem: quos ſic coarguimus.

Arg. primum. Imprimis quæro, quâ ratione probaturi ſint, Kabalam eſſe *legis* Moſi traditæ? fingi, vel exerceri talem artem poſſe, extra contentionem ponimus. Imo demus, non in profanis tantùm, ſed in Sacris quoque iſtius aliqua argumenta deprehendi; nondum tamen ſequitur, totam illam modorum Kabaliſticorum farraginem, aut probam, aut divinam eſſe: neque etiam ſequitur, & artem in ſacris uſurpatam, propterea legem eſſe à Deo Moſi datam. Dialectica, & aliæ quoque ſcientiæ in Scripturâ obſervantur; nec proinde illæ cum lege unà Moſi traditæ. Demonſtrandum ex hiſtoria id cumprimis Judæis eſt, Kabalam Moſi, ceu partem legis, traditam fuiſſe. Quod niſi fiat, nihil quidem effectum hic erit.

Arg. Secundum. Quæ regulæ ad eruenda & confirmanda *inepta, falſa, improba* æque adhiberi poſſunt, ac ad bona, & vera, illæ cum divinâ lege componi haud merentur: atqui tales ſunt regulæ Kabaliſticæ. Ergò. Perquam facile eſt ex litterarum μεταθέσει, numero, promiſcuâ vel initialium, vel finalium, vel mediarum, harum aut illarum, combinatione, aut ex obſervatâ litterarum, vocalium, accentuumque varietate, colligere turpiſſima quæque & infanda æque ac aliter. Quamobrem ipſi Judæi cavere ſolent, ne ad prava illę regulæ uſurpentur. R. Semuel Arcovoltus, apud Menaſſem, pag. 170. in Arugat a-boſem, cap. XII. de Notaricon monet, *hac regulâ tantum utendum eſſe ad honeſta, & utilia ex lege petenda.* Ipſe Menaſſe de Kabalâ pronunciat: *ex hac, tanquam epilogo omnium, omnia colligunt.* Non certe hoc eſt divinę immotæque certitudinis, ex quo omnia trahi poſſunt. Et tam facile per variam iſtam Kabalam ego, ex eodem loco, imò vocabulo, quod falſum eſt, oſtendero, ac præſtantiſſimus Kabaliſta quod verum eſſe putaverit. Archangelus de Burgo novo, Comment. in Kabaliſtarum dogmata, inter alia ponit: *Eædem ſunt literæ nominis Cacodæmonis (qui eſt princeps mundi hujus) & nominis Dei Tetragammati. Et qui ſciverit ordinare tranſpoſitionem, deducet unum ex alio.* Quod oſtenſum it, tum in nomine שרי, Dei omniſufficientis, tranſpoſito in שיר, quod nomen eſt Dæmonis; tum in יהוה & שטן per Gematriam facientia eundem numerum. Quam egregia ſcilicet eſt illa ſcientia, per quam quidlibet ex quolibet ita effici poteſt? & Dei ipſius nomen commutari cum nomine Diaboli?

Arg.

Arg. tertium. Quæcunque ad legem divinam examinanda ſunt, & *regulari* ad aliud neceſſe habent, non ſunt ipſa αὐτόπιστα, vel lex Dei: at talia ſunt regulę Kabaliſticę: namque ſecundum illas quod concluditur, diſpici debet, verum an falſum, bonum & legitimum, an ſecus ſit.

Arg. quartum. Juxta Kabalam omnia Chriſtianę religionis dogmata probari poſſunt, atque probata à multis ſunt: quare Kabalam ſi recipiant Judæi, Chriſtianam religionem admittant quoque. Johannes Picus Mirandulanus aſſeruit, nullam ſcientiam nos de divinitate Meſſię certiores facere, quam Kabalam. Reuchlinus per Kabalam probat, Meſſiam morte ſuâ in ligno nos à peccato redimere debuiſſe. Archangelus de Burgo-novo, Comment. in Kabaliſtarum Dogmata, pleroſque religionis articulos hinc confirmat. Jacobus Gaffarellus, lib. de Abditis Kabalę Myſteriis, per Gematriam ex מלכיצדק *Melchiſedek*, probat ישוע משיח *Ieſum Meſſiam*. In ברא ſecundâ Scripturę S. voce oſtendunt S. Trinitatem, nempe in ב *filium* בן; in ר *Spiritum S.* רוח; in א *Patrem*, אב. quare & ex Joh. Pico Mirandulano Comite illud ut certum adducit; *Hebræus Cabaliſta, ſecundum principia & dicta ſcientiæ Kabalæ, cogitur inevitabiliter concedere de Trinitate & qualibet Perſona divinâ, Patre, Filio, & Spiritu Sancto.* Certe Picus pleno ore haud ſemel deprædicat, ſe in libris Kabaliſticis *religionem non tam Moſaicam, quàm Chriſtianam* deprehendiſſe. *Ibi* inquit, *Trinitatis myſterium, ibi verbi Incarnatio, ibi Meſſiæ divinitas, ibi de peccato originali, de illius per Chriſtum expiatione, de cœleſti Ieruſalem, de caſu Dæmoniorum, de ordinibus Angelorum, de Inferorum pœnis eadem legi, quæ apud Paulum & Dionyſium, apud Hieronymum & Auguſtinum quotidie legimus.* Deinde: *In plenum nullâ eſt fermè de re nobis cum Hebræis controverſia, de quâ ex libris Kabaliſtarum ità redargui convincique non poſſint, ut ne angulus quidem reliquus ſit, in quem ſe condant.* Hujus argumenti, vid. quod per Kabalam tota noſtra religio contra Judæos probari poteſt, integrum librum ſcripſit *Myſterium Kabalæ* Elchanan Paulus, Judęus converſus, quo ſeptuaginta quinque rationibus illud demonſtratum it. Ex quibus aliqua producit in libro Germanico, *Iudaiſmus*, Johannes Mullerus, Gedanenſis Theologus, pag. 13. uti *Geneſ.* XLIX. *verſ.* 12. עד כי יבא שילה, per Gematriam exhibet numerum 462. eundem quem ישועה בן דויד *Ieſus filius Davidis. Num.* XXIV. וקם שבט & *ſurget ſceptrum*, ejuſdem quoque numeri eſt cum ישועה בנ דויד *Ieſus Davidis filius*, nempè 457. Tantundem in שמו פלא *Ieſ.* IX. *nomen ejus mirabile.* Verba ibidem, פלא יעץ אל גבור

גבור conficiunt numerum 519. quem continent verba ישוע בן אלהים *Pſalm.* II. על משיחו *contra Meſſiam ejus*, convenit numero, cum ישוע בן יהוה *Ieſus filius Dei.* Dan. VII. כבר אנש אתה הוה, *venit inſtar filii hominis*, tantundem valet numero, ac והו ישוע משיח בן אל, *atque hic eſt Ieſus Meſſias, Dei filius.* Pſalm. XXII. למה עזבתני *quare dereliquiſti me*, per Gematriam reddit numerum 614. qui idem eſt in זה דברי ישוע, *Hæc ſunt verba Ieſu.* atque ejuſmodi plura.

Arg. quintum. Denique ipſi *Iudæi* ſæpe Kabalam refellunt, & Kabaliſticas. Menaſſe, Problem. XIII. de Creatione: *etſi quidam Kabaliſtæ velint*, inquit, *hic voce illa* חכמא (*ſcientia*) *denotari unam ex ſuperioribus et cœleſtibus lucibus, dictis Sephirot* (*quæ etiam appellantur* חכמה:) *ego tamen diverſum ſentio.* Et tamen ſecundum Kabalam illi ſententiam ſuam aſtruunt. Quare videmus incertam ſcientiam eſſe, & nihil minus quàm pro divinâ, atque authenticâ habendam.

Jam ut quoque, quod pro ſuâ Kabalâ adferunt Judæi, audiamus, duûm generum *argumenta* videtur Menaſſe urgere.

I. *Primum*, in Scripturâ ipſâ uſurpatam Kabalam, atque à Deo. Dominus Abrami nomen, in Abrahamum commutavit, interpoſitio ה, quia nempe foret אב המון *pater multitudinis.* Ubi eſt Notaricon. *Gen.* VI. Noach gratiam inveniſſe dicitur in oculis Domini: nomen antea נח *Noach*, convertere licet in חן, & hoc *gratiam* ſignificat. I. Reg. XVIII. 31. Elias duodecim lapides ſtruit ad edendum miraculum; non tantum quia totidem erant Jacobi filii; ſed ob myſterium, quod numero duodeno continetur: cujus causâ etiam Iacob duodecim filios habuerit. Hæc Menaſſe. *Reſp.* I. Neque tamen hinc, omnem artem Kabaliſticam *Moſi traditam* eſſe in monte Sinai, oſtendit. II. Nec reliquas Kabalæ regulas, vel modos eſſe *divinos.* III. Neque ſi vel Deus, & Prophetæ tali myſticâ ratione quandoque uſi ſunt, ergo & nobis promiſcuè eâdem uti licere pro arbitrio ad quævis effingenda, vel commentanda; noſtraque vel aliorum hominum pari auctoritate valere, & reverentiâ accipi debere, ac illa Dei. IV. Deus cauſam mutati nominis in Abrahamo exſertè ſignificavit, & expreſſit. נח in חן transponas licet; ſed hinc Noachum appellatum, contra Scripturam eſt, quæ ejus etymologiam aliam ponit, *Gen.* v. 28. זה ינחמנו *hic conſolabitur*, vel refocillabit *nos ab operibus noſtris.* Atque in nomine Her ſit litterarum ויהי ער רע בעיני י׳ *fuitque Her malus in oculis Domini*; non tamen hinc probatur Kabala. V. Myſterium in numeris quod latere volunt, nugæ ſunt.

 II. Alte-

Digitized by Google

II. Alterum *argumentum* Judæi noſtri, pro ſuâ Kabalâ, videtur hoc: Occurrunt in Scripturis obſcura nonnulla, & ferè prodigioſa, in ratione litterarum, vocalium, atque accentuum, quæ nempe ad Kabalam referenda. *Jerem.* xxv. pro Rege בבל eſt ששך. *Num.* vii. i. כלת abſque ו, cum ſcribi ſoleat כלֹת. Huc ſectionum litteræ פ & ס. *Jeſa.* ix. 6. mem finale in medio לםרבה &c. Quæ omnia abſque Kabalâ explicari vix poſſe videntur. *Reſp.* i. Neque etiam per Kabalam ſatis exponuntur, non certò, non infallabiliter. ii. Neque, quamvis per Kabalam explicarentur, probabunt, Kabalam eſſe legem Moſi datam, non magis quam quælibet alicujus apta, quæ datur, explicatio. iii. Rex Babel dicitur Rex Schechach, *Jerem.* xxv. 26. unde autem vel Babylon, vel ejus forte urbs aliqua, ſeu regio, vel Rex ita dicatur, incertum nobis, atque item Kabalæ. iv. In quacunque linguâ & ſcriptione vulgare eſt, ut littera ſæpe aliqua, abſque myſterio, abundet, vel deficiat. v. Mirum eſt, quæri quid ſectionum litteræ פ & ס ſignificent, quod pueris in Hebræa lingua notum. Nempe hoc eſſe פתומה & *clauſam*; vel סמוכה *conjunctam* ſectionem denotare; illud פתוכה *apertam*: & ſenſum vel inchoare iſtis, vel illis continuare & conjungi. Suntque vel majores triplicatis litteris; vel minores, ſimplici. Neque certe illa niſi pro humanis, & curioſorum notis accipienda Judaicis, non divinis, vel antiquis: in quibus haud multum operæ, momenti, vel ſollicitudinis ponendum nos quidem cenſemus. vi. Mem clauſum *Jeſa.* ix. 6. an myſterium aliquod denotet, neſcio: hoc ſcio, nec rationem ullam neceſſariam eſſe, quæ hoc dicere ſuadeat; nec certe eam ex Kabalâ petendam.

CAPUT TERTIUM,

DE

TALMUDE.

Quæst. Num Talmud divinæ ſit certitudinis, atque authoritatis?

De Talmude. Ejus auctoribus. ſcriptione. partibus. Talmud Ieroſolymitanum; Babylonicum. Quid הדרן עלך. *Quantæ apud Iudæos authoritatis ſit Talmud, cum Scripturâ; ſupra eam: quin & ſupra ſenſus. Si dicerent Scribæ, dextram eſſe ſiniſtram, & contrà ſiniſtram dextram, quod credi tamen deberent, expenſum. Contra Talmud*

Digitized by Google

Talmud argumenta noſtra. Lex oralis nulla. Non formam legis divinæ præ ſe fert Talmud. Nullo argumento Talmudis authoritatem divinam comprobare poſſunt Iudæi. Motu privato ſcriptum, & proprio. an bono? Impium eſt, Talmud Scripturæ præferre. Teſtimonium Menaſſis. Reſponſio ad Objectiones Iudæorum. ad Eccleſ. x. 8. 9. Ad argutiunculam Hillelis. Articuli fidei Iudaicæ.

Legem oralem, quam Moſem à Deo in monte Sinai accepiſſe Judæi opinantur, inde à Senioribus, atque à Prophetis diligenter (ut volunt) conſervatam, ab iiſque & aliis poſt ſe longâ ſerie in manus traditam, tandem Rabbi *Iehuda* Hakadoſch ſanctus ille (ſic ſcilicet ob eminentem, maximè poſtremis & deſolatis temporibus, ſanctitatem appellatus) anno poſt everſionem templi ſecundi cxx, (alii alium ponunt) ut diſperſis Judæis, & legi illi melius proſpiceret, ex conſilio Primorum, adjutus aliorum operâ, ſchedis undique conquiſitis, quibus memoriæ cauſâ traditiones inſcriptæ hactenus tumultuarie fuerant, littteris tandem conſignavit, atque in unum contraxit volumen, quod משניות *Miſchnajoth* appellarunt. Eſtquę *Doctrinale* legis, liber *Traditionum*: Imperator Juſtinianus Novell. conſtit. cxlvi. *ſecundam editionem* vocat, Gręce δευτέρωσιν; ad ſenſum vocis משנה. Concedit Judęis Imperator, legere per ſynagogas libros Scripturæ ſacros, vel Hebræâ, vel Græcâ, (ſive verſionem Lxx. ſive Aquilæ) vel aliâ linguâ; non vero Miſchnam: *eam verò quæ ab eis dicitur ſecunda editio, interdicimus omnino, utpote ſacris non contentam libris, neque deſuper traditam de Prophetis, ſed inventionem conſtitutam virorum ex ſolâ loquentium terrâ, et divinum in ipſis habentium nihil.*

Hoc libro, vel Miſchnâ continentur Judæorum leges, & traditiones quâ Eccleſiaſticæ, qua politicæ, per aphoriſmos. Rabbi Jehuda, hujus Auctor, & *Hakkadoſch*, ſeu *ſanctus ille*, & *Hannaſi*, ſeu *princeps ille* appellatus, illuſtri proſapiâ vir fuit, & Synedrii apud ſuos, quatenus ejus umbram, vel nomen adhuc ſervabant, præſes. Vixit ſub utroque Antonino Imperatore; quare & Antonino Pio aliquando compoſitio Miſchnæ à Judæis attribuitur. De illo Jehudâ dicunt Judæi: *a diebus Moſis Magiſtri noſtri, ſuper quem pax, uſque ad Rabbi, ita* κατ' ἐξοχὴν dicitur, *non invenimus legem, & dignitatem in uno loco*; volunt dicere, poſt Moſem, in hoc ſolo Jehudâ fuiſſe utriuſque & legis, & majeſtatis, tanquam in unâ ſede coitionem. Tres Imperatores ejus ætate fuiſſe, Antoninum, Marcum Antoninum, & Commodum, refert in Chronologiâ ſuâ R. David Ganz: qui in ſerie Rabbinorum Deuterorotarum ſub

Digitized by Google

templo ſecundo A. 958. de eo ſic: *Rabbi Jehuda princeps, cum videret prolongationem captivitatis, & diſcipulos puſillanimes redditos eſſe, ac defeciſſe vim ſapientiæ et Kabalæ, atque valde legem oralem attenuatam eſſe (licet tibi non ſit permiſſum dicta legis oralis ex ſcripto proferre, uti extat cap. anniżalin, Gittin cap.* v. *) tamen innixus Scripturæ Pſal.* CXIX. *Tempus eſt ut agat Dominus, irritam enim fecerunt legem tuam, collegit, et corraſit omnia decreta, ſtatuta, & dicta ſapientum, quorum quodlibet ſejunctim conſcripſit, quod docuerat domus Senatus in quolibet ſeculo, à diebus ſeniorum, Prophetarum, virorum Synagogæ magnæ, et ſapientum Miſchnæ uſque ad ſuum tempus, & conſcripſit illa ſex claſſibus, quæ ſunt* זרעים , מועד , נזיקין , נשים , קדשים , טהרות, *quorum ſignum* μνημόσυνον est, זמן נקט *tempus collectũ.* Idemq; Auctor ibidem varias ſuorum refert de tempore conſignatæ Miſchnæ, ſeu abſoluti iſtius ſyntagmatis ſententias, addens: *Syſtema Miſnajoth ratum habuerunt, & in ſe ſuſceperunt omnes Iſraelitæ; & in iis occupati fuerunt in vita Rabbi in ſchola terræ Iſraelis duo filii ejus, Rabban Gamaliel, & R. Simeon, atque R. Chaija, R. Oſeha, R. Chanana et R. Joannes, eorumque ſocii. Et in ſchola Babyloniæ iis operam navarunt Rab & R. Samuel diſcipuli Rab; quorum nomen infra amplius memorabitur.* Similia de R. Jehuda, & compoſitâ Miſchna legeſis in *Halichot Olam, cap.* I. Hæc Miſchna.

Inde poſt ducenteſimum ab everſo templo annum, Rabbi *Jochanan*, præſes ſcholæ in terrâ Iſraeliticâ, cum Rab, & Samuele, duobus Rabbi Jehuda hakkadoſch diſcipulis, Miſchnæ *Gemaram*, ſeu auctarium, vel commentarium, ex collectis ſedulò pluribus Magiſtrorum hinc inde dictatis addidit, quod inde dictum *Talmud Jeroſolymitanum*, legem oralem, Miſchnâ comprehenſam, continens magis explicatam: ſed hoc Jeroſolymitanum Talmud, quia pauciores habet Veterum conſtitutiones, & Judæis in terra Iſraëlis numero minori viventibus datum, linguæque impurioris, non ejus uſus & dignitatis fuit, ac quidem *Babylonicum*, ſæculo poſt in Babylone, à Rabbi *Aſhi*, una cum Rabina inchoatum, & à filio ejus Rabbi Mor, cum Maremar abſolutum. Utroque, à loco, & ſcholâ ubi compoſitum, traditumque, vel Jeroſolymitanum, vel Babylonicum, appellato. Babylonicum eſt prolixum, ac vaſtum opus, conſtans plurimis atque ingentibus voluminibus, ſed valde fabuloſum; ex quo nugarum Judaicarum plauſtra advehuntur. Illud occidentale etiam dicitur, תלמוד דבני מערבא, Talmud *filiorum Occidentis*; hoc Babylonicum, תלמוד דבני מדנחא, *Talmud filiorum orientis.* quemadmodum horum

horum utrorumque ſcholæ & ſtudia ſic vulgo in Judæorum ſcriptis internoſcuntur. Notæ diverſæ in Bibliis lectiones, aliæ מערבאי *Occidentalium*; מדנחאי *Orientalium* aliæ, quæ in Bibliis Bombergianis primum exhibitæ. Talmud aliquando ſtricte ſumitur pro Gemarâ, quo ſenſu duplex Talmud eſt; aliquando & communiter pro Miſchna cum Gemarâ: & hoc eſt corpus legis, cum ſua gloſsa, vel commentario. Gemara utraque ſunt quaſi juris Judaici Pandectæ.

Partes Talmudis, ſive ſectiones generales ſex ſunt. I. זרעים, de *ſeminibus*. II. מועד, de *feſtis*. III. נשים de *fœminis*. IV. נזיקים de *damnis*. V. קדשים de *rebus ſanctis*. VI. טהרות de *purificationibus*. Quæ faciunt deinde varios מסכות *tractatus*, ſeu Codices, nimirum LXIII. Codices in capita iterum partiti פרקים, quæ univerſi Talmudis ſunt DXXIV Capita denique in paragraphos: ſingulisque capitibus in fine ſubjungi ſolet, הדרן עלך: quod quid ſignificet, diſputant. Elias in Tiſbi, voce הדר, explicat per חזור בך *redi ad te*, repete tecum; ſed neſcire ſe ait, unde ן acceſſerit in fine. L'Empereur, in Notis ad Middoth, exponit, quaſi ſermonem docentis ad diſcipulum: *reditus noſter* (in terram Canaan, quem ſummis votis ſemper exoptant Judæi) *tibi contingat*. Id eſt: *ſis tu quoque particeps reditus noſtri*, vel, *reditus noſter ad te*. Sive, quod etiam addit, poſſet deduci ab הדר *gloria*; ut ſit, *gloria noſtra ſuper te*, nempe, futura nobis gloria in Templo tertio tibi quoque obveniat. Buxtorfius, in lexico Talmudico voce הדר, explicationem petit ex uberiore clauſulâ, quæ eſt in fine tractatuum Schabbat, Kidduſchim, Cholim, Sevachim, & Menachot, ubi legitur הדרן עלך מסכת שבת והדרך עלן מסכת שבת *gloria noſtra ſuper te, ô tractatus Sabbath; & gloria tua ſuper nos tractatus Sabbath!* vel, *reditus noſter ſit ad te*; hoc eſt, fac ut poſſimus ad ea, quæ legimus apud te, redire, eorum ſemper recordari; & *reditus tuus erit ad nos*, ſic memoria tui apud nos vigebit quoque. Atque hæc noſtra eſt ſententia, clauſulam monere de jugi capitis, cui ſubjungitur, lecti recordatione, & repetitione; per quam fit quaſi reditus capituli ad nos, noſterque iterum ad capitulum. Quemadmodum in Sanhedrin R. Iehoſua loquitur: כל הלומד תורה ואינו חוזר עליה דומה לאדם שזורע ואינו קוצר, *quicunque diſcit legem, neque redit ad eam* (הדר eſt הזר, Tiſbi) *ſimilis eſt homini ſerenti, & non metenti*.

Non ſatis habent Iudæi Talmud *juxta Scripturam S.* poſuiſſe, niſi *preferant* quoque; tantæ nimirum divinitatis, authoritatiſque apud eos eſt.

eſt. Unde quod in tractatu de idolol. cap. 1. dicunt, לעולם ישלש אדם *ſemper in tres partes diſtribuat homo annos ſuos, tertiam partem lectioni Biblicæ impendat, tertiam Miſchnæ, Talmudi reliquum.* Cui conforme, quod de puerorum variâ, per ætatum gradus, inſtitutione communiter obſervant: בן חמש שנה למקרא *filius quinque annorum ad Biblia*, ſive ſtudium Biblicum; *decem annorum ad Miſchnam*; *tredecim annorum ad præcepta* obſervanda; *filius*, ſeu homo *quindecim annorum ad Talmud.* eſt inter Capitula Patrum, cap. v. Aben Ezra, præfat. in Decal. כי אין הפרש בין שתי התורות *neque ulla eſt differentia inter duas has leges*, ſc. ſcriptam, & oralem. Quin addit, שסכך משה על תורה שבעל פה *Moſes fundatus eſt ſuper legem oralem*: adeo Moſem lege hac inferiorem faciunt. R. Samuel, in introductione ad Gemaram; Rabbi Bechai, in *Cad Hakkemach*, aliique paſſim vocant legem oralem, עיקר *fundamentum legis ſcriptæ.* Similiter de lege orali vel mentalì loquitur Menaſſe ben Iſrael, in præfatione libri *Theſouro dos Dinim*, qui eſt quaſi Epitome Miſchnæ. Talmud vino; at Scripturam aquæ comparant: & quod diſcrimen inter aquam & vinum, tantum inter Talmud, & Scripturam collocant. Cod. Sopherim, cap. xv. נמשלה המקרא כמים והמשנה כיין והתלמוד כקונדיטון, *Similis eſt textus biblicus aquæ, & Miſchna vino, & Talmud condito.* Hæc Halacha 7. ſequenti 8. conferunt Legem cùm ſale, Miſchnam cum pipere, Talmud aromatibus. In Gemara Ieroſolymitanâ Maſſechoth *Berachoth, cap. 1. fol. 3. col. 2.* חביבין דברי סופרים מדברי תורה שנ׳ כי טובים דודיך מיין *dilectiora ſunt verba Scribarum præ verbis legis, juxtà id quod dicitur, amores tui meliores vino.* Tale & illud eſt, התלמוד המקודש אין למעלה ממנו *Talmude ſanctiſſimo nihil eſt præſtantius.* Vide etiam teſtimonia in hanc rem à Iudæis adducta apud Buxtorfium, *Synagogæ Judaicæ cap. 1.* & in *Recenſione Operis Talmudici, pag. 222.* Imò gravius habent peccatum, quod quis contra placita Majorum delinquit & traditiones, quam contra legem Dei ſcriptam. Quod non modo ex Euangelio noſtro conſtat: ſed & ex ipſorum ſcriptis. Miſchna Sanhedrin, cap. x. §. 3. חומר בדברי סופרים מבדברי תורה. *Gravius peccatur circa verba ſcribarum, quam verba legis. Si quis dicat, phylacteria nihil ſunt, ut tranſgrediatur legem, immunis eſt. Quinque capſulæ ſunt in phylacterio. Si quis addat verbis ſapientum, reus eſt.* Eumque qui peccavit in verba Scribarum flagellant ſine numero & æſtimatione מכת מרדות *percuſſione contumaciæ.* Judæus in Amica Diſput. quæſt. XVII. *Hæ traditiones comprehenſæ ſunt libris Miſna & Talmud dictis: ſecundum has neceſſe eſt S. literas in-*

ras interpretari, nulloque alio modo. Nec ſolum cum Scripturâ pares faciunt ſuas traditiones Judæi, vel illi quoque præferunt, ſed & ſupra *ſenſus*, ſenſuumque judicium haberi illas volunt. Hinc Selomo Jarchi, in Deut. XVII. 11. *Juxta legem quam docuerint te &c. facies. Non declinabis à verbo, quod indicaverint tibi, ad dextram, aut ad ſiniſtram.* addit: אפי׳ אומר לך על ימין שהוא שמאל על שמאל שהוא ימין *etiam quamvis de dextrâ diceret, eam eſſe ſiniſtram; vel de ſiniſtrâ, eam eſſe dexterā: quanto magis quando dicit tibi dextram eſſe dextram, & ſiniſtram ſiniſtram.* Idem ex iſto loco extundit R. Lipman, *pag.* 177. At Abravanel, *lib. de capite fidei, cap.* XIII. emollire ſatagit: ſed fruſtra. Nam dicere, hoc locum duntaxat habere de dextrâ, quod ſit ſiniſtra, ubi non eſt caſus, vel quæſtio idololatriæ, ſatis ipſum abſurdum eſt & ſtolidum. Nam cur hic & non alibi quoque, vel unde tanta illis authoritas aliqua in re, ut ſupra ſenſus ſe efferant & rationem? quod quò ſit minori in re, eo magis ridiculum & explodendum. vel reſpondere, dictum illud ſic accipiendum eſſe, ut Doctores nunquam aliter interpretari putemus, quam interpretatione dextrâ, ut nihil niſi dextrum ſit in illorum expoſitione, ſiniſtri nihil; gerris Siculis magis eſt inane: hoc enim affingit illis aliquam infallibilitatem, & vanam perſuaſionem continet eruditionis vel dignitatis Magiſtrorum, contra ipſam lucem dictatorum, quæ tantum ſæpe à ratione diſcrepant, quantum dextra à ſiniſtra. Aut ſi cum ratione demum illa velint concordari debere, jam nihil præcellentis authoritatis iis datur illo dicterio, ob cujus tamen rei gratiam adferri ſolet. Adhuc aliter ſolvere illud conatur Auctor Ikkarim, lib. III. (tantas Doctoribus moleſtias faceſſit unum illud, in illorum gratiam, arrogantiam nempe, impudens dictum) dicitque applicandum eſſe plebi, quo ſibi caveat aliter ſentire ac Magiſtris viſum, ſed intra limites modeſtiæ coërceatur. Imo, dico ego, ſtuporis & brutalitatis. ואף אם אפשש שיהיה היחיד יותר חכם מכל אחד מהם, *& quod ſi contingat ut privatus aliquis plus ſapiat illis ſapientibus, et melius veritatem percipiat, quam illorum aliqui, nihilominus ſtare debet conſtitutio plurium, neque fas erit privato diſſentire ab iis, ut aliquid faceret ex ſententiâ ſua.* Scilicet hoc eſt confirmare dicti abſurditatem, non excuſare aut tollere.

Sed jam argumentis convellamus Talmud, & Miſchnam, & Gemaram, atque oſtendamus, nihil minus illa quam divinam legem continere, vel divinæ, aut paris cum S. Scripturâ, nedum majoris eſſe authoritatis. In quem finem ita argumentamur.

Primo.

Digitized by Google

Primo. Lex *oralis*, præter ſcriptam, Moſi à Deo in monte tradita *nulla* eſt; uti ſuperiore diſputatione vidimus: quapropter Talmud eam continere nequit. Eſtque ſupervacuum omne, quod de Talmude vel in ejus commendationem, honorem, atque authoritatem commendant Iudæi, ubi primum id à nobis demonſtratum, nullam unquam oralem legem, non eam quam Iudæi volunt, à Deo Moſi, vel à Moſe ſequentibus, de manu in manum, vel de ore in os, commiſſam fuiſſe.

Arg. ſecundum. Neque ſi vel ulla lex oralis à Deo tradita, eam ideo *Talmude* contineri probatur. Quia hoc nequidquam ad *modum legis* conſcriptum: ſed diſputationes Magiſtrorum exhibet, & Scholarum paſſim varias ſententias. Non ita tabulæ legum agere, vel loqui ſolent; non lex divina: quid enim in lege, præcipue divinâ, aliorum ſententias enarrare, atque diſcutere? & hoc non in Gemarâ ſolum, ſed in ipſâ quoque Miſchnâ: neque diſcrepantes tantum Magiſtrorum opiniones, ſed & perpetuas inter domum, ſeu academiam Hillelis & Schamai contentiones?

Arg. tertium. Nullo *argumento* probari à Iudæis poteſt Talmud *divinum*, ſeu à Deo eſſe. Age, nihil Iudæus proferet pro ſuo Talmude, quod non æque arripiet, & pro fide, atque authoritate Alkorani ſui urgere poterit Muhammedanus. Quâ ergo ratione perſuadebit nobis Iudæus ſuum Talmud? niſi eadem facilitate nos velit accipere quoque Alkoranum? Ille dicet Moſi traditam Kabalam in monte; hic dicet ad Muhammedem noctu delatum cælitus Alkoranum per Gabrielem. Uti ab hoc juſte rationes exigimus pro Alkorano; ita ut ille ſuas prius pro Talmude exponat, poſtulamus rite. Materiam quod ſpectat, vel argumentum libri, in Talmude fateor aliqua haud mala occurrere: ſed & talia etiam in Alkorano. Quid ergo pro Talmude afferet Iudæus, quo fidem & reverentiam ejus à nobis impetret? Neque enim ſufficit, ut aliquid boni contineat liber aliquis, hinc ut pro divino habeatur, nedum authentico.

Arg. quartum. Fatentur Iudæi, Talmud conſcriptum à ſuis Auctoribus *motu privato*, non verò ſingulari aliquo inſtinctu aut juſſu divino: quod argumento eſt, non eſſe ſcriptum θεόπνευςον. Aliter Moſes, aliter Prophetæ ad ſcribendum acceſſerunt, peculiari vocatione, & ſpiritu inſtructi. Proprio ingenio, vel θελήματι ἀνθρώπου qui ſcribit, ejus ſcriptum in ſacris Religionis haberi nequit authenticum, & canonicum. Non R. Iehuda hannaſi, auctor Miſchnæ; non Rabbi Iochanan, auctor

Ieroſo-

Digitized by Google

Ieroſolymitani Talmudis; vel R. Aſhe, Babylonici, ſpiritum Dei peculiarem, aut certam infallibilemque ſpiritus informationem hoc in opere ſenſerunt, vel ſignificarunt. Prophetæ tamen omnes, & librorum S. Scriptores illum habuerunt ac teſtati fuere ſemper. Quare non cum S. Scriptura ſcriptâ Talmudica æquiparanda, nedum ut ei anteferenda ſint.

Arg. quintum. Præterquam quod motu proprio legem oralem, uti ajunt Iudæi, litteris conſignarunt Talmudis Auctores; probetur quoque eos id egiſſe motu *bono*, ac juſto. Quoniam antea, uti iidem putant, hoc non modo non factum, ſed quoque ne fieret, & in Scripturâ, & orali cautione à Moſe, Prophetiſque prohibitum. Quomodo demonſtrabunt, bene jam poſteriores illos hac in re feciſſe? Prophetæ ſecundum ipſos aliter egerunt, agendumque cenſuerunt. Quæ hiſce nuperis major nunc licentia, vel authoritas contra Prophetas diſpenſandi, & agendi ſecus? neque ſufficit, habita temporum, hominumque ratione, animum ad tale factum inducere, ſiquidem ejus conſtet divina & perpetua prohibitio. Etenim anteriores doctores ac Prophetæ quoque triſtia ſęcula, temporumque duras experti ſunt periodos, vel etiam hæc poſtrema præviderunt tempora, unde ſi conſcribere tam ſanctam ſc. legem licuiſſet, vel neceſſe fuiſſet unquam, per illos actum id vel olim fuiſſet melius, vel ſaltem prædictum, ſignificatumque quod aliquando futurum fuiſſet licitumque. Quale tamen nihil ab iis dictum, factumque.

Arg. ſextum. Non eſt ex *Scripturæ S. dignitate*, eam adeo poſtponere Talmudi. Scripturam divinam eſſe in confeſſo eſt: pro hac ſtamus, ejus ſummam tuemur autoritatem, neque patimur eam de auguſtiſſimo majeſtatis ſuæ ſolio deturbari, per aliud, per humanum, per obſcurum ſcriptum, à ſe nuſpiam indicatum, vel celebratum. Moſes Meſſiam prædicat, neque hunc ſilet Prophetam ſe majorem fore; alia lex ſiquidem præter ſcriptam data etiam fuiſſet, illam Scriptura nunquam nominaſſet? vel ſiquidem data, Scripturæ authoritatem convellere debuit? Quare permittendũ nobis minime eſt, Scripturæ quidpiam derogari, per talem legem, cujus nec vola, nec veſtigium in ſacris litteris, & quæ ſeipſam probare nullo argumento poteſt. Quid videtur vobis Iudæi, dum nos, qui Gentiles vobis dicimur, Mikram, & S. Scripturam non modò admittimus, quod utique à probro Gentiliſmi nos vindicat; ſed quoque eam præ vobis veneramur, & authoritatem ejus

Digitized by Google

divinam, contra vos ipſos defendere cogimur. Utrius cauſa juſtior, ſanctior, & magis pro fide Iſraëlis, pro dignitate S. verbi, adeoque Dei ipſius? annon quilibet, voſque adeo ipſi noſtras hic partes dicetis eò meliores, quò pro Deo, ejus verbo, & veritate nunquam aliquid ſatis dici poſſe concedere cogimur?

Arg. ſeptimum. Quod ſcriptum multa continet *abſurda, falſa, improba*, in Deum, homines, & veritatem injuria, fabuloſa quam plurima, indigna, atque neſanda, illud pro divino haberi nequit: at tale eſt Talmud. Probarunt hoc de Talmude multi integris libris, ac capitibus, ad quæ Lectorem remittimus. Nec aliquis rerum Iudaicarum ita imperitus eſt, hoc qui ignoret. Ita quæ ex & de Talmude adferri hic ſolent, obvia & copioſa ſunt: imo nec ipſis inter Gentiles Poëtis ignorata. Unde Iuvenalis Satyra VI. *Interpres legum Solymarum* &c.

Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt.

Hieronymus de Sancta fide, A. CIↃ CCCC XII. librum ſcripſit, *Hebræomaſtyx.* libro ſecundo contra Talmud diſputat, adfertque primo ea, quæ in eo contra charitatem, humanitatem, & naturæ legem: tum, quæ contra Dei ſervitium, & ejus perfectionem: quæ contra legem Moſaicam, & Prophetas: tum vanitates, ridicula, aliaque Talmudis vitia recenſet. Quod idem egerunt & alii. Finus, in Flagello Judæorum, lib. IX. cap. V. &c. Victor à Carbe, Judæus converſus, *contra Judæorum errores, lib.* I. *cap.* IX. X. Marquardus de Suſannis Tract. *de Judæis & Infidel. part.* III. *cap.* I. Galatinus, *de Arcanis Catholicæ veritatis lib.* I. Sixtus Senenſis, *Bibliothecæ lib.* II. Theod. Hackſpan, ad *R. Lipmannum, cap.* I. à *pag.* 260. & deinceps. Qualia quæſo illa ſunt, quæ in Maſſechot Schabbath, & alibi habent, quum horæ diei duodecim ſint, tribus priorib. Deum ſtudere in lege, aliis in Talmude. Quod & Targum Cantic. X. 5. ועסיק *occupatur viginti quatuor libris legis, & decretis Prophetiæ atque Hagiographôrum*, ובליליא הוא עסיק בשיתא סדרי משנה, *noctu vero occupatur ſex ordinibus Miſchnæ.* quæ in Bibliis Venetis, & editione Schrekenfuchſianâ leguntur, in Baſileenſibus omiſſa. Alibi, Deum eâ horâ, quâ Moſes adſcendebat in montem, ajunt occupatum fuiſſe in legenda ſectione quæ eſt de vaccâ rufâ. Deum, ad contentionem Lunæ cum Sole, dixiſſe: *offerte ſacrificium expiatorium pro me, eo quod Lunam minorem feci.* Atque iſtius generis plura, cuivis nota. Scio quidem, ſymbolicam talium interpretationem quæri & myſticam: & forte in nonnullis alium ſenſum ſectati ſunt Veteres; ſed nihil nugarum in iſtis eſſe, vel omnium

ſatis

Digitized by Google

ſatis probam & genuinam expoſitionem conſtare, aut dari poſſe, & non ad litteram illa dicta, intellectaque ab iis fuiſſe, haud aliquis probaverit. Contrarium oſtendit Hackſpan, ad R. Lipmann. *cap.* 11. *pag.* 352. *&c.* probatque non poſſe parabolice Talmudica iſta omnia explicari aut ſolvi. Nos, iis miſſis, ea, quæ extra parabolam, adferamus, & per ea Talmud ex Talmude refutemus. Quod quidem faciemus triplici exemplo. ubi contra legem apertam determinant: quando contradictoria probant: denique quum falſam veritatis conſtituunt regulam, ſentientium multitudinem.

Deus dixit Exod. XXI. 15. *qui percutit Patrem ſuum, aut matrem ſuam, omnino morte plectitor.* In Miſchna autem, cod. *Bava kama*, cap. VIII. 3. המכה את אביו ואת אמו ולא עשה בהם חבורה *qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem ſuam, neque vulnus fecerit*, tenetur quidem ad hæc quinque, ut ſatisfaciat ſc. בנזק בצער ברפוי בשבת ובבושה *in damno, dolore, curatione, ceſſatione, atque ignominiâ*; attamen liberum à mortis ſupplicio, contra expreſſam legis ſententiam, pronunciant. Secundo, quid in Miſchnâ crebrius, notiuſque, quam perpetuæ, & contrariæ diſputationes utriuſque domus Hillel atque Schammai? alter ait, negat alter, & de quibuſcunque vel nullius momenti rebus inter ſe acriter digladiantur: nihilominus utriuſque, tam hujus quam illius, opinio, quantumvis inter ſe contraria, pro verâ, adeoque divinâ habetur. אלו ואלו דברי אלהים חיים *hæc & illa verba ſunt Dei viventis.* In Maſſechoth *Erubin* refertur, quod quum per integrum triennium contendiſſent inter ſe Hillelitæ & Schammaitæ, illis dicentibus, quod juxta ipſorum ſententiam pronunciandum eſſet, his ècontra, בת קול cœleſte oraculum ſe interponens edixerit, אלו ואלו דברי אלהים חיים *hæc & illa verba ſunt viventis Dei.* Quod impoſſibile eſt, ut utraque contradictoriorum ſit vera. In *Chagiga cap.* 1. diſſentiunt paſſim Talmudiſtæ dicti בעלי אסופות, dum hi purum pronunciant, quod alii impurum; hi ligant, ubi alii ſolvunt, הללו פוסלין והללו מכשירין *quod alii falſum judicant, pronunciant alii rectum*, & tamen iſta omnia uni Deo adſcribunt, ceu ab ipſo prolata. Quod quomodo in ſapientis alicujus, nedum Dei, ipſiuſque veritatis mentem cadere, vel concipi poteſt? Denique quantumvis in hujuſmodi diſputationibus videatur veritas pro hac parte; הלכה tamen ſæpe eſt pro plurium opinione. Uti in *Baba meziba*, *cap* IV, quando ad acrem & diuturnam inter R. Eleazarum, & Joſuam contentionem, cœleſte oraculum pronunciaſſet, pro R. Eleazare, oppoſuit ſe

 Rabbi

Rabbi Joſua, reſponditque; *non eſt in cœlis deciſio contra definitionem plurium.* Unde & R. Lipmam, pag. 177. התורה נתנה לפי הככמת הרבים *lex juxta conſenſum plurium.* quaſi multitudinem & turbam Deus ſequatur, neque ſolam præferat, quamvis pauciorum, veritatem? atque ſic etiam nobis faciendum mandaſſet? Exod. XXIII. 2. *non ſequeris poſt multos* &c. Atque hoc univerſalis ſapientum corroborat conſenſus, non numerandas, ſed ponderandas eſſe ſententias, quum conſtet ſæpe contra multitudinem veritatem ſtare cum paucioribus. Ariſtoteles, Metaphyſ. lib. III. cap V. τὸ μὲν γὰρ ἀληθὲς οὐ πλήθει κρίνεσθαι οἴονται προσήκειν, οὐδὲ ὀλιγότητι: *at enim verum neque pluralitate, neque paucitate judicandum cenſere debent. Idem autem quibuſdam guſtantibus dulce, quibuſdam amarum eſſe videtur. Quare ſi omnes ægrotarent, aut omnes inſanirent, duo verò, vel tres ſani, aut mentis compotes eſſent, hi utique videri poſſent ægrotare, ac inſanire, cæteri verò minime.*

Arg. octavum. In *Judæorum* pro noſtrâ ſententiâ *conſenſum*, non adferam iterum ſententiam Zadducæorum, Karaitarum, aliorumque legem oralem repudiantium, ac proinde etiam Talmud, & Talmudica, de quibus in ſuperiori diſputatione; ſed ea, quæ contra Talmud, immanemque ejus apud ſuos authoritatem Judæis aliquando excidunt. Menaſſe ben Iſrael, lib. *de fragilitate humana*, pag. 109. ad objectionem ſibi factam ex tractatu *Sabbat*, triplici viâ ſolutionem dandam ait; vel ut Scriptura cum Rabbinorum ſententiâ concilietur; vel ut horum ſententia explicetur; vel denique *eam negando*: ergo negare liceat doctrinam Rabbinorum, & Talmud, ejuſque authoritatem: ſed ad primam ſolutionem ipſe ſic: *mihi attentius illud conſideranti, nequaquam hæc placet ſolutio, ut quæ ſacram Scripturam ad humanam torqueat mentē, ſolumq; hoc fine eam accommodet, ut ne iſta ſententia negetur; quod planè impium arbitror: Quemadmodum enim, cum Muſica canitur, eatenus partes concinunt, quatenus concordant cum organo, ita quoque quævis ſcripta vel vera ſunt, vel falſa, quatenus conveniunt cum divinis literis, aut ab iiſdem diſcrepant. Hinc eſt, quod quidem ex ſacrorum Bibliorum autoritate adverſus quoſvis libros argumenta ſumantur: nihil autem roboris, aut virium, in Sacram ſcripturam obtineat pondus cæterorum. Quis igitur non videt, ſemper eſſe Talmud ſacris literis accommodandum: non verò Talmudi Sacras literas.* Optime quidem, Ergo Talmud non præferendum Scripturæ, neque illud hujus fundamentum eſt, quod alias Judæi dicere ſolent, neque abhorruit ipſe etiam Menaſſe dicere, in præfatione Hiſpanica, ad libr. *Theſouro*

ſouro dos Dinim : ubi, *eſta Ley mental, pondo primeiramente o fundamento do preceito.*

Nihil autem Judæi pro ſuo Talmude, nedum tantâ ejus authoritate, proferre queunt, præcipue ubi jam legis oralis diſcuſſum fundamentum eſt, ac protritum. Notabimus tamen, ſiquid alicubi apud eos occurrat, vel dici pro ipſis poſſe videatur; ne quid ſtudio præteriiſſe, vel diſſimulaſſe fruſtra accuſemur. Igitur urgere hoc ſuo in negotio imprimis, ac ferè unicè ſolent, Eccleſ. x. 8. 9. ופרץ *& qui perrumpit maceriam, mordet eum ſerpens.* Maceria, eſt Maſora, dicunt; & Traditiones majorum, Talmud: quam maceriam *ſtruxerunt antiqui ſapientes*, inquit ad hunc locum Ezra: בנוהו חכמים קדמונים. Et Jarchi, סייג של חכמים לעבור על דבריהם *ſepes ſapientum, ita ut eorum ſtatuta transgrediantur* &c. In Capitulis Patrum, מסירת סייג לתורה *Maſora eſt ſepes legis.* In Gemara Sanhedrin, cap. XI. verba Eccleſiaſtis ſequentia: *qui transmovet lapides, dolore afficitur in eis*, explicantur, אלו בעלי משנה *iſti ſunt ſtudioſi Miſchna.* Quemadmodum ibidem Rabbi Sira, Prov. XV. 15. *omnes dies pauperis mali ſunt*, exponit; אלו בעלי תלמוד *illi ſunt ſtudioſi Talmudis.* Et *hilari corde eſſe, convivium perpetuum*, ad ſtudioſos Miſchnæ trahit. *Reſp.* Qualis (obſecro) argumentatio? quam futilis, quamque temeraria, imo prophana Scripturæ locorum, ad Talmud, ad Miſchnam applicatio? uno verbo, turpis & inanis eſt petitio ejus, quod in quæſtione: maceriam, ad Traditiones; vel lapides, in loco Salomonis altero, ad Miſchnam trahere; & ſive dies pauperum, de ſtudio Talmudis; ſive convivium perpetuum de Talmude intelligere velle. Negantur nobis, vel ridentur potius omnia, quorum ne unum quidem apicem Judæus probabit unquam.

Deinde R. Hillelem dicunt, cuidam interroganti, quot leges apud Hebræos eſſent, reſpondiſſe: duas; Scriptam unam, alteram oralem. quod cum alter vix crederet, ſic probare annıſum: Mi fili, ajebat, ſede, ac ſcribe alphabetum. Quo facto, rogabat: quænam hæc eſt littera? reſponſum, Aleph &c. bene, at unde noſti eſſe hanc litteram, & non aliam? Aleph, non verò Beth; & illam eſſe Beth, non Gimel? &c. quia nempe, dicebat alter, majores mei ſic docuerunt. Tunc Hillel, ſi ergo hoc credis, quia Majores ita docuerunt, crede quoque legem eſſe aliam non ſcriptam; nam & hoc quoque Majores dixerunt. *Reſp.* Fabula, vel narratiuncula; non argumentum. Quid nobis cum Hillele, quid ille dixerit, quidve docuerit? traditio-

 num-

Digitized by Google

num primario auctore, ſtatoreque? Quæ ratio Alphabeti ad Talmud? quid uſus ab hominibus inſtitutus, cum lege, quam dicunt, Moſem à Deo accepiſſe? fateor, multa eſſe quæ inſtituto hominum ſic aut aliter valent; ſed quam inanis hinc fit conſequentia ad legem divinam? ad oralem? iſtiuſmodi multa dantur, ergo & illud? Pernegamus omnia.

Poſtremò commode hoc quidem loco interſeram fidei Judaicę articulos, non quidem omnes, ſed pręcipuos & fundamentales, quos Maimonides primus collegit & conſtruxit, in Commentario ad Miſchnam Sanhedrin, cap. x. quem abinde Judæi vulgo inſequuti fuerunt. Suntque numero tredecim. In quo numero neſcio quid myſterii Judæi conſtituant. Nam & tot regulas Kabaliſticas, & totidem modos exponendę legis fecerunt: de quibus ſuperiori capite diximus. Niſi quod R. Joſephus Albo, in libro Ikkarim, diverſum à Maimonide eat, & non tredecim, ſed tres modo fundamentales articulos ponat, videlicet de Dei exiſtentia primum, מציאות השם, *eſſe Deum*. Deinde, *legem eſſe divinam* תורה מן השמים. Denique *mercedem & pœnam* שכר ועונש eſſe operibus. Alia non quidem credenda negat, ſed eſſe fundamentalia. Diſtinguit inter fidei articulos, quemadmodum in arbore inter radicem, & ramos; fundamenti & radicis loco ſolùm illa tria habenda, reliqua inſtar ramorum. Quodque præ omnibus obſervandum, etiam articulus & fides Meſſiæ, quod Maimonides & cæteri Judæi, ſiquod aliud, fidei ſuæ viſi facere caput primarium, ille cenſu fundamentalium eximit, & hac quidem ſuper re acriter cum Adverſario diſputat. Ut vel hinc etiam conſtare poſſit, quam levi pretio apud Judæorum multos, & primarios etiam Meſſias habeatur. Sed de hoc in ſequentibus. Impræſentiarum articulos illos XIII. à Maimonide primùm congeſtos, inde vulgo receptos, & quibus communiter fidem ſuam contineri Judæi aſſerunt, hoc in loco, poſtquam de principio fidei & religionis diſputavimus, antequam ad ſingula quæſtionum capita deſcendamus, exponendos duximus. Recenſet illos, ex Maimonide, Menaſſe Problem. I. *de Creatione*; è Chriſtianis, Buxtorfius, *Synag. Judaic. cap.* I. & Genebrardus pec. libello, *Symboli fidei Judaicæ*. Nos illos exhibemus, prout factum à Judæo, in Amicâ Diſput. anno 1644. quæſtione XII. pag. 14.

Articuli & fundamenta legis ac fidei noſtræ ſunt tredecim numero.

I. *Deum eſſe, cauſſam omnium cauſarum, quo omnes indigent, cum ipſe nullius alterius indigus ſit.*

II. *Hunc deum unum, ejuſque unitatem ſimpliciſſimam ac perfectiſſimam*

eſſe,

eſſe, nec ullum diverſitatis modum admittere, qualiſcunque etam ille excogitari poſſet.

III. *Non eſſe corpus, nec formam aliquam corpus informantem, nec ulli accidenti corporeo ſubjectum.*

IV. *Eſſe æternum, qui ut nullum principium habuit, ita nullum unquam finem eſt habiturus, cum omnia præter ipſum principium habuerint.*

V. *Hunc ſolum eſſe adorandum, huic ſerviendum & obediendum, nec quenquam alium præter eum qui ſit mediator inter nos & ipſum.*

VI. *Eundem ſpiritum ſuum communicare ſuamque voluntatem patefacere viris ſapientibus & ſanctis, puta prophetis, quotieſcunque ſapientiæ illius ita viſum fuerit.*

VII. *Maximum omnium, qui ullo unquam tempore fuerunt aut futuri ſunt, prophetam fuiſſe Moſem, per cujus manum Deus legem ſuam dedit in monte Sinai.*

VIII. *Totam legem à prima ad ultimam uſque literam à Deo Moſi eſſe datam, ejuſque traditionem & interpretationem ſemper ſervatam & cuſtoditam fuiſſe in conſeſſu 70 ſeniorum.*

IX. *Legem quam Deus dedit per manum Moſis cum ejuſdem traditione æternam eſſe, nec quicquam ei addi aut detrahi oportere.*

X. *Scire Deum ſingulatim omnes hominum actiones, etiam cogitationes, nec quicquam eorum ei abſconditum eſſe.*

XI. *Eundem legem ſuam obſervantibus præmia, & tranſgreſſoribus pœnas rependere, ac eſſentiam remunerationis in gloria animarum in vita æterna, pœnæ verò, in earundem abjectione in infernum conſiſtere.*

XII. *Deum miſſurum liberatorem è domo Davidis, ex Salomonis ſtirpe, qui amplitudine honoris & dignitatis univerſos mundi reges qui ante ipſum fuerunt ſuperabit, inque eo complementum habebunt omnes benedictiones et felicitates de quibus prophetæ locuti ſunt.*

XIII. *Reſuſcitaturum mortuos eo tempore quod divina ejus ſapientia præfinivit.*

Hi ſunt 13 articuli legis noſtræ ſummatim comprehenſi, unde multi alii oriuntur ac dependent inquit Judæus.

LIBER SECUNDUS, DE MESSIA.

CAPUT UNICUM, DE ADVENTU MESSIÆ.

QUÆST. An Meſſias in S. Scripturâ promiſſus & exſpectatus olim venerit, eoque, quo prædictum à Prophetis, tempore?

Meſſiæ nomen. Levis ejus hodiè apud Iudæos æſtimatio. Sententia Menaſſis ben Iſraël. Fabula, de Meſſia nato; at non manifeſtato. Interdictum Iudæorum de non ſupputandis annis adventus Meſſiæ. Reſpondetur ad Am. v. 18. Eccleſ. VII. 25. Hab. II. 3. Dan. XII. 4. *Pro adventu Meſſiæ præterito argumentum generale, ex dictorum & promiſſionum divinarum certitudine ac infallibilitate. Inde argumenta particularia.* Geneſ. XLIX. 10 *explicatur, & vindicatur contra undecim à Menaſſe adductas exceptiones.* Hagg. II. 7. *de templo ſecundo: & quod eo ſtante Meſſias venire debuit. de Herode. De ſeptuaginta hebdomadis Danielis. De regno quarto* Dan. II. Malach. III. I. *Teſtimonia Iudæorum, de adventu Meſſiæ ad quintum mundi millenare. Deſperatus hodie Iudæorum ſtatus. Solvitur exceptio, quod Meſſias adventum ſuum differt, propter peccata populi. Objectio, de Eliæ adventu, ante Meſſiam.*

ABſolutis quæ libro primo diſcutienda erant, & præmittenda cæteris, utpote de principio, unde reliqua porro decidenda ſunt, dubitavi aliquantum, unde ordienda reliqua diſputatio eſſet. An à primario, de Meſſiâ, capite? an vero ordinem titulorum naturalem ſequi conſultius foret, & de Deo incipere, tum de creatione &c. & ſic ſuo loco devenire ad tractationem de Meſſiâ? tandem ita ſtatui, ſatius eſſe hinc inchoare, quod de Meſſia præcipuum maximeque neceſſarium totius inter Nos Judæoſque contentionis habent omnes argumentum, in quod primò inquiri ſolet, & quod præ aliis controverſum, tractatumque multis, de *Meſſiâ*. Cumque tria hic maxime ſpectanda ſint, Meſſiæ *adventus*, *perſona*, *officium*: de primo hoc libro agere inſtitui

inſtitui, oſtenſurus videlicet, *quod* Meſſias diu *venit*. Sequenti, in perſonam ejus inquiremus, *quis* ſit, & monſtrabimus, eum eſſe Salvatorem noſtrum *Jeſum Chriſtum*. Deinceps, *qualis*, nempe hunc eſſe *Deum-hominem*. Nam in perſonâ Meſſiæ duo obſervamus, *quis*, & *qualis* ſit: atque in illo capite veritas *Euangelii* oſtendenda; in iſto, fides *S. Trinitatis*. Ut hoc loco id, quod cum Judæis diſputamus ſuper articulo de Deo, vid. de ſacra Trinitate, commode tum ſimus quoque perſequuturi. Atque de officio Meſſiæ agemus, poſtquam præmiſerimus de *peccato*, & nonnullam de *creatione* diſputationem, libro quarto.

De Meſſia autem non ſine cauſa primo dicere inſtituimus loco: nam hoc diſſenſionis & diſputationis præcipuum caput, quod inter Judæum diſcrimen facit & Chriſtianum, credere Meſſiam veniſſe. Deinde eum eſſe Jeſum Nazarenum. Nos Meſſię adoratores, unde & nomen, in quo palam gloriamur, משיחים Chriſtianorum. Quid autem *Meſſias* ſit, ante omnia inquirendum. משיח, Chaldaicè משיחא *Meſſias*, χριςὸς, *unctus*. In Euangelio noſtro, εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον ὁ χριστός. Johan. I. 42. atque iterum cap. IV. 25. *ſcio* οἶδα Μεσσίας, *quod Meſſias veniet* ἔρχεται, *qui dicitur Chriſtus* χριςὸς. In Veteri Teſtamento occurrit Pſalm. II. 2 *contra Jehovam & contra Meſſiam ejus*, משיחו. Dan. IX. 25. עד משיח נגיד, *uſque ad Meſſiam ducem ſeptimanæ ſeptuaginta* &c. atque ſic bis in V. atque totidem vicibus in N.T. Meſſiæ nomen invenias. Judæus, in Amica Diſp. quæſt. III. *Dux ac liberator ille, quem exſpectamus, Maſiah*, hoc eſt, *unctus dicitur. Et ſecundum hanc interpretationem dicimus multos eſſe unctos, ſed Maſiah ille qui populum liberabit, unus eſt.* Græci משיח Μεσσίας vertunt, ultimam literam in ς mutando, quod ipſis vulgare, atque in vocum peregrinarum tranſmutatione in linguam ſuam alias quoque fit? in λίβανος, γολίας &c.

Subjectum quæſtionis eſt *Meſſias*; prædicatum, *an venerit*? De nomine, ejuſque ſubjecto, aliiſque variis Meſſiæ nominibus plura ſi cupias, adi Salomonis Glaſſii *Onomatologiam Meſſiæ*. In quæſtione addidi, Meſſias *promiſſus & exſpectatus olim*. Quod ideo dixi, ut Judæos ſtatim in fronte coarguerem, qui hodie, aliter ac olim, Meſſiam & ejus adventum tanti non faciunt, neque adeo ſeriò exſpectant. In quam eos deſperationem egit, tum vana hactenus ſpes & fruſtanea exſpectatio; tum opinio de Meſſiâ futuro duce aut rege terreno, quod, qui ſub Magiſtratu vivunt alio feliciſſime, quorſum adeo expeterent? Tantine

ipſis eſſet, regem aut dominum aliquem accipere novum, quem abdicatis rebus ſuis omnibus, quas hic habent opulentiſſimas & quietiſſimas, cogerentur ſequi per bella, per cædes, in regionem longinquam, & imperium novum, ubi majori pace, otio, ac delitiis qualibuſcunque frui non poſſent, ac hic quidem omnia abunde experiuntur? Næ nimis inſipientes Judæos, qui facile, & in alterius magis commodum, nempe qui regnaturus eſſet, quam ſuum, ſe rebus ſuis omnibus exuerent, & alia incerta peterent potius quam ut præſentia cuſtodirent. Neque ego, ſi ſimiles meæ vices eſſent, Regulum talem multi facerem, uti proinde illi prudenter iſtum non valde exſpectant. Bene hoc, quin nihil omnino iſtius Meſſiæ, adventuſque credi deberet. Sed quod in Meſſiâ, qualis olim à Deo promiſſus, & Patribus exſpectatus fuit, nihil ultra conſtituunt Judæi, in eo quidem peſſimè errant. Quin hoc ſolum ſatis coarguere eos deberet ſuæ falſæ de Meſſiâ opinionis, quod ſi nihil aliud eſſet Meſſias, quam ipſi nunc ſtatuunt, & cum eo ſibi promittunt, temere Deus illum tanto præconio prædicaſſet, & præſignificaſſet, vel Patres tam enixe concupiviſſent. Verum hoc deſperatæ Judæorum cauſæ & conditionis eſt argumentum, quod tam exili apud eos loco nunc eſt & pretio Meſſias, neque aliam de eo fovent aut ſpem, aut fidem. *Non eſt tantum miraculum*, inquit Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. XXI. *ſi Meſſias veniat ſubjugatum regna ſibi atque imperia multa, cum non raro accidiſſe videamus, ut humiles aliqui abjectique ad regna atque imperia pervenirent, terrarumque multarum domini fuerint*. Num de Meſſiâ abjectius loqui aliquis poſſet, quam hic Judæus? *non tanti* ergo eſt Meſſias, ejuſve adventus, ut cum iis conferri debeat, *quæ non raro accidere videmus*. Ut hoc in eo ſolum & ſummum ſpectent, quod imperia ſibi ſubigat, & nationes ſub jugum mittat, quod in plurimis quoque aliis locum habere quotidianus rerum uſus docet. In Talmude R. Ula inquit, de Meſſia: *veniat, at ego ne videam illum*. In eandem ſententiam & Rabba loquutus eſt. Rabbi Johannes ibidem, *veniat, ſed ne videam ipſum*. Extant in Codice Sanhedrin. Hinc eundem articulum, de adventu Meſſiæ, ex numero & cenſu fundamentalium expunxit R. Joſephus Albo: de quo ſupra diximus.

Alii adventum Meſſię palam negant. In Codice Sanhedrin R. Hillel: אין להם משיח לישראל, *non dabitur Iſraëli Meſſias: jam enim compotiti eo ſunt, temporibus Hiſkiæ, regis Jehudæ*. Quid clarius? Sed reclamat R. Joſeph ibidem, & veniam Hilleli à Deo precatur, quod illud dixit; nam

Digitized by Google

nam falſum eſſe hinc probat, quia Meſſias venturus erat templo ſecundo, non primo. *condona ei Domine ipſius. Nam Hiſkias quando vixit? ſtante templo primo. at Zacharias vaticinatus eſt ſub templo ſecundo: exſulta valde filia Zion* &c. *Zach.* IX. 9. Quare additur, omnes Iſraëlitas fruituros diebus Meſſiæ, iſto Hillele excepto, qui vanam illam de adventu Meſſiæ protulit ſententiam. Et tamen Ula ſubjungit: *veniat, ſed ego ne videam ipſum.* Cujus haudquaquam major opinio de Meſſia fuiſſe videtur, quam Hillelis. Neque tamen ulla hujus pœna ſubjungitur. Digna quæ riſu excipiantur, niſi inhiberet argumenti, quod indigne adeo tractant Judæi, momentum & ſanctitas. Præcipue ſi & cauſa attendatur, quæ quum in eo totus eſſet Deus, ut Hiſkiam faceret Meſſiam, hoc inverterit, nempe quia ne quidem ullum Deo feciſſe memorabatur canticum, quemadmodum David, ut hic potius debuiſſet fuiſſe Meſſias, quam ille. Atque intercepti iſtius conſilii ajunt ſymbolum & monumentum extare in ם clauſo, in voce לםרבה *Jeſa.* IX. 7. Quę nugę, & ſolo contemtu dignę fabulę, imo non fabulę, ſed blaſphemię!

Menaſſe ben Iſrael, poſtquam duobus libris multa dixiſſet de reſurrectione mortuorum univerſali, omnium hominum, ejuſque variâ conditione, lib. III. cap. II. inquirit etiam in tempus Meſſiæ, quod conjungit cum reſurrectione mortuorum, nam hoc capitis ſecundi argumentum, *quod reſurrectio mortuorum conjuncta erit diebus Meſſiæ.* quamvis quæſtionem interjiciat, dubium videri, an hic primus, an ſecundus Meſſiæ adventus intelligendus ſit; dicis hoc tantum cauſa ab eo fieri, & ſua ſententiâ unicum Meſſiæ adventum eſſe, quem reſurrectioni adnectit, ex totâ diſputatione manifeſtum eſt. *Non tantum*, inquit, *ex libris Moſaicis, verum etiam propheticis, conſtat, reſurrectionem mortuorum conjunctam & annexam fore adventui Meſſiæ: ſolum in controverſia relinquitur, utrum is primus, & unus, an ſecundus Meſſiæ adventus futurus ſit. Hanc diſputationem nunc non ingredior: ſed ſimpliciter dico, tum venturum & fore reſurrectionem mortuorum.* Deinde adducto loco Deut. XXXIII. 35. concludit: *Itaque eodem fere tempore, & die, Meſſias veniet, & mortui reſurgent.* Capite ſeq. ſententiam ſuam aperit de unico Meſſiæ adventu, nam contrarium ſentientes habet pro adverſariis: *non ignoro eos, qui à nobis diſſentiunt, & duplicem adventum Meſſiæ conſtituunt.* Diligenter obſervemus, quod Meſſiæ adventum rejicit in ultimum mundi finem, ac diem, ex quo tum ſequetur, juxta eum, mundus

alius, is qui dicitnr עולם הבא. Hæc ejus verba: *eodem fere tempore et die, Meſſias veniet, & mortui reſurgent*. pag. 252. & pag. 257. *Ex his itaque apparet etiam, quod reſurrectio mortuorum conjuncta erit cum liberatione populi Iſraelitici.* lib. II. cap. III. *Meo qualicunque judicio, una tantum erit univerſalis reſurrectio mortuorum*. ibidem, pag. 156. *nam dies judicii et reſurrectionis unus idemque erit. Non aubium eſt, uti in ſequentibus demonſtrabimus, quin, per* (יום ה') *diem Domini, propheta intelligat diem judicii, qui aliter dicitur, dies reſurrectionis mortuorum: nam tum vivi, et à mortuis reſuſcitati conſiſtentes ante tribunal Dei judicabuntur*. Lib. III. cap. I. *per mundum futurum liquet intelligi proprie reſurrectionem mortuorum*. Statuitque, *ab ipſa horâ reſurrectionis incipere mundum futurum*. Quare hoc mundo, vel in hunc mundum בעולם הזה non veniet Meſſias. non veniet niſi ultimo mundi, id eſt, reſurrectionis, ac judicii die. non niſi ſemel. Obſecro, quam hæc deſperata ἀπηθίας Judaicæ themata? quam diverſa à prioribus, quæ olim tenuerunt? Hoc eſt, uno ſpiritu omnem de Meſſiâ ſpem exhalare & exſpectationem. Contremiſcamus ad Sanctum juſtumque hoc Dei judicium, quo qui adventum Meſſiæ præcedaneum rejiciunt & oppugnant, ſua doctrinâ huc dilabuntur, ut ſecundum ejus poſtremumque ad judicium adventum ſolum jam ſuſpiciant, neque hunc, ut iſtum, ejurare poſſint. Hoccine cum antiquis, perpetuis, auguſtis illis Dei de futuro olim Meſſiâ prædictionibus, promiſſionibus, figuris, & Patrum avido jugique in Meſſiam deſiderio, & ſpe ac ſalute in ejus ſemper adventu conſtitutâ conciliari ullo pacto poteſt, quod nunc dicunt, niſi ultimo mundi die venturum Meſſiam? imo non hoc mundo? quod reverâ eſt negare illum, de quo quæritur, Meſſiç adventum. O deplorandam populi ſorttem! extra mundi & ſæculi hujus terminos rejicere ejus adventum, quem à mundi hujus primordio pollicitus Deus fuit, in mundi ſalutem venturum & redemtionem: imo ejus adventum ſatis nunc negare, quia veniſſe fateri nolis! Quomodo hæc jam cum iis conveniunt, quæ Judæi vulgo ſuis proponunt, de tempore Meſſiæ duraturo ſaltem tamdiu ac duravit ipſorum calamitas, quomodo ſolent exponere Pſal. xc. 15. *lætifica nos juxta dies quibus afflixiſti nos: annos vidimus malum?* ſi tam ſero, & ultimo mundi fine venturus demum Meſſias ſit? *tempus calamitatum et miſeriarum, ſive iræ divinæ, ſub qua populus fuit, et etiamnum eſt, cum iſto futuri iſtius ſeculi tempore collatum, ſecundum Ieſaiam, non niſi puncti, aut momenti inſtar reputandum. Quicquid ea de re ſit, id uni, ac ſoli benedicto Deo conſtat*. inquit Menaſſe

Digitized by Google

naſſe, in fine Problematum, *de Creatione*. Quaſque ad incitas hinc redigantur ipſorum Doctores, oſtendit lib. III. de Reſurrect. cap. IV. *Hodierni Cabaliſtæ, quia vident jam prope ſex millia annorum effluxiſſe, intereaque tot ac tantis calamitatibus, perſecutionibus, tam diuturna captivitate, populum Iſraeliticum teneri, æquum judicantes, ut diutius multo duret felix, ac proſperum Meſſiæ ſeculum, quam adverſum et calamitoſum, eo deveniunt ut explodant eorum opinionem, qui putant, poſt ſex mille annos mundi hujus terreſtris finem futurum. Uti liquet ex Hayat Schar à Sebibyot, & Nephes à Hachama art. VI. & R. Moſis de leon inſigni cabaliſta in Sepher à miſcal: ac proinde ubi dicitur*; וחר הריב & uno deſtruetur, *aliud quid intelligi volunt, quod excellentius eſt, quam ut Romana lingua exprimi atque enunciari poſſit.*

Quinque tempora vel periodi in ſententiâ Menaſſis bene veniunt diſtinguendæ, *dies Meſſiæ*, *finis* mundi, *reſurrectio* mortuorum, *judicium*, & ſæculum *ſeu mundus futurus*: atque nonnihil obſcurus& incertus eſt in exponendâ ſuâ de ſingulis mente. Dies Meſſiæ iſtis apprime adjungit & innectit: nam clare dicentem audivimus, *eodem fere tempore et die Meſſias veniet et mortui reſurgent.* Aperte lib. III. cap. III. *Hinc ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, duo neceſſario ſequuntur: unum, quod redemptio Iſraelitarum extendetur uſque ad finem mundi: alterum, quod finis ille ſit venturus ante reſurrectionem mortuorum (ita tamen uti ante diximus, ut tempus diſtinctum ſit futurum à diebus Meſſiæ) & quia finis ille initium ſumet in diebus Meſſiæ: idcirco neceſſe eſt, ut novus mundus incipiat à reſurrectione mortuorum, ideoque vocatur* עולם הבא *mundus ſeu ſeculum venturum.* Finis mundi initium ſumet in diebus Meſſię, & mundum dicit *deſtructum iri antequam homines reſurgant, et poſt iſtud tempus, novum orbem in choandum eſſe.* pag. 269. Itaque *mortui poſt illud tempus demum reſurgent.* & dies reſurectionis erit quoque dies Judicii pag. 255. Quæ ſi ita ſunt, quomodo eodem fere tempore & die Meſſias veniet, & reſurgent mortui? Vel quid ſibi vult diſputatio alia, quâ quærit de tempore quod futurum ſit inter ſæculum hoc, & ſequens, de quâ lib. III. pag. 262. *liquet, quod priori ſeculo ſecundum immediate ſuccedet. Cæterum dignum eſt, ut expendatur, quantum temporis ſpatium inter utrumque ſeculum interfuturum ſit. Non videtur hoc quidem ratione humana colligi aut definiri poſſe: attamen veteres conjectando aliquid dixiſſe videntur; ideoque lubet ea, quæ illi excogitarunt, in medium adferre. In Sanhedrin cap. II. variæ opiniones proponuntur. R. Elihezer facit ſpatium illud intermedium* CCCC. *anno-*

rum. R. Elhazar ben Hazaria lxx. *annorum. R. Elhazar* xl. *Rabbi vult tribus generationibus conſtare. Diſſentiunt hic quidem omnes; neque tamen exiſtimandum eſt, eos temere aut ſine cauſſa hæc ſtatuiße: Enimvero R. Elihezer juxta annos captivitatis, ac ſervitutis Ægyptiacæ computat ſpatium* cccc. *annorum R. Elhazar ben Hazariah* lxx. *juxta annos captivitatis Babylonicæ. R. Elhazar* xl. *juxta annos peregrinationis in deſerto. Omnes autem ad confirmandam opinionem ſuam adducunt illud ex Pſalm* xc. xv. Lætifica nos, juxta dies quibus afflixiſti nos: annos quibus vidimus malum. *In Midras a Nehelam ſcriptum comperimus*, תנן מ׳ שנה קודמין קבוץ גליות לתחית המתים, (*Legimus, quod quadraginta annos congregatio captivorum anticipabit reſurrectionem mortuorum.*) *Si poſtrema hæc opinio accepta, ac tradita à majoribus eſt, admitti ſanè poteſt, quia non implicat contradictionem, neque quicquam difficultatis in ea eſt.* Non ſatis ſe explicat, quas innuat periodos per ſæculum prius, & ſecundum, ut intelligamus intermedium annorum ſpatium. Neque poteſt ſecedere in opinionem R. Eleazaris, qui ponit annos intermedios XL. quia dicit, eodem fere tempore ac die venturum Meſſiam, & fore mortuorum reſurrectionem, quæ ita cum mundi hujus fine, & novi exordio connexa, ut tantum annorum ſpatium non admittant interfluere. In loco Talmudis apertius loquuntur de hoc temporis ſpatio, nempe illos eſſe dies Meſſiæ, ימות המשיח, *R. Eliezer ait: Dies Meſſiæ durabunt quadraginta annis. Q. D.* Quadraginta annis tæſum erit populi. *R. Eleaſar fil. Aſariæ: Septuaginta annis. Q. D.* Et erit die illo & oblivioni tradetur Tyrus ſeptuaginta annis, ſecundùm dies regis unici. *Quis* rex ſingularis? *Dic Meſſias Rabbi: Tribus ſeculis. Q. D.* Timebunt te cum ſole & coram luna in ſeculum ſæculorum. Et ſectione ſequenti iterum. *R. Eleaſar ait: Dies Meſſiæ quadraginta anni. Uno enim in loco dicitur*; Afflixit te, fecit te, ut eſurires, & cibavit te. *Rurſus alibi* S. E. Exhilara nos, vicem dierum, quibus afflixiſti nos. *R. Doſa: Quadringenti anni. Nam* S. E. Exhilara nos &c. *Et*, Et ſervient illis, qui affligent illos quadringentos annos *Rabbi*: CCCLXV. *anni: pro numero dierum periodi Solis. R. D.* Nam dies vindictæ in corde meo. *Quid hoc*, dies ultionis in corde meo? *R. Ioannes ait: Cordi meo manifeſtum feci, membris meis non revelavi. R. Simeon fil. Lakiſch: Cordi meo patefeci, angelis miniſtris non aperui. Tradit Abimi fil. R. Aſhu: Dies, quo Meßiam habiturus eſt Iſraël, ſepties mille anni ſunt. R. D.* Et gaudium ſponſi ob ſponſam gaudebit ob te Deus tuus. *Raf Jehuda refert dixiſſe Samuëlem: Dies Meßiæ totidem, quot fluxerunt à condito mundo hucuſque.*

Q. D.

Digitized by Google

Q. D. Nam aquarum Noæ inſtar hoc mihi erit, quod juravi, &c. *R. Chajas verbis R. Johannis: Omnes propheta non ſunt vaticinati, niſi de diebus Meſſia. Verùm quod attinet ſeculum alterum*; oculus non vidit, Deus, pręter te, faxit pręſtolanti ipſum. *At diſſentit Samuel, qui negat, quicquam intereſſe inter hoc tempus & dies Chriſti, prater ſervitutem regnorum duntaxat.* Quam vani variique ſunt de diebus Meſſię Iudæorum Rabbini? ſed cum his ſtare non poteſt Menaſſis opinio, adeo conjungentis tempus Meſſiæ & reſurrectionem, ut eodem fere die dicat utrumque futurum. Unde nec admittit ipſe R. Eleazaris ſententiam, quę pauciſſimos annos habet, ſed admitti duntaxat poſſe ait, & non implicare contradictionem, nam ſuâ cum ſententiâ conciliari illa haud poſſunt. Uti in Meſſiam ejuſque adventum hac quidem parte injurius valde eſt Menaſſe, quod eum rejicit in ultimum mundi finem, & reſurrectioni conjungit, ita nec in reliquo ſatis æquus, quod non modo infra reſurrectionem eum ponit, ſed quoque indigniſſimâ ratione deprimit & ſatis vilipendit, his ſuis verbis, quę occurrunt lib. II. de Reſurrect. cap. xxI. *quanquam certum eſt, adventu Meſſia glorioſum Dei nomen exaltatum iri; tamen certum etiam eſſe, id non futurum cum tanta gloria ac magnificentia, quanta erit in reſurrectione mortuorum, quoniam non eſt tantum miraculum; ſi Meſſias veniat ſubjugatum regna ſibi atque imperia multa, cum non raro accidiſſe videamus, ut humiles aliqui abjectique ad regna atque imperia pervenirent, terrarumque multarum domini fuerint. At reſurrectio mortuorum majus quid eſt.* Fateor, non eſt tantum miraculum, ſi nihil aliud cum Meſſiâ eſſet, ut quis ſubjiciat ſibi regna atque imperia, quò ſępe humiles abjectoſque è vulgo pervenire cernimus. Sed ita cum his comparetur, imo in ordinem eundem redigatur Meſſias veſter. Verus ille, quem Scriptura loquitur, & Deus promiſit, alterius certe ordinis eſt ac dignitatis. Neque ſubjugare ſibi imperia debuit, non aliorum, non abſtulit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Jam vero perpendite, atque mirari deſinetis quod non pluris Iudęi Meſſiam iſtum ſuum faciunt, ejuſque adventum & exſpectationem, quam exilem abjectamque de Meſſiâ foveant opinionem. Futurum ducem aliquem regem, qui undique populum ſit conclamaturus ad prælia & cædes, ex quietis & fortunatis ſuis ſedibus educturus in longinquas oras, & terris, bonis, atque imperio ſit deturbaturus alios, eaque ipſe occupaturus, ut ſcilicet regnet & degat per quadraginta forte annos. vel quemadmodum Iudæus rem hanc proponit, in Amicâ Diſput. ſub articulo fidei XII: *qui*

ampli-

Digitized by Google

amplitudine honoris & dignitatis, univerſos mundi reges qui ante ipſum fuerunt ſuperabit, inque eo complementum habebunt omnes benedictiones & felicicitates de quibus Prophetæ locuti ſunt. Quid hoc rei eſt quæſo, quod aut Deus adeo promittat, à tam longo tempore, & tot præconiis commendet, aut exſpectetur vel deſideretur ab aliquibus, & noſtratibus præſertim Iudæis? Ego non hoc culpo in Iudæis, quod tam levem habent Meſſię *ſui* opinionem; neque ſapiens aut ſenſatus aliquis aliter de eo ſentire poſſit aut ſperare: ſed quod illa Meſſię attribuunt, *quem* ſacri prędixerunt Vates, & ei applicant, vel eum iſtis ſuis opinionibus, hoc deteſtandum omni modo eſt. Ut & hinc ſtatuere debeamus, hoc quod Iudæi adhuc vulgo Meſſiam inclamant, ejuſque adventum, & eum properare cupiunt, יהי רצונו בכהרה, non fluere ex hodiernâ ipſorum de Meſſiâ opinione, quacum illud non bene convenit, ſed reliquum eſſe ex priſtinâ patrum in Meſſiam fide atque ſpe, quod Deus apud illos conſervat, nec penitus interire ſinit, ut aliquando in verum Meſſiam dirigat, perficiatque. Atque hæc de ſubjecto quæſtionis dicta ſunto: *Meſſias olim promiſſus exſpectatuſque.* Ad prædicatum accedimus, quod eſt, *an venerit*; an venerit *ſuo*, quo prędictum *tempore*?

Nam, uti nunc etiam memoravimus, fuerunt inter Iudęos, qui dixerunt Meſſiam non venturum, ſed jam *tempore Hiſkiæ* Regis olim fuiſſe, quod R. Hillelis effatum in Talmude, ſatis à ſuis caſtigatum eſt damnatumque.

Alii veniſſe etiam Meſſiam contendunt, & natum, ſed nondum orbi patefactum. *Natum Romæ*, eo die, quo deſtructum, per Titum, templum fuit. Quod ſe oſtendere opinantur ex Jeſa. LXVI. 7. *quum nondum parturiret, peperit: quum nondum invaderet eam dolor, jam marem edidit. Quis audivit rem hujuſmodi, quis audivit talia?* Ita etiam in Schebet Jehuda, pag. 261. At nihil hic in illo Prophetæ loco de Meſſiâ Romę nato, non de deſtructione urbis & templi: ſed de mirâ Eccleſię fœcunditate in vocatione gentium, quando illa Deo populum & filios paritura ſtupendo numero, ac modo, λαὸν ἀπειρέσιον καὶ ζηλωτὸν, נרבה. *Pſal.* IX. 3. In Cod. Sanhedrin, Eliam reſpondiſſe ferunt, Meſſiam Romę natum, atque inter pauperes & ulceroſos deliteſcere. Sic Talmud: *Rogavit R. Jehoſua, filius Levi Eliam, quando venturus eſſet Meßias? & ille, abi, inquit, & ipſum interroga. Ubinam eſt? quæſivit. Ad portam Romæ, inquit. Quo ille ſigno, agnoſci poteſt? Sedet, inquit, inter pauperes ulceribus oneratos. Cæteri omnes ulcera ſua ſimul ſolvunt et obligant.*

Ille

Ille ſingula, quando ſolvit, ſtatim obligat: ea mente, ne, ſi venire ipſum neceſſe ſit, in mora ſit quicquam. Aggreſſus ipſum ita ſum affatus: Pax tibi, domine & doctor mi. Et ille; Pax tibi fili Levi. Tum ego: Quando aderis, domine? Hodie; inquit. Veni ad Eliam, & is, quid mihi dixiſſet, quæſivit. Pax tibi ſit fili Levi, dixit; inquam. Tum ille: His verbis tibi & parenti tuo vitam æternam promiſit. Atqui, inquam, ludificatus me eſt. Nam dixit mihi, ſe hac die venturum. Et is, Sic tibi dixit, inquit; Hodie, ſi vocem ipſius audieritis. &c. Addit Agadah: quemadmodum Moſes natus quamvis, non tamen ſtatim oſtendebatur redemtor ac dux populi; ſed educatus diu in domo Pharaonis, & exul aliquantiſper, deinceps accedebat Pharaonem, jubebatque Dei nomine, populum ſuum ut dimitteret: ſic quoque Meſſias, Romæ latitans, tandem aliquando Papam adibit, atque poſtulabit Judaicum populum è manu ejus liberari, ut ſerviant ſecundum ritus patrios Deo ſuo. Neque eo uſque Meſſias de nomine ſuo appellatur, inquiunt, quemadmodum David non fuit Rex, neque unctus Dei nominatus à die ſuæ nativitatis, niſi poſtquam eum Samuel propheta in Regem unxiſſet; ita nec Meſſias, niſi poſtquam unctus ab Eliâ prophetâ fuerit, ſic vocabitur. Judæorum Emunat, ſeu fides à Munſtero edita, pag. 43. *Quando autem venerit Meſſias noſter, ille reducet nos ſuper terram noſtram in manu potenti, qui & ante multos annos natus eſt juxta mentem traditionis, quæ dicit quod Meſſias manebit Romæ uſque dum devaſtaverit eam, haud ſecus quam invenimus in Moſche præceptore noſtro, qui eſt in pace, qui fuit enutritus in domo Pharaonis donec ultio fuit ſumpta de eo, & ſubmerſit totum populum ejus in mari: ſed non venit poſtquam natus eſt & redemit Iſraëlem, ſed poſt aliquot annos ex præcepto dei benedicti, dixitque ad Pharaonem: ſic ait dominus: dimitte populum meum ut ſerviat mihi. Sic Meſchias quando acceſſerit tempus determinatum veniet ad Papam ex mandato Dei & dicet illi: dimitte populum meum ut ſerviat mihi. Tunc ipſe veniet, & uſque ad tempus illud non dicitur veniſſe: unde in templo ſecundo ipſe non venit neque fuit Meſchias, ſicut nec David rex eo die quo natus eſt fuit rex neque unctus, ſed eo tempore quo unxit eum Samuel ex præcepto Dei, tunc factus eſt rex unctus. Sic quoque quando Elias unxerit Meſchiam ex præcepto Dei, tunc erit Meſchias et veniet, etiamſi iam natus ſit ante multum tempus, nempe in die deſolationis domus ſecundæ, & maneat in horto paradiſi, quemadmodum dixerunt ſapientes in libris traditionum. Alii tamen dicunt quod Meſchias non ſit naſciturus uſque dum propè*

fuerit tempus termini ſui adventus, quando nos eſt educturus de captivitate, tunc ſubito veniet. Adde Martini Raymundi lib. *Pugio fid. part.* II. *cap.* V. *Reſp.* Inania figmenta, & comparationes. Non Romæ naſci Meſſias debuit, neque hoc ullibi unquam prænunciatum: non Romæ latitare. II. Negatur conſequentia ab exemplo Moſis, vel Davidis, ad Meſſiam iſtum. III. Aliquot anni quidem abierunt, antequam vel Moſes in Ducem, vel David in Regem à Deo vocatus fuerit; at non ætates, ſæcula, & ultra mille annos quod excurrit tempus, quemadmodum in hoc Romano Iudæorum Meſſiâ. IV. In Ægypto quidem detentus olim Dei populus fuit, ſub tyrannide; at nunc Judæi non à ſolo Papâ, non ſub ejus ſolius dominio, ſed per univerſum orbem luunt: quare non Romæ ſolum, neque à Papâ liberatio Iudæorum poſtulari deberet magis ac ab aliis. V. Si nondum Meſſias appellandus quicunque Romæ degit, quo ergo nomine? nam & ante Regium, David tamen proprium ſuum, quo nuncupabatur & dignoſcebatur, nomen habuit. In Schebet Iehuda, ſeu Hiſtoriâ Iudaicâ illa aliter referuntur, videlicet, *Virum quendam agros colentem, cum unus boum ipſius mugiret, forte Arabs quiſpiam illac præteriens, rogat: quiſnam ille eſſet? Agricola ſe Judæum eſſe reſpondenti ait Arabs: ſolve boves tuos aratro. Cauſam roganti: ſacram Judæorum ædem everſam eſſe ait. Ei unde ipſi hoc conſtaret inſtanti, ſe ex bovis illius mugitu id cognoviſſe dicit. Hæc dum cum Judæo loquitur Arabs, bos iterum mugit. Quo audito Arabs inquit: Junge boves tuos aratro tuo, quia natus eſt Judæorum Meſſias. Judæo Meſſiæ patriſque ipſius nomen interroganti, Meßiam Menachem, patrem vero Hizkiam appellari reſpondet. Cum & urbem patriam ubi habitarent ſciſcitaretur; eam Betlehemum Judæ vocari dicit. Ex eo Judæus ille boves aratrumque ſuum vendidit; emtis vero veſtibus, quas infantes induere ſolent, urbes atque regiones mercator percurrit, donec tandem Betlehemum pervenit. Veſtes ab illo redimunt cives univerſi, excepta ſola Meßiæ matre: Quæ, cum eam Judæus rogaret, quidni & ipſa veſtes infanti ſuo emeret? reſpondit. Infans meus infelicibus auſpiciis, infelicique omine natus eſt. Cauſam roganti ait: Eo nato ſacram ædem ſubito dirutam eſſe. Cui inquit ille: Promiſit nobis Deus, mundi conditor: Eo quidem naſcente ſacram ædem dirutum iri; ſed tamen eo etiamnum vivente, denuo inſtauratum iri. Tu vero hinc veſtes infanti tuo accipe, ego poſt dies aliquot domum tuam veniam, pretium acccepturus. Illa veſtes ſumit; Judæus abit. Qui aliquot diebus interjectis, viſere infantem quid agat, ſtatuit. Veniens proinde ad matrem pretium accepturus, rogat, quid agat infans: reſpon-*

ſpondit illa: Nonne dixi tibi, infantem meum, infelicibus auſpiciis, infauſtoque omine natum eſſe? neque ipſi etiam fata pepercère. Ex eo enim momento, quo tecum locuta, venti atque procelloſi turbines ſuborti eum abſtulerunt. Judæus ait: Nonne dixi tibi: Eo nato ſacram ædem eſſe deſtructam, eoque vivo reſtitutum iri?

Figmentis illis miſſis, Judæorum alii in *tempus* venturi Meſſiæ *inquiri* prohibent. In quo uti mutatas res animoſque Judæorum ſatis clare eſt perſpicere, qui olim tam ſedulo & probe ſibi videbantur in illa inveſtigare, ita arreptum hoc, ut curam & obmurmurationem ſuorum hac in parte ſedarent, & averterent animos magis magiſque à cogitatione Meſsiæ, & quæſtione, quæ ipſos nimirum adeo fatigabat, de ejus adventu. Quod aperte ſatis teſtatur Auctor Schebet Jehuda, pag. 245. quod illa ſententiâ execrantur eum, *qui numeris diſpoſitis Meſſiæ adventum inquirit, atque in vulgus prodit, quæ res genti noſtræ magnæ calamitatis cauſa eſt. Nam ſi definito tempore non veniat Meſsias; deſperant & animum abjiciunt qui ſalutem diu per eum ſperarunt: ſeque compedibus quaſi vinctos in perpetuo ſpei carcere detineri credunt.* Hoc miſeriores Judæi, quod aliter curari nolunt, quam ſalutaris argumenti ex animis ſuis expulſione & faſtidio. Deploratam gentem! juſtumque obdurati ſpiritus exemplar! In Talmude, cod. *Sanhedrin*, cap. XI. inquit Rabbi Samuel, verbis R. Ionathanis: תיפח עצמן *inflata rumpantur oſſa eorum, qui periodos temporum computant*. Intelligit tempus adventus Meſsiæ: additque rationem: *ſolet enim ita contingere, ut, quum adeſt terminus, nec venit promiſsio, homines dicant, nunquam venturam. Sed exſpecta eum, ut Scriptura jubet.* Nempe ex conſcientiâ impleti temporis, quod adventu Meſsiæ præſcriptum erat, in omnes, qui hujus rei juſtam gerunt ſollicitudinem, ſic exæſtuat Rabbi, diriſque eos, à pleniori indagine & fide, quum rationibus ſuccumbit, deterrere nititur. Eodem *cap.* poſtea R. Samlæus, in eandem ſententiam explicat verſum iſtum Amoſ. v. 1. *Væ iis, qui expetunt diem Domini. Quid ad vos attinet dies Domini? Caligo is eſt, non lux. En ſimile. Verſpertilio & gallus gallinaceus pariter exſpectabant lucem. Tum gallus alteri: Quid tibi cum luce? Lux ad me attinet, ut ſine cauſa non expetam illam. Et hoc eſt, quod R. Aſhu, rogatus à quodam homine profano, quando venturus eſſet Meſsias, reſpondit: Tum, cum vos tenebræ occupabunt. Cui ille, Tu mihi maledicis? At hic, Dictum Scripturæ eſt: Nam ecce tenebræ obtegent terram, & caligo maxima nationes. at ſuper te exorietur Dominus & gloria ejus manifeſtabitur ſuper te.*

 Verè

Verè tenebræ obtexerunt hic Iudæos. Chaldæa paraphraſis in Eccleſ. VII. *remotum eſt à filiis hominum ſcire, quid fuerit à diebus ſæculi, & ſecretum diei mortis*, ורז יום דייתי מלכא משיחא *& ſecretum diei, quo veniet Rex Meßias; quis illa cum ſapientia reperiat?* Hinc Rabbini dicunt: שבעה דברים מכוסים מבני ארם *ſeptem res abſcondita ſunt ab hominibus, dies mortis, dies conſolationis, profunditas judicii, quamnam compenſationem homo ſit accepturus, quid ſit in corde proximi ſui, quando regnum Davidis ſit reſtituendum, & quando ſint conſumendi peccatores.* R. Maimonides, in fine commentarii ad Miſchnam. & in Epiſt. apud Vorſtium, in Notis Chronologicis ad *Tzemach*: *ſed verum tempus liquido non ſcitur.* Ejuſdem ſententię eſt Menaſſe in *lib. Spes Iſaelis, ſect.* XXVII. In diſputatione Herbani Iudæi; cum Gregentio Tephrenſi, Iudæus inquit: *veniet* Meſſias κἂν πρότερον, κἂν ὕστερον. Ita quaſi ex longâ animi deſperatione tædet eos tempus ullum certum adventus Meſſiæ ſibi ultra polliceri: quemadmodum & apud Benjaminem Tudelenſem, in Itinerario, pag. 129. שלא בא הקץ ולא הגיע *quod tempus necdum venit, neque appropinquavit.*

Adferre pro ſua opinione Iudæi hic ſolent, Habac. II. 3. *Nam adhuc viſio ad conſtitutum tempus, quam ſuo tempore producet, neque mentietur; ſi cunctetur exſpecta ipſum, quia veniendo veniet, neque deerit.* Verum locus hic non negat certum tempus adventus Meſſiæ, neque tempus id eſſe à Deo ſignificatum, neque ad tempus ſuum exſpectari eum debere; ſed jubet compeſcere animum in præcipiti deſiderio, ubi nobis forte videatur Deum βραδύνειν τῆς ἐπαγγελίας, quum non confeſtim, uti nos quidem vellemus, accelerat, qui tamen ſuo tempore certò venturus hic quoque aununciatur. Quorſum enim Deus non ſolum promiſiſſet Meſſiam, ſed etiam ejus adventum ad certum tempus; niſi & exſpectari eum, atque ad illud quoque tempus voluiſſet?

Tum adſerunt Dan. XII. 4. *Tu verò Daniel occlude hac verba. Reſp.* Ergo non aſſignarit hic etiam Propheta tempus annoſque adventus Meſſię? ergo nec illud tempus attendere, indagarique licuit? negatur: quin hoc ipſo in loco ſubjungitur: *obſigna hunc librum ad tempus determinatum uſque.* Sed id vult Deus, hac prophetiæ imperatâ obſignatione, quod ardua in eâ occluduntur myſteria, ſuo tempore, atque eventu manifeſte recludenda.

Atq; hæc ſuper controverſię pręſentis ſtatu, ejus tum ſubjecto, tū pręd icato, palmarię nempe & pręcipuę, hactenus diſſertata, ad cognoſcendā melius,

melius Judæorum mentem; & ipſorum hac in re contumaciam: dum jam Meſſiam haud adeo exſpectant, neque videre cupiunt, atque tanti non ducunt ut veniat, quomodo alius quilibet occupatum regnum quoddam vel imperium, mundanum, & hoc in paucos admodum annos: alii nolunt venturum, ſed præteriiſſe dicunt, & vel olim ſub primo templo, Hiskiâ rege, vel poſtea Romę natum, hodieque deliteſcere: aliique, uti qui in mari fluctuant, poſtquam fruſtra ſe his illiſq; tabulis applicuerunt, tandem deſperabundi vento ſe dant & fluctibus, nulli temporum calculo & periodo ulterius intenti, in tempus adventus ejus inquirere nefas exiſtimant. Quorum ſententia plus quam uno modo nocet. Nam Meſſiæ adventum præteriiſſe non modo negat; ſed, qui forte supereſt, animi omnem ſenſum de Meſſiâ, & ſollicitudinem eripit atque extinguit.

Jam vero Meſſiam adveniſſe pridem, eſt ut porrò oſtendamus. Quod faciemus, præmiſſo primum generali argumento de promiſſionum divinarum certitudine atque complemento. Namque eo nititur omnis res, quod Deus verax eſt in ſermone & prædictionibus. Ut dum oſtendimus tempus, in vaticiniis præfixum, diu expiraſſe, certum quoque maneat id factum, quod illa promiſerunt, & veniſſe Mesſiam, in iis multoties præſignificatum. Atqui huc faciunt Scripturę illa loca. *Verba Domini ſunt pura* &c. Pſal. XII. 7. & XVIII. 11. *Conſilium Jehovæ conſiſtit in ſæculum; cogitationes animi ejus in ætates ſingulas.* Jeſa. XIV. 17. *Nam Iehova exercituum inivit conſilium, & quis irritum faciat?* & cap. XXV. 1. *Iehova Deus meus es, exaltabo te, celebrabo nomen tuum, quia feciſti mirum: conſilia à longinquo, fides ſunt & veritas.* & XLVI. 10. *conſilium meum ſtabit, & omnem delectationem meam facturus ſum.* Malach. III. 6. *quia ego Iehova non mutor, ideo vos filii Iacobi non conſumti eſtis.* Prov. XIX. 21. *Multæ cogitationes inſunt animo cujuſque, ſed conſilium Iehovæ ipſum ſtabit.* II. Reg. XV. 12. *illud eſt verbum Iehovæ quo alloquutus fuerat Iehu, dicendo: abnepotes tui ſeſſuri ſunt ſuper ſolium Iſraëlis: & ita accidit.* I. Samul. III. 12. *Die illâ præſtabo Heli, quidquid loquor contra familiam ejus, incipiendo & perficiendo.* Atque ejuſmodi loca multa in Scripturis ſunt. Quod adeo quidem certum eſt, id quod Deus prædixit promiſitque, evenire ſuo tempore debere; ut hinc convincatur Prophetarum falſitas, ſin minus evenerit, id quod dixerunt, uti contra, quando res evenit, Propheta verus. Ierem. XXVII. 8, 9. *Prophetæ illi, qui fuerunt ante me, et ante te, inde à ſeculo, illi* Pro-

Prophetarunt contra regiones amplas et contra regna magna, bellum, et afflictionem, & peſtem. Propheta ille, qui prophetat pacem, quum evenit verbum ipſius Propheta cognoſcitur ille Propheta eſſe, quem verè miſit Jehova. Inde Maimonides benè, *de fundam. legis*, cap. x. §. III. והלא המעוננים. *At cum ipſi etiam divinatores & præſtigiatores prædicant futurum, quænam differentia eſt inter illos ac prophetam? Niſi quod partim verba præſtigiatorum et divinatorum, hiſque ſimilium, eveniant; partim verò eventum non ſortiantur, juxta id, quod dicitur: Stent jam obſervatores cælorum, qui contemplantur ſtellas, qui nota faciunt in menſes, ut te ſervent à quibduſam, ſuperventuris tibi: a quibuſdam, non quibuſlibet. Fieri etiam poteſt, ut nullum ex verbis eorum confirmetur, ſed in omnibus aberrent, hinc dicitur: Qui irrita facturus eſt ſigna mendacium, & ex divinis ſtultos effecturus: Omnia autem verba prophetæ ſtabilia fiunt, juxta hoc dicitur. Non cadet ex verbo Domini in terram. Similiter & ipſe ait: Propheta ille penes quem eſt ſomnium, enarret ſomnium; & penes quem verbum meum, eloquatur verbum meum verè; quid iſti paleæ cum tritico; dictum Domini: q. d. verba præſtigiatorum & divinatorum eſſe inſtar paleæ, cui ſit immixtum pauxillum tritici; at verba eorum ſunt tanquam triticum, cui nulla ineſt palea.* Et §. VII. VIII. *Sed ſi ſpem faciat boni, atque dicat, hoc vel illud futurum eſſe, neque eveniat bonum, quod pronunciaverat, tum intelligetur, iſtum eſſe Pſeudoprophetam; quia quicquid boni Deus ſtatuit, etiamſi ſit ſub conditione (promiſſum,) non revocat; nec invenimus, quod pœnituerit Deum rei bonæ, inſi in deſtructione primi templi, cùm promiſerat Deus juſtis, quod non morituri eſſent cum impiis, & pœnituit eum verborum ſuorum. Inde jam percipis, tantùm rebus bonis explorandum prophetam eſſe, iſtud eſt quod ait Jeremias in reſponſo ſuo ad Chananiam, filium Azur: cùm Jeremias prophetizaret malum; Chananias vero bonum; dixit Chanania: Si non ſtabilia fuerint verba mea, non ex eo evincetur, me eſſe Prophetam falſum; ſed ſi tua non evenerint verba; cognoſcetur, te eſſe Prophetam mendacem, juxta quod dicitur: Quæſo duntaxat hanc rem audiat, &c. Propheta ſi prænunciat pacem, atque eveniat, tum cognoſcetur iſte Propheta eſſe, quem verè Deus miſit.* Atqui Prophetiæ de adventu Meſſiæ omnino bonæ fuerunt: ergo nulla in re fruſtrare debuerunt: niſi illarum veritas fluctuet ac certitudo.

Dicunt Iudæi articulo fidei ſuæ decimo, legem eſſe divinam. Quare etiam certiſſimæ eſt veritatis. Jam verò *adventus Meſſiæ expoſitus eſt in lege, Prophetis, et Hagiographis: Dominus enim noſter Moſes, et omnes*

nes Propheta, qui eum ſunt conſecuti, de illo teſtantur; et qui hoc modo loquuti ſunt per Spiritum Sanctum omnes illi conveniunt, prænunciant, atque loquuntur de adventu Regis Meſſiæ; inquit Abravanel, *de Capite fidei*, capit. XIV. Igitur à lege incipiamus, & non quidem ſingula, quæ Meſſiam loquuntur, expendamus loca, ſed quę notam temporis adjunctam habent, quo venturus dicebatur. Nam ἐν κεφαλίδι quidem βιβλίου ſcriptum eſt de eo, venturum, & quodnam officium, quodque beneficium ejus futurum eſſet, videlicet conterete caput ſerpentis *Geneſ*. III. 15. id eſt, συντρίψαι τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας, eumque καταργῆσαι τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου τουτέστι τὸν διάβολον. Sed illâ primâ promiſſione & Euangelio à Deo ipſo, ſtatim à lapſu, promulgato, quidem *quod*, at non *quando* venturus ſignificabatur. Et quidem quod futurus eſſet ſemen *mulieris*, propius adhuc Abrahamo, quod *ejus* futurus eſſet *ſemen*. *Geneſ*. XII. 3. Et Iſaaci, *Geneſ*. XXVI. 4. Sed tertio, Jacobo reſervabatur, ut tempus ſignificaret illius venturi. Cujus hac de re iſtud effatum fuit ad filium ſuum Iehudam, *Geneſ*. XLIX. 10. לא יסור שבט מיהודה, *non auferetur ſceptrum à Jehuda, neque legiſlator è medio pedum ejus, donec venerit Schilo, & ei adhærebunt populi*. Certe ſingulare hic aliquid & eximium prædixiſſe Patriarcham cum ex ipſo loco, tum ex apparatu quo ad eum expromendum utitur, quando ad hæc fundenda oracula ſe accingit, apparetando In initio, *& convocavit Jacob filios ſuos, & dixit, congregamini et exponam vobis quid vobis eventurum ſit diebus ultimis*. Obſervant Iudæi, quod ubi de *ultimis diebus*, de Meſſiâ, ejuſque adventu ſermo eſt. Tum quando ad Iehudam filium accedit & ſingularem hanc benedictionem, promiſſionemque, non vulgari modo ipſum affatur, ſed cum prooemio: *Jehuda, te celebrabunt fratres tui*. &c. *Non auferetur ſceptrum à Iehudâ* &c. Unde ſic argumentamur: Quod ſceptrum non fuit auferendum niſi cum adventu Meſſię, illud jam per ſeſquimillia, & quod excurrit, annos ablatum, argumentum eſt, Meſſiam alium veniſſe: atqui non fuit auferendum niſi cum adventu Meſſię. Quare duo nobis hic videnda præcipuè. I. quis ſit prædictus hic promiſſuſque *Schilo*? II. quid auferendum cum eo *ſceptrum*?

Schilo neque alius hic eſt, neque imo eſſe poteſt, quam *Meſſias*: ſive *rem* conſideremus hic notatam; ſive *vocem*; ſive denique Judæorum ipſorum *conſenſum*, tum in *Paraphraſibus*, tum *Doctoribus* cæteris, ſive *Talmudiacis*, ſive *Rabbinicis*.

Primo quod ad *rem*. illud in animo Propheta hic habuit dicere, quod filiis

filiis & proſteris ſuis foret omni pręſtantiâ *præſtantius*, cui cederent ipſorum ſceptra, legeſque. quod præ Meſſiâ nihil fuit. II. prędicit, quod *venturum* illi maximè exſpectarent, יבא *veniet, et ei adhærebunt*. III. quinam? non aliqui, non ſui demum, ſed nationes, *gentes* עמים. quod certum ſemper indicium eſt Meſſiæ.

Vocis *Schilo* שילה quidem varia eſt expoſitio, ſed hæc magis de *origine* vocis, quam ejus *explicatione*, adeo certum eſt intelligi debere ſupremi alicujus, id eſt, Meſſiæ adventum. Sive derivetur à שלה, & *ſalvatorem* ſignificet; ſive à שליה quaſi *ex ſecundinis* ejus; ſeu ut vox ſit ſingulariter facta, deſignetque אשר לו *cui*, vel *quod ei*: uti expoſitiones illas Menaſſe quoque adducit in hunc locum. Græci legunt: *τὰ ὑποκείμενα αὐτῷ*. Alii, *ᾧ ἀπόκειται*. *donec veniat, cujus eſt judicium*. Onkelos, דדילה היא מלכותא *cujus eſt regnum*. Derivationem vocis à שיל *ſecundina*, quaſi filius ejus, Judæ ſc. probat Kimchi in *Radicibus*, R. Bechai, & Jonatan, qui vertit, מלכא משיחא זעיר בנוי *Rex Meſſias, parvulus ejus*. Sed primam præfero derivationem a שלה *ſalvavit*, ſoſpitatus eſt, pacem contulit; ut ſit verbale, ad formam ק.טור.

Targumim uno ore exponunt de Meſſiâ. Paraphraſis Onkelos, לא־יעדי עביד שולטן מדבות יהודה וספרא מבני־בנוהי עד־עלמא עד דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא וליה ישתמעון עממיא, *Non auferetur exercens dominatum (ſultan) de domo Jehuda, et ſcriba de filiis filiorum ejus, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ei obedient populi*. Similiter Targum Jonathæ Uzielidis; & Targum Jeroſolymitanum, *donec veniat* מלכא משיחא *Rex Meſſias*. Quantæ verò apud Judæos authoritatis ſit Targum, antea vidimus. Præterea de Meſſiâ locum intelligunt in Talmude *Sanhedrin*, cap. *chelek*, ſive XI. In Bereſchit rabba, commentario magno in Geneſim. R. Bechai. R. Selomo Jarchi, in hunc locum. R. Moſes Gerundenſis, R. Joel ben Sueb, Abravanel, apud Menaſſem, in Concil. ad hunc locum. In Midraſch ſuper Prov. ſol. 71. col. 3. & paſſim apud Judæos teſtimonia occurrunt pro hoc loco Mſſię vindicando. Menaſſe lib. III. de Reſurrect. cap. III. *Quando ſcriptura tractat de diebus Meſſiæ, ſemper illud tempus vocat*, אחרית הימים, *finem dierum. Sic Jacobus patriarcha cum convocaret filios, aut prædiceret iis, quæ conſecuturis diebus eventura eſſent, ait, congregate vos, & nuntiabo vobis illud, quod futurum eſt in fine dierum. Ad quæ R. Moſes Gerundenſis commentans ait*, כל מקום שנאמר בו באחרית הימים הוא לימות המשיח *ubicunque dicitur de fine dierum, intelligendum eſt de diebus Meſſiæ*. Sed quod addit Menaſſe, quam, quæſo, temerarium, inconſtans, & falſum;

Digitized by Google

falſum : *Voluit* (ait) *hic Iacobus prædicare filiis ſuis, quæ eventura erant, in diebus Meſſiæ : ſed Deus inhibuit illum, ac proinde nihil de illo tempore dixit.* Quam vanum, hoc ſimpliciter & audacter adeo aſſerere, contra vim textus verborumque, contra conſenſum, & argumenta Iudæorum plerorumque, addo & contra propriam ſententiam, quam alibi de hoc loco melius protulit, ſequutuſque eſt Menaſſe ipſe.

Secundo, per שבט *ſceptrum* intelligi, idque auferendum dici, & ſic tempus adfore Meſſiæ clarum ex verbis eſt: *non auferetur ſceptrum donec venerit.* Quod nunc diu penituſque ablatum, argumentum reale præbet adventus Meſſiæ. Attendenda hic *vox* שבט; & *res* ſceptri quando ablati. שבט *ſceptrum* ſignificare, non negat etiam Judæus. Atque hoc loco illum ejus ſenſum eſſe, ex toto contextu patet. Sceptrum proprie dicitur *auferri ab* aliquo, vel homine, vel populo. Sequens etiam membrum *et legiſlator* exponit, quod prius dictum fuerat ſceptrum. Poteſtas ergo & dominium notantur, quæ in legiſlatione & ſceptro elucent. Tum poſtremum, hoc *& ei adhærebunt populi* ſuffigit alium, in locum prioris ſceptri ablati ſurrogandum, penes quem poteſtas omnis futura ſit. Non autem ſceptro *Regalem*, aut *Ducalem* poteſtatem, ſed in genere dominium, & ſuam poteſtatem, qualicumque formâ modoque regiminis, modo penes populum Judaicum fuerit, intelligo. Quare nihil neceſſe de annis inquirere, vel quando regnandi poteſtas Judæ collata; aut quo tempore ablata ſit. Quod faciat ad loci commentarium, non requirit ejus vindicatio contra Judæos. Hoc modo habeamus, quod certiſſimum, ſceptrum ſuum Judaico populo ablatum hodie penitus eſſe, idque à multis retrò ſæculis. Non agitur res ſubtilis dubiive examinis, quæ ab incertâ chonologiâ, vel temporis alicujus controverſo articulo pendeat; non dies, non anni, ſæcula ſunt, ex quibus complementum ſuum accepit hæc prophetia, & ablatum Judæis omne regimen fuit. Quare nec patiemur nos in anguſtias redigi, in Pompejo, an Herode, an Veſpaſiano ſceptri Iudaici ablatio collocetur. Non unius momenti illud opus fuit, nec uno tempore peractum, variis vicibus concuſſa Reſp. & conquaſſata tandem peſſum ivit. Et cuncta conjungi debent, quæ eodem tendunt. Profanatum ab aliis ſceptrum, fractumque Veſpaſianus demum totum ſuſtulit. In deſtructione politiæ, & urbis Ieroſolymitanæ ultimus occaſus & tota ſceptri extincto fuit. Ab eo tempore impleta hæc prophetia, ex quo deſiit omninò populus eſſe ſuis legibus, & imperio conſtans. Valde attenuatum quidem ad id uſque temporis regimen, at-

Digitized by Google

tamen fuit aliquod, & manſit ſalvâ quamdiu & incolumi ſuâ urbe. Cum hujus verò excidio omnia interierunt, ſacra & politica; atque funditus ablatum Judæis ſceptrum, & *legiſlator*. Totalem ſceptri ruinam & privationem in animo Patriarcha habuit, quando hæc diceret; nam hoc demum eſt *auferri*, & auferri *è medio filiorum*: quippe non ait Propheta: ſceptrum nunquam concutietur apud Judęos; vel, non erit turbatū, niſi venerit Meſſias: ſed, non auferetur ſceptrū à Judęis, donec Meſſias venerit. Atq; idem Daniel confirmat *c.* IX. 26, 27. quando ante ſupremam urbis deſolationem pręvium ponit Meſſiam, ejuſque exciſionem. Nondum ablatum regimen à Judæis erat, quo tempore Meſſiam adveniſſe certò credimus, quamvis à Romanis multam partem occupatum, indies magis magiſque attereretur. Et tali imperii ſtatu venire Meſſias debebat, ſceptro nimirum in occaſum vergente, & propediem auferendo: vel ut Jeſaias, cap. XI. I. è trunco *ſucciſo* proditurus erat Meſſias. Atque eâ Judaici regiminis periodo, quum inclinatæ jam eſſent Judæorum res, Meſſiam enixis votis præſtolabantur, eoque tempore venire ipſum juxta prophetias oportebat. Hoc ergo voluit Patriarcha ſuâ prædictione: *Sceptrum non auferetur à Jehuda* &c. per *Jehudam* Judæos; per *ſceptrum* dominium Judæorum, eorumque juxta ſuas leges regimen intelligens. A Judæis regimen ſuum non auferetur omninò & funditus, niſi prius advenerit Meſſias. Jam infero: atqui per ſedecim ſæcula caruit Iudæorum populus ſuo regimine, ergo iam olim advenit Meſſias, ſc. ante ſupremam illam regiminis abolitionem: fuitque ea plenaria, nihil iis regiminis relicto, neque ſpe reſtaurandi poſt ullum tempus iterum imperii, ut in captivitate Babylonicâ; ſed penitus exciſa omnia, & decollavit omnis eorundem ſpes. Nihilque neceſſe videtur ut probemus, hodie ſceptrum & regimen omne à Judæis ablatum, quod ipſâ *facti* evidentiâ, tum propriis Judæorum *teſtimoniis*, quibus ſolis argumentis in hac re uti poſſumus, oſtendere facillimum. Si enim ſtatum populi iſtius, qualis hodie eſt, atque à multis temporibus fuit, ſerio intueamur, videmus ſine Rege, ſine imperio, aliis quibuſq; ſubjectos & venundatos, nihil minus quam ſceptrum & Legiſlatorem proprium habere. Quod & ipſi teſtantur Iudæi. David Kimchi, in Hoſ. III. 4. ואלו הם ימי הגלות שאנו בו היום, *Atque hi ſunt dies exilii in quo hodie ſumus, nec regem habemus nec principem ex Iſrael. In poteſtate ſiquidem Gentium ſumus, et in poteſtate regum ac principum earum.* ואין זבח ואין מצבה, *Non eſt ſacrificium ad Deum, nec ſtatua ad idola colenda.* ואין אפוד ותרפים, *Non eſt Ephod Deo, quod nun-*

ciet

ciet futura per Vrim & Tummim. Nec ſunt Teraphim idolis, quæ prænuntient futura juxta opinionem credentium in ea. Sic nos hodie in hoc exilio omnes filii Iſrael ſumus. Atque ita Abravanel, cap. LIII. Ieſaiæ exponit de præſenti Iudæorum calamitate, & oppreſſionibus in quibus degunt, quę longe diſſimilia à dignitate & poteſtate regiminis proprii. R. Menaſſe in Conciliatore, ad locum noſtrum, *quam pœnam* (ait) *nunc patimur, ſine rege, ſine principe, ſine regimine agentes.* Eòdemque vulgo trahunt id quod dicitur Pſalm. LXXIV. 9. *Inſignia noſtra non videmus, non eſt amplius Propheta, neque eſt apud nos qui ſciat uſque quo.* Ergo ſatis ablatum nunc à Iudæis ſceptrum: & proinde venerit Meſſias eſt neceſſe.

Supereſt, ut locum, atque argumentum ex eo noſtrum vindicemus ab exceptionibus Iudæorum, quas vel fundant in voce שבט, vel שילה, vel עד כי. Poſſuntque omnes commode ſic diſtribui, ut vel per *Scebet* intelligendam doceant. I. *afflictionem.* II. *conſolationem* & fulcimentum in illâ. III. dignitatem *Regiam.* IV. *Sanhedrin.* V. *tribus.* Vel per *Schilo.* I. *Moſem.* II. *Davidem.* III. *Jeroboamum.* IV. *Schilo.* Vel עד, *in æternum*, poſtquam venerit Meſſias, non auferendum ſceptrum. Vel denique ut dicant, ſceptrum *alicubi* aliquod penes Iudæos adhuc eſſe. Sed quia Menaſſe omnes illas collegit, fecitque undecim, quamvis ordine non adeo recto, eum ſequemur & vocabimus ad partes, in eo cæteros. Ita ergo ille, Quæſt. LXV. in Geneſ. pag. 89.

Iam expoſitiones veterum ac recentiorum ſapientum, omiſſis verborum ſignificationibus, colligere aggredior. Et primo quidem in Bereſ. Raba dicitur: Non auferetur virga à Iehuda, hoc eſt מכיר *Mahir, filius Amiel, qui Davidi, à filio ſuo Abſalom fugienti, in itinere ſuccurrit. Quibus verbis veteres ſapientes ſignificare volunt, fore ut non auferatur virga ſive baculus, aut ſcipio, fulcimentum Iehudæ, priuſquam advenerit Siloh (filius ejus) per quem intelligitur Meſſias, filius Davidis, qui erit afflictio gentium. Hoc eſt, illis qui ex ſemine Iehudæ*

Reſp. Ad *primam* exceptionem. I. Siquidem voluiſſet Patriarcha ſignificare, nunquam defuturum Iudæis in ſuis quibuſcumque afflictionibus fulcimentum atque ſuſtentationem, non dixiſſet, *non auferetur*, ſed potius poſitivè, ſemper ei illud fore ſuppeditandũ, vel quomodocunque alias copioſius, ac ſignificantius illud expreſſiſſet. II. שבט in genere quidem ſignificat *virgam, baculum*, at ſimpliciter & abſolutè poſitum, nuſpiam fulcimentum conſolationis & auxilii: hoc enim ex contextu judicatur, ſi ita acci-

Digitized by Google

orti ſunt, & vocantur יהודים, *nunquam in captivitate ſuâ defuturum ſubſidium, neque unquam ita eos oppreſſum iri, etſi à rege aut natione aliquâ dure habeantur, & ditione ſuâ expellantur, quin alia gens eos complectatur ac protegat. Et quemadmodum fugienti Davidi non defuere, qui in via cum ſubſidiis occurrerent: ſic Iſraëlitæ, ut prædicit Patriarcha, ſemper ſcipionem ac fulcimentum habebunt, & legiſlatores, qui conſulant eis, & cohortentur ad ferenda adverſa. Atqui ex hac opinione verba S. ita transferuntur: Non auferetur baculus à Jehuda aut legiſlator à pedibus ejus, & illi afflictio gentium.*

II. Eodem loco alia quoque expoſitio adfertur, quâ Sebet accipitur pro virga judicis, & Mehokek pro ſcribâ. Juxta hanc ita explicantur verba Scripturæ: Non auferetur judex ex Jehuda, nec ſcriba ex medio pedum ejus, donec veniat filius ejus, & illi afflictio gentium. Hoc eſt, quamdiu Sanhedrin aut ſenatus magnus in Iſraël erit, ſemper erit ex tribu Jehuda, quæ, ut moris eſt, habebit ſcribas ad pedes ſuos. Quod verum eſſe comperimus: nam ſemper ſenatus magnus fuit ex proſapia Davidis.

III. Eodem in libro Rabot tertiam explicationem legere eſt, ut virga ſumatur pro ſceptro. Tunc vertendum erit: Non auferetur ſceptrum à Jehuda in æternum: quando veniet ille, cui (regnum) & congregatio po-

accipi debeat. Ut Pſalm. XXIII. ש:שטך *virga tua & pedum tuum, illa me conſolabuntur.* Ubi præterquam materia ſubjecta, de quâ eo pſalmo, & vox expreſſa *conſolabuntur*, & pronomen relativum *tua*, iſtam ſignificationem oſtendunt. Nuſquam verò ita eſt, ubi abſolute ponitur שבט. III. Quin שבט hic alio ſenſu ſumi, videlicet judiciali & [illegible], indicat ἐξηγητικῶς quod ſequitur, & legiſlator מחקק. IV. tum præſupponit iſta expoſitio falſum, quaſi Patriarcha conſideret hic afflictiones populi Judaici, adverſus quas promittat auxilium & fulcimentum, cum bona & illuſtria quæque hic prædicat Jehudæ ſuo. V. quare Jehudam propoſuiſſet ſibi Propheta, illum potius, quam alium ex liberis ſuis, vel cur non potius ad omnes ſermonem convertiſſet, de afflictionibus, & ſolatio omnibus communi? VI. Præterea nihil de aliis gentibus, earumve erga Iudæos ſubſidio hic loquutus eſt Patriarcha, quod tamen expoſitio habet. VII. Quæ illa fuiſſet in ſermone rerum convenientia, prædicere à gentibus auxilia obventura Iudæis, & horum ducem futurum illis in pœnam, & afflictionem? quo ſenſu non dictum fuiſſet ולו, ſed potius והוא *et ipſe* afflictio gentium.

Ad *ſecundam* expoſitionem. *Reſp.* Illa dicit quidem aliquod, at non totum.

pulorum. Accentus muſicus huic interpretationi valde favet: nam adverbium עד *Had, notatur* יתיב *Ietib, qui diſtinguit & dividit periodos. Adeo ut velit S. S. non auferetur ſceptrum à Jehuda, neque legiſlator a pedibus ejus in æternum: hìc interpungendum eſt; tum additur, fore illud, quando veniet Meſſias; tunc congregandas gentes omnes, & ei ſe ſubjecturas; quemadmodum ait Jeſaias: illum gentes requirent. Hæc interpretatio quoque fuit Anqueli a-Ger: etenim, ut notat R. Bahye, in correctis codicibus ſcriptum invenitur,* עד עלמא דייתי משיחא *in æternum donec veniat Meſſias: perpetuam ejus durationem Daniel ſignificat, dicens, quod in perpetuum non deſtruetur.*

*IV. Doctus Aben Ezra per virgam hic virgam imperii deſignari putat, & per Silo, Davidem. Itaque exponit: Non auferetur virga à Jehuda, nec ſcriba è medio pedum ejus, donec veniat filius ejus, & illi congregatio populorum: nimirum Davidi. Quod eo confirmatur, quia vexillum Jehudæ primo ſemper movebatur: unde cum defuncto Iehoſuah quærerent Iſraëlitæ, quis primus adſcenſurus eſſet, reſponſum eſt, Jehuda. Davidem autem ait congregaſſe populos, propter quod multi ſub illius imperium venerunt. Verba verò illa, donec veniat David, non excludunt tempora poſtea ſecutura: nam David & ſucceſſores ejus fuerunt ex tribu Ie*totum, non explicat integrum textum. Benè, fuit ſenatus Sanhedrin ex tribu Iehuda, & proſapia Davidis, habuitque ſuos, quouſque fuit, ſcribas; ſed in textu inſuper dicitur, quandiu id duraturum ſit, ut penes ſenatum, eamque tribum, poteſtas regiminis futura ſit; nempe quouſque venerit Meſſias. Et hoc in expoſitione, quod prætermiſſum, addendum neceſſariò fuerat. Novimus attenuatam primùm valde fuiſſe Senatorum iſtorum poteſtatem, per Romanos, tum ipſos ſemotos loco ſuo & diſturbatos, denique & hujus ſenatus, populique Iudaici ablatam deſtructamque funditus, deletâ eorum Rep. poteſtatem: at ante hoc tempus, ante totale exterminium venturum fuiſſe Meſſiam prædictum hic à Patriarchâ fuit.

Ad *tertiam* expoſitionem, quam multis in locis Iudæi probant, & occurrit quoque in Scebet Iehuda, ſive hiſtoria Gentis Iudaicæ, prout à Gentio conversâ, *pag.* 267. &c. *Reſp.* I. Non credibile eſt, Patriarcham, univerſum illud tempus quod à ſuo ad Meſſiam eſt, nempe juxta hodiernorum Iudæorum ſententiam, ad finem mundi, tranſilire voluiſſe, & ab iſto demum tempore, quo Meſſias veniret, ſceptrum in Judâ ſuo conſideraſſe, quum antea illud etiam penes Iudam fuit. II. futilis fuerit Patriarchæ, ſecundum

huda: ſed eſt genus loquendi, cui ſimile hoc כי לא אעזבך עד אשר אם עשיתי *quia non deſeram te donec fecero quod locutus ſum tibi. Ubi manifeſte videmus, Deum non id velle, ſe impletis promiſſis Iacobum eſſe derelicturum. Uſitata hæc phraſis eſt, perinde ac ſi quis dicat, non deerit huic vel illi panis, quamdiu agrum & vineas habebit, &c. Idem ſenſit R. Levi ben Gerſon.*

V. Sapiens R. Moſes Gerundenſis virgam accipit de ſceptro, ita prophetiam Iacobi explicans: Non auferetur ſceptrum à Iehuda, neque ſcriba è medio pedum illius, donec veniat filius ejus: qui eſt Meſſias. Hoc eſt: quandocumque in Iſraële rex erit ex ſemine Iſraël, ſemper ille erit ex triba Iehuda. Ita ut non prædicatur hic ſemper Iſraëlitis fore Regem, ſed quando eſt, fore eum ex progenie Iehuda: et quando habet Regem, non ablatum iri imperium, ut aliam in tribum transferatur. Etenim non intelligitur eripi ſceptrum, niſi et alteri detur, ut rectè ait R. Iehuda bar Beſalhel in libro ſuo Gur Arieh. Ad hunc dicit congregandas gentes, quia tunc non ſoli Iſraëlitæ, ſed omnes reges terræ ei obedientes & tributarii futuri ſint. Aut exponitur confractio, quia ille conteret omnes populos. Conſtat autem ex Domini promiſſis, regnum ſemper fore penes tribum Iehuda: dicitur enim: D. Deus Iſraëlis dedit Davidi regnum Iſraelis, illi et poſte-

Iudæorum opinionem, hoc modo oratio: ubi venerit Meſſias, tum à Iudâ non auferetur ſceptrum. Quia enim Meſſias Rex ex Iudâ oriundus erat, hinc ſceptrum Judę ſatis confirmabatur, neque dicere neceſſe erat, id cum eo non auferendum. Quis (quæſo) hic ſenſus? cum Rege Meſſiâ regnum non auferetur. vel, quando Iudæis rex Meſſias exorietur, regnum iis non auferetur. III. Magiſque adhuc inepta oratio, ſi עד interpreteris, *æternum*: nam ſecundum Menaſſis ſententiam, tempus Meſſiæ uſque ad reſurrectionem mortuorum, & ultimum mundi finem, erit XL. annorum, ſecundum alios LXX, vel CCCC. ſed quid hoc, ut dicatur tempus æternum? & tanto cum apparatu millenos ante annos prænuncietur à Patriarcha, quod pauxillum temporis duntaxat duraturum ſit? In æternum non amovebitur ſceptrum à Iehuda, ubi Meſſias venerit, id eſt, non per quadraginta annos. Ne id jam dicam, quod alias Menaſſe quoque tradit, forte eodem anno ac die Meſſiam venturum, & fore mortuorum reſurrectionem: Meſſięque unum tantum, eumque ſupremum exſpectandum adventum. Quę ergo æternitas ſceptri penes Iehudam, cum Meſſiâ, remanſuri? & hic à Patriarchâ, tanto antè tempore, tamque magnificè prędicata,

Digitized by Google

ris ejus in perpetuum. Eam ob cauſſam ut recte notavit R. Selomo Alcabes in libro ſuo Manot a-Levi, Iſraeli ante tempus Regem petenti, datus eſt Saul ex alia tribu, cujus imperium celeriter finem habuit: et quemadmodum dixit Oſeas; ipſi Reges conſtituunt, ſed non ex me. Etiam Haſmonæi, quia regiam poteſtatem, ſoli Iehudæ tribui debitam, adſumſerant, occiſi & privati eo faſtigio ſunt ab inimicis ſuis. Hanc quoque opinionem fovet R. Obadiah Sphornus, citans verba Dei ad Davidem: At benignitatem meam non amovebo a te, quomodo amovi eam a domo Saulis. Quis ſignificat, nequaquam ſe regnum ei erepturum, quo alteri tradat, quemadmodum Saulo eripuiſſet ad transferendum in Davidem.

VI. *R. Babie ad hunc locum, & in opere ſuo Sulham Arbà, per Siloh intelligit* משה *Moſen: et profecto in numero Hebræo* שילה *Silo, et* משה *Moſeh tantundem valent: nimirum* CCCXLV. *Itaque ait Iacobum vaticinatum de prima liberatione filiorum ſuorum ex Ægypto. Ut S. verba exponenda ſint: Non auferetur virga, ſive imperium, à Iehuda etc. donec venerit Siloh, ſive Moſes: tunc enim dereptum Iehudæ imperium, tradetur Moiſi, ex tribu Levi. De quo etiam dicitur, Fuit enim in Ieſurune Rex; ad Moſen, ergo inquit, congregabuntur populi, videlicet Iſraëlitæ: qui eodem nomine nuncupantur in Deut.*

ta? IV. עד æternitatem, vel longum tempus ſępe in Sacris ſignificat; at tum ſemper finit periodum, vel ſententiam, non ejus medium obtinet; atque dici ſolet עד ועד, vel לעולם ועד, vel לעד, & עד ſimpliciter, ſed in fine ſemper: adeo ut ſi in animo habuiſſet Patriarcha, quod dixiſſe Iudęi volunt, ita ſermonem inſtituiſſet: ubi venerit Schilo, non auferetur à Iehuda ſceptrum, aut legiſlator è medio pedum ejus in æternum: עד in finem, qui ejus hoc ſenſu locus foret, rejecto. עד in medio ſignificat *uſque*, donec, quoad, etiam quum עד æternitatis, vel diuturnitatis ſequitur, ut Ieſa. XLV. 17: *Iſrael ſervatur per Iehovam ſalute æternâ: non erubeſcetis, neque ignominia afficiemini.* עד עולמי עד *uſque in ſæcula æternitatis.* V. עד poſt ſe habens כי, עד כי, *donec* ſignificat, *uſque quo.* כי, eſt quod. Sic ſe habet ad alias ſequentes particulas, ut עד מה, & עד מתי, עד עתה, עד כה, עד אם, VI. כי non ſignificat *quando*; adeo ut ſenſus nequeat eſſe: non auferetur ſceptrum à Iehudâ עד in æternum, כי *quando* venerit Meſſias: ſed hoc ſi voluiſſet Patriarcha, dictum fuiſſet אחר aut אחרי בוא, aut in gerundio כבוא, non כי יבא, nedum עד כי יבא. Ipſe Menaſſe hac quæſt. LXV. verba textus exponens, כי [illegible] quatuor adſert ſignificationes, *quia, quod, ſi, ſed*, non autem ut *quando*,

vel

Etiam amans populos. Certe valde veriſimile eſt Patriarcham de proxima redemtione filiorum ſuorum locutum.

VII. *Idem autor hoc quoque modo eundem verſum tranſtulit: Non colligetur ſceptrum ad Iehudam etc. donec ponatur Silò, h. e. deſtructum ſit tabernaculum Silò. quod accidiſſe conſtat. nam ſimul illud deſtructum eſſet, venit Semuel, et Davidem Regem unxit. Teſtificatur hoc ipſe Pſalmographus, cum ait: Et deſeruit tabernaculum Silò, tentorium quod poſuerat inter homines. Et ſprevit tentorium Ioſeph, et tribum Ephraim non elegit. Elegit autem tribum Iehuda, montem Zionis quem diligat. Et elegit Davidem ſervum ſuum &c. Vnde videmus, quo tempore Silò deſtructum eſt, etiam Davidem Regem unctum.*

VIII. *R. Ioel ben Sueb, per virgam intelligit virgam caſtigationis: unde Scripturam ita exponit. Non tolletur caſtigatio à Iehuda, i. e. ab Iſraelitis, qui vocantur* יהודים *Iehudim, et legiſlator è medio pedum ejus, h. e. ſemper erunt quaſi in portis eorum inimici, qui leges iis praſcribant, donec veniat Silò, h. e. Meſſias, & illi obedient populi, quia totius mundi imperium obtinebit. Hanc interpretationem quoque probat Iſhac in gloſſis ſuis ſupra Samuelem, niſi quod verba illa, & legiſlator è medio pedum ejus, exponat, quamvis caſtigatio à Iehuda non auferatur, fore tamen ut legis non* vel *ubi*, *quum* ſignificet. VII. accentus *Jethib* in עד non dividit periodum, nec vocem עד à ſequenti כי divellit, non magis quam verſu ſeq. in אסרי *ligans ad vitem aſellum ſuum*, iterum in כבס *lavans*, non ſanè disjungit accentus idem à ſequentibus, *in vino veſtimentum ſuum*. verſ. 7. in ארור *maledicta ira eorum*. verſ. 9. גור *catule leonis Jehuda*. In omnibus iſtis occurrunt accentus *jethib*, & infinita poſſent adduci exempla, ubi non *diſtinguit & dividit periodos*, uti Menaſſe hic temere loquitur. Contra adeſt accentus *atnach* in voce רגליו immediate antecedente, qui accentus colon facit, אתנחתא *reſpirationem*; quare ſi in רגליו inciſio, *è medio pedum ejus*, non poteſt poni in ſequenti voce עד. In verſu altero ubi *jethib* eſt in primâ voce אסרי *ligans*, ſequitur, *ad vitem aſellum ſuum*, cum *iſto* (uti dictum) neceſſariò jungendum, *& ad generoſam vitem pullum* אתנו *aſinæ ſuæ*; hic iterum *athnach* eſt, atque is accentus diſtinguit periodum, non vero *jethib*, quod ſequitur in כבס *lavans veſtimentum*, &c. Hic meminiſſe Iudæi deberent ejus, quod in Talmude, Cod. *Megilla* legitur, cap. III. fol. 22. כל פסקא רלה פסקיה משה אין לא פסקינן ליה, *quemcunque verſum non diſtinxit Moſes, cum neque nos diſtinguimus.*

Sequitur *quarta* exceptio. *Reſpondeo.* Bene per *virgam* Aben Ezra

oblivifcantur, ſed in medio pedum ejus ſint legiſlatores; quomodo ait Pſalmographus, tractans de perſecutionibus Iſraëlis. Totum hoc evenit nobis, nec tamen obliviſcimur tui. Neque movere debet, quod nonnulli dicunt, Jacobum in benedictione nihil infauſti dicturum fuiſſe: etenim tanquam Propheta, & bona & mala prædixit. Sic ſane de Simeone & Levi dixiſſe eum videmus: Maledicta ira eorum, quia vehemens. Adde quod ſimul bona hic prædicit, eoſque cohortatur & confirmat ad ferendas fortiter ærumnas, quia non futura ſint perpetua, ſed tantum duratura uſque ad Meſſiæ adventum; quo tempore omnes mundi nationes, etiam illæ, à quibus ante vexati fuiſſent, eorum ſub imperium venturæ eſſent.

IX. *R. Hizquiah autor Hizquuni per Silò Ahiam Silonitem intelligens explicat, Non auferetur virga à Iehuda, hoc eſt; dominium, & ſcriba è medio pedum ejus, ut moris eſt, donec veniat Silò, id eſt, donec Abia Silonites veſtem Ieroboami in* XII. *partes rumpat: tunc enim aliæ tribus habebunt partem imperii, ſoli antea Iehudæ poſſeſſi. Quod accidiſſe certum eſt, cum Ierobamus imperium acciperet. Unde ad illum ſe congregaturas gentes, videlicet* XI *tribus, S. Scriptura ait.*

X. *Iſhac Abravanel, fretus loco quodam veterum noſtrorum ſapientum; Virga, inquit, imperium aut* zra virgam imperii deſignari putat; ſed non rectè per *Silo*, Davidem. I. dubium eſt, num ante Davidem ſceptrum apud Iudam fuerit, eo modo, quo hic innuitur à Patriarchâ; ſaltem cum Davide, & ſciſſis tribubus, quando populus de nomine hujus tribus Iudaicus & regimen Iehudæ peculiariter cenſeri cœpit, ſceptrum & poteſtas imperii penes tribum hanc magis conſpicua atque illuſtris fuit; utut ejus ſpecimina jam ante in tribus hujus prærogativâ in movendis caſtris vexilloque ante alios data æſtimare liceat. Quare non commode dici potuit, auferendum cum Davide ſceptrum, quod vix, ſaltem minus, & tenuius ante eum, penes Iehudam fuit. II. Neque ablatum à Iehudâ tum ſceptrum, potius collatum fuit. III. *Donec veniat Silo*, i.e. David, non licet exponere ex Geneſ. XXVIII. 15. *quia non deſeram te donec fecero quod loquutus ſum tibi*: Nam ibi *donec* non dicit finem temporis, quo deſerturus ſit Deus Iacobum: adeo nec *donec veniat* David, intelligendum quaſi cum Davide ſceptrum auferendum ſit: nam Geneſ. XXVIII. כי לא אעזבך עד אשר אם עשיתי *donec* non *tempus* deſignat, ut ſenſus ſit, *uſque ad* hoc vel illud tempus te non deſeram; ſed divinam *actionem*: ſignificatque, non te deſeram, *quin faciam* quod locutus ſum tibi: atque tantumdem eſt ac ſi Deus dixiſſet,

Digitized by Google

juriſdictionem, quamvis exiguam, notat: itaque verè Patriarcha prædixit, eam à Iehuda nequaquam ablatum iri ante adventum Meſſiæ. Nam ſemper Iehuda caput fratrum ſuorum fuit; ille cum Ioſephus venderetur dixit, quid utilitatis ſi occidamus fratrem noſtrum? eique cæteri paruerunt. Ille petiit à Iacobo, ut mitteret ſecum Benjaminum, qui, quod poſtulanti Rubeno negaverat, illius precibus tribuit. Ille fuit, qui appropinquavit Ioſepho ad orandum: poſteaque ſemper tribus Iuda primum habuit locum; & vexillum ejus primum omnium movebatur. In dedicatione aræ, Nahſon primam oblationem fecit pro tribu Iehuda. Mortuo Iehoſua primus Iuda adſcendit in bellum. In diviſione terrarum prima portio Iudæ aſſignata eſt. Saul populum recenſens, ſeparatim numeravit tribum Iudam: & regnante illo, ſemper nihilominus Iuda cæteris tribubus præminuit. Multoque majus dominium habuit tempore Regis Davidis Quin & in diviſione regni tribus Iuda cum Davide manſit: & in captivitate Babylonica ſemper capita & principes ſuos habuit ex ſemine Davidis. Poſtea quoque temporibus Haſmonæorum princeps Iehudæ erat caput Senatus Iſraelitici, nuncupati סנהדרין *Sanhedrin, ut affirmat Ioſephus. Eodem modo in captivitate Hiſpaniæ, Galliæque, capita Iſraelis ſemper fuerunt ex ſtirpe & domo Davi*ſet, ego *nunquam* te deſeram: promiſerat enim ſe ipſi, ejuſque ſemini benedicturum. Hæc verò ad locum noſtrum controverſum, de adventu Silo, non faciunt. Hic enim tempus venturum exſerte exprimitur, *donec veniat*, eſtque עד כי non עד אשר. Tum, quis iſte ſenſus, non auferetur ſceptrum, *quin* veniet Silo: neque id verùm eſſe dicet aliquis, ſceptrum *nunquam* à Iudâ auferendum eſſe, quia nimirum Silo venturus ſit. IV. Phraſis, *donec veniat Silo*, longe alia eſt, quam ſi quis dicat, alicui panem vinumque non defuturum, quamdiu habiturus ſit agrum & vineas: etenim עד כי non eſt *quamdiu*: quamdiu agrum quis vineaſq; habebit, nunquam panis aut vini inopiâ laborabit, & hoc *nunquã* iſto quamdiu concluditur; viſne ergo & nunquam ſceptrum à Iehuda auferendum hic prædici? עד כי *donec*, vel uſque quo venerit, latinè rectè dicitur, non item quamdiu venerit, quando adventus fit non actione diuturnâ, longum in ſe tempus requirente, licet longum ſit antequam fiat, ſed, qualis in hominum ortu, brevi, & ferè momentanea. Laurentius Valla nos hoc docuit, *Elegant. Latin. libr.* II. *cap.* XXXV. Verba, quæ momentaneam actionem ſignificant, adverbiis diu & tamdiu applicanda non eſſe, quia hæc longum tempus ſignificant; ut rectè dixeris, diu navigavi, diu equi-

dis, nimirum Abravaneles: etenim, ut ſcribit R. Iſhac ben Guiat, poſt deſtructionem ſecundi templi, duæ ex ea ſtirpe familiæ in has regiones migraverunt, quarum una Benè Daud filii Daud, altera Abravanelum erat. Igitur hinc ſatis conſtat, vera Iacobum Patriarcham prædixiſſe. Addere poſſis, quod Rab Iſhac Arama tradit, R. Benjaminum Tudelenſem, in libro ſuo Mashor R. Benjamin, ſcribere, Bagdade ſe oculis ſuis vidiſſe magnum numerum Iſraelitarum, qui certo tempore Principem, quem crederent ex ſtirpe Davidis eſſe, curru vectum proſequerentur, inter eundem acclamantes, facite locum filio Davidis. Etiam teſte Iſhaco Abravanel ad cap. XII. *Zecharia, Aben Ezra affirmat, ſuo tempore Bagdade fuiſſe familiam ex ſtirpe David; magnique honores (ut in Sebet Iehuda dicitur) in Perſide quoque tribuuntur principibus ſeminis Davidis: quod etiam Guedaljah Iabia in libro ſuo Silſelet a-Cabala aſſerit. Atque adeò fieri poteſt, ut idem hodieque obſervetur in regionibus quibuſdam nobis incognitis. Ergo, juxta hanc expoſitionem, verba* עד כי *uſque dum, non præfiniunt tempus aliquod, quaſi illud dominium duraturum ſit ad Meſſiæ adventum, nec ulterius; ſed denotant dignitatem. Vt alio loco dicitur* עד כי חדל לספור *donec deſiit numerare,* עד לב השמים *uſque ad cor cælorum. Ita ut Patriarcha ad oſten*-equitavi, non autem (ait, nam exemplum hoc addit) *diu receſſi*, ſed nuper receſſi; ſic, jam olim opus publicavit, non jam diu &c. Quod ideo moneo, ne amphibolia vocis *quamdui* nos teneat, in hoc potiſſimum loco, ubi, *donec venerit*, intelligere de tempore poſt adventum & Silo volunt, eumque terminum cum quamdiu imprudenter commutare, quod tempus longum exprimit. In Hebræo autem עד כי illi amphiboliæ locus non eſt. Rectè dictum, *quamdiu agrum & vineas habebit*; non item, quamdiu venerit Silo, vel David, vel Meſſias. V. Verùm utut ſceptrum, idque auferendum, vel donec venerit, hoc in textu exponatur; Silo per *David* exponi omninò nequit, contra omnia illa tum argumenta, tum teſtimonia, præcipuè Chaldaicarum paraphraſium, in principio à nobis adducta. VI. Neque, quantumvis multi ſub Davidis imperium venerant, hoc ſufficit ad exhauriendam amplitudinem iſtius promiſſionis, *& ipſi adhærebunt populi.*

Ad *quintam* exceptionem. *Reſp.* I. Temerè prophetia de ſceptro & legiſlatore perpetuo apud Judam, reſtringitur ad ſceptrum *Regium*: namque penes Judam, vel Judæos poteſtas & regimen fuit, etiam quando non eſſent Reges. II. Textus non dicit, qualis ille Rex, & ex quâ tribu futurus eſſet; ſed ſceptrum,

dendam Iehudæ dignitatem, dicat duraturum eum uſque ad Meſſiæ adventum. Sane nunc quoque videmus, multis in locis quandam juriſdictionem habere tribu Iehudâ ortos, & capita reliquorum eſſe. Quod exiguum imperium uſque ad tempora Meſſiæ duraturum, tunc augebitur: nam illi parebunt nationes.

XI. *Dicere etiam poſſimus, mentem Patriarchæ fuiſſe, quamvis decem tribus captivas abducturus eſſet Aſſyriorum Rex, in terras nobis incognitas: tribum Iehuda tamen nunquam ſublatum iri, hoc eſt, ablatum ex oculis & commerciis ac notitia hominum: ſed ſemper fore ei legiſlatores in medio pedum, hoc eſt, ſapientes à quibus doceatur uſque ad Meſſiæ adventum, per quem imperium ſit reſurrecturum. Hæc ſi placet ſententia, vertes: Non tolletur tribus Iuda, nec legiſlator è medio pedum ejus, donec veniat Silò, & illi congregatio populorum.*

Vt ut eſt, ſeu hanc, ſeu quam ex aliis expoſitionibus amplectaris, difficultas ſublata eſt: neque enim Patriarcha promittit ſemper eos regem habituros, cum nunc in captivitate eo deſtituantur; ſed illud accipiendum eſt uno ex illis, quos diximus, modis. Non ignoro aliis alias expoſitiones placuiſſe: ſed mihi hæc ſufficere videntur: poterunt doctiores eligere, quam maxime veram judicabunt. Atque hic finem imponere viſum quæſtionibus li-

ptrum ſemper futurum uſque ad adventum Meſſię, nec prius auferendum III. quod hic ſignificatum ſit: *quandocumque in Iſraele rex erit ex ſemine Iſrael, ſemper ille erit ex tribu Iehuda*, falſum; nam Reges decem tribuum in Iſraele non fuerunt ex tribu Jehuda. IV. quodque hic ſolum diceretur, regnum non conferendum eſſe in aliam tribum, quam Jehudæ, falſum quoque; non enim de ſceptro *transferendo* ſermo eſt, ſed *auferendo*: & quod non intelligatur auferri ſceptrum, niſi & alteri detur, tum rei natura, tum exempla affatim oſtendunt ſatis temerè dici. V. Quorſum dictum fuiſſet non transferendum in aliam tribum Judaicum imperium, donec veniret Meſſias? an ergo cum Meſſiâ id contingeret? non dicent. VI. Denique quid illud tanti fuerit, ſi memoremus quot Reges ex tribu Judâ unquam fuerunt? hocne à Patriarchâ tam ample prædici debuit, Reges nonnullos populo Iſraelitico ex hac tribu obventuros? ejuſmodi & aliis quoque prædicta, & prædici pluribus potuiſſent. VII. Hodie non in aliam tribum collatum populi Judaici regimen, ſed ablatum omnibus, exſtinctumque funditus eſt: obſecro, an id jam non eſt ſignum magis conſpicuum, certum, & illuſtre, quod Meſſias venerit, quam quod ad

ejus

bri Geneſ. in quo loca LXV. *occurrerunt, quæ pugnare inter ſe videntur; juxta nomen Adonai, quod in numero Hebræo valet* LXV. *Benedictus ſit qui venit in nomine Domini &c.*

ejus adventum uſque ſceptrum non ſit in aliam tribum transferendum?

Ad *ſextam* exceptionem. *Reſp.* Probare maximè videtur Menaſſe hanc R. Bahie expoſitionem, quamvis minus omnium ſpecioſam. I. Vel ex hoc exemplo appareat, quanta ſit Kabalæ futilitas. Per Gematriam ex Silo שילה ſit *Moſe* משה: quod propter Kabalam tamen Judæi ipſi præſtantiores non accipiunt. Atqui Kabalam ſi hic audire juvet, per eandem iſtam regulam ex יבא שילה, habe tibi משיח 358. & per aliam, nempe raſetebot, in יבא שילה ולו habes ישו *Ieſu.* Quare ergo hinc per Kabaliſticam non formas Jeſum eſſe Meſſiam? II. עמים latiori ſenſu hoc loci ponitur, quàm pro ſolo populo Iſraelitico; nempe ut nationes & gentes terræ denotet: quomodo præcipui Iudæorum etiam id capiunt. III. at quomodo ante Moſem apud Iudæos ſceptrum fuit, qui vix ante illud tempus populus, non populus ſpeciatim Iudaicus cenſeri potuit? IV. Adeo populus ſceptrum non habuit, ut ſub alieno ſceptro & tyrannide miſerrime preſſus ac confractus ſit. V. Nedum ut ſceptrum penes Iehudam fuerit. VI. Denique falsâ hypoteſi nititur tota expoſitio; non enim de redemtione populi è captivitate vaticinatur Patriarcha, vel captivitatem ejus conſiderat; ſed imperium, ejuſque à Iudæis ablationem.

Septima exceptio ejuſdem eſt, credo quod non ſat confiſus priori; ſed omnino iſtâ miſerior, & elumbis magis. *Reſp.* I. סור non ſignificat *colligere*, vel conferre; ſed contrà *removere*, *auferre*, *recedere*: nunquam יסור aliter. II. Sam. VII. 15. *benignitas mea* לא יסור *non auferetur*, vel non recedet *ab eo*. Job. XV. 30. לא יסור *non recedet à tenebris*. Prov. XXII. 6. *etiam quum valde ſenuerit,* לא יסור *non recedet ab illâ* inſtructione. Significat quidem etiam *divertere*, ſed hic motus quum duo includat, receſſum à via aut loco præſenti, & acceſſum ad alium, prioris ratione סור hic venit, ut ſit *ſecedere*, non verò appropinquare, vel conferre ſe aliquò. Quod vellem multi diſtinctius conſideraſſent. Exod. III. 3. אסרה נא ואראה, non eſt, *appropinquabo nunc et videbo*, ut Menaſſe vertit; ſed, *divertam nunc ut videam viſionem iſtam*, uti optimè Tremellius. Neque Græci dicere debuiſſent παρελθὼν ὄψομαι, ſed ἀπελθών. Deut. II. 27. לא אסור *non recedam dextrorſum aut ſiniſtrorſum.* II. Neutiquam סור cum præpoſitione מן poteſt eſſe *accedere*, appropinquare, colligi *ad*, vel adjungi: notat enim iſta

 præpo-

Digitized by Google

præpoſitio motum *à* loco. Et hic eſt, יסור מן יהודה; quare nequit eſſe, colligetur *ad* Jehudam; מן non *ad*, ſed *ab* vel *à* ſignificat: deberetque legi, ſi סור hic eſſet colligi, accedere, *non accedet ſceptrum à Jehudâ*: quæ eſt contradictio: omiſsâque vocis סור notatione, ſi *ad* Jehudam voluiſſet dicere Patriarcha, dictum fuiſſet אל, non מן Jehudâ. III. *Silo* nullo argumento poteſt locum deſignare, ubi tabernaculum in initio fuit, contra omnes, maximæque autoritatis interpretes, qui de Meſſiâ, ſaltem de Perſonâ dictum intelligunt, non de aliquâ re, vel loco. Nam. 1. locus ille ſcribitur ſine י in medio, שלה, non שילה, uti hic. 2. de loco dici nequit, *uſque dum venerit* עד כי יבא: neque de loco dicitur, *ei* adhærere populum. Sed בוא etiam ſignificat *occumbere*: at ſenſus loci inde poſſet eſſe, non, donec veniat Silo, ſed donec *occumbat*, & deſtruatur; neque donec *ponatur*, ut hic Menaſſe loquitur. Deinde בוא ſemper *venire* ſignificat, *occumbere* nunquam, niſi quando de Sole ſermo eſt, ubi hoc ſignificat non vi vocis, ſed ratione materiæ ſubjectæ, cui in ſuo curſu hoc convenit. *Geneſ.* XV. 17. ויהי השמש באה, & ſactum *eſt*, *quum Sol iviſſet*, abiiſſet, occubuiſſet. *Exod.* XXII. 26. *Si pignorando oppignoraveris veſtem proximi* tui עד בא השמש, *ad occaſum Solis*, ubi iverit Sol, *reddes illam ei*. Ieſa. LX. 20. *Non occidit amplius Sol tuus* לא יבוא עוד שמשך. Nuſpiam alibi, quam ubi de curſu Solis, hanc explicationem vox באה fert: nunquam ubi de loci alicujus deſtructione; quo de argumento tamen toties in Scripturâ ſermo inſtituitur: atque (ut dixi) occidere, non vi vocis ſignificat, ſed rei, cui vox inſervit. Deinde, ſi dicas, *ei* adhærebunt populi, non loco, Silo, ſed Davidi Regi: reſpondeo. 1. Quid Silo cum Davide? non ibi David in Regem unctus fuit. Neque deſtructum Silo fuit occaſio ungendi Davidis; ſed Sauli à Deo, ne Rex ultra eſſet, reprobatio. Et *Pſalmo* LXXVIII. non illa ſic connectuntur, ut à Menaſſe hic, ſed multis verſibus interpunguntur; & præcedit tabernaculi Silo deſtructio, *verſ.* 60. ad quam refertur tabernaculi alterius in Zione erectio, *verſ.* 68, 69. non electio Davidis, *verſ.* 70. quæ ad illam τῦ Silo deſtructionem non magis ſe habuit, quam ad tentorii Ioſephi, & tribus Ephraimi à Deo rejectionem II. Atque ut ſenſus integer hoc loco, ad ſenſum ſeptimæ expoſitionis formetur, intrudi præter verborum rationem debebit David; hoc pacto: non colligetur ad Iehudam ſceptrum &c. donec deſtruatur Silo, & *David venerit*, cui adhærebunt populi. Quis verò hoc concedat fieri in aliquo cujuſquam ſermone, nedum ſacro? verba pervertere contra ſuum

ſenſum

Digitized by Google

ſenſum, & præterea alia, quæ libuerit, infarcire. Apage.

Ad *octavam* exceptionem. *Reſpondeo.* I. שבט *Sebet, ſecundum R. David Kimhi, nihil aliud quam virgam aut baculum notat*, quemadmodum Menaſſe ipſe hic loquitur *pag.* 88. Judæi Hiſpani transferunt *vara*, quod *virgam* ſignificat, *vara real, ſceptrum regium.* Nihil aliud vox illa notat; certe non afflictiones. Aliud eſt quod virga, baculus ad afflictionem adhibeatur: ſed vox illa non ſonat afflictionem, ubi ſola eſt, quemadmodum hic, & vis vocis attendi duntaxat debet. *Pſalm.* II. 9. quidem dicitur, תרעם בשבט ברזל *conteres eos virgâ ferreâ*, at virga, ſceptrum, ſeu vox illa non ſignificat afflictionem, ſed quod additur, *conteres*: verbi cauſa, ſi dictum fuiſſet, conteres eos ferro, palmâ, vel ſume aliam quam rem, quâ quis tangi poteſt, non idcirco dixeris, ferrum aut palmam ſignificare afflictionem. Res, & materia ſubjecta afflictionis eſt, *conteres eos*, non vox *ſchebet* per ſe, non virga, ſceptrum. *Schebet* etiam pro pedo paſtorali ſumitur (in genere enim virgam ſignificat, ſive quam Rex tenet, ſive quam Paſtor, vel quem Scriptor ſtylum, aut virga, qua numerantur & cenſentur ordines, aut familiæ) quo oves percutiuntur, atque etiam ducuntur: hincne ergò dixeris *Schebet pedum* ſignificare, percuſſionem, gubernationem &c. quamvis omnia iſta eo fiant? Aliud eſt *vocis* ſenſus, aliud *materiæ*, ad quam vox adhibetur. Itaque vox שבט nunquam ſignificat afflictionem: quam ſi hoc loco intendiſſet Patriarcha, dixiſſet, numquam auferetur ſceptrum afflictionis, vel percuſſionis à Jehuda, non ſceptrum ſimpliciter. II. Atque ſi ille ſenſus verborum eſſet, quem Rabbi putat, non promiſſio eſſet boni facta Jehudę, ſed gravium certe malorum prædictio. Inquis, ſed *de Simeone & Levi dixiſſe eum videmus: maledicta ira eorum. Reſp.* ea fuit juſta & digna *reprehenſio* filiorum ſuorum; ſed hæc erga Judam fuiſſet *prædictio* diuturnarum in omnem poſteritatem calamitatum. III. Quare *Judæ* magis iſta mala addixiſſet, quam aliis, quum futura eſſent communia, & plura quidem, gravioraque aliis adventura, quam Jehudæ? an hoc ſibi voluiſſet illud *verſ.* I. *Jehuda tu ille es?* IV. Et quidem mala dixiſſet perpetua, *non auferetur.* V. Quin contrà ablatam ſæpius virgam afflictionis à Judæis fuiſſe, oſtendere proclive eſt. Dicis, ærumnas prædici non perpetuas, ſed tantum duraturas uſque ad Meſſiæ adventum. Hocne eſt *tantum*? à primâ populi origine ut durent uſque ad finem mundi, & forte ipſum diem annumque univerſalis reſurrectionis, vel ad annos XL. ante hoc tempus? & cum

cum Meſſiâ annon experiemini dolores & ærumnas quoque חבלי המשיח? Brevene hoc tempus æſtimari poteſt, & levis, nec diu duratura, vel non perpetua afflictio? valeat potius, & veniat nunquam ejuſmodi Meſſias, cujus adventum tantis malis populus redimat. Quis credat, ſi Patriarcha ſæcula iſta malorum animo ſuo uſurpaſſet, quod hæc filiis, & Iudæ prædixiſſet abſque nulla animi ſui conſternatione vel ſuſpiratione, qualis *verſ.* 18. vel verborum emphaſi? tanta & nunquam auferenda mala, niſi cum aliquo denique circa mundi finem acceſſuro Rege? VI. מחקק *legiſlator* in bonam partem ſumitur, non pro tyranno, peregrinarum legum auctore; & quia additur, *è medio pedum ejus*, intelligitur legiſlator Iudaicus, proprius: dictum alioqui eſſet, qui ſupra eos legiſlator eſſet, vel eos premeret, atque inſectaretur.

Nona exceptio eſt R. Hizquiæ. *Reſp.* I. *Silo* i.e. Ahia Silonites, quo argumento? antea dixi, locum Silo aliter ſcribi, ac שילה; tum Silo, id eſt, Silonites, proba: atque is Ahia: quot hic probanda, quæ gratis ſumuntur? II. Quis tantus ille Ahia? Quis præ multis aliis, majoribuſque Prophetis, ut ejus adventus hic prædicatur? & in hoc conſeſſu, tantoque cum apparatu? III. Potius Jeroboamum appellaviſſet Patriarcha, quam obſcurum Silo, ſi illum voluiſſet. IV. Neque Ahiæ Silonitæ adhæſerunt decem tribus, ſed Jeroboamo: dicitur tamen in textu ולו Silo ולו adhæſuros populos. V. *Populi* non intelliguntur ſolæ decem tribus, latius hoc, quam ut vel ſolum Iſraelem, vel una cum Judæis comprehendat. VI. Denique non tum temporis ſceptrum ablatum à Jehudâ, quum potius ab eo tempore populus de hoc nomine cenſeri, & ſceptrum Jehuda gerere incæperit.

Decima exceptio proxime ad mentem verborum venit, ſtatuitque Patriarcham prædixiſſe, imperium aut juriſdictionem, quamvis exiguam, à Iehuda nequaquam ablatum iri, ante adventum Meſſiæ. *Reſp.* I. Iuriſdictionem, quamvis exiguam, at veram, id eſt, talem, quæ imperium, & ſceptrum contineat; quæ populum Iudaicum, & ſuis, quantum poteſt, legibus regat. *Politicam* juriſdictionem intelligere oportet; nam de imperio, ſceptro, & legiſlatore agitur. II. At ubi talis juriſdictio, imperium apud populum Iudaicum adhuc ſupereſt, vel fuit à tempore ultimæ deſolationis? In captivitate Hiſpaniæ, Galliæque, capita Iſraëlis ſemper fuerunt ex ſtirpe & domo Davidis, nimirum Abravenelis, inquit. At non quæro capita familiarum, ſed principatum & *imperium populi.* Quod ſi ex ſtatu Iudæorum in Hiſpaniâ, Galliaque *judicium*

cium ſumamus de illorum reſiduâ juriſdictione, & imperiò, confecta res eſt. Iudæine imperare dici poſſunt in Hiſpania, & Gallia? auſintne hoc profiteri? tam contra ſupremam iſtis locis poteſtatem, quam contra veritatem? ſanè nulla, vel minima ſpecies imperii Iudaici alibi terrarum, à nobis longius remotarum ſit neceſſe eſt, quoniam hic, ubi potiſſimæ, & regiæ (ut narrant) illorum familiæ degunt, non alium ſplendorem, vel poteſtatem habent. Nihil hic regiminis iis, niſi privatum, publicum nullum, non in gentem ſuam, non nomine Iudaico; nec ſceptri ullam formam habere permittuntur, aut Rempublicam ſuo nomine, ſuis legibus moderandam. Familia Abravenelis credatur eſſe ex ſtirpe regiâ Davidis, an idcirco hodie regiam poteſtatẽ obtinet? ſint ſuperſtites nonnulli ex proſapiâ Alexandri, aut Cæſaris, ecquid tum? hoc non probat penes ipſos antiquum adhuc ſceptrum eſſe, & imperiũ. Sed quis certò dicat, familiis Judæorum & genealogiis nunc omnibus confuſis, conſtare tamen ſtirpem Davidicam, & illam eſſe Abravanelum? quis non facilius credat, Judæos libenter hujuſmodi credere, ideoque & narrare? & de familiâ Abravenelum quis adeo mirètur Menaſſem magnificè ſentire, qui in ſuam quoque familiam iſtud nomen derivatum ſignificat, in fine libelli *de termino vitæ*, ad Beverovicium; ubi ait, uxorem ſuam Rachelem eſſe *ex familiâ Abravanelis, quam à Davide oriundam eſſe autumant Hebræi.* Benè autumant, nam confirmare hoc ipſis non difficile, ſed impoſſibile eſt, turbatis confuſiſque olim ipſorum faſtis & genealogiis. atque in libro ſpes Iſraëlis, pag. 92. *Ex illâ autem Abarbanelis familia, quod obiter hic monere volui, procedunt filii mei à parte meæ uxoris.* III. Quomodo cum iſtis, quæ hic Abravanel de ſuorum majeſtate habet, convenit quod de populi Judaici calamitatibus & oppreſſionibus exponit ipſe Ieſa. LIII.? ubi longe contrarium ejus, quod ſceptri vel imperii videri poſſit, ἀντιφράζει. IV. Ad Benjaminis Tudelenſis Itinerarium provocat cum R. Isbac Arama noſter Menaſſe, ſed qui Auctor fabularum & nugarum convictus à viris doctis, præcipuè à Cl. l' Empereur, fidem jam pridem apud omnes viros doctos & cordatos decoxit. I. Quis iſte locus *Bagdad*, ubi principem ſuum auguſto throno palam oſtendunt Judæi? in Babylone dices; nam in Babylone iſte Bagdadenſis Iudæorum princeps, apud R. Benjaminum, hortos & pomæria habere dicitur. Sed Prophetæ Babylonis ultimam cladem prædixerunt, & perpetuas deſolationes, ita ut nunquam deinceps habitaretur. *Ieſai.* XIII. 10. & XIV. 23. & XXI. 9. *Ierem.* L. 13, 26, 37, 62.

Digitized by Google

Docet nos Samuel Bochartus, *Geographiæ ſ. libr.* I. *cap.* VIII. Bagdad cum Babylone perperam confundi, idque ex ſitu oſtendit, apud quem videſis erroris iſtius occaſionem, & indicia. Ubicunque terrarum ſita ſit, per continua noſtrorum, aliorumque hominum cum univerſo orbe commercia & peregrinationes, non certius conſtaret ille Iudæorum ibi tantuſque principatus, quam ex relatione unius alicujus Iudæi? quis vel Orientem peragratus, vel Geographus, aut Hiſtoricus fidei nominiſque alicujus, præter hunc Iudæum, talia vidit, audivit, vel retulit unquam? quotidie, vel ſæpius ſaltem, quam ut dubitari de re ejuſmodi ultra deberet, hinc inde relationes haberi poſſunt, unde oporteret certiores nos reddi in tanti momenti negotio. Quin multi noſtrorum mercatorum per omnes iſtas regiones, ſæpiuſque itant, & nihil tale de Iudæorum ſtatu & imperio, quod Bagdade, vel in Babylone exerceant, referunt. Totum ergò illud phantaſticum & fabuloſum, ad perfidiam firmandam, ſuoſque vanâ aurâ deludendos confictum meritò habetur. Inter Epiſtolas Jeſuitarum Indicas, anni ſeſqui milleſimi & quinquageſimi, extat epiſt. Ormutina Gaſpari Selandi, qui quidem refert plures ſe Iudęos, juxta cum quarumcunque gentium hominibus, Bagdade reperiſſe, ſed ex priore in Babylone captivitate reliquos, & miſeros ſolâ pertinaci exſpectatione Meſſię ſui, neutiquam in aliqua dignitate, vel ſplendore ibi vivere. 2. Neque ego credo, ſi tantâ ibi Iudaicus populus potiretur majeſtate & imperio, haud plures ibi Iudæos victuros eſſe, quam, ut refert iſte Benjamin, כמו אלף *fermè mille.* Apud nos multo numeroſiores ſunt, ubi nihil juriſdictionis poteſtatiſque publicæ habent. Vel ſanè hoc ſi verum eſſet, quod ajunt, principem Iudaici populi, ex familiâ Davidis, & ſceptrum Jehudę, Bagdade hodieque ſupereſſe, quomodo Iudæi noſtri aliique adeo nullo erga iſtum ſuum principem capiuntur deſiderio? videlicet eodem quo erga ſuum, quem fingunt, Meſſiam, nempe Bagdadenſi iſti parem omnino atque ſimilem, id eſt, utrumque fabuloſum. 3. Neque poteſt ibi locorum ſceptrum Iudaici populi eſſe, quod alligatum ſemper fuit terræ promiſſionis. Adeo ut quamvis alibi frequentes potenteſque Judæi ſint, quia rempubl. tamen non habent propriam, neque habere ſuam in alienis regionibus poſſunt, ſceptrum vel imperium Judaicum, & legiſlatorem in medio pedum ſuorum ultro habere dicendi non ſunt. 4. Quid agit Bagdade ille σκηπτοῦχος, quam juriſdictionem exercet? quâ mundo probet, penes ſe imperium antiquum Reipubl. Judaicę reliquum eſſe?

Ben-

Benjamin ait, ipſum דין *jus* ſuis certo tempore dicere: hoc totum; nam pompam ejus & faſtum mirari, puerorum eſt. Verum id quando permittitur alicubi Judæis, jus ſuis exponere, non ideo ſceptrum dicit. Et in noſtris regionibus tantâ fruuntur etiam licentiâ, ut inter ſuos leges ſuas explicent, obſervent, atque ſuis ſecundum eas (quouſque non incurrunt in noſtra jura & remp.) jus dicant, non tamen hinc populi iſtius ſceptrum quis colligat. Chriſtiani ſub Turca, æque ac Judæi tolerantur, paribuſque, ſi non aliquando majoribus ſæpe privilegiis gaudent, & quantum Judæis, tantum noſtris quoque licet jura ſua legeſque Chriſtianas interpretari, & ſequi: non tamen ideo putabimus Chriſtianos iſtis in regionibus, quanquam numero Iudæos, adde & ipſos forte alicubi Muhammedanos vincant, ſceptro potiri. Quis ergo niſi Iudæus iſta de Bagdadenſi principe concludat? Vel videamus, quam dignitatem Menaſſe in iſto deprædicat, ut Iudaici populi σκηπτοῦχον efficiat. Principem dicit, *quem crederent ex ſtirpe Davidis eſſe*; ergo ſolà eorum credulitate, non certis documentis nititur totus hic principatus. Illi curru vecto, inter eundum acclamatur: *facite locum filio Davidis*: hactenus filium Davidis quidem audio, & ex iſtâ proſapiâ inter ſuos principem, at nondum populi Iudaici ſceptrum. Aliud longe eſt, Davidis genere ortum eſſe, quales proculdubio nonnulli quidem ſemper ſunt, quamvis non diſtincti notique ab aliis, adde & principem ſimul eſſe; aliud, talem eſſe principem, qui populi & Reip. Iudaicæ nomine imperium in gentem ſuam obtineat atque exerceat: hoc quæritur, non illud. Adeo nihil ad rem facit, ſive Aben Ezra affirmet, ſuo tempore Bagdade familiam fuiſſe ex ſtirpe David; ſive (ut in Sebet Iehuda dicitur) magni honores in Perſide tribuantur Principibus feminis Davidis: nec neceſſe eſt in Perſidem abire, doceat nos hic aliquis, ſe Davide ortum, ſtirpis causâ etiam à nobis honores promerebitur, non tamen ideo ſceptrum, non ſceptrum gentis, vel populi ſui. Denique concludit Menaſſe: *atque adeo fieri poteſt, ut idem hodieque obſervetur in regionibus quibuſdam nobis incognitis*. Atque adeo fieri poteſt, ut hoc falſum ſit; certe eatenus falſum eſt, quatenus ſceptrum hinc colligere conatur. Nemo non ſuas nugas & commenta in regiones incognitas ablegare poteſt, hoc ſi ſufficiat: ſed non aliter decet, quam factis incertis incertas quoque aſſignare ſedes, & loca. Videmus, ait Menaſſe, multis in locis quandam juriſdictionem habere tribu Iehudâ ortos, & capita reliquorum eſſe: reſpondetur, non quæri *quandam* ju-

riſdictionem, ſed *imperialem*: dictum etenim initio hujus decimæ expoſitionis fuit, ex horum Expoſitorum mente, ſceptrum ſignificare *imperium aut juriſdictionem.* Quædam juriſdictio non ſatis eſt ad imperium ſtabiliendum. Inter privatos, in familiis habetur quoque aliqua juriſdictio: at publica, & politica, & imperii, & quæ gentis univerſę ſit juriſdictio hic quæritur. In Schebet Iehuda narratur, quomodo aliquando conati Iudæi ducem ſibi conſtituere atque imperatorem, illum mittere coacti fuerint. Unde Auctor ſubdit: *ſed nullos in poſterum ſibi ſumant imperii faſces, niſi Deus ipſe Hebræorum gentem ex alto miſeratus, ipſis ducem aliquem præfecerit*, Hiſtor. Judaicæ *pag.* 308. v. Hactenus ad commentum Judaicum, de Bagdadenſi principe, ex Benjaminis itinerario. Subjungit Menaſſe, juxta iſtam expoſitionem, עד כי non tempus præfinire; ſed denotare dignitatem. At, quomodo tum vertas? non aliter, quam *donec*, & *uſque dum*; verum hæc tempus definiunt: non quidem quid poſt hoc definitum tempus futurum ſit per ſe exprimunt, niſi hoc ex re, & textus circumſtantiâ colligatur: hic verò dicitur auferendum cum adventu Meſſię ſceptrum, & quod ei adhæſuri ſint populi, ולו יקהת עמים. In altero locorum à Menaſſe adductorum, non eſt עד כי, duntaxat עד *cor cœli*, id eſt, uſque ad medium cœlum. Et *Geneſ.* XLI. 49. עד כי חדל לספור ſenſus eſt, *eo uſque ut*, vel ut Tremellius, *adeo ut deſierit numerare.* Sed עד כי dignitatem denotare, imperitè dicitur. Quomodocunque, ſceptrum Iehudæ per totnunc ſæcula ablatum, deletumque, quemlibet neceſſariò admonet adventus Meſſiæ olim præteriti.

Dices, in captivitate Babylonicâ nihilo plus habuerunt Iudæi, ac hodie, & tamen ibi ſceptrum agnoſcendum eſt; vel ſi non, illo jam tempore venire Meſſias debuiſſet. *Reſp. Interruptum* quidem captivitate Babylonicâ ſceptrum fuit, non, uti hodie, penitus ablatum: ergo jam, non tum, venire Meſſiam oportuit. 1. Semper iſto, atque longo tempore pòſt manſit diſtincta, & certa Iehudę tribus, & quamprimum aliquâ commixtione profanari cœpiſſet, mox in integrum reſtituta fuit. *Dan.* I. 3. edixerat Rex, ſibi deligi pueros è ſemine regio Iudæorum. *Nehem.* VII. 5. fit reducum ex Babylone Iudæorum recenſio ſecundum genus & familiam, quorum indiculus inſeritur, & *verſ.* 64. de nonnullis additum: *Iſti quæſiverunt quiſque ſcripturam ſuam, qui genus ſuum prædicarent, at non reperiebatur: quapropter ut polluti abſtenti ſunt à Sacerdotio. Edixit enim Regis Legatus eis, ut non comederent de re ſan-*

ctâ

ctâ ſanctarum; donec exſiſteret Sacerdos cum Urim & Tummim. Adeo ferè omnes genealogiam ſuam ſartam ſervarant, atque docebant, & qui ſocordes hac in re documenta ſua amiſerant, à reliquis ſecluſi & impuri habiti ſunt. Hodie verò Iudæorum nemo, nedum omnes, vel præcipui ſtirpem & tribum ſuam certò norunt, quique ſe regio ſtemmate ortos autumant, uti ex Menaſſe jam audivimus, ſolà hominum opinione, famâ, ac credulitate nituntur; non ſuum כפר היחש, vel כתבם adferre ulli queunt. II. In Babylone habuerunt ſemper Iudæi quidem ſuos αἰχμαλωτάρχας רשי גלות, at non titulares, quales & hodie aliquos forte jactant, ſed veros, & poteſtate in omnem Judaicum populum præditos, quique ipſi ſuarum tribuum certa erant capita ראשי האבות. Ezr. I. 5. & VIII. 16. cap. IX. I. השרים *principes* dicuntur. III. Habuerunt ſemper apud ſe Prophetas, Iezechielem, Danielem, Ezram, Nehemiam, Malachiam, qui populum conſolarentur, & erudirent, atque pro populo ſuas jugiter preces Deo funderent. Hodie autem à multis ſæculis Prophetam nullum, nullum Sacerdotem. IV. Deus iis fecerat promiſſionem certi celeriſque, poſt ſeptuaginta annorum intervallum, reditus: quare non ablatum funditus ſceptrum, ſed pro tempore intermiſſum erat. Hodie promiſſionem liberationis ad priſtinum ſtatum nullam habent, nedum brevi futurę; ſed ex adverſo omnia prædictionem extremę deſolationis, *Dan.* IX. facto, & multorum ſęculorum continuâ clade confirmarunt. Adeò immane diſcrimen eſt inter ſtatum Iudaici populi in captivitate Babylonicâ, & hodiernum, ubi jam omnia iis ablata ac peſſumiverunt, ſacra, & politica, honores, poteſtates, Prophetia, promiſſio, omnia denique, nihilque ipſis reliquum, quod ſpem priſtini ſtatus faciat; ſolum ſervantur in futuram ſuo tempore, forte inſtantem etiam, ad Meſſiam, quem hactenus ſuâ incredulitate & contumaciâ contemſerunt, in ſpiritu & veritate converſionem atque aſſociationem, ad animarum ſuarum ſalutem cæleſtem atque æternam, Quod ſaxit Deus יהי רצונו במהרה.

Sequitur undecima, & ultima Iudæorum in locum noſtrum *Geneſ.* XLIX. 10. exceptio, explicantium שבט per *tribum*; ut ſenſus ſit: Tribum Iehudę non extinctum iri uſque ad Meſſiæ adventum. *Reſp.* I. Sit ita, & illum ſenſum etiam ex Chriſtianis nonnulli ſequuntur; verùm jam à ſedecim ſæculis, everſâ funditus Iudæorum *Rep. confuſæ tribus*, genealogię, & familiarum ſcedæ diſſipatæ, confractę, amiſſæque fuerunt. Venit ergo jam olim Meſſias. II. Uſque ad adventum Meſſię non

tribus ſolum dignoſci, quæ Iudæ, quę Benjaminis, quæ aliæ eſſent, ſed quoque *familias* oportuit, ſaltem tribus Iudaicæ; quoniam ut non ex qualibet tribu, ita nec ex qualibet tribus Iehudæ familia, ſed ex familia Davidis venire Meſſias debuit, atque ſe certò oſtendere iſtius ſtirpis eſſe. Hodie verò nec tribum, nec familiam ſuam certis documentis probabit Iudæorum ullus. III. *Legiſlator*, præcipuè ſceptro, vel etiam tribui junctus, poteſtatis atque imperii nota eſt. Is cum deſtructione Reip. olim apud Judæos deſiit, qui ad Meſſiæ adventum, ex veritate prophetiæ, permanere debuit: quare etiam ab illo tempore Meſſias venerit eſt neceſſe. Jam ad Menaſſis concluſionem, quam allatis expoſitionibus adjungit. Difficultas ſublata ſibi videtur, modo aliquam ex iſtis undecim expoſitionibus arripias, & ſequaris: ſed, uti ipſe agnovit, difficultatem non minimam hic eſſe, ita nunc docuimus, nihil minus quam ſublatam, per tot laborioſas, & in omnes formas excogitatas exceptiones, quin potius implexam magis, & inexplicabilem factam. Non ideo Patriarcha haud prædixit ſuis perpetuum Regem, quia eo nunc deſtituuntur Judæi; futilis argumentatio. Nam contra Judæos, ex ſtatu eorum hodierno, nunc evicimus, conciliari eum cum prophetia non poſſe, niſi Meſſiam veniſſe agnoſcant. Promittit Patriarcha, eos ſemper regimen ſuum habituros ad adventum Meſſię uſque, quo nunc à multo tempore deſtituuntur. Manet ergo Chriſtianorum argumentum; Quem venire neceſſe fuit ante ablatum Iudæis ſceptrum, illum veniſſe ſceptrum olim ablatum docet: atqui Meſſiam venire neceſſe fuit ante ablatum ſceptrum. Ergo.

Alterum pro adventu Meſſiæ argumentum petimus, ex ſtatu Judæorum *Eccleſiaſtico*, uti primum ſumtum fuit ex ſtatu politico: nempe, quemadmodum durante Judæorum politiâ venire Meſſiam oportuit, ut deſtructa ea ablatumque ſceptrum argumentum præbuerint, juxta Jacobi prophetiam, eum veniſſe, ita idem concluditur ex abolito Judæorum templo, & toto ſacerdotio ac re Eccleſiaſticâ, nam ſtante templo ſecundo, & in iſtud venire debuit. Hagg. II. 7. 8. 9. 10. *Sic enim ait Jehova exercituum, adhuc puſillum illud eſt, & commoturus ſum cælos, & terram, & mare, & ſiccum: & commoturus ſum omnes gentes, ut veniant ad deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, ait Jehova exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dictum Jehova exercituum. Major futura eſt gloria domus hujus poſterioris, quam illius prioris, ait Jehova exercituum, nam in loco hoc dabo pacem, dictum Jehova exer-*

va exercituum. Occaſio ſermonis fuit, ædificatio templi à reditu Babylonico, quam tum *negligebant* Iudæi, *populus hic dicit, nondum tempus veniſſe ut domus Dei ædificetur*. cap. I. 2. tum videbant ex fundamentis utcunque jactis priori Salomonico longe *inferiorem*. Cap. II. 3. *quis inter vos reliquus, qui viderit domum iſtam in gloriâ ipſius priore? & qualem videtis eam nunc, nonne ad illam tanquam nihil eſt in oculis veſtris?* Vnde quum conſpicerent ſenes inter ipſos, quibus prioris ſplendor adhuc animo obverſabatur, graviter illachrymaſſe dicuntur, Ezr. III. 12. *Multi autem ex ſacerdotibus & Levitis, primoribus paternarum familiarum ſenes, qui viderant domum priorem in fundatione ſuâ, quum viderent domum hanc, flebant voce magnâ*. Quare ad hos erigendos conſolandoſque, & excitandos hominum ad perficiendum ædificium animos Deus promiſſionem addit: *ego commoturus ſum cœlos & terram*, &c. Quodcunque hic Deus promittit, huic *templo* erat eventurum, & *loco*, הבית הזה, *gloria domus hujus*: & dabo pacem *hoc ipſo loco* במקום הזה. atque ideo etiam dictum, futurum hoc *brevi*, עוד אחת מעט, loco & templo adhuc integris. At Meſſiæ adventum promitti hic demonſtrandum nobis venit: quo facto ſequitur, quod *non* ita *longe*, ſed, uti *ibi* locorum, ita & in iſtud *templum*, ſtante eo, venire Meſſias debuit. Illud autem duo evincunt argumenta, primo quæ ex ipſo petuntur textu, *artificialia*; deinde *teſtimonia* hanc in rem Judæorum. Vti illis duobus modis hoc probare in omnibus ejus generis argumentis allaboramus.

Ac primo quidem *exordium* ſermonis ſatis indicat de re agi, qualis iſtis temporibus prædicari poterat maxima. Quæ nulla fuit præ promiſſione, & ſpe Meſſiæ. Quorſum aliàs hic apparatus, quod Deus dicit ſe ejus gratiâ *commoturum cælum*, terram, omnia? Non leve aliquid fuerit neceſſe eſt, ob quod cæli &c. commovendi; & de quo Deus tam auguſte & magnifice loquitur. Selomo Jarchi exponit, de prodigiis, tempore Maccabæorum editis. Kimchi addit, & quæ tempore Herodis evenerunt. Sed hoc nondum ſatis, exhiberi & id debet, propter quod illa dicantur contigiſſe. Atqui hoc inquirimus, neque aliud dici poteſt, quam adventus Meſſiæ ad illa tempora, locaque. II. *Et commoturus ſum omnes gentes*. Non dicit ſolum Deus, ſe commotutum cælum atque elementa, ſed homines, ſed gentes quoque, nempe ut veniant ad deſiderium ſuum, id eſt ad Meſſiam. Jam vocatio gentium cum adventu Meſſiæ conjungi ſolet, & prædici ſimul à Prophetis. Ieſa. II. 2. 3. & LII. 15. & LXV. I. &c. Quod idem cum eo eſt, quod in ſuperiori Patriarchæ

triarchæ Iacobi prophetiâ audivimus, *& ei adhærebunt populi.* Ideo nec alius, præter Meſſiam, intelligi poteſt per חמדת כל הגוים, *deſiderium omnium gentium.* Nempe, quem *omnes gentes* eſſent concupituræ & ſectaturæ. Alii alicujus gentis aut nationis reges ſunt: ſolus Meſſias omnium gentium dicitur. Pſalm. II. 9. *Dabo tibi hæreditatem tuam, gentes, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* IV. Quæ præter hoc *gloria*, quâ dicit ſe *repleturum* domum iſtam Deus? V. & gloria quidem *major*, quam templi prioris Salomonici. VI. Propius hoc oſtendit Deus, *negative* primum, tum *affirmative*. α. non ſitam eſſe in *auro*, *argento*, rebuſque corporalibus, & externis: nam hic verborum iſtorum ſenſus, *meum eſt argentum & meum aurum*, q. d. his ſi vellem exornatum templum iſtud, præſto mihi omnia illa ſunt. Vti Pſalm. L. 9. 10. 12. *non accipiam è domo tua juvencum, è caulis tuis hircos: quum mea ſit omnis beſtia ſilveſtris &c. Si eſurirem, non dicerem tibi: nam mea eſt terra, & plenitudo ejus.* β. Futuram gloriam exponit in *pace* ſitam fore: *in loco hoc dabo pacem.* Non *corporalem*, nam hac non adeo gaviſi ſunt Iudæi ſub templo ſecundo, quod fatentur Iudæorum illi, qui propterea locum nolunt exponere de iſto templo, inter quos etiam Menaſſes noſter: ſed ſpiritualem animarum, divinam, cæleſtemque. Quod iterùm cum præcedenti vaticinio Iacobi convenit ubi Meſſias dictus שילה, id eſt, pacificus, nam hoc ejus nomen, quo eum nuncupat quoque Ieſaias שר שלום *princeps pacis* cap. IX. 6. ut qui eſt alter Melchiſedek, rex Salem, id eſt, pacis. Videlicet æternæ illius ac ſalutaris, quemadmodum Targum Ieroſolymitanum explicat Geneſ. XLIX. 18. ad verba iſta, *ſalutem tuam exſpectavi Domine*, אמר אבונן יעקב, *dixit Jacobus pater noſter in prophetiâ, liberationem tuam exſpectavi Domine. Non liberationem Gideonis filii Joaſi, quæ præterit; neque liberationem Simſonis filii Manoæ, quæ erat liberatio* πρόσκαιρος, *ſed liberationem Meſſiæ filii Davidis quæ futura eſt ad liberandum filios Iſraëlis, & ad educendum eos e captivitate. ſalutem tuam exſpectat anima mea.* Unde Meſſias dicitur Zach. IX. 9. ונושע הוא *& ſalvator ille*, id eſt, Ieſus.

Quod ad *Judæos*, eorumque hac in parte conſenſum, locum Haggæi, ad templum *ſecundum* iſtud applicant, R. David Kimchi, Rabbi Hazaria A-adoni, & magna pars Veterum, teſtante Menaſſe noſtro, lib. *de termino vitæ, pag.* 152.

Atque de *Meſſiâ* locum accepit celebris doctor Akiba, quando eum ſuo pſeudo-Meſſiæ Barcozbæ applicuit. Vide quæ ad hæc adferuntur à Martino Raymundo, *Pugione fidei, part.* II. *cap.* IX. Galatino,

Arcan.

Digitized by Google

Arcan. Cathol. verit. lib. IV. *cap* XI. & *lib.* V. *c.* X. Ant. Hulſio, *Theol. Iud. pag.* 514. & ſeq. Venturum Meſſiam fuiſſe ſub templo ſecundo, confirmat etiam propheta Jeremias, cap. XXX. 8. 9. *Erit enim die illo, dictum Iehova exercituum &c. ſervient Jehova Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo, quem excitabo ipſis.* ℣ſ. 18. 19. 20. 21. 22. *Sic ait Jehova, ecce ego reducam captivam turbam tentoriorum Jacobi, & tabernaculorum ejus miſerebor: ædificabiturque civitas in aggere ſuo, & palatium pro ratione ſua conſiſtet. Et prodibit ex eis vox gratiarum actionis, & vox ridentium; quum multiplicabo eos, & non minuentur, amplificaboque eos, & non exigui fient: eruntque filii ejus ut olim, et cœtus ejus coram me ſtabilietur; animadvertam verò in omnes opprimentes eum. Et erit Magnificus ejus ex ipſo, et dominator ejus è medio ipſius prodibit; quem jubebo accedere ut appropinquet ad me: nam quis ille eſt, qui ſpondeat cùm animo ſuo ſe appropinquaturum ad me? dictum Iehova. Denique eritis mihi populus, et ego ero vobis Deus.* Sermonem eſſe de adventu Meſſię eumque promitti, teſtis eſt Chaldæa paraphraſis in hunc locum. Verſu enim nono habet ויפלחון, & *adorabunt Dominum Deum ſuum, et audient Meſſiam filium Davidis, quem ſuſcitabo eis.* Similiter de Meſſiá interpretatur verſ. 21. Atque in Talmude *Sanhedrin*, R. Jehuda eundem locum Meſſiæ applicat. Et Targum Cantic. VII. & VIII. Meſſiam venturum ſtante templo ſecundo, docet. Quare concludimus, quum ſub templo ſecundo, eo ſtante, atque ad ejus gloriam venire Meſſias debuerit, eum jam olim veniſſe, quandoquidem à tanto tempore templum & ejus omnia deſtructa & diruta fuerunt.

Excipiunt Judæi duo. Alii fatentur quidem ſermonem apud Haggęum eſſe de ſecundo templo, ſed non de Meſſiâ, qui gloriam ejus hic tantopere prædicatam ponunt I. in *ornatu*, quem ei conciliavit Herodes. II. æſtimatione, quâ viguit apud extraneos, & *donis* innumeris, quæ ei hinc collata. III. *duratione*, qua hoc templum priori diutius ſtetit, nempe per decem annos. Ita locum exponunt, R. Selomo Jarchi, Kimchi, & Menaſſe lib. *de termino vitæ*.

Alii Judæorum non de templo ſecundo, ſed tertio quodam dictum autumant. Ita Abravanel in iſtum locum, & Menaſſe, ſententiæ valde dubius, hanc expoſitionem ſequutus fuit anno XXXVI. in lib. III. *de Reſurrect.* cap. V. pag. 283., *Major erit gloria domus hujus noviſſimæ, quam primæ. Et in loco iſto dabo pacem. Quod proculdubio ex mea opinione intelligendum eſt, de tertio templo: quia tempore ſecundi templi terra quieta, ac tranquilla non fuit, ſed hoſtium furore, ac rabie acriter concuſſa ac conquaſ-*

Digitized by

ſata eſt: quemadmodum ex Flavio Ioſepho liquet. libro de Termino vitæ quem ſcripſit anno XXXIX. aliam amplexus fuit ſententiam, pag. 155, *quæ omnia eum in finem à me dicta ſunt, ut appareat, prophetiam Hagai intelligendam eſſe de ſecundo templo.* At in Conciliatore Hiſpanico, quem dedit anno XLI. prætulit expoſitionem Abravanelis, ut magis litteræ conformem. Utrumque examinemus.

Ad illos primum, qui de templo quidem ſecundo exponunt, attamen gloriam ejus non conſtituunt in adventu Meſſię, ſed rebus quibuſdam externis, quam ſententiam ita proponit Menaſſe, lib. de vitę termino, pag. 152. *Alii intelligunt de ſecundo templo, quos inter ſunt R. David Kimhi, Rab. Hazaryah Adoni, & magna pars veterum. Hoc autem majori gloria videtur præcellere primo templo, ac primo quidem reſpectu durationis: nam primum duravit tantum* CCCCX *annos: ſecundum vero* CCCCXX. *Deinde ad majorem ejus exiſtimationem, in qua fuit apud exteros principes. Præterea ob ſingularia munera, quibus ab illis dotatum fuit. Nam Darius, Artaxerxes multa munera ad exſtructionem templi, et divina ſacrificia liberaliter contulerunt.* Deinde alia ſimilia Principum Ethnicorum attexit exempla: ad quę ultimo concludit, *prophetiam Hagai intelligendam eſſe de ſecundo templo.* quæ eadem Hiſpanice repetiit, in tertiâ Conciliatoris parte, ad iſtum locum, & attulit quidem, ſed non æque probavit. Atque David Kimchi ſuorum aliquos non ſolum præ-

Reſp. I. Non in rebus aliquibus externis, auro, argento, id eſt, ſeu ſtructurâ domus, ſeu ornatu & donis ſitam, quæ hic prædicatur, gloriam, oſtenditur verbis illis, quibus ea removet Deus, *meum argentum* &c. eodem modo, quo *Pſalm.* L. 12. dictum, *mea eſt terra et plenitudo ejus.* II. Deſignat Deus templum iſtud quod ædificabant, quod intuebantur, quod lugebant, templum Zorobabelis, non Herodis. III. In hoc ſiquidem gloriam illam poſuiſſet Deus, jam tum ei contuliſſet eam, nam ſibi dicebat eſſe aurum & argentum, qua ratione ſi ſolandos ſuos putaſſet, feciſſet extemplo, neque in multos adeo rejeciſſet annos. IV. Non ſolet Deus res adeo leves, quales ſunt, ſtructura, ornatus, duratio, dignari multâ prophetiâ, certe non adeo auguſtâ. V. Quorſum in illorum gratiam diceret Deus ſe commoturum cœlum atque elementa? illane reſpondent iſtis prodigiis? namque נפלאות אשר *mirabilia ſe facturum* Deus teſtatur. Videlicet an hoc ex Dei ſatis dignitate, & rerum pretio videtur, propter ſtructuram aliquam, vel templi dotationem, aut

ſtantiam & gloriam domus conſti-
tuere ait, in annorum duratione,
בשנים; ſed quoque in *ſtructura*
domus, בנין. Quare adducit Joſe-
phum Gorionidem, qui de Hero-
dis templo teſtatur, ſimile ei in pul-
chritudine viſum nullum fuiſſe. Ut
in tribus præſtantem illam gloriam
domus ſecundæ collocent Judæi, in
ſtructurâ, donis, & duratione.

aut decennii durationem, conci-
tare ſupera inferaque, vel ut ſe fa-
cturum illa prædicat Deus? VI.
Nego, vel ſtructurâ, vel ornatu
par fuiſſe templum Zorobabelis
aut Herodis Salomonico, nedum
ſuperius. Hoc auro undequaque
pelluxit & pretioſis lapidibus; ha-
buitque vaſa aurea, I. *Reg.* VI. &
VII. I. *Paral.* XXII. 14. *et* XXXIX.
II. *Paral.* III. quorum neutrum fuit in Herodis templo. De templo
Salomonico Joſephus: *parietes etiam cedrinis tabulis auro illinitis erant
incruſtati, ita ut omnia reniterent auro, & intrantium oculos fulgor undique
occurrens perſtringeret. Tota vero ſtructura ex lapidibus politiſſimis conſta-
bat, ita ad unguem inter ſe quadrantibus, & commiſſuris oculos fallenti-
bus, ut intuentibus nullum uſquam mallei aut cujuſlibet fabrilis inſtrumenti
veſtigium appareret, ſed connata potius omnia, quam arte congeſta videren-
tur.* Ubi ſimile in templo Herodiano, nedum quod exceſſerit? Herodes
renovare templum ſategit, & ad formam priſcam Salomonicam erige-
re, non ſupra. Atqui in textu dicitur, non parem, ſed majorem futu-
ram domus ſecundæ gloriam. Herodes autem in oratione, pro reædifi-
cando templo habitâ, ſic dixit, quoniam templo deeſſent ad altitudi-
nem templi Salomonici ſexaginta cubiti, ſibi animum eſſe illos adjun-
gere. Atque huic fini intelligendum quod vetera fundamenta ſuſtulit;
non quod omni ex parte fecerit novum templum, ſed quod (uti in re-
novandis & evehendis ædibus ſolet contingere) illa quidem ſuſtulerit
quę ad altius formandum ædificium commutanda erant, reliquis in uſum
ſuum ſervatis. Hæc ejus verba Joſephus refert: *Templo huic quod poſtli-
minio reverſi à captivitate Babylonica patres noſtri inſtaurarunt, deſunt ad
priſcam altitudinem ſexaginta cubiti. Tanto enim celſius erat vetus illud So-
lomonis ædificium. Nec hoc culpa majorum noſtrorum accidit, per quos non
ſtetit quin par illi priſtino ſtructura ſurgeret: ſed hanc menſuram præſcripſe-
runt Cyrus et Darius Hyſtaſpis filius: ſub quorum imperio, quia illi tum
vixerunt, ſicut poſtea Macedonum, non potuerunt aſſequi primum illud
pietatis archetypum. Nunc quoniam Deo volente ego rerum potior, cui otium,
pecunia prompta, magni reditus ſuppetunt, et quod maximum eſt, Roma-
norum orbis dominorum amicitia, dabo operam, ut quod majores ſub alie-*

no nutu venientes non ſatis accuraverunt ſuppleam, & quicquid deeſt ad honorem Dei, memor acceptorum beneficiorum, gratè ac pie perſolvam. Supplenda ſibi exiſtimavit ad formam Salomonicam, & adornanda, non ait ſe de novo omnia extruere, aut facere ædificium Salomonico glorioſius. Adeo in hoc nequit conſtitui gloria domus ſecundæ præſtantior priori, de quâ noſter Vates. VII. Quod ſi illa æſtimanda ſint quæ de templo Herodis Judæi adferunt; tum & hæc quoque ponderanda quæ ædificium hoc Herodianum deprimunt, & ponunt infra Salomonicum. nempe quod hoc ab Herode, homine crudeli, inviſo, & à patre Idumæo nato; illud à Rege omnium ſapientiſſimo, & prophetâ conditum ſit. Salomonicum ex prophetiâ; Herodianum ſpiritu & animo privato. Illud florentibus Judæorum rebus; hoc attritis. Denique illud auguſtius, ſumtuoſius, & diuturnius fuit iſto. VIII. Durationem quod dicunt Judæi templi ſecundi, diutius Zorobabelis ſtructura, quam Herodis, id eſt, abſque illâ gloriâ templum ſtetit, quam cum eâ. Nec modò tempore ſupputato à reædificatione ad excidium, ſed à ſtructurâ ad ejus inclinationem, quam eodem capite Joſephus refert, quod aliquanto poſt ſidentibus templi fundamentis viginti cubiti ex altitudine ejus perierint, quod tempore Neronis redintegrare decreverunt. IX. Tum leve admodum ſolamen eſt ſola duratio, nedum ut ſit gloria. X. Atque duratio ſolius decennii. Non quamdiu aliquid duret, ſed quam benè, quam fœliciter, quæri ſolet. Forte (ut hoc Lutheri uſurpem, quod is in hac ipſa causâ) mulus Davidis patris, quo Salomon vectus in coronatione fuit ipſo Rege vetuſtior. XI. Donaria templi ſecundi, à Gentilibus profecta, nec magnam templo gloriam conciliant; nec majora fuerunt iis, quæ templo illata Salomonico. Et à quibus illa, quorum dona? Regum Ægypti, Aſię, Græcię, Romanorum, id eſt, à quibus vexati Iudæi, oppreſſi, ſpoliati, ut nomina hæc magis monumenta ſint miſeriæ & calamitatum, quam gloriæ. XII. Quid illa qualiacunque ad res alias & majores, quibus Iudæi teſtantur caruiſſe ſecundum templum, & quæ in priori fuerunt? nempe arca, Urim Tummim, ignis cœleſtis, præſens Dei majeſtas, & Spiritus prophetiæ: quorum ſymbolum extare aiunt in voce ואכבד, *Hagg.* I. 7. ubi finalis ה deeſt, quæ eſt quinarii numeri, atque deficit ibi propter quinque illas res in ſecundo templo deſideratas. Selomo Jarchi חסר הא וכו׳ *deeſt* ה *pro quinque rebus, quæ in templo primo fuerunt, & non in templo ſecundo, Urim & Tummim, et ignis, et præſentia divinæ majeſtatis, & Spiritus S. ut habetur in Codice Joma.* אורים ותומים

ואש

ואש ושכינה ורוח הקודש, Non ſatis benè conveniunt Iudæi in numerandis quinque iſtis rebus, alii alias ponunt. Kimchi in *Hagg.* 1. 7. ponit *arcam, & Urim et Tummim, et ignem cœleſtem*, qui cælitus deſcendens ſacrificia primùm comburebat, atque exinde in altari ſollicitè ſervabatur, *et præſentiam divinæ majeſtatis, et Spiritum Sanctum* רז״ל דרשו הכתוב ההא כן הכתוב כי חמשה דברים חסרו מבית שני ארון ואורים ותומים האש העליונה ושכינה ורוח הקודש. In Talmude Ieroſolymitano Cod. *Maccoth*, *cap.* 11. circa finem, *fol.* 32. R. Samuel nomine R. Acha: חמשה דברים, *quinque res defuerunt in templo poſteriore aliter, ac in priore, juxta id quod ſcriptum eſt* Hagg 1. 7. *adſcendite in montem atque adducite lignum*, &c. *uſque, et glorificabo eam* ואכבד *ſcriptum eſt deficiente* ה: *hæc quinque illa ſunt, quæ templo poſteriori defuerunt aliter ac in priore, nempe, ignis, arca, et Urim ac Tummim, & oleum unctionis* שמן המשחה, *& Spiritus Sanctus*. In *Joma* Talmudis Babylonici, *cap.* 1. *fol.* 21. hæc ſic recenſentur, *arca cum propitiatorio, & Cherubim, ignis, præſentia divinæ majeſtatis, Spiritus Sanctus, & Urim Tummim.* Non ego nunc diſputabo quam verè, vel congruè hęc dicantur, de quibus & alii diſputant, vide Riberam in Haggęum; & Buxtorfium, in voce שכינה. Certe dona hæc longe alia & majora ſunt, quam munuſcula Regum extraneorum in templum ſecundum forte illata, in quibus gloriam ejus Iudæi miſerè collocant, quę cum Salomonicâ queat contendere. Res illæ ſunt longe majoris æſtimationis, quam opes templi ſecundi, inquit ex Abravanele Menaſſe, in Haggęum. Auctor *Meor Enajim*, R. Azarias: השכינה וחמשת הדברי׳ היקרי׳ אשר היו בבית ראשון ולא בבית שני ינטלוהו לאין ערך, *præſentia divinæ majeſtatis, & quinque res illæ pretioſæ quæ fuerunt in æde priori, non in poſteriori, extulerunt illam in dignitatem inæſtimabilem.* Menaſſe, *lib.* de creatione, problem. XI. *pag.* 48. *Quarto die condita ſunt duo luminaria magna, Sol, Luna, & Stellæ: hæc deſignant duo templa, quæ fuerunt in quarto millenario. Nam etiamſi primum Salomonis templum ædificatum ſit circa finem tertii millenarii: nihilominus tamen diutiſſime ſtetit ac viguit in quarto millenario. In primo templo fuerunt luminaria, quæ ſua divinitate illuſtrabant mundum, nempe prophetia, Spiritus Sanctus, Urim & Thumim, ignis cœleſtis, arca fœderis, Cherubim, & plures id genus res ſacræ. Sed exigua luminaria fuerunt in ſecundo templo, ſaltem minus quam priora iſta clara atque illuſtria. Stellæ autem ſignificant Prophetas, qui tum floruerunt.* Sic neque in ſtructurâ templum ſecundum cum primo æquiparari poſſe, Abravanel in *Hagg.* II 7. dicit. Et quia de templo Herodis, deque ipſo, & ejus regno hoc in loco, ubi de Meſſiâ diſputamus, crebra incidit quæſtio, totum hoc nego-

negotium ſemel explanare ab ovo, quod dicunt, ideoque paulo altius repetere, & de integro exponere lubet. Nam haud pauca ſunt, quæ quidem uberiorem hic poſcunt dilucidationem.

Reverſus ex captivitate populus nunquam ſui juris ita fuit, atque olim ante captivitatem, ſed ſemper conflictavit aut rem habuit cum extraneis, primum *Perſis*, ad quos ſummum imperium à Babyloniorum & Aſſyriorum rege ultimo Baltazare (nam jam antè imperium ab Aſſyriis ad Babylonios devenerat, iidemque reges erant horum illorumque), eoque à Medis ſuperato ſeu à Dario Medorum rege, qui in hoc bello à Cyro Perſarum rege genero ſuo adjutus fuit, devolutum: tum *Græcorum* Imperatore Alexandro Macedone: inde Regibus Aſiæ, atque Ægypti, illis *Selucidis* à Seleuco Nicanore, Rege Syriæ primùm, tum Aſiæ, quod ei tradidit Rex Demetrius, dictis, atque iidem poſtea Reges Aſiæ & Syriæ, per CCXVII. annos, ultimo eorum Areta, qui ſe Tigrani Armeniæ Regi, hic Romanis dedit; iſtis *Lagidis*, à Ptolomæo Lagi filio, Ægypti Rege, quod Regnum quoque à Romanis poſtea, vel Pompejo, uti hic à Cæſare, ſuperatum: denique ſub *Romanis* Judæi fuere ſubjugati; primum à *Pompejo*, atterentibus illos inteſtinis factionibus, belliſque inter fratres Ariſtobulum & Hyrcanum, pro principatu; dein poſt XXVII. annos iterum à Soſio Romanorum præfecto, & *Herode* noſtro illo, quo de dicturi ſumus, vigente inter Herodem atque Antigonum factione; denique à *Tito*, ultimâ devaſtatione populi ac Reipublicæ.

Regimen populi à ſolutâ captivitate fuit, præterquam penes Duces ſingulatim ad hoc miſſos, primum *Zorobabelem*, à Dario Hyſtaſpis, tertio Perſarum Rege (Smerdem magum ex Catalogo omittimus, ponimuſque Cyrum, Cambyſem, Darium;) deinde *Nehemiam*, ab Artaxerxe Longimano miſſum; paſſim penes *Sacerdotes*: etiam ſub illis Ducibus, unde Zorobabeli legimus additum *Iehoſuam*. Hagg. II. 3. Ezr. V. 2. & ſub aliis ſacerdotes alios. Interim ſuo etiam loco ac dignitate relictâ Primoribus patrum inter familias, qui populo ejuſque gubernationi præerant, Ezr. II. 68. & V. 5. & VIII. I. Cæterum *capita* regiminis hic legimus haud alia fere quam *Sacerdotes*, & *Ethnarchas*, qui paſſim iidem, aliquando diverſi, Luc. III. I, 2. aliquando *Reges*. Inter illos, celebres extitere primum tempore Alexandri M. Pontifex *Jaddus*: temporibus Seleucidarum, eorumque oppreſſione, *Matthias* Sacerdos cum filiis, fratribus Maccabæis, *Juda, Jonatha, Simeone*. Poſt Simeonem ſequutus ejus filius *Hyrcanus*, in quo non Pontificatus ſolum & Principatus, quod in præcedenti-

dentibus quoque, ſed & Prophetia, ſecundum Judæos, concurrit. Poſt hunc filius ejus *Ariſtobulus*, primus mutatâ regiminis formâ, ſaltem nomine ac ſpecie, titulum ac diadema regium aſſumens, poſtquam Regibus diutiſſime caruiſſent Judæi, anno poſt ſolutam captivitatem CCCCLXXXI. mundi 3951. Homo crudelis, & ſanguinolentus, matris, fratriſque interfector, miſerâ quoque morte inter horrendos deſperati animi ejulatus extinctus, poſtquam anno duntaxat uno regnaſſet: Philellen, propter Græcorum amorem ſtudiumque, appellatus. Hoc initium Regum Judaicorum ſub templo ſecundo fuit. Poſt hunc *Alexander*, ejus frater: tum hujus uxor vidua regnavit *Alexandra*. Poſt quam orta contentione belloque de regno inter filios & fratres duos *Hyrcanum*, ac *Ariſtobulum*, primùm ille ſacerdotio functus, & hic privatus egit, vivente adhuc matre; quâ mortuâ, tribus menſibus ille regnum tenuit, quod dein frater Ariſtobulus, una cum Sacerdotio occupavit, illo ad privatam vivendi conditionem redacto; verùm operâ iterum *Antipatri* Idumæi, patris Herodis, regnum occupare conatus fuit. Quare utroque à Pompejo coram ſe evocato, ut litis inter fratres de principatu eſſet arbiter, (ſcilicet huc prolapſis eorum rebus ex ambitione & odio fratrum, ut coram gentili de regimine cogerentur cauſam dicere & exſpectare ejus ſententiam) ubi & tertia pars contra utroſque acceſſit, populi agens cauſam libertatemque, ne ſubeſſent regibus, qui in aliam quam vellent formam regimen commutarant, ſolitis ipſis ſubeſſe ſuis ſacerdotibus, quod & aliàs petierunt Judæi, Joſeph. *lib.* XVII. *cap.* XII. *Antiquit.* Pompejus re indeciſa, ſibique ſervatâ, differri omnia in adventum ſuum voluit, quando cum exercitu accedens, Hyrcani cauſæ patrocinari, eumque, expugnatâ urbe, & templo, in regno & ſacerdotio, victo vinctoque Ariſtobulo, confirmare ſategit.

Jam quemadmodum Hyrcanus per Antipatrum, ita hic per illum adjutus provectuſque fuit. Erat *Antipater* natione Idumæus, Aſcalonita, apud quos rerum potiebatur. Nicolaus Damaſcenus Judæum dicit, ex Babylonenſibus Judæis oriundum; ſed hoc præter veritatem, atque in gratiam Herodis, illius filii. Antipater auctor Hyrcano fuit repetendi priſtinam dignitatem, qui & præcipuus ei ad hoc auxiliator tum per Arabas, tum Romanos extitit. Uxorem duxit Antipater, illuſtri apud Arabas loco natam, Cypron, ex quâ ſuſcepit filios quatuor, *Phaſaelum*, *Herodem*, *Joſephum*, *Pheroram*, & filiam unicam, *Salomen*, quæ nupta poſtmodum fuit Coſtobaro, præfecto Idumeæ & Græciç, ab Hyrcano

con-

Digitized by Google

conſtituto, huncque ſuum maritum primo, contra ritus patrios ut hoc mulier in maritum deſignet, quod frequenter alioqui fiebat à maritis in uxores, repudiavit. Antipater, poſtquam Pompejus à Cæſare profligatus fuit, ita cum Hyrcano Cæſaris gratiam acquiſivit, ut ſub eo Judæę gubernator conſtitueretur, civitate etiam Romanâ, ejuſque immunitate donatus. Ex filiis ſuis Phaſaëlo regionem Jeroſolymitanam; Herodi Galilæam regendam tradidit, adoleſcenti qui nondum exceſſerat annum ætatis decimum quintum. Tandem Antipater inſidiis Malichi, in menſa Hyrcani, veneno à pincerna propinato, interemtus: quem Fl. Joſephus in Hiſtoriâ ſuâ, pietatis & juſtitiæ nomine, tum amore ac ſtudio in patriam egregiè dilaudat, *lib.* XIV. *Antiquit. cap.* XIX.

Quemadmodum pro Hyrcano, contra Ariſtobulum, ſtetit eximie Antipater, ſic hujus, poſt mortem ejus, filius *Herodes* pro eodem illo adverſus Ariſtobuli filium *Antigonum*, qui quibuſvis mediis conabatur, patris ſequutus veſtigia, regnum invadere, à Parthis adjutus, qui eum reduxerunt Jeruſalemum, & hinc captos ſecum abſtulerunt Hyrcanum, ac Phaſaëlum, urbis gubernatorem, fugato Romam Herode. Phaſaëlus præ impatientiâ ſibi author necis fuit. Hircano amputatæ auriculæ, ne unquam poſtea rediret ad ſacerdotium, quum non niſi ab integris corpore tractari hoc poſſit. Herodes interim Romę, præter ſpem ſuam, *Rex* Judæę pleno Senatu declaratus, ex quo medius inter Cæſarem atque Antonium prodiens, primo die convivio ab Antonio exceptus fuit I. Olympiade CLXXXIV. D. Domitio Calvino iterum, & C. Aſinio Pollione Coſſ. Unde redux in Judæam novus rex, & cum Antigono aliquoties confligens, ducta interea in uxorem Mariamne filiâ Alexandri, nepte Ariſtobuli, ut ei Hyrcanus pontifex ex uxore avus fuerit, adjutus à Soſio Romanorum præfecto, urbem templumque expugnavit, & ſuperatum bello Antigonum, per Antonium curavit ſecuri percuti, quo ſecurius regnaret ſublato regni æmulo, atque regii ſanguinis principe Antigono, ipſe quum plebejus eſſet eoque inviſus qui Judæis dominaretur. Cum illo autem principatus deſiit Aſſamonæorum, poſtquam in eâ familia hæſiſſet per annos CXXVI. diſſipatus non alia magis re, quam inteſtinis odiis, diſcordiis atque ſeditionibus fratrum.

Atque ita omnis adminiſtratio devoluta ad Herodem regem fuit, adeo quidem inviſum populo, ut neque minis, neque tormentis adigi potuerit, ut Regem nominarent: idque primò propter ejus δυσγένειαν

humilem

humilem & *plebejam* originem, εἰκὸς ὄντος δημοτικῆς, καὶ γένους ἰδιωτικοῦ, καὶ ὑπακούοντος τοῖς βασιλεῦσι: quę ſæpius ei ſuiſque exprobata à Judæis, præſertim ab Antigoni, & uxoris parte fuerunt, ἐκ τοῦ ἰδιώτου βασιλεὺς κατασταθεὶς inquit de eo Joſephus, ad vitæ ejus finem *lib.* XVII. *cap.* X. Altera cauſa fuit *crudele* ingenium, cujus perquam multa à primo inde initio dedit ſpecimina: quę nobis eo ſolertius annotanda, quod confirmant ſævitiam ejus, cujus Euangelica meminit Hiſtoria, in obtruncatione multorum, ad natum Chriſtum, commiſſâ. Hinc qui vivente adhuc patre Antipatre, quando gubernator Galileæ modo erat, Hyrcanum adverſus Antipatrum incitare conabantur, eo quod omnia regni ad ſe raperet, relicto ſolo ejus nomine & ſpecie Hyrcano, movebantur ingenio Herodis, quod metuebant, perſpiciebantq; jam tum violentũ, audax καὶ τυραννίδος γλιχόμενον, Joſephus, lib. XVII. cap. XII. Gadarenſes apud Cæſarem palam de eo teſtati, *eſſe gravem in exactionibus*, καὶ τυραννικόν. Quod ei puero, una cum regno Manahemus prædixerat, futurum juris divini æque ac humani immemorem. Et poſtea lib. XV. cap. IX. *erat verbis immodicus*, & *ingenii valde irati*, καὶ χαλεπῶς ὀργιλώτερος. Ibidem, *quavis ex cauſa ad ſæviendum erat propenſiſſimus, quamobrem ne ab intimis quidem amicis ſanguinarias manus abſtinuit.* Imo quos ex propinquis bellua iſta non interemit? ſocrum Alexandram; uxorem formoſiſſimam æque ac dilectiſſimam Mariamnem; Ariſtobulum, conjugis ſuæ fratrem, & ſacerdotem ſummum; Joſephum patruum; Sohemum amicum, plurimoſque alios, ac ipſum bonum ſenem octogenarium, qui Sacerdos & Rex fuerat, & ſuus, patriſque & familiæ patronus, jamque à Parthis ad ſe, fretus ejus amicitia, confugerat, Hyrcanum. Suos ex Mariamne filios Alexandrum & Ariſtobulum ſtrangulari juſſit. Tironem militem cum filio, & trecentis militum ductoribus, tonſorem ſuum interfecit. &c. Ne ejus dicam latrocinia, quibus etiam vacavit.

Quod vero ejus ſpectat ortum ac familiam, ſuper quâ diſputant, an *alienigena* fuerit, nec ne, ſic habemus. I. Quod Idumæus fuit, patre natus Idumæo, matre Arabe. II. Idumæos autem idololatras fuiſſe olim, etiam circa illa tempora, conſtat: colebant patrium numen Coze. Sub Hyrcani autem principatu leges & religionem Judæorum aſſumſerant. III. Exiſtimo, quod etiam Antipater. IV Inde & Herodes. Nam duo hæc de eo affirmari poſſe video, tum religione quod fuerit judæus; tum quidquid ſit de profeſſione, quod animo non valde huic religioni addicto. Ergo alienigena Herodes fuit, ſi progeniem

O reſpi-

reſpiciamus ſuperiorem, alienę gentis juxta ac religionis; ſed in religionem, familiam, ac nomen Judaicum adſcitus: qua ratione non fuit amplius alienigena, à Patre Judaiſmum profeſſo natus Iudæus: ſub d iſtinctione ergo dicendus alienigena, vel non: unde Iudæos tribules ſuos ὁμοφύλους appellabat, in oratione ad templi reædificationem habita. Quę cauſa etiam initi cum Mariamne conjugii, quo ſic melius detergeret maculam ſuę peregrinitatis, tam quoad familiam & ſtatum, quam religionem. Vide ad hanc quæſtionem, poſt aliorum diſputationes, Scaligeri, *lib.* VI. *Emendat. & in Euſebianis pag.* 259. Druſii, *in Sulpitium libr.* II. *pag.* 250. Caſauboni, *Exercit.* I. *diatr.* III. *contra Baron.* Tornielli Annal. part. II. ad annum 40, 8. qui alienigenam negant; & Serarii, in contrarium, *lib. Herodes.* Seldenum, *de Iure Ebræor. lib.* V. *cap.* XIX. Ne dicam Epiphanium, *lib.* I. *Panarii, Hereſ.* XX. *contra Herodianos. & hereſ.* XXIX. *contra Naziræos.* Tremellium, in *Dan.* II. 44.

Et de religione quidem adeo non fuit ſollicitus Herodes, ut ſub nullo *diſciplina* Judæorum ſic collapſa fuerit, ac ſub eo, imo & ejus operâ. Quemadmodum ſolet in quocunque rerumpublicarum & regnorum exitu perdi prius diſciplina, antequam pereat ipſa: ita lapſus & declinatio illa probe à nobis ſemper notanda venit: tum ut via ac methodus divinorum judiciorum conſtet; tum & noſter ad iſta ſtatus, ſeu diſpoſitio. Sub Herode Romani, qui ante eum quidem ingeſſerant ſe in Rempubl. eamque ſuo tenebant imperio, nunc penitius pleniuſque totam, & firmius occupabant, per omnia ſeſe ad nutum, mores, formamque Romanorum componente rebus in omnibus Herode, dubiũ ut videri iſto tempore potuerit, plus Romani, an Iudaici apud Iudæos obtineret. Non ſolum urbes, caſtella, arces, & domus, Cæſaris nominibus inſignita paſſim, Samaria appellatâ Sebaſte; Stratonis turris, Cæſarea, ubi & ſtatuæ, urbis Romæ una, altera Cæſaris; arx in ipſa urbe Jeruſalemo, Antonia; in regia ædes dictę Cæſaris, Agrippæ; verum quod magis eſt in honorem Cæſaris inſtituit quoque Ludos theatrorum quinquennales; dein amphiteatrum: quæ à moribus Iudæorum erant alieniſſima. Theatrum per circuitum exornatum erat titulis Cæſaris, & trophæis devictarum ab ipſo gentium, quibus quum appenſę eſſent Imperatorum imagines, ad ea valde exhorreſcebant Iudæi, quibus omnis effigies & ſtatua, uti peregrina, ita anathemati erat, multarumque cædium trophæa illa cauſa extiterunt: uti poſtmodum aquila aurea

aurea ſupra templi portam, in honorem Cæſaris ab eo dedicata, à Zelotis abraſa, & conciſa. Samariam reædificabat & templum, quod execrationi ſemper Iudæis fuit, ſumtuoſiſſimum, etiamque hoc in honorem Cæſaris. Filios Alexandrum & Ariſtobulum Romam miſit, inſtruendos diſciplinis liberalibus. Ne dicam viliter habitum ab eo Sacerdotium ſupremum, mutatumque in annos, & tum à ſe collatum, tum tranſlatum in varios, quod ex lege debuerat eſſe perpetuum ejus, qui ſemel hoc munere dignus habitus fuerat. Primò Ananelum Iudæum Babylone accerſitum Sacerdotem fecit: tum hoc remoto, affinem ſuum Ariſtobulum; quo per dolum à ſe in aquis ſuffocato, illum iterum honore iſto induit. Sic Ieſu Phabetis filio ademit poſtea ſacerdotium, & contulit Simoni Boëthi Alexandrini filio, quo ejus filiam valde formoſam minori cum ignominiâ uxorem ducere, in locum interſectæ pridem ſuæ Mariamnes, poſſet. Iterumque ſocerum ſuum Simonem Boëthi expulit, ſurrogato in ejus locum Matthia, Theophili filio, Hieroſolymitano. Et huic iterum derogatum, contulit Ioazaro, uxoris ſuę fratri. Ne repetam factum ſororis Salomę, præter omne exemplum, maritum ſuum repudiantis. Ut merito Iudæi notent, ſub hoc Herode collapſum non regiminis ipſorum ſolum, ſed & religionis, morum ac diſciplinæ ſtatum. Joſephus, *lib.* XV. *cap.* X. *Quo factum eſt ut magis ac magis diſcederet à patriis ritibus, et peregrinis ſtudiis veterum inſtituta corrumperet inviolabilia, quo tempore permagna facta eſt bonorum morum in deterius inclinatio, labante diſciplina, qua ante hac populus ſolebat contineri in officio.* cap. XII. *Hæc tamen ambitio ſtudiumque demerendi Cæſarem cum Romanis potentioribus cauſa fuit, ut multum à patriis inſtitutis decederet, & leges divinas violaret, dum in honorem eorum urbes condit, & templa extruit, non in ſolo Judaico.* Quæ eo etiam diligentius annotamus, quod tempora delincentnati noſtri Meſſiæ, ut his applicemus ea quæ in Talmude dicuntur de tempore adventus ejus, *Sanhedrim*, cap. *cheleck*, dicit R. Johannes: *Quum videris ſæculum, quod magis magiſque attenuatur, exſpecta illum*: 2. Sam. XXII. 28. *Q. D. Populum pauperem ſervas, at oculos tuos contra elatos dejicis.* Item: *Si videris ſæculum, quod ærumnæ fluminis inſtar obruant, exſpecta illum.* Jeſa. LIX. 19. *Q. D. Quum irruet, velut fluvius, hoſtis, Spiritus Domini vexillum extulerit illi.* Et, *veniet Tzioni liberator.* Item; *Non venit filius David, niſi aut eo ſæculo, quod omni vitio careat; vel quod univerſum culpæ ſuccumbat.* Jeſa. LIX. 16. *Q. S. Et vidit, non eſſe virum: & obſtupuit, non eſſe interceſſorem.*

 Nec

Nec tamen dicimus ideo in Herode impletum Patriarchę Jacobi vaticinium, de ablato ſceptro: quod non intelligimus præciſe de regali poteſtate, ſed regiminis politici in genere; neque ablatum omnino tum temporis (nam *prodibit ſurculus è trunco ſucciſo Iſai.* Ieſa.XI. I.) quamvis vehementer acciſum; ſed deletum cum ultimo populi exterminio, in excidio Ieroſolymitano.

Inter alia opera, quę Herodes fecit glorioſa & ſumptuoſa, fuit ædificatio templi, decimo octavo regni ſui anno, ad quod opus reſpiciunt diſcipuli, Marc.XIII.I. *Magiſter, ecce quanti lapides, & quanta ædificia.* Et Chriſtus reſpondens, ℣ſ.2. *vides iſthæc magna ædificia.* Matt.XXIV. I. Quæritur, an templum hoc novũ, & tertium fuerit poſt Solomonis illud prius, & alterum Zorobabelis; an tantum renovatũ? Diverſę DD. ſuper hoc ſunt ſententię. Pro illo facere videtur, quod Ioſephus inquit, *lib.* XV. *Antiq. c. ult.* ſublata fuiſſe vetera fundamenta, & repoſita nova, quibus templum ſuperſtructum. Pro iſtâ ſententiâ, quod templum Zorobabelis fuit ultimum, idque in quod venire Meſſias debuit, *Hagg.* II.9. *Dan.* IX. *Mal.* III.I. & quod ædificii cauſa Herodi fuerit non de novo templum erigere, ſed hoc quod conſpiciebant, & per temporum quo ædificatum fuerat injuriam non altius extrui potuerat, ad figuram & altitudinem templi Salomonici evehere, id eſt, ad ſexaginta cubitos ſupra præſentem menſuram: unde Herodes in Oratione ſua dixit, πειράσομαι τὸ παρημελημένον ἀνάγκῃ καὶ δουλείᾳ τοῦ πρότερον χρόνου διορθούμενος τελείαν ἀποδοῦναι τῷ θεῷ, *quod neglectum à majoribus neceſſitate & ſervitute prioris temporis, emendare conabor & Deo perficere.* Alexander, Herodis filius, in Apologia ſua, ad Patrem, *lib.* XVI. *Antiq. cap.* VIII. καὶ εἰς τὸν ἁγιώτατον ὑπὸ σοῦ κατεσκευασθέντα ναὸν εἰσιέναι; ex verſione Gelenii, *& ſanctiſſimum à te inſtaurâtum templum ingredi.* ita quoque, non novum, aut tertium ab Herode extructum templum, ſed reſtauratum, renovatum, exornatumque illud Zorobabelis templum, exiſtimo. Quod Iudæi etiam paſſim appellant templum ſecundum, tempora templi ſecundi; deſtructio ejus à Tito facta, templi ſecundi. Vide l'Empereur *præfat. ad Middoth.* & in *Daniel.* IX. 24. Et quod de fundamentis veteribus ſublatis Ioſephus, non interpretor (ne fidem Joſephi hic rejiciam omnino: quod alii libere faciunt, Baronius) ego non de abraſis ſublatiſque omnibus templi fundamentis, ſed illorum aliquibus aut vetuſtate aliove vitio conſumtis, aut novo ædificio ſua ex parte ſuſtinendo inidoneis, accipio. Confer Villalpandum, *in Jezech. tom.* II. *part.* II. *lib.* V. *diſp.* IV.

Tem-

Digitized by Google

Tempus reædificando templo ab Herode inſumptum notat Ioſephus, *abſolutoque octo annis reliquo ædificio, tandem etiam templum ipſum eorundem ſacerdotum opera ſeſquianno perfecit.* De quo ergo ſumendum illud *Joan.* II. 20. à Iudæis dictum: *quadraginta ſex annis hoc templum ædificatum?* Alii de ædificatione Zorobabelis intelligunt, numerantque quadraginta & ſex annos à primo Cyri, quamvis poſtea intermiſſum opus, tandemque poſt multas remoras & oppoſitiones ad finem perductum. Alii de ædificio Herodis, quod quidem breviori illo ſpatio peractum ſit, uti Ioſephus ſcribit; ſed abinde tamen continuo ad hæc uſque Chriſti tempora exornatum expolitumque fuerit. Malim ego priorem tueri ſententiã, quia altera multa præſupponit magis quam probat, ut de continuata exornatione à ſemel renovato ædificio, & tanto præciſe tempore, quum in textu dicatur ᾠκοδομήθη ædificatum, non exornatum tot per annos; tum quod neque hoc ita ſtrinxiſſet contra Chriſtum, ac quidem illud.

Obiit Herodes ſub annum ætatis ſeptuageſimum, ex morbo gravi, & divinæ vindictæ indice manifeſto: *pœnam impietatis exigente numine*, inquit Joſephus. *Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viſcera: aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuo cibos ſuggerere: ſimulque vexabatur inteſtinorum exulceratione & colicis paſſionibus, pedes tumebant phlegmate humido & pellucido, ſimiliterque inguina: ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœda nec minus moleſta tentigine, non ſine fœtore graviſſimo, ſuper hæc omnia nervorum contractione laborabat & difficultate anhelitus. Quamobrem conſtans inter viros divinos & fatidicos opinio, regem læſa tot modis pietatis Deo pœnas expendere.* Quæ valde notanda ſunt, à Judæis ipſis obſervata de exitu ejus, qui Meſſiam interimere conatus, plurimos infantes crudeli morte mactavit. Cujus ſævitiæ ne quid ad extremum deeſſet, juſſerat ex tota Judæa florem nobilitatis ad ſe acciri Jerichuntem, ubi decumbebat, & concludi circo, obſecratus Salomem ſororem, ejuſque maritum Aretam, ut ſimul ac mortuus, omnes curaret interfici, quo ſic per omnem regionem quæque familia juſtum veri luctus haberet argumentum, ſi non in ſe, quem non ſerio lugendum ſatis norat, certe in ſuis. At conſilium illud funeſtum non ſequuta Salome fuit. Sed Antipatrum filium ſub his extremis curavit etiam interfici Herodes, & ni cohibitus fuiſſet, ipſe ſibi manus intuliſſet, cultello jam eum in finem in manus arrepto. Obiit XXXVII. regni ſui anno,

Digitized by Google

no, deſignato ejus hærede, quod & Cæſar poſtea confirmavit, filio Archelao, de quo Matth. II. 19. *Mortuo verum Herode* &c. 22. *audiens autem quod Archelaus regeret Judæam loco Patris ſui Herodis.* quamvis non *regem eum* declaravit Cæſar, ſed Ethnarcham: diſtributâ Herodis patris ditione inter ipſum, reliquoſque Herodis filios, Philippum, & Antipatrum. *Antiquit. lib.* XVII. *cap.* XIII. & *lib.* XVIII. *cap.* VI. Regnare ergo ſeu βασιλεύειν illo loco late ſumitur pro imperio vel dominio, quamvis non proprie & formaliter regali: quemadmodum ſceptrum in vaticinio Jacobi non præciſe regium imperium notare diximus, ſed quodvis: ita & hic βασιλεύειν. Quomodo etiam de Herode, poſt Archelaum, dicitur promiſcue quod Rex, jam quod Tetrarcha fuerit. *Marc.* VI. 14. 27. *Matth.* XIV. I. *Luc.* III. I. Poſt Herodem autem magnum regem, non Reges fuerunt Archelaus, Herodes, ſed Agrippa nepos, iterum à Cajo regio diademate ornatus.

At è diverticulo in viam, atque ad locum Hagg. II. & *ſecundam*, quam Judæi adverſus noſtrum inde depromptum argumentum objiciunt, *exceptionem*, dicentes, debere locum intelligi de templo non ſecundo, ſed tertio. *Reſp.* I. Contra eſt, quod de templo illo ſermo eſt, quem Judæi ibi conſpiciebant, negligebant, lugebant. את הבית הזה, *domum iſtam*, verſ. 9. Græci, τὸν οἶκον τοῦτον. Iterum verſ. 10. הבית הזה *domus hujus.* & in *loco hoc* במקום הזה. II. dicitur iſta domus ultima, הבית הזה האחרון. τοῦ οἴκου τούτου τοῦ ὑστέρου. Quemadmodum & Ioſephus, *lib.* de bello, VII. *cap.* X. templum hoc ὕστερον appellat. Iudæi Hiſpani, *la caſa eſta la poſtrera*, &, *enel lugar eſte*, in *loco iſto*. Non ergo poſt id tertium exſpectandum. Atque ejus deſtructio fuit plenaria excitio, nullius alterius relictâ ſpe. *Dan.* IX. 26. III. Quod ſi tertium templum Deus deſignare voluiſſet, utique id expreſſiſſet, & longe aliter ſermonem inſtituiſſet ſuum.

Inſtantia. Promittit hoc in loco *pacem* ſe daturum, at nulla, vel rara pax Judæis obtigit toto templi ſecundi tempore. Hoc unice urgent Abravanel, & Menaſſe. Addo, quod & à Daniele prædictum fuit, bellum fore ad finem iſtius templi uſque ועד קץ מלחמה. *Dan.* IX. 26.

Reſp. Sequitur quidem hinc quod pax hic promiſſa non poſſit intelligi de corporali & politicâ; non vero quod templum non debeat intelligi ſecundum. II. Sequitur & inde, quod gloria templi iſtius nequeat conſtitui in re ulla corporali, non in illis, quas prioris exceptionis auctores fuerant commenti, quia deficiente pace nihil externæ fœlicitatis gloriæque æſtimari poteſt. III. Attamen quia pacem promiſit Deus hoc loco

Digitized by Google

loco & tempore, ſtante vid. templo ſecundo, ideo manifeſtum eſt Meſſiam denotari, cujus hoc elogium, quod pacis auctor, datorque ſit, uti in expoſitione loci vidimus. IV. Sed revera ut Meſſias optimus præſtantiſſimuſque eſt, ita & pacem ſummam hic intelligi res poſtulat, id eſt, ſpiritualem, cæleſtem, divinam. Quam Meſſiam noſtrum dare & Euangelium, & ſenſus Chriſtianorum comprobant. V. Ad hominem, ſiquidem omnino velis pacem exponere corporalem & politicam, ecce nato Meſſia alta maximeque univerſalis Pax in orbe fuit, ſub imperio Auguſti, ut vel hoc etiam pacto os vobis obturare voluerit Deus, atque præludere quaſi paci ſuperiori ac ſpirituali.

Arg. pro adventu Meſſiæ *tertium* ſuppeditat prophetia Danielis *cap.* IX. quæ non modo ea, quæ hactenus ſeorſim conſideravimus, conjungit, *utrumque* populi ſtatum, *politicum* & *Eccleſiaſticum*, atque utriuſque memorat *exciſionem*, quodque ante eam venire Meſſias, & quoque exſcindi, verum aliâ longe ratione, debuit; ſed annorum numeros ſupputare jubet, ab edicto de reverſione *populi* ex captivitate Babylonicâ, & reædificandâ *urbe*, uſque ad Meſſiam, & urbis ultimam deſtructionem, quod ſint nempe *ſeptuaginta hebdomadæ*. Locus ita habet, cap. IX. 24. 25. 26. 27. שבעים שבעים, *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper civitatem ſanctam tuam ad cohibendum defectionem, & ad obſignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & adducendum juſtitiam perpetuam; & ad obſignandum viſionem, ac Prophetam, et ad ungendum ſanctum ſanctorum. Igitur cognoſcito et intelligito ab enunciatione verbi, de reducendo populo, et de ædificandis Jeroſolymis, uſque ad Meſſiam anteceſſorem fore ſeptimanas ſeptem: deinde ſeptimanas ſexaginta duas. Reſtaurabitur, et ædificabitur platea et foſſa, quia tempora erunt in anguſtia. Poſt ſeptimanas autem illas ſexaginta duas excidetur Meſſias, ſed non propter ſe, civitatem verò ipſammet, ipſum ſanctum perdet, populumque anteceſſoris in generatione proximâ, adeo ut finis ei ſit cum inundatione, denique ad finem belli erit extrema deſolatio. Corroboravit verò fœdus multis ſeptimanâ unâ: dimidio autem ſeptimanæ abolebit ſacrificium & munus: deinde per exercitum infidelium deſolabit etiam, donec conſummatio & exciſio effundatur ſuper deſolatos.* Unde ſic argumentamur: Qui venire debuit ante populi Judaici urbiſque ultimam devaſtationē, atque à tempore edicti pro libertate populi ex captivitate & ædificandæ urbis intra ſeptuaginta annorum hebdomadas, ille jam diu advenit: nam & urbs à multis ſæculis deſtructa, & hebdomadę illę exſpirarunt. Sed Meſſias illo

illo tempore venire debuit; ergo. Occaſio prophetiæ deſumta à liberatione populi ex captivitate Babylonicâ poſt LXX. annos: hinc jam alia periodus populi urbiſque ponitur ad ultimam ejus exciſionem, ad LXX. hebdomadas: nempe hebdomadas *annorum*, uti res ipſa clamat, & diſtinctio cap. ſeq. X. 2. ubi adeo ſignanter additur *dierum* hebdomadæ, quo ab his, quę annorum ſunt, quales etiam Levit. XXV. 8. ſciamus diverſas, *illis diebus ego Daniel lugebam tribus hebdomadis dierum*. Septuaginta illę annorum hebdomadæ efficiunt annos CCCCXC.

Quomodo autem putari illi anni debeant, haud neceſſe nos multùm cruciari. In genere *initium* eorum ponendum in *promulgatâ* populo *redeundi, reædificandique* libertate; *finis*, in urbis populique *fine* & deſolatione supremâ: intra quas periodos vel terminos evenire neceſſe fuit quæ hic prædicuntur omnia, tum urbem concernentia, & populi ſacra, tum adventum Meſſiæ, & ejus dies ſeu tempora, & officia. *Ab enunciatione verbi de reducendo populo, & de ædificandis Jeroſolymis.* Hoc prophetiæ initium: finis, ubi *deſolabit* hoſtis urbem conſummatâ exciſione. Annumerare incipias ab anno quarto Zedekiæ regis, quo Jeremias de captivorum reverſione ex Babel vaticinari cœpit, *Jerem.* XXVIII. I. & XXIX. an ab hoc Angeli ad Danielem ſermone & nuncio, *Dan.* IX. an ab edicto Cyri Regis, pro libertate populi, ejuſque in terram patriam regreſſione. *Jeſa.* XLIV. 28. & XLV. 13. II. *Chron.* XXXVI. 22. 23. *Ezr.* I. I. an ab anno ſecundo Darii, *Ezr.* VI. an verò à ſeptimo Artaxerxis, *Ezr.* VII. I. *Neh.* II. perinde nobis eſt, ſelige utrũ veritati judicaveris melius convenire, nam non ſcrupuli alicujus, vel anni, vel imo ſæculi diſcrimen hac ſuper re nobis eſt cum Judæis, ſed mille annorum & quod ſupra eſt, ſæculorum nempe quindecim, id eſt, longioris temporis ſupra impletum prophetiæ tempus, ac ad implendum fuit, quin ſupra mille annos longioris. Ergo nolimus nos in auguſtias ullas cogi, vel difficultates illas quas aliorum diligentia hic facit vel Chronologia; nam quidquid ſit de verborum cum Chronologiâ convenientia, apud Judæos quidem hæc ingredi & examinare nihil eſt neceſſe; ſed tranſilieris commode, feceriſque iis copiam eligendę, quamcunque velint, ſententiæ: neque enim aliam poſſunt quam *ab enunciatione verbi de reducendo populo*, & hoc ubicunque figant, perinde fuerit, ut hinc numerent LXX. hebdomadas, ſub quarum fine Meſſias venire debuit. Finiunt eas alii in Meſſię baptiſmo; alii in paſſione; alii in urbis exidio. Quomodocunque, ſæcula ſunt quod ea tranſierunt; ergo etiam adventus Meſſię. Adde quod Iudæi ſolent

ſolent dicere, לא דקדק המקרא בחשבונות, *non eſt anxia ſcriptura in calculis.* Tres conſtituuntur hebdomadarum claſſes vel periodi, neque enim fruſtra illæ ſic diſtingui videntur, primò ſeptem Hebdomadæ, tum ſexaginta duæ, denique una ultima. Primę ſeptem dantur urbis ædificationi, *reſtaurabitur & ædificabitur platea & foſſa, quia tempora erunt in anguſtiâ.* Sequentes ſexaginta duæ, urbis ſtatui futuro. Poſt illas quid facturus Meſſias ſit, quid denique eventurum urbi, edicitur. Niſi velis forte, cui haud multum refragor, non præciſe ſumendas hebdomadas illas & arcte, ad juſtum illum annorum numerum, ſed potius ἐν πλάτει circum circa numerum LXX. quem Deus in prophetiâ hac retinuerit non ut examuſſim ſpectaretur, ſed ſimilitudine aliqua ad LXX. annos captivitatis. Ut quaſi LXX. hebdomadas annorum nunc fere inſequuturas, & rebus quas hic memorat, occupandas propoſuerit. Sic tamen ut ad illud tempus iſta evenire debuerint, & Meſſias adeſſe, ante ſupremam urbis devaſtationem.

De Meſſiâ agi, patet, I. ex apertâ ejus deſignatione verſ. 25. משיח נגיד, *Meſſias dux.* 26. *& poſtea excidetur Meſſias.* neque ulla cauſa eſt, quare non de Meſſia exponamus, quod de eo hic dicitur. II. Niſi hunc locum de Meſſia accipias, nullus in univerſa Scriptura eſt, ubi Meſſias abſolute & ſine ulla relatione, vel affixo vocatur, & unde æque nomen Meſſię, notum illud uſitatumque nobis, petas. III. Iſta hic referuntur, quæ de alio, quam Meſſia accipi nequeunt. verſ. 23. לכלא הפשע, *ad cohibendum tranſgreſſionem, et ad obſignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum juſtitiam perpetuam, et ad obſignandum viſionem & Prophetam* &c. Jam nullius eſt iſta facere, expiare, juſtificare, & Prophetias adimplere, præterquam Meſſiæ. Quare etiam Judæi locum de Meſſiâ exponunt. R. Saadia à Gaon, R. Nahman Gerundenſis, aliique, uti mox ex Menaſſe ipſo plenius audiemus, qui inter alia, *lib.* de termino vitæ, *pag.* 175. hac de re ita: *Verum, ut addam illud interpretationis hujus prophetiæ, varie illa etiam ab hujus ævi Hebræis explicata eſt: neque illud mirum cuiquam videri debet, ſi in prophetia tam obſcura varient etiam ſententiæ. Idcirco ſunt, qui ita illas ſeptuaginta ſeptimanas accipiant, ut dicant poſt finem illarum venturum Meſſiam, qui illos dominos conſtituturus ſit totius mundi. Atque hoc quidem opinati ſunt omnes, qui arma tum temporis adverſus Romanos ſuſceperunt. Ac licet multis ærumnis, et laboribus obnoxii eſſent, nihilominus tamen ſemper ſpem ſuam in venturo Meſſia poſuerunt, quippe putarunt, eum mediis in ærumnis*

nis conſpectum ſui præbiturum eſſe. Quare verba hæc, ad conſummandum prævaricationem, ita expoſuerunt, ut poſt exſpirationem LXX. *hebdomadum, peccata remitterentur.* Jamque intellecto ſic Meſſiâ, lubet ſequi ejus calculum, atque vel hinc evincere Meſſiam olim veniſſe. Quippe ita loquitur, hujus ejuſdem libelli, pag. 171. *Et hebdomadas ſexaginta, & duas: redibit, & ædificabitur platea*: hoc eſt, *ab initio inſtaurationis templi ſecundi, uſque ad principium everſionis ejus, quod fuit cum Veſpaſianus Judæam intraret, erunt anni* CCCCXXXIV. *Nempe* XIII. *anni Cyri, ſub quo templum inſtauratum:* VI. *Artaxerxis, &* II. *Darii; in cujus poſtremo anno, ædificatio templi fuit completa: ſimul faciunt* XXI. *Et tunc impleti ſunt* LXX. *anni captivitatis Babylonicæ. Supputando autem ab hoc ſecundo anno Darii, uſque ad introitum Veſpaſiani in Judæam, anni* CCCCXIV. *efficiuntur anni* CCCCXXIV. *Atque hi efficiunt* LXII. *hebdomadas Danielis. Et quod dicitur in anguſtia temporum, illud eventus ſatis docuit. Nam poſitis prope ſeſe armis, templum initio ædificandum erat Iſraelitis: uſque adeo metuebant, ut impetu hoſtili cœptum opus turbaretur. Ac poſtea quoque infeſtum inimicorum animum ſatis perſenſerunt; ubi bello illos Græci, & Romani aggreſſi ſunt.* Ergo ante Veſpaſiani tempora ac bella, Meſſiam venire oportuit. Certe ex hoc Danielis loco colligimus. I. Tempora & annos adventus Meſſię ſupputare licere, contra ac Iudæorum multi cenſent. II. Venire Meſſiam debuiſſe, ſtante urbe, ac templo. III. Non adeo diu ante illorum excidium & deſolationem. IV. Atque ab ædificatione urbis, tempore non admodum diuturno, ſed quaſi aliquot hebdomadarum.

Excipiunt Iudæi, *primò*. Intelligi in Danielis Prophetiâ, non Meſſiam, ſed vel Cyrum; Sic R. Selomo Iarchi, Ioſeph ben Iachia, R. Menaſſe: vel Nehemiam, ſic Aben Ezra: Iehoſuam Sacerdotem, ita R. Levi ben Gerſom: alii dicunt, Zorobabelem; ſic Abravanel. Atque verſ. 36. *excidetur Meſſias*, de Agrippâ exponunt Iarchi, Abravanel, Menaſſe; R. Iachia, de templo. Menaſſe in lib. *de termino vitæ.* (nam in Conciliatore nihil quidem ad hunc locum annotat) pag. 170.

Quod autem hic dicit unctum ducem, intelligi illud poteſt, vel de ſummo ſacerdote, qui oleo ſanctitatis ſolet ungi, ac proinde etiam Meſſias dicitur: vel de Zorobabele Judæorum duce, ac familiæ Davidicæ principe: vel

Reſp. I. Ne dicam, quod Iudæorum alii locum imò exponunt de Meſſia: & hi ſe mutuò refutant, ut apud Ezram videre eſt, qui contra Iarchium diſputat. Atque id de adducendâ juſtitiâ, & obſignandâ prophetiâ

de ipſo etiam Cyro : nam de illo inquit Eſaias : ſic dixit Dominus uncto ſuo Cyro. Itaque uſque ad Cyrum ſunt XLIX. *anni.* Et pag. 172. *Daniel porro dicit* : ac poſt hebdomadas ſexaginta & duas excidetur unctus, & non ei &c. *Quod intelligendum de Agrippa ultimo Hebræorum rege. Hic enim occiſus fuit Romæ ab Imperatore Veſpaſiano : uti & filius ejus Mumbas, tribus annis & dimidio ante deſtructionem templi : quemadmodum conſtat ex Joſepho, & ex Sepher a kabala de Arabad. Quod autem dicitur, non ei, ea phraſi denotatur exitium regni. Mortuo enim illo rege, non alium habuerunt Iudæi. Sequitur deinde : Et civitatem, et ſanctitatem corrumpet populus ducis. Hoc quoque experientia docuit. Nam à Tito urbs, et templum everſa ſunt. Et populo ducis ſeu Titi, aſcribitur cauſa deſtructionis ; quia Titus ſemper fuit eo animo affectus ut conſervaretur templum.* phetiâ Levi Gerſomides ad Meſſiam applicat. II. Cyro, neque ulli tribui iſta poſſunt, quę hic dicuntur, de expiandâ iniquitate, de juſtitiâ adducendâ, de obſignandâ prophetiâ &c. III. Nuſpiam illi appellantur Meſſias ; & Cyrus quoque non abſolute Meſſias, ac proprie, ſed relate ſolum & nomine appellativo dicitur, *Jeſa.* XLV. I. *Cyro uncto meo.* III. Nihil in illis omnibus, quibus prophetiam hanc temere adſcriptum eunt Iudæi, in Cyro, Nehemiâ, Iehoſuâ, Zorobabele, quod ſingulari hac prophetiâ exponi & prædici attinebat. IV. Neque temporis ratio congruit, ut ad illos trahatur. Nam à Cyro hebdomadæ inchoent, quomodo in eo, quomodo in aliis terminabunt? Errorem videbit quilibet, ſi quando illos ad verba Prophetę apponat, eaque de ſingulis explicare conetur.

Exceptio II. Prædici hic ea quę poſt ſeptuaginta hebdomadas eventura eſſent. Menaſſe, qui Abravanelem hic ſequitur, eodem libro *pag.* 168.

Septuaginta autem illæ hebdomades Danielis faciunt CCCCXC *annos. Itaque cum dicit, Deciſa ſuper populum tuum, ad conſumendum prævaricationem, iniquitatem, et peccata : tantum eſt, quaſi diceret, poſt conſummationem* CCCCXC *annorum, ſequetur ea populi tui captivitas, qua purgabitur ab idololatria, homicidio, et adulterio, quæ ſunt tria maxima peccata.*

Reſp. I. Pari modo ac ſupra egerunt Judæi contra *Geneſ.* XLIX. 10. locum exponentes de ſceptro in perpetuum futuro apud Judam, poſtquam veniſſet Meſſias, non ad adventum ejus : ita hic prophetiam Danielis capiunt, implendam poſt LXX. hebdomadas, non cum iis, vel ante finitas eas. At Prophetam dicere, quid ab earum initio, à primis

Digitized by Google

Et poſt per ætatem hanc mundanam, ſequitur tempus juſtitiæ, juxta illud, Et ad adducendam juſtitiam ſeculi: id eſt, non erit amplius peccatum, ſed, ut Eſaias ait, Juſtitia erit ſemper. Alibi item: Et populus tuus omnibus erit juſtus. Atque idem omnes atteſtantur prophetæ. Subdit porro Daniel: Ad ſigillandum viſionem & prophetiam: quaſi diceret, omnes prophetiæ tum obſignabuntur, quatenus eæ omnes, quæ futuræ erunt, complebuntur. Vel ea prophetæ mens eſt; tum auctiorem fore vim prophetiæ. Quippe Deus apud Joel ait, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, et prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ. Præterea ait, ad ungendum ſanctitatem. id eſt, *ſanctum ſanctorum: Nam in ſecundo templo non fuit unctum, quia non foret æternum. Et poſt hæc vult dicere prophetes, finita prophetia & ſacrificia inſtaurabuntur, quibus hodierno die caremus.*

ſeptem, tum ſexaginta duabus futurum eſſet, ſole clarius eſt. II. Nam & loquitur expreſſe de reducendo populo, de ædificandâ urbe, de plateâ, de muris ejus &c. dicitque quid ſingulis fere hebdomadis & hebdomadarum periodis fieret. III. Ipſe etiam Menaſſe ita partitur poſtea hebdomadas, *ſupputando autem ab hoc ſecundo anno Darii uſque ad introitum Veſpaſiani in Judæam anni* CCCCXIV. *efficiuntur anni* CCCCXXIV. *Atque hi efficiunt* LXII. *hebdomadas Danielis.* Abravanel, נ״בא, *prædixit ſeptuaginta ſeptimanas annorum, quæ* 490. *annos conficiunt, interceſſuras inter vaſtationem primam & vaſtationem ſecundam.* IV. non dicitur in textu quod per *captivitatem* populus purgaretur à peccato. Additamentum hoc eſt & gloſſa Menaſſis, contra textum. V. neque dicitur, quod purgaretur populus *ab idololatria, homicidio, & adulterio.* VI. Bene habet quod intelligit hic agi de purgatione peccatorum, & juſtificatione, & omnium prophetiarum obſignatione, *quatenus eæ omnes, quæ futuræ erunt, complebuntur*; atque etiam tum auctiorem fore vim prophetiæ juxta *Joel.* II. omnia accipimus, atque in Meſſiâ adimpleta ſcimus: ſed quod Meſſiam ſolum pretermittit Judæus, & potius captivitati illa adſcribit, quam Meſſię, in eo graviter errat. VII. Nulla in hoc quidem eſt conſequentia, *in ſecundo templo non fuit unctum, quia non foret æternum.* nam certe in primo templo adhibita unctio, neque tamen æternum fuit. Res, vel perſonæ unctę, non in perpetuitatem, vel quaſi futuræ hinc æternę, ſed in ſanctimoniam. VIII. Oſtende, ubi Propheta dicere voluit, *finita prophetia ſacrificia inſtaurabuntur, quibus hodierno die caremus.* falſiſſimum. IX. Quod ſi obtineat expoſitio Menaſſis, nihil boni hic templo & urbi, de quibus

Digitized by Google

quibus tamen unice ſolliciti erant Judæi, interque eos præcipuus Daniel, prædictum, ſola mala, nempe ædificatio in multâ temporum anguſtiâ, demum deſolatio, quæ certe non erant ad erigendum populi animum & conſolandum. Quod tamen Deo hic, & Angelo propoſitum: ideoque quæ bona prædicat, illis, & iſti templo locoque erant obventura, non vero poſt longam eorum demum devaſtationem. x. atqui à devaſtatione illâ captivitas (ut ſolent loqui) duravit jam non ſeptuaginta aliquibus ſeptimanis, ſed triplo quidem diutius. Quorſum ergo illud de ſeptimanis? & ne ſic quidem iis expiatio obtigit, cæteraque quę hic narrantur? Imo quàm gravis hinc ea redditur prophetia, non læta, vel accepta, non certe ad deſiderium Danielis, *verſ.* 23? xi. Fruſtra ſibi pollicentur Iudæi, poſt illam captivitatem adducendam juſtitiam, ac ſi non futurum ſit tum *amplius peccatum*. Aliud eſt juſtitiam nobis adduci, quod hic promittitur; aliud, ſuam adferre, quod vanum eſt & fruſtraneum.

Quartum pro adventu Meſſiæ *argumentum* petitur itidem ex Daniele: quem prophetam nulla in re aliis poſtponendum eſſe, in Prolegomenis oſtendi, maleque à Iudæis haberi loco inferiori à Prophetis reliquis. Melius Joſephus eum unum facit μέγιστον τῶν προφητῶν, Antiquitat. libro decimo *cap. ultim.* & hoc ei perhibet ibidem teſtimonium: *omnis enim eximia felicitas ut prophetæ excellentiſſimo ei contigit, & viventi tam apud reges quàm apud populum gratioſo, & poſt obitum ſempiternam memoriam conſecuto. Libri enim ejus quos conſcriptos reliquit, etiam nunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quòd Deus cum eo colloquia miſcuerit. Non ſolum enim futura prædixit quemadmodum alii prophetæ, verum etiam tempus quo eventura eſſent præfiniit, & cum alii prophetæ calamitates prædicerent, ideoque malam gratiam apud reges & multitudinem vulgarem inirent, hic bonarum rerum vates fuit, ut propter fauſtam ominationem quidem benevolentiam omnium ſibi conciliaret, propter eventuum verò certitudinem fidem ſibi apud univerſum mortalium genus compararet. Extat enim in ejus ſcriptis unde maximè illius prophetiæ certitudo poteſt colligi.* Ut valde temere eum infra alios Judæi conſtituant, qui cum Deo ὡμίλει conſuevit, & non adeo mala, quam bona prædicere ſolitus, eorum tempora & periodos aſſignavit. Sic vidimus eum modò ſeptimanas venturo Meſſię ſupputantem, ad ſtatum urbis populique: nunc etiam aliam ejuſdem rei conſtituit regulam indicemque, ex quo de adventu Meſſiæ ratio iniri potuerit, videlicet *cap.* 11. 44, 45.

ובימיהון די מלכיא אנון, *& in diebus Regum iſtorum ſuſcitabit Deus cœli regnum quod in ſacula non deſtruetur, & regnum ipſum populo alieno non relinquetur, comminuet & conſummabit omnia illa regna, ipſum autem perſiſtet in ſacula. Quandoquidem vidiſti è monte exſcindi lapidem, qui non eſt in ullis manibus* &c. Ad duo attendendum. I. Prædictionem de *Meſſia* eſſe, ejuſque regno. II. & periodum ejus venturi exponi ad ſtatum *regnorum* extraneorum. Videndum, quorum? ſed Meſſiam indicari per regnum perpetuum, in fine illorum excitandum, probat I. *res* ipſa. quia nullius regnum *perpetuum* & *conſtans*, præterquam illius: nullumque ita *univerſale.* Unde R. Eliezer, *cap.* XI. inter decem reges, qui imperarunt ab uno mundi cardine ad alium, nono loco Meſſiam conſtituit, *qui imperabit,* inquit, *ab uno mundi extremo ad aliud, juxta illud*, Dan. II. 35. *lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit totam terram.* II. quod de lapide abſque manibus exciſo, &c. de nullo quidem intelligi poteſt, quam de Meſſiâ. III. Præmittitur, revelari Regi quæ eventura eſſent *ultimis diebus* באחרית הימים. quod indicium Judæi Meſſiæ habent, & argumentum ſermonem de eo fieri. Menaſſe *lib.* III. de Reſurrect. *cap.* III. & *cap.* V. *Nam, uti jam diximus, R. Moſes Gerundenſis, & alii omnes ſapientes, per finem dierum intelligunt dies Meſſia.* In lib. *Spes Iſraëlis* pag. 54. Sic etiam Ezra, & Kimchi in *Hoſ.* III. 5. IV. Neque de alio, quam Meſſiâ, ipſi Judæi accipiunt. R. Salomon Jarchi, Aben Ezra, Saadia a-Gaon, Joſeph Jachia. R. Eliezer, præterquam capite jam dicto XI. etiam XXX. Maimonides, in epiſt. apud Vorſtium, in Notis ad Chronologiam Davidis Ganz, *pag.* 294. 295. Judæus, in Amica *Diſp. qu.* X. *Daniel de Meſſia duce quinta Monarchia poſt excidium quatuor beſtiarum ſive Monarchiarum: videbam in viſione mortis, & ecce veniebat in nubibus cœli inſtar filii hominis* &c. Quæ etiam in Talmude Sanhedrin, *cap. Chelek,* Meſſiæ applicantur. Meſſias item *lapis* nominatur, *Jeſa.* XXVIII. 16. *ecce pono in Zione lapidem.* Quod de Meſſiâ Jarchi exponit, etiam alii.

Jam venturus hic dicitur ביומיהון *in diebus regum iſtorum.* quinam hi reges? Duæ extant ſententiæ. Quidam intelligunt reges Alexandrum ſequutos, reges *Ægypti*, & *Aſia*, hos Seleucidas, illos Lagidas, à quibus varia graviaque paſſi continuo fuerunt Judæi. Atque non videtur vero conveniens, quod Spiritus S. deſcribens regna extranea, propter Judæos, & hiſtoriam illorum quæ Judæi ab illis experti, explicatis rebus Babyloniorum, tum Perſarum, ac denique Græcorum, præteriiſſet tem-

tempora Seleucidarum, quibus non minus dura, quam à prioribus, ſuſtinuerunt Judæi, & graviora ſæpe quam à Romanis. Præterquam quod valde bene omnia ſic conciliantur cum prophetiâ. Nam regnum quidem tertium cum uno Alexandro deſiit. Unde *cap.* XI. 4. *Et quum obſtiterit* Alexander, *frangetur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cœli: ſed non poſteritati ejus, neque ſecundum dominatum ejus, quo dominatus fuerit: nam evelletur regnum ejus, et aliis præter eos cedet. Itaque confirmabit ſe Rex Auſtri*, &c. ſcil. Ptolomeus Lagi filius. Et hiſce optimè convenit, quod *cap.* II. 41, 42, 43, de regni quarti, adinſtar pedum ex luti & ferri commixtione concretorum, diverſitate & diviſione: *quod autem vidiſti pedes et digitos partim ex luto figuli, & partim ex ferro, regna diverſa erunt, in quibus de firmitate ferri futurum eſt: quandoquidem vidiſti ferrum mixtum cum luto cœnoſo. Et digiti pedum partim ſunt ex ferro, et partim ex luto: quia ex parte regnum futurum eſt durum, et ex parte futurum eſt fragile. Quod verò vidiſti ferrum mixtum luto cœnoſo, commiſcebuntur quidem inter ſe ſemine humano, ſed non cohærebunt alind cum alio, perinde ac ferrum non hæret commixtum cum luto.* Reſpicit ad regna diverſa Lagidarum, & Seleucidarum, poſt Alexandrum M. De eo enim verſu immediatè præcedenti. Atque illi ſæpius inter ſe per nuptias coire viſi ſunt, ſed nulla ſtabili amicitiâ vel fœdere; ſed inimici ſemper inter ſe, ac duri præſertim fuerunt populo Judæorum. Minus autem quadrat imperio Romano, cui id applicatum it Menaſſe, *lib.* de termino vitæ, pag. 157. *Ut per ferrum, Romanum* ſignificetur imperium. *Quod autem pedes et digiti eorum partim fictiles, partim ferrei eſſent, illud deſignabat imperium Romanorum, & Mahumetarum*, inquit, *qui bello inter ſe contenderunt, nec pacem colerent, uti nec coire ſive miſceri poſſunt ferrum & lutum. Quod autem hæ duæ gentes nunquam amice inter ſe conſpirarent, indicat hiſce etiam verbis, miſcentes ſe ad exiſtendum in ſemine hominis, et non ad exiſtendum adhærentes huic cum illo. Atque hæc omnia impleta eſſe vidimus.* Sed extra orbitam nimis hæc. Nam quo tempore Muhammedanum cœpit imperium, collapſum jam fuit Romanum, & vix aliquid ultra cum Judæis negotii habebat, uti nec commixtionem ſeminis unquam quæſiverunt inter ſe Imperatores Romani cum Muhammedicis. Nec certe ad hoc uſque tempus rejici queunt, quæ apud Danielem ſtatim ab Alexandri regno tertio narrata. R. Levi ben Gerſom per crura imaginis, Reges Auſtri & Aquilonis intelligit. Aben Ezra, Gogum & Magogum. Et *cap.* VIII. mox poſt

regnum

regnum Alexandri, de Seleucidis, & Regibus Aſiæ minoris, Syriæ ac Ægypti, *verſ.*21. 22, 23. atque eorum finis imponitur hiſce de quatuor regnis prophetiis. *Hircus autem ille villoſus eſt regis Græciæ: cornu autem magnum interjectum oculis ejus, eſt rex primus. Atque hoc effracto quod conſurgent quatuor pro illo; quatuor regna ſunt ex ejus gente aſſurrectura, ſed non cum robore illius.* Intellige regnum Macedoniæ, Aſię, Syrię, & Ægypti, poſt Alexandrum ita divulſa. *In fine autem regni iſtorum, defectionem conſummantibus defectoribus, exſurget Rex impudens, & cautus.* Nemo non videt Antiochum Epiphanum, Seleucidarum (ita regnum Syrię apud Hiſtoricos appellatur) Regem deſignari. *Cujus robur ita invaleſcet, etſi non robore ipſius, ut mirabiliter perdat, et proſperetur, atque efficiat; perdet enim validos, populumque ſanctorum.* Iudaicum intellige. de eodem illo Antiocho eſt, *verſ.* 11. & 12. dictum; *etiam uſque ad Principem exercitus illius magnificavit ſe: nam ab ipſo ſublatus eſt jugis cultus, et abjectum habitaculum ſanctuarii. Exercituſque expoſitus eſt defectioni contra jugem cultum; adeo ut dejiciens in terram, faceret, et proſperaretur.* Tum *verſ.* 25. *Et incumbens intelligentia ſuæ proſperabit dolum actionum ſuarum, & cum animo ſuo magnificabit ſe, & in tranquillitate perdet multos: denique principi principum obſiſtet, & abſque manu frangetur.* Divinâ ſcilicet vindictâ. Inde jam concludit viſiones ſuas Propheta, atque ait: *Viſio autem illius veſpertini & matutini temporis, quæ dicta fuit, veriſſima eſt: quare tu occlude hanc viſionem, quia dierum multorum eſt.* Atque, ut ad argumentum noſtrum revertamur, poſt illud quartum regnum, illis temporibus, dicitur excitandum regnum Meſſię. Dan. 11. 44. *Temporibus autem Regum iſtorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in ſæcula non deſtruetur.* Id eſt, poſt illud tempus, nempe *Ægypti regno* per *Auguſtum* debellato, & ſubjugato; atque poſt vexationes ac oppreſſiones ab illis Regibus diu perpeſſas, aliud majus meliuſque regnum orbi manifeſtabitur. Verſ. 33, 34, 35. *Crura ejus ex ferro, pedes ejus partim ex ferro, & partim ex luto. Vidiſti, uſque dum exciſus eſt lapis abſque manibus, & percuſſit imaginem ad pedes ipſius ferreos & luteos, adeo ut comminueret eos. Tunc comminuta ſunt pariter ferrum, lutum, æs, argentum, & aurum &c. Lapis autem qui percuſſerat imaginem effectus eſt mons magnus, adeo ut impleret totam terram.* Hic Meſſias eſt, ejuſque regnum: atque in hoc deſinit Regis ſomnium, & prophetica expoſitio: *Hoc ſomnium illud, cujus interpretationem dicemus coram Rege.* Cap. VII. verſ. 11, 12, 13, 14. *Videbam tunc*

ex

ex quo cœpit vox verborum grandium, quæ cornu illud loquebatur, Antiochus Epiphanes &c. *Etiam reſidui beſtiarum ablatus eſt dominatus* &c. *Videbam viſionibus nocturnis, quod ecce cum nubibus cœli ſimilis filio hominis veniebat: deinde uſque ad antiquum dierum pervenit, ut ſiſteretur ante eum. Et huic datus eſt dominatus* &c. Adeo poſt deletum regnum Seleucidarum, Meſſiæ adventus ejuſque regnum exſpectandum fuit. Alii de *Romano* intelligunt imperio, & ſic Judæi paſſim, quod מלכות רשעים appellant. Joſephus Gorionides, *lib.* III. *cap.* XV. *In diebus illis cœpit ſub Jehuda regnum tertium, nempe regnum Romanorum, quod excitatum eſt poſt regnum Græcorum. Et crevit nomen Romanorum ſuper omnia regna, fuitque deſignatum per beſtiam quartam, quam vidit Daniel vir deſideriorum* &c. Neque diffiteor, ita quoque Chriſtianos multos locum & prophetiam explicare. Quomodocunque, etiam ſic argumentũ nobis hoc ex loco conſtat, pro adventu Meſſię longè præterito. Videlicet imperium Romanum diu occidit, ejuſque non niſi nomen & umbra jam ſupereſt. Menaſſe, *lib.* de termino vitæ, *pag.* 162. *Quartam, ac ferociſſimam beſtiam, Romanos ſignantem*, (inquit) *decem cornua habuiſſe, quia à Julio Cæſare uſque ad Veſpaſianum, everſorem Hieroſolymorum, decem numero fuere Imperatores.* At jam illa tempora præterierunt, præteriit etiam imperium Romanum, ergo Meſſiam veniſſe oportet. Nam dicitur temporibus Regum iſtorum ſuſcitandum Meſſię regnum. Quod ſi de Romanis accipiamus, certè illorum tempore & vigente imperio Mesſias venit. Atque ad temporis rationem perinde eſt, ſive de regno Lagidarum & Seleucidarum; ſive Romanorum intelligas. Nam quo tempore imperarunt Romani, illi interierunt, & à Romanis fuere ſubjugati. Ut Mesſiam natum liceat dicere, temporibus Regum iſtorum, ad eorum videlicet occaſum, & Romanorum florente nimirum imperio. Judæi vulgo dicunt, Mesſiam venturum ſtante imperio Romano, quod Edomiticum paſsim appellant. De quo vide Cl. Collegam D. Coccejum, in Sanhedrin, *pag.* 373. 374. Buxtorfium, in Lexico Talmudico, voce ארום. Ant. Hulſium, lib. I. *de Adventu Meſſiæ*, pag. 116. Unde loca Scripturę de Edomitis ad Romanos applicant. *Pſal.* X. 9. 10. ubi vide Jarchium, & Aben Ezram. Targum *Pſalm.* CXXXVII. *Jeſa.* LXIII. I. *Thren.* IV 22. In Obadiam. Habac. IV. 13. 17. 18. Targum Ieroſolymitanum, in *Geneſ.* paraſcha לך לך. & paſsim. In Talmude Sanhedrin, *cap. Chelek*, Raſ ait: אין בן דויד בא *non veniet filius Davidis* Mesſias, *donec ſe effuderit nefarium imperium Edomi ſuper Iſraëlem novem menſibus*:

bus: ſicuti dictum; propterea dabit eos uſque ad tempus, quo parturiens pepererit, et reſiduum fratrum ejus ad Iſraëlitas revertentur. Mich. v. 2. Ergo circa id tempus Meſſiam venire oportuit, quo imperium Romanum viguit, & Judæos primùm ſubegit, quod utrumque multis retrò ſeculis fuit. Quam hæc bene conveniunt cum nativitate Meſſię noſtri, quę eopſe tempore contigit? *Luc.* II. I. *factum eſt autem diebus illis, quod exiret edictum Cæſaris Auguſti de deſcribendo toto orbe*, & quę ſequuntur. Scilicet hoc ipſum illud tempus, quum Romani orbis domini Iudæos ad cenſum, ac deſcriptionem capitum agebant, quo Meſſias natus eſt. Unde luce clarius apparet, quocunque demum modo locus Danielis ſumatur, ſive de quarto regno Seleucidarum, ſive Romanorum, evinci, Meſſiam olim venire, juxta illam prophetiam, debuiſſe, atque, ſi fides prophetiæ, etiam veniſſe.

Objiciunt: Quod Meſſias noſter regnum nullum erexit, nedum quod priora comminuerit, atque ſibi ſubjecerit. *Reſp.* Non poteſt iſta priorum regnorum per Meſſiam ſubjugatio ad literam, & corporaliter intelligi; quia regna illa præcedentia à ſequentibus invicem deſtructa fuerunt, non autem permanſerunt integra, ut à Meſſię regno demum exſcindi potuiſſent. II. Nec poterunt illa regna per Judæorum Meſſiam, quem ipſi exſpectant, debellari & confringi; quia jam olim deleta, eorumque ne nomen quidem hodie ſupereſt. III. Ergò intelligitur modo, poſt illa regna Meſſiæ regnum aliud erectum iri, quod reſiduum regnorum iſtorum, cæteraque ſibi ſubjiciet, verùm ſpiritualiter; quatenus ex omnibus mundi plagis, nationibus, & regnis fecit ſibi ſubjectos Chriſtianos, deditos doctrinæ fideique ſuæ Meſſias noſter. Tum regna, Regeſque terrenos omnes ſibi habet ſubjectos, ut ſibi vel inſcii invitique ſerviant ad promotionem Eccleſiæ & gloriæ ſuæ. Denique apertiſſimè & univerſaliſſime in fine mundi, ultimo judicii die, judex Chriſtus palam faciet ſibi haud fruſtra traditum, ut Mediatori, imperium poteſtatemque in cœlum atque terram.

Poſtremum ex Scriptura, & *quintum* pro adventu Meſſiæ argumentum eſt *Malach.* III. I. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui paret viam ante me, & repente veniet in templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quo vos delectamini. Ecce venturus eſt, ait Jehova exercituum.* Mox venturus, à Malachiâ Prophetarum ultimo, dicitur, in templum iſtud ſuum, Meſſias. De Meſſiâ enim agi, quod ante omnia hujuſmodi in locis oſtendendum, & ſemper duplici argumento probamus,

mus, tum artificiali, per documenta ex ipſo textu; tum inartificiali, ex teſtimoniis Rabbinorum, facile doceri poteſt. I. Is enim unicè nunc mittendus erat. II. Atque exſpectabatur, & quærebatur. III. Is Dominus. רבונא inquit Chaldæus: quo nomine ſæpe nuncupatur in Euangelio Meſſias noſter *Rabboni*. IV. Et is Angelus fœderis. V. Templi Dominus, in quod ſuum ipſe veniret. Secundò de Meſſiâ exponunt inter Judæos R. David Kimchi, *ille Rex Meſſias eſt, & Angelus fœderis*. Sic & Aben Ezra. Maimonides, in epiſt. quam Vorſtius edidit, in Obſervat. ad Chronol. Ganz. pag. 297. *Primo videbitur* Meſſias *in terra Iſraelis*; quia *in terra Iſraelis erit initium apparitionis ejus. Sic dicitur: Repente veniet in templum ſuum Dominus, quem quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini: ecce venturus eſt, ait Dominus exercituum.* Antea dixerat, *loquitur etiam Propheta admirabundus, de tempore, quo viſurus eſſet liberatorem: quis autem ſuſtineat diem adventus ejus? & quis conſiſtet, cum apparuerit?* Malach. III. 2. cap. IV. I. *Nam ecce dies ille adveniet* &c. verſ. penult. *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam.* Quæ de Meſſiâ intelligenda vel ſola Eliæ præcurſoris mentio facit. Ex quibus ſic denique argumentamur: Qui ecce confeſtim venturus in templum exſpectabatur à tempore Prophetę ultimi Malachiæ, ille jam olim venit: ſed Meſſias confeſtim venturus in templum exſpectabatur à tempore Malachiæ ultimi Prophetę; ergò olim venit. Atque in hoc quidem Malachiæ loco vel argumento id præcipuè obſervandum, quod Malachias, Prophetarum ultimus, in ſermone non longo, bis Meſſiæ adventum adnuncians, in fine ſuæ, & totius Scripturæ, tam prope eum attingit. & monſtrat quaſi digito, ecce, inquiens, in iſtud & ſuum templum, is, quem cupitis, Meſſias ocyus veniet, aderitque deſiderium veſtrum & gentium. Non dicit quod priores ante eum Prophetæ, ſimpliciter venturum Meſſiam, neque ullum omnino (quod quæſo notemus) aliud ejus ſignum ponit ſeu ex politiâ, ſeu Eccleſiâ, ſeu aliis circumvicinis regnis, aut ad aliquam temporis periodum ſupputare nos annos jubet, verum inſtare ac præ foribus adventum eſſe, & ſe ipſo brevi adimpleturum omnia, clare jam annunciat, atque euangelizat. *Ecce*, quaſi digito notaret; & non ſemel illud, ſed utroque loco habet. Jamque in *via* Meſſiam eſſe ſignificat, quia de præparandâ eâ loquitur, per illum quem jam *erat mittens*, אנכי שלח. Et *cito* venturus erat, פתאם. Hoc eſt quod Iudæi perpetuo, ſed jam fruſtra inclamant במהרה, cito veniat Elias, cum Meſſiâ filio Davidis. Quod in Liturgicis crebro, & aliàs vulgari voto

voto uſurpant. Ezra in fine commentarii ſui in Malachiam, וימהר קץ ביאתו, *atque acceleret tempus adventus ſui.* Quod quidem tempore Malachię uſurpari potuit, tamque oportunum tum, quam hodie fruſtra dicitur. Quippe tum erat *Ieſa.* IX. 22. *Ego Jehova tempore ſuo accelerabo iſtud.* Atque uti in proximo proſpectabant Meſſiæ adventum. Unde Zacharias: *exulta valde filia Zion, clange filia Jeruſalemi, ecce Rex tuus venit tibi.* cap. IX. 9. Non ita anteriora vaticinia, ſed in quo admirabilem divini ſermonis ſtructuram obſervare eſt & ſapientiam, quo propius ad tempora Meſſiæ, eo clarior, magis definita, & præſentanea oratio fuit. Atque ecce in quo deſinit Malachias, ibi incipit Euangelium, iiſdemque verbis Euangeliſtæ Marcus, & Lucas hiſtorias ſuas inchoant, quibus ſuam, & Vet. Teſtamenti prophetias obſignavit Scriptorum ultimus Malachias. Ut connexam & colligatam eodem Spiritu, Spirituſque effato ſciamus Scripturam utramque: neque aliud Vetus Teſtamentum eſſe, quam futuri umbram, & Novum iſtius commentarium atque complementum.

Arg. ſextum & ultimum petitur ex ipſis *Judæorum teſtimoniis*, quà *antiquis*, quà *recentibus*, eorumque calculis de tempore adventus Meſſiæ, olim præterito; quod illi quidem figunt, & haud uno loco modoque, in millenarium mundi quintum, ſtatim poſt elapſum quartum. Quod adeo jam effluxit, & ſupra ſeſquimille annos, & Chriſtianis favet tum hac in re de adventu Meſſiæ, quia noſter circa id tempus venit, tum in reliquâ re chronologicâ, ut Eliæ dictum Chriſtianorum multi etiam in chronologiis ſuis ſequi ament. Iſtud autem (non Eliæ Tiſbitis, ſed alterius cujuſdam) ita ſonat, in Talmude, Cod. Sanhedrin, cap. XI. *Traditio domus Eliæ, ſex mille annis durabit mundus. Bis mille annis inanitas, & vaſtitas. Bis mille annis lex. Bis mille annis dies Meſſiæ,* ששת אלפים שנה היו עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות חמשית. Ibidem, R. Ketina dixit, *Sex annorum millibus ſtabit mundus, & uno vaſtabitur.* Menaſſe, libr. III. de Reſurrection. cap. III. *Præterea hoc ipſum colligitur ex antiquorum dicto quod exſtat in Gemara. Aboda Zara*, cap. I. ת״א דבי אליהו ששת אלפי שנה הוי עלמא שני אלפים תהו שני אלפים תורה ושני אלפים ימות המשיח ובעונותינו שרבו יצאו מהן מה שיצאו. *Legitur in ſchola Eliæ, (non Thesbitæ illius, ſed alicujus Rabbini) ſex mille annis mundum duraturum eſſe; bis mille annis inane, bis mille annis legem, & bis mille annis dies Meſſiæ, & propter peccata noſtra, quæ quam plurima ſunt, tot anni jam ſupra illud tempus elapſi ſunt. Dividit hic autor totam*

mundi

Digitized by Google

mundi durationem in tres ætates, tribuens unicuique ætati bis mille annos. Conſiderans autem, homines uſque ad Abrahamum, (qui univerſam legem Moſaicam optime obſervavit, uti ex Geneſi conſtat) abſque lege vixiſſe, ideo vocat illud tempus תהו *tohu, id eſt vacuum, & inane. Ab Abrahamo vero uſque ad Meſſiam, qui ſenſum legis et myſteria illius populum docebit, intervallum illud rurſus facit bis mille annorum; ita ut elapſis quater mille annis, illuſtris, ac mirabilis dies exoriturus ſit, quo Meſſias in has terras veniet, ad populum de vera mente, ac genuino ſenſu legis erudiendum, ac docendum.* Appendiculam illam de annis à termino ſuo multum elapſis, propter ſcilicet peccata populi, mox videbimus. Cæterum admirandum eſt, ut illa Iudaica rebus noſtris conveniant, ſuas jugulent. Obſervandum in gnomâ Elianâ tempus mundi; & tempus Meſſiæ: illud ſex millium annorum ponitur, hoc duorum poſtremorum. Non quod putemus hæc canonica eſſe, vel exactiſſimæ rationis, neutiquam. Neque enim alicujus eſt finem mundi certum aſſignare: neque præciſe quintum millenarium accipi debet, ut ad eum Chriſtus veniret; uti nec tertium, legis. Sed contra Judæos hoc ipſorum dictum commode adhibetur, prȩcipue quia circa quintum mundi millenarium Chriſtus venit, & jam per multa admodum ſæcula tempus illud præteriit. Sententia ex Kabalâ deſumta videtur, nimirum ex creationis hexaëmero: quod uti ſex diebus Deus creavit omnia, & requievit ſeptimo, ita mundus ſex millenariorum diebus duraturus cenſeatur, finiendus ultimo. Menaſſe in Conciliatore, quæſt. xxx. in Geneſ. *Et illa quidem Cabaliſtarum eſt opinio, quam R. Ketinà confirmat in Thalmude, ſex millia annorum mundum duraturum dictitans. Idem quoque in Pirke R. Eliezer, & in Thalmud Hieroſolymitano tractatu de Sabbato, à R. Mehir dicitur.* Et de Creatione, Problem. XI. *An ſpatium ſex dierum, quo mundus conditus eſt, myſterium aliquod in ſe habeat, an vero ſpatium iſtud caſu evenerit, abſque ulla myſtica rei intentione?* reſpondeo, *Philon & Auguſtinus multa dixerunt de numero ſenario: ſed ut omittamus hos, Cabaliſtæ dicunt per ſex illos dies ſignificari ſex millia annorum, quibus mundus durabit: nam Pſalmiſta ait,* Quia mille anni ſunt in oculis tuis, tanquam dies unus. *Id ipſum quoque disertè aſſerit Moſes in præcepto Semitæ ſeu anni ſabbatici, cum jubet ſex annis terram coli, et ſeptimo eam incultam atque inaratam relinqui. Nam annus magnus apud Aſtrologos conſtat ex mille annis. Idem quoque ex compluribus aliis locis perſpici poteſt, quemadmodum fuſius de his egi in Conciliatore meo, in Gen. quæſtione* XXX. Et pag. 49. *Denique ſeptimo die quies fuit: ſic etiam*

ſeptimo millenario ex multorum opinione erit quies, quia chaos quod de perpetua germinatione produxit omnia generabilia ſex annorum millibus, poſtea tandem omnibus rebus confuſis quieſcet & germinare deſinet. Videmus itaque non tantum ſex diebus creationis denotari ſex millia annorum quibus mundus ſtabit: verum etiam multa obſervatione digna, quæ in ſingulis illis annis acciderunt. Quantopere autem hæc ſtringant Iudæos, & cauſæ ſuæ ipſos reddant ſupra modum ſollicitos, ſatis teſtatum reliquit Menaſſe iſtis ſuis verbis, in fine Problematum, quibus comprehenſa *prima* ad verba Eliæ, noſtrumque inde argumentum *exceptio*, quam nunc examinabimus. Sic autem habet:

Simul etiam confirmatur Cabaliſtarum opinio, quæ maxime nititur verbis Eliahu, qui dicit mundum ſex mille annis duraturum, & uno interiturum. Quod intelligendum eſt de ſeptimo millenario, quo tempore omnia inferiora corrumpentur, & ad Chaos redibunt, ex quo facta ſunt. Hoc ita ſuppoſito reſtat dubium aliquod non leve, quod nobis ſolvendum eſt. Id hoc eſt, ſi iſta opinio vera eſt, ecquod erit tempus Meſſiæ, ſive quis erit mundus ille Meſſiæ, quem Iſrael exſpectat, in quo promiſſo gaudio fruetur? Ratio dubitandi eſt. Cum enim Iſrael jam tot centenos annos tam graves calamitates paſſus ſit, & adhuc patiatur, ſola ſpe futuræ iſtius in diebus Meſſiæ felicitatis ſe ſublevans, ac ſuſtentans, profecto omnino par et æquum videtur, ut anni iſti felices plures ſint longiuſque durent. At vero cum jam agatur quinquies milleſimus trecenteſimus nonageſimus quintus annus à mundi creati initio, exiguum temporis reſtat ad finem ſex iſtorum mille annorum; cumque ex Judæorum omnium ſenten-

Reſp. I. Bene atque ingenue primùm fatetur Menaſſe, dubium iſtud *haud leve* eſſe, cujus nempe explicandi adeo graves experitur difficultates & anguſtias. II. Neque adeo diſtat numerus annorum mundi vulgaris noſter à Judaico, non certe in millenariis, ſed centenariis tantùm ſupra millenarium. Nam hodie utrique numeramus ultra quintum millenarium, in centenariis diſcrepamus, Judæis annum numerantibus à creatione mundi 5404. nobis autem vulgò 5603. ſolo ducentorum annorum diſcrimine, quod ad controverſiam noſtram parum admodum eſt, & Judæis certe eſſe debet, quibus quatuordecim nunc exſpirarunt ſæcula à tempore, quo Meſſiam venturum ipſi ſcripſerunt, reſiduis ad mundi finem, juxta ipſorum rationes, vix ſexcentis annis. Atque à quinto millenario, quo, non nos, non ſcriptura, ſed Judæi dixerunt Meſſiam venturum, nos effluxiſſe dicimus annos 1603. non quod juſtum hic ineamus calcu-

lum

tia nondum venerit Meſſias, videtur ſane nihil, aut parum admodum temporis reliquum futurum Iſraëli, quo feliciter vivat ſub Meſſia ſuo, et ſperata felicitate perfruatur.

Ad exactum hujus dubii ſolutionem longior, prolixiorque tractatus requiritur, quam qui ſcripto huic noſtro breviſſimo convenit. Quare breviter tantum dico opinionem illam de mundi corruptione, apud omnes Hebræos non eſſe communiter receptam. R. Moſes Ægyptius aliique multi exiſtimarunt mundum fore æternum: omnia vero loca, quæ videntur innuere contrarium, conciliarunt; quemadmodum in Conciliatore meo videre licet. Idcirco quidam hujus ſeculi Cabaliſtæ, animadvertentes eam difficultatem, diſſentiunt ab antiquis, & inquiunt, quando ait Eliahu וחד חריב *(et uno deſtruetur) non intelliguntur mille anni, neque univerſalis deſtructio: ſed quod uno die, aut una hora ſiſtetur generatio & corruptio, cum omnibus cœleſtibus motibus. Ad hæc multa alia dicunt, ut ſolvant illud dubium, & oſtendant infinitos fore annos, quibus populus Iſraëliticus omnibus bonis ſub Meſſia ſuo fruetur; uſque adeo, ut tempus calamitatum et miſeriarum, ſive iræ divinæ, ſub qua fuit, et etiamnum eſt, cum iſto futuri iſtius ſeculi tempore collatum ſecundum Jeſaiam, non niſi puncti, aut momenti inſtar ſit reputandum. Quicquid ea de re ſit, id uni, ac ſoli benedicto Deo conſtat.*

lum & rationes Chronologicas, neque id hujus loci, ſufficit vulgarem ponere impræſentiarum numerum, neque vel noſtri vel Judaici examen inſtituere Chronologicum. Judæi autem annos dicunt à quinto millenario inchoante abiiſſe 1404. Saltem ergo ſupra mille annos eſt, quod ipſi fatentur Meſſias venire debuit. Jam vero nec ipſi, nedum nos, præciſe voluerunt venturum Meſſiam ad primum quinti millenarii annum. Uti neque lex ad tertium millenarium data. Sed videre interim Judæi poſſunt ac debent quam proximè ad deſignatum ipſorum tempus venerit Meſſias noſter. Ut illa ipſorum ſententia vi veritatis expreſſa, à qua non adeo late aberrat, cogere eos etiam debeat, errorem hic agnoſcere, ex propriis ſuis, quas nobis ſuppeditant, hypotheſibus & calculis. Si ad quintum mundi millenarium venirè Meſſias debuit, quomodo necdum venit jam poſt ſextum, & quod excurrit?

III. Digna notatu eſt Menaſſis confeſſio, & anxietas: *Exiguum temporis* (dicens) *reſtare ad finem ſex iſtorum mille annorum*. & Meſſiæ quidem, videri *ſane nihil, aut parum admodum temporis reliquum*. Unde quid aliud colligas, quam turbatas Judæorum rationes & res omnes? Nota, quod non erubuit ſcribere *ſane nihil* temporis videri Meſſiæ reliquum; correxitque frigide ſatis

Impræſentiarum nos dubitationibus, & quæſtionibus omnibus, à nobis propoſitis ſatisfecimus pro virili noſtra: ſiquid deſideretur, id pertractandum relinquimus aliis, qui majore ingenio, atque induſtria pollent. Ego prece iſta ad ſummum numen finiam, qua Pſalmiſta utitur: Errores quis intelligit? ab occultis libera me Domine.

tis per *aut admodum parum*. Quid ergo ſe, noſque diutius fatigant Judæi adventu Meſſiæ, quem ſatis nullum putant, quando adeo *ſane nihil*, aut *parum admodum* temporis ei de omni mundi tempore, & quidem juxta ipſos, ſupereſt? Vana ergo ſpes eſt, quidquid de ejus *ſpe*, & *ſperata felicitate* Menaſſe adjungit, neque ſibi opinor creditum. Imo *deſperata* revera eſt infelicitas, & ſola, quæ eos tenet, animi pervicacia. IV. Quid quæſo Menaſſe ſolutionis ad ſuum hoc dubium adfert? *dico, opinionem illam de mundi corruptione, apud omnes Hebræos non eſſe communiter receptam. R. Moſes Ægyptius aliique multi exiſtimarunt mundum fore æternum.* Sed miſer homo: non quæritur, quid alii dicant; ſed quid tu. non quod alii male dicunt, de mundi æternitate: hoc enim tute negas, & refellis hand uno loco. Præſertim in ipſo tuo quem hic citas Conciliatore, in *Geneſ. qu.* XXX. ubi contra Moſis Ægyptii aliorumque ſimiliter ſentientium opinionem adſers ipſam illam Cabaliſtarum ſententiam, de mundo poſt ſex mille annos interituro, eamque, utroque, quod dici ſolet, pollice probas. Hæc tua ſunt verba: *Et illa quidem Cabaliſtarum eſt opinio, quam R. Ketinà confirmat in Thalmude, ſex millia annorum mundum duraturum dictitans. Idem quoque in Pirke R. Elihezer, et in Thalmud Hieroſolymitano tractatu de Sabbato. à R. Mehir dicitur.* Et deinceps: *Quamvis autem hæc quæſtio (ut R. Moſeh ait) non ſit caput fidei, & quiſque inoffensâ conſcientiâ, opinionem quæ maximè arridet ſequi poſſit, illa tamen Cabaliſtarum ſententia ut verior, ita & pia magis videtur. Eamque in ſermone ſuo amplexus eſt R. Moſſeh Gerundenſis, R. Haſdai, libro* IV. *Or a-Sem diſcurſu I. & R. Abraham bar David in ſuis Aſagot: etiam R. Selomo ben Aderet in quæſtionibus ſuis dicit, hanc veritatem à prophetis ſapientibus acceptam eſſe, quod omnia creata interitura ſint in fine mundi. Idque ipſa, ut videtur, ratio illi dictavit. Etenim ſummus Creator noluit creare quidpiam ſimile & coæternum ſibi: qualis ſi mundus fuiſſet, non agnoſceret Creatorem ſuum, diceretque creatura Autori ſuo, nequaquam me feciſti. Eam ob cauſam voluit Deus Opt. Max. cætera omnia corruptibilia eſſe, ut agnoſcerent magnitudinem Creatoris ſui. Adde quod diſertim illud David demonſtrat, cum ait,* Ante fundaſti terram,

ram, & opera manuum tuarum ſunt cœli: illi peribunt, & tu permanebis. *Et alio loco*: idcirco non timeremus, ſi commutaret terra (*locum*) aut ſi dimoverentur montes ad cor maris. *Nimirum in Jubilæo magno, ut jam dictum eſt. Idem quoque innuit Propheta Jeſaias*, Ego, *inquit*, ſum primus, & ego ſum ultimus. *Igitur ſi Deus noviſſimus erit, & poſt creata permanebit: ſequitur creata omnia peritura; alioqui Deus poſtremus eſſe nequiret.* Adeo probas ibi quam plurimis tum rationibus, tum Scripturæ locis Kabaliſtarum, de mundi fine atque interitu, doctrinam: quam tamen in loco Problematum, quem nunc præ manibus habemus, voluiſti videri haud adeo improbare, citato etiam Conciliatore, quaſi hoc probatum ibi eſſet, vel conciliatum, quum aperte contrarium, & confirmatam ibi Kabaliſtarum ſententiam videamus. Quis obſecro iſte agendi modus, reſpondere ad Dubium aliquod grave & difficile, à Te ipſo motum, ſententiâ aliorum, quam ipſe eo, quem tuum notas, loco rejicis & refutas? imo reſellis per id, quod tibi nunc in præſenti dubio diſcutiendum propoſuiſti, id eſt, Kabaliſtarum de fine mundi ſententiam? Verùm non aliter agunt qui ad extrema redacti, quid aut quomodo dicant reſpondeantve, præ animi morbo, & mali dogmatis deſperato patrocinio, non attendunt. v. Pergit: *idcirco quidam hujus ſæculi Kabaliſtæ, animadvertentes eam difficultatem, diſſentiunt ab antiquis* &c. Iterum quid ad nos, quid *alii*? expone, quid tu dicas. non, quod *quidam*: nam illa Eliæ ſententia recepta eſt ab *omnibus*. Hoc quidam nuperi & *hujus ſæculi*; illud antiqui dixerunt. Hoc ex præjudicio ejus, quam hic ſenſerunt, *difficultatis*: illud ex animi ſenſu dixiſſe eos, credibile. Illud antiqui; hoc qui *ab antiquis diſſentiunt*. Jam hæc ſatis valida contra expoſitionem ex iſtorum mente adferendam in ipſo limine collocata præjudicia. vi. *Inquiunt, quando ait Eliahu* וחד חריב (*& uno deſtruetur*) *non intelliguntur mille anni, neque univerſalis deſtructio: ſed quod uno die aut hora ſiſtetur generatio & corruptio, cum omnibus cæleſtibus motibus.* Sed hoc nihil ad rem præſentem facit, neque ſolvit dubium, quod in eo ſitum non erat, quomodo mundus ultimo eſſet deſtruendus, ſed quomodo nondum veniſſet Meſſias ad quintum mundi millenare, ut duobus millenariis durare poſſet ejus quoque tempus, quemadmodum antea legis, nam hoc Elias, hoc Kabala dixerat, & hinc idem ſtatuunt Judæi omnes. vii. Atque ita nihil hic quidem prolatum à Menaſſe ad ſolvendum illud dubium, nihil ex aliorum, nihil etiam ex ſuâ ſententia. Nam demus, per

impoſſibile, veram eſſe Moſis Ægyptii, aliorumque ſententiam, de mundi æternitate, ſic tamen necdum reſponderis aliquid, nedum ſolveris, quod juxta Kabalam Meſſias venire debuit ad quintum mundi millenarium. VIII. Neque hac ſolum ratione, & hoc in membro falſa redditur ſententia Eliæ, ſed & tempus legis etiam non finitur duobus millenariis. Atque ita nihil ferme verum relinquetur in illâ gnomâ, quæ, ad noſtram ſolùm ſententiam, ſtare poteſt atque conciliari optimè. IX. *Multa alia* dicere eos, ut *ſolvant dubium*, equidem nec ambigo, nec miror, quia crucem ſentiunt hic ſibi inexplicabilem. X. Quando infinitos ſub Meſſia fore annos oſtendunt, oſtendunt belle, quod ipſi arbitrantur eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων: nam exiguum temporis ſciunt reſtare ad finem mundi. Ecce, jam dicunt, nihil vel parum admodum temporis reſtare Meſſiæ: jam, infinitos annos. Certe non pauca illis dicenda ſunt, iſta qui concordare connitantur. Menaſſes interim in re adeo deſperata, animum plane deſpondens, ſatis habet his verbis concludere: *quidquid ſit, id uni ac ſoli benedicto Deo conſtat.* Atque, *ego prece iſta ad ſummum numen finiam, qua Pſalmiſta utitur: Errores quis intelligit? ab occultis libera me Domine.* Ingenuè errorem confeſſus ſuum, quem ut ei omnem auferat clementiſſimus Deus, ego quidem ex animo comprecor. XI. At dicam, quâ quidem ratione adimendus error ſit, & obventura vobis felicitas ſub Meſſia infinitos in annos, adeo *ut tempus calamitatum & miſeriarum, ſive iræ divinæ*, (valde bene eſt hæc quod agnoſcis) *ſub qua* fuiſtis, *& etiamnum* eſtis, *cum iſto futuri iſtius ſæculi tempore collatum, ſecundum Jeſaiam, non niſi puncti aut momenti inſtar ſit reputandum*: nempe, ſi depoſitâ animi pervicaciâ, Meſſiam verum, qui eo tempore jam dudum venit, quo & Veſtri venturum dixerunt, fide, atque cultu omni recipiatis, qui animis veſtris eam conciliaturus eſt pacem ac fælicitatem, quæ æternum durans, terrena omnia ſenſu ac fruitione ſpirituali cæleſtique immenſum ſuperabit. Hanc animi tranquillitatem, hoc gaudium experieris, quo per Dei gratiam nos & jam fruimur, & perpetuo beatos fore confidimus, quamprimum ad Meſſiæ noſtri notitiam fidemque te applicueris. quod ut ocyùs fiat, Deoque efficere placeat, iterum atque iterum Tibi, Tuiſque, qui hęc ſcribit, & legit, vovent. Denique eo tandem devenit Menaſſe, ut incertum tempus adventus Meſſiæ dixerit, alioſque in hoc inquirentes carpſerit, *lib.* Spes Iſraëlis, *ſect.* XXVII. *Tempus illius ſcire datum eſt nemini, neque ipſi Rabbino Simeoni ben Johay, auctori Zoar, revelatum: eò quòd Deus ſibi illud*

myſte-

myſterium reſervavit, *ut dicit Moſes*, Reconditum eſt penes me. *Et Eſaias cap.* 63. Diem vindictæ in corde meo, & annum, quo futura eſt redemtio. *Quod ita explicant Rabbini: Revelavi cordi meo, et non Angelis; & alibi: ſi quiſquam tibi dicit, quando veniet Meſſias, noli credere. Ita etiam dicit Angelus ad Danielem:* Obſerata, & obſignata ſunt omnia uſque ad finem ſeculi. *Itaque omnes iſti, qui tempus illud inquirunt, ut Rabbi Seadiah, Moſes Ægyptius, Moſes Gerundenſis, Selomoh Jarchi, Abraham bar Ribi Hija, Abraham Zacuto, Mordehai Reato, & Iſaac Abarbanel, lapſi ſunt; eò quod capacitatem humanam ſuperare vellent, ac revelare id, quod celavit dominus. Et ipſi Danieli, qui arcanum illud de mutatione 4. Monarchiarum oſtendit, etiam id in eum modum revelatum fuit, ut confiteretur ſibi ipſi id non intellectum. Hoc volunt indigitari antiqui noſtri literâ iſtâ* ם *clausâ in Eſaia cap.* 9. *verſ.* 6. *ubi dicit* לםרבה המשרה amplificanti dominium; *quæ cùm finalis ſit, in medio tamen dictionis contra univerſalem regulam ponitur, eò quòd tempus quintæ monarchiæ erit occultum, uſque ad tempus, quo incipiet.*

Altera exceptio ad argumentum noſtrum Elianum, quam dant Judæi, hæc eſt, elapſum quidem tempus eſſe ab Eliâ deſignatum, ſed hoc propter peccata populi: ſic Menaſſe, alio in loco, vid. *lib.* III. *de Reſurr. cap.* III.

Quia vero præter opinionem ſuam rem cadere videbat, ideo erumpens in lamentationes, ac querelas, ait, vitia, ac peccata populi in cauſa eſſe, cùr adventus Meſſiæ ulterius, longiuſque dies iſte eſſet dilatus, adeo ut jam trecenti anni ultra quatuor millia annorum elapſi eſſent. Et profectò veriſſimum eſt, ſi Iſraelitæ ſerio factorum ſuorum pœnitentiam egiſſent, Meſſiæ adventus non fuiſſet procraſtinatus: at nunc quia profunde immerſi jacent hærentque defixi in vitiis, & peccatis ſuis, hinc eſt quod differatur beatitudo illa uſque ad finem dierum: nam tum juxta Oſeam, Cap. 3. 18. Poſtea revertentur filii,

Reſp. I. At hoc cauſam noſtram vehementer probat atque confirmat, quod aperte & ingenuè fatentur, verum tempus venturi Meſſiæ elapſum. Dicitque, nos Scripturæ, & Antiquorum inter illos ſententiam tenere hac in re, ipſos tranſgredi. Utrorum quæſo cauſa melior, noſtra, qui Dei nitimur veritate ac fidelitate, & conſenſu Veterum: an Judæorum hodiernorum, qui adverſus illa apertis frontibus pugnant, pro ſolis ſuis hodiernis placitis, & obſtinatione? II. non ſunt jam *trecenti* anni elapſi ultra quatuor millia, ſed ſupra mille trecenti, & plures, & ſoli aliquot centeni abſunt

 ſunt

Digitized by Google

Iſrael et quærent Dominum Deum ſuum, et David regem ſuum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in noviſſimo dierum.

ſunt à mundi fine. III. Nunquam Meſſiæ adventus, pro ratione peccatorum fuit propoſitus, & vel prolongandus propter ea, vel accelerandus. IV. Sed è contrà Deus certum ejus præſtituit tempus, quidquid futurum eſſet de hominum peccatis. V. Quæ qualia vel quanta eſſent, etiam ſcivit Deus, ut non potuerit hinc in promiſſione ſuâ errare aut fallere. VI. Quando non peccatis fuerunt dediti, immerſique Judæi, & quando non erunt? ut, ſi ad hæc Meſſiæ adventus expendi debeat, nunquam aut promitti, aut venire debuerit. VII. Imò quo graviora populi peccata, eo magis accelerare eum oportuit, certe non tardare. Uti probi Medici eſt feſtinare adventum, quo gravius laborant ægri, non differre, & protelare. Sed hæc in ſequentibus plenius diſcutiemus ac refutabimus, etiam quod ſpectat ad gloſſam illam Elianam.

Sequitur *tertia* apud Menaſſem *exceptio*, nempe poſtremo διοχιλίῳ venturum Meſſiam, ſed non dici, an ejus initio, an fine. Quomodo item reſpondetur in Schebet Jehuda, ſeu hiſtoria Judaicâ, pag. 239.

Vel quemadmodum legitur in Sebet Jehuda, non dicitur, quod venturus ſit in fine quater mille annorum, vel in principio quinque millium: ſed tantum, quod bis mille annis dies Meſſiæ, id eſt, quod intra ſpatium illud annorū venturus ſit Meſſias, circa principium, medium, vel finem, pro ratione meritorum. Poſt iſtos vero ſex mille annos arbitrabatur mundum finem habiturum.

Reſp. Bis mille anni in membro tertio, Meſſiæ aſſignati, intelligendi ſunt quemadmodum bis mille anni ἀδήλε, & totidem anni legis, ut tantundem temporis præter propter Meſſiæ aſſignari queat, ac periodis prioribus. Quare exponi nequit, venturum Meſſiam in fine unius, ultimique millenarii, cui duo annorum debentur millia. II. Ineptum admodum gloſſema, *bis mille annis dies Meſſiæ, id eſt, quod intra ſpatium illud annorum venturus ſit Meſſias.* Nam æque ei aſſignare tum poſſis vel plures annos vel pauciores, quatuor annorum millia, vel unum, vel imo duntaxat ſæculum, nempe intra quod tempus venturus ſit. Scilicet bene vel tibi, vel alteri admetiaris mille annos, quia intra milleſimum annum vivis? Pari modo ſtulte dixeris, tempus Meſſiæ fore bis mille annorum, nempe quod intra annorum illud ſpatium adfuturus, quamvis modo quadraginta annis dominaturus ſit.

Præter Eliæ illud, quod hactenus diſcuſſimus, teſtimonium, de annis mundi,

Digitized by Google

mundi, & Meſſiæ, alia apud Judæos occurrunt ſimilia, quæ noſtrum pariter argumentum confirmant. In Talmude, eodem loco, alterius item Eliæ proditur ſupputatio ad numerum *Jubilæorum*, videlicet quod venturus Meſſias fuerit, poſt octoginta quinque Jubilæos, à mundi creatione, illorum videlicet ultimo. Jam autem Jubilæus conſtat annis quinquaginta: quare octoginta quinque Jubilæi conficient annos quatuor mille, ducentos quinquaginta. Iterùm poſt quartum mundi millenare, in quinti initio, non demum ſub finem ſexti, exſpectari ut Meſſias debuerit. *Ait Elias ad R. Jehudam fratrem R. Salæ pii* אין העולם פחות משמונים וחמשה יובלות וביובל האחרון בן דויד בא, *Non minus octoginta quinque Jubilæos durabit mundus: Jubilæo autem extremo filius Davidis veniet. Cui ille, ejuſne exordio, an fine veniet: reſpondit ille, equidem neſcio. Quum finierit, inquit, ac priuſquam finierit? ille, ſe neſcire. Rab Aſche ſic illum reſpondiſſe refert: huc uſque ne exſpectes illum, de cætero exſpectes illum.*

Tertiò in eundem ſenſum iterum in Talmude ibidem, & alia mox ſubjungitur prædictio, de Meſſiæ adventu. *R. Chanan filius Thabalipha R. Joſepho ſic mandavit; reperi hominem, qui habebat volumen ſcriptum charactere Aſſyrio linguâ ſanctâ. Quæſivi, unde haberet? reſpondit ille, quum facerem ſtipendia Romæ* (al. Codices in *Perſide*) *inveni. In quo ſcriptum extabat:* לאחר ארבעה אלפים ומאתים ותשעים ואחת שנה לאחר בריאתו של עולם עולם יתום מהם מלחמות תנינים ומהם מלחמות גוג ומגוג והשאר ימות המשיח:, *poſt annos quater millenos ducentos nonaginta unum à mundi creatione, mundo finis erit. Ex illis erunt prælia draconum; ex illis prælia Gogi et Magogi. Quod reliquum dies Meſſiæ erunt.* Sequitur: *& Sanctus benedictus ille non renovabit mundum ſuum niſi poſt ſeptem annorum millia. Rab Amma fil. R. Abæ ait: dictum eſt poſt quinquies mille annos.*

Quartum eſt teſtimonium. Rab, eodem capite: Rab ait, אין בן דויד בא עד שתפשט ארום רשעה על ישראל תשעה חדשים, *Non veniet filius Davidis, donec imperarit regnum Edomi nefarium ſuper Iſraëlem novem menſibus. Juxta id quod dicitur* Mich. v. 2. *propterea dabit eos, uſque ad tempus, quo parturiens pepererit, & reſiduum fratrum ejus ad Iſraëlitas revertentur.* Per Edumæos intelligunt Romanos, qui imperium in Iſraëlem olim tenuerunt: à quo tempore plura ſæcula, quam iſti menſes ſunt, exſpirarunt: & quo ipſo Meſſias, ſecundum Chriſtianorum fidem, venit. Nam primus Pompejus, inde Soſius, cum Herode, ſub quo natus Meſſias, tempore Auguſti, Judæos & urbem Romanis ſubjecere, quorum potentia & dominium majores inde vires, uſque ad Judaicæ reip. everſionem, ſumpſit. Duo in

Digitized by Google

antiquorum illorum Rabbinorum dictis de Meſſiæ adventu obſerva. I. iſtorum nihil Judæis convenire hodie, quorum jam tempus ab illorum calculis longiſſimo intervallo recedit. II. è contra tam bene conſpirare cum tempore adventus Meſſiæ noſtri, ac in ejuſmodi dictis hoc ſpectari obſervarique poſſet. Ut nunc Judæi propriis ſuis vaticiniis convicti, ſibi pudorem, nobis magnum cauſæ firmamentum debeant.

Quinto. R. Moſes Maimonides, in epiſt. de Auſtrali regione, quam latinè dedit Guilj. Vorſtius, & Obſervationibus ſuis ad Chronologiam R. David Ganz inſeruit, *pag*. 293. antiquam traditionem adfert ex vaticinio Bilhami petitam, de adventu Meſſiæ, anno à mundi creatione 4976. quater milleſimo nongenteſimo & ſeptuageſimo ſexto: at verò & hoc tempus dudum præteriit. Verba Maimonidis ſunt: *Eſt verò traditio penes nos magna & admiranda, eam accepi à patre meo, hic à patre & avo ſuo, qui hanc rem per traditionem dederat, & ſic deinde uſque ad initium captivitatis Hieroſolymitanæ, prout illud dicitur: Captivitas hæreditare hoc fecit filiis Iſraelis, mercaturam exercentibus uſque ad Galliam, & captivitas Hieroſolymitana, quæ in Hiſpania eſt, hæreditare hoc fecit urbibus Auſtri. Senſus verò hujus dicti eſt, in vaticinio Bilhami myſticè ſignificatum eſſe, prophetiam reverſuram eſſe ad Iſraelitas, poſtquam inter illos deſierat: quia ſunt in lege verſus, in quibus licet ſcopus ſit de certa aliqua re, tamen in iis quoque myſticus ſenſus eſt de alia re: prout deprehendimus in dicto Iakobi Patris noſtri, cum dixit filiis ſuis. Deſcendite (* רדו *) eò, qui commoraturi erant in Ægypto juxta numerum* רדו*, quæ (literæ deſignant)* 210 *annos. Sic quoque dictum Moſis magiſtri noſtri, ſuper quem pax, cum ait: Quia genuiſti filios & nepotes, & habitatores veteres facti ſunt in iſta terra: quia habitavimus in terra Iſraelis, & die quo eam ingreſſi ſumus uſque ad captivitatem regis Ioachin, cujus indicium eſt* ונושנתם *ſeu* 846 *annis: & plura huic ſimilia. Traditione quoque accepimus ſimile huic rei, videl. iſtud quod locutus fuit Bilham, Deum quaſi dixiße Iakobo et Iſraeli, quid facturus eſſet. In hoc autem eſt myſterium, ut à tempore illo ſupputandum juxta numerum, qui eſt à ſex diebus creationis uſque ad illud tempus, et tum prædicturos eſſe illos prophetas, quid Deus facturus eßet. Prophetia verò hæc dicta eſt anno* 40 *ab exitu Aegyptiaco: & deprehendes ab initio hujus ſupputationis uſque ad illud tempus* 1488. *annos eße, cujus ſignum mnemonicum eſt* כחפה *cum aſpirabit liberatos. Atque juxta hanc collationem et explicationem rediret prophetia ad Iſraelem anno* 4979. *à creatione: Nullum autem dubium eſt, quin prophetia reverſura ſit ante Meſſiam, juxta illud:*

Et

Et prophetabunt filii ac filiæ veſtræ, &c. Hæc (ſententia) verior eſt omni ſupputatione, quæ de aliquo termino profertur. Dicimus autem hanc veram eſſe, quia dehortamur & interdicimus ſummâ prohibitione, ne eam revelemus, ne ſit in oculis plebis quaſi longiùs remota. Indicavi eam tibi, ſed benedictus novit.

Sextum obſervamus teſtimonjum apud Eliam in Tisbi (Lexicon eſt eo titulo) in voce חזר *chazar, cyclus.* Hic Elias quo tempore ſcribebat, ſcribebat autem anno minoris ſupputationi trecenteſimo primo, in voce *Tiſbi*, eo Solis cyclo Meſſiam venturum ſperabat: cyclus ſolaris eſt annorum viginti & octo. At quantum temporis etiam inde effluxit? Verba Eliæ ſunt: חזר *Cyclus parvus, & Cyclus magnus. & ſunt iſti. Scias quod ſemper 19. annis Luna curſum ſuum abſolvit per reciprocam revolutionem, Et incipit curſum ſuum fere æqualiter cum ſole, atque hoc ipſum vocatur* מחזור קטן *Cyclus parvus Lunaris. Cyclus verò magnus ſolaris. 28. annis abſolvitur. Atqui jam tranſierunt à creatione mundi uſque ad præſens tempus centum nonaginta machzorim & novem anni. Idcirco expectamus nos, quod, priuſquam complebitur Machzor iſte, aderit finis captivitatis noſtræ: ſic etenim dixit Daniel: Ad tempus enim (erit) finis. et iterum dicit: Quia eſt adhuc finis ad certum tempus. velit ergo Deus ut hoc ipſum fiat.* Ut ſuo tempore Elias, ſic alii Judæorum etiam ſuo, Meſſiæ adventum ſupputarunt. Maimonides in epiſt. modo adductâ, ſuo tempore Rabbi quendam in Hiſpaniâ ita ſtatuiſſe refert: *Surrexit quidam ex eruditis in Hiſpania, atque compoſuit librum de argumento termini (ſcil quo venturus eſſet Meſſias) juxta motum aſtrorum, & dixit Meſſiam aliquo anno revelatum iri.* Sed id vanum omnino, niſi quod faciat ad coarguendam Judęorum miſeram pertinaciam, qui, contra tot etiam ſuorum clariſſima teſtimonia, adventum Meſſiæ adhuc futurum impudenter clamitant. Vorſtius, in præfat. ad Chronologiam R. Davidis Ganz: *Quot vanas prædictiones, quot temporum ſupputationes de Meſſiæ regno protulerunt! Quàm craſſa fuerit hallucinatio R. Bechai, R. Salomo Jarchi, R. Moſis Nachman & R. Levi Gerſon de anno 5118. liberationis, quorundam de 5290., & multorum de 5338. anno, egregiè oſtendit R. Azarias in Meor enaijm cap. 43. nihilque ſolidi omnibus his hariolationibus ſubeſſe eventus docuit.* Adde Sebaldi Schnellii Diſputationem contra Abravanelum, in Obadiam, pag. 168. ubi illorum inter Judæos mentionem facit, qui adventum Meſſiæ retulerunt in annum Chriſti 1664. alii in annum 1531. Vanè omnia.

Denique *argumentum* noſtrum ultimum, ſeu *ſeptimum* hoc eſt, quod à *deſpe-*

Digitized by Google

deſperato Judæorum ſtatu præſenti petimus, ſic arguentes. Quum adeo miſere Judæi hodie vivant, deſtructâ everſaque eorum diu politia & urbe, templo ſacriſque abolitis, turbatis tribubus omnibus ac genealogiis, abſque ullo Propheta ac prophetia, nullâ ſpe reditus ac reſtitutionis, exſpiratis omnibus calculis, in hac diuturnâ calamitate ſeſquimille annorum, quid eſt, rogo eos, quod tanta & tam longa attulit ipſis mala? quum olim vel ſeptuaginta annorum captivitate Babylonicâ, vel ducentorum Ægyptiacâ vindicare quidem populi peccata, atque ſub certâ, & definitâ promiſſione liberationis ſolitus Deus, at non uti hodie Judæos punivit à tanto jam tempore, & pleno repudio. Certe grave peccatum in cauſa ſit oportet, alteriuſque generis ac illa priſtina, quod tam diverſo pœnarum genere plecti debuit. Quodnam? præter repudium Meſſiæ? quod alio hoc ipſorum à Deo vindicandum fuit. Frigidum eſt, recurrere ad peccatum Vituli, quod hodie adhuc luant. Ita, non in quatuor, ſed in omnes generationes Deus pœnas extenderet. Et cur hodie graviores exigat, quam unquam antea, quam ab ipſis ſceleris auctoribus? & à præſentibus, qui ſe peccati illius immunes ajunt, puroſque? Perpendant, volo, Judæi ipſum pœnæ *genus*, quod patiuntur; ejus *diuturnitatem*; tum *deſperationem*. Pœna, quam immiſit Deus, eſt exterminii, à loco & ſtatu ſuo totalis dejectio, כרת. Quæque duravit ultra ſolitum pœnæ tempus: & nullam priſtini ſtatus ſpem fecit ipſis reliquam. Adeo ut quum aliquando tentarint Judæi priſtinum locum reſtituere, & ædificare templum, quod olim in contumeliam & odium Chriſti illis indulſit Julianus Imperator, prodigio deterriti fuerint, & ignibus è terrâ erumpentibus ab opere prohibiti. *Hujus rei nos omnes teſtes ſumus*, inquit Chryſoſthomus. *Noſtrâ enim ætate hæc non ita pridem acciderunt*. Orat. adverſ. Judæos II. & adverſ. Gentiles. Et in Acta Apoſt. homil. XLI. Adde Sozomenum, *hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* V. *cap.* XXII. & Ammianum Macellimum, Gentilem hiſtoricum, *lib.* XXIII. in initio: *ambitioſum quondam*, de Juliano loquitur, *apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & internecina certamina obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægrè eſt expugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britanias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum*. Chryſoſthom, ſermone

Digitized by Google

mone illo contra Judæos ſecundo. *Si Judæi nunquam tentaſſent ædificare templum, dicere poſſent, ſi vellemus aggredi templi inſtaurationem, omnino poſſemus, atque perficeremus. Nunc autem res ipſa demonſtrat, eos non ſemel aut bis, ſed ter aggreſſos impetum feciſſe, non aliter quam fit in certaminibus Olympicis, ut nulli dubium eſſe poſſit, quin Eccleſiæ ſit victoria.* Et oratione tertiâ adverſus Iudæos: *nam ſemel & iterum ac tertio ſub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano conatus illorum interruptus eſt. Primum quidem à militibus, rurſus ab igni promicante è fundamentis, & illorum pervicaciam coercente.* Ita præterquam vaticiniis Prophetarum, ipſo facto oſtendit Deus inexorabilem perpetuamque incumbere Judæorum urbi ac politiæ deſtructionem. Menaſſe lib. 11. de reſurrect. cap. ultim. pag. 239. citato Prophetæ dicto, *Sicuti prægnans, cum appropinquat partui, dolet, clamat in doloribus ſuis, ſic fuimus a facie tua Domine. Concepimus, doluimus, quaſi peperimus ſpiritum ſeu ventum: ſalutes non factæ in terra, neque ceciderunt habitatores terræ. Id eſt, miſeria noſtra longe peior eſt, atque parturientis feminæ: quippe illa tandem partu infantis ſeſe conſolatur: at noſtræ calamitatis nullus eſt finis, quoniam nulla ratione a Domino terram ſanctam liberari, neque inde principes terræ ejici atque expelli videmus.* Interim miſeri Judæi clamitare pro adventu Meſſiæ, & ingeminare identidem carmen illud deſperationis plenum: *veniat Elias propheta, Elias propheta, Elias propheta, repente ad nos veniat, cum Meſſiâ filio Davidis.* In Liturgicis ſuis: אליאהו הנביא אליאהו הנביא אליאהו הנביא במהרה יבוא אלינו עם משיח בן דויד In *Seder Tephilloth, pag.* 72. 6. Et *pag.* 12. 17. ubi precantur pro expiatione, & remiſſione ſuorum peccatorum, mox addunt: *& placeat tibi Deus ut brevi ædificetur ſanctuarium in diebus noſtris,* וישיבנה בית המקדש במהרה בימינו. *pag.* 109, 119. ולא כהן גדול. *Et non eſt ſacerdos ſummus qui pro nobis propitiationem faciat; quare placeat tibi Domine Deus noſter, et Deus Patrum noſtrorum, Deus miſericordiarum, ut convertaris ad nos, noſtrique miſerearis, et ſanctuarii tui in commiſerationibus tuis multis, & brevi illud ædificent* &c. Pag. 117. in nocte feſti propitiationis orant: *rememoretur coram te memoria Meſſiæ filii Davidis ſervi tui, et memoria populi tui.* &c. Atque ita jugiter clamant, ejulantur. Ezra in Malach. ult. ſic commentarium ſuum concludit: והשם ברחמיו *Et Deus in commiſerationibus ſuis acceleret prophetiam ſuam, & feſtinet tempus adventus ejus!* Elias in fine Tiſbi: היא רצון *Eſto bona Dei voluntas, ut ſimiliter nobiſcum ſit in hoc tempore, & confirmet in nobis verſum illum: ecce ego mitto vobis Eliam. Sic precatur auctor*

Elias. Auctor libri *Avkas rochel*, R. Machir, lib. I. in initio, precatur, שימהר בחיינו נקרוב בימינו *ut feſtinet in vita ſua, & in propinquo dierum ſuorum* mittere Meſſiam. Ita omnes quotidie, & multo boatu orationes ſuas ingeminant pro adventu ſui Meſſiæ, ſæpiuſque illud repetunt עד מתי *quando, quamdiu, quam longe moratur!* &c. ut dicterio locum fecerit apud ſuos Meſſias iſte, *quod, ſi claudus eſſet, jam veniſſe potuiſſet*, inquit ipſe Menaſſe, libro ſpes Iſraelis, pag. 85. Neque preces illorum exaudit Deus, neque reſpondet aliquid, ad quod tamen adeo promtum ſe olim oſtendit ſemper facilemque, ut populo laboranti, & precanti ocyus ſuccurreret. Nunc verò clamitant miſeri, & jejunant vel bis in hebdomadâ, ſecundo & quarto quoque die, vitamque ſibi videntur inſtituere caſtigatam & probam, neque tamen ullo ſe conſolari reſponſo poſſunt. Vana ac falſa ſpes, qua ſe ſuoſque tenent, neque aut ullus extra ordinem Propheta (quod olim ſæpius) iis inſtruendis mittitur; aut in S. Scripturâ, quod certam ipſis ſpem faciat, aliquid reperire eſt; denique & propriis ſuorum Doctorum calculis, ac vaticiniis convincuntur hominum undiquaque miſerrimi. Et hoc argumentum ab illorum ſtatu deſumtum, & deſperatione, quod nos poſtremo poſuimus loco, tractationis ſequuti ordinem, in diſputatione coram vel primo loco uſurpavero, quia ad reliqua paratas ſæpe nimis exceptiones habent, & hoc, à præſenti illorum mutuatum conditione miſera, fortius ſtatim animos percutit & conſternat, palpapile nimirum argumentum & reale, quod miſere implexos tenet, & reddit Adverſarios ſupra modum anxios.

Jam vero audiendi ipſi nobis Judæi, & expendendum quod adverſus Meſſiæ adventum præteritum, quo de hactenus diſputavimus, forte habent. Duo adferunt, ſed alterum verius exceptio eſt ad noſtra argumenta; objectio alterum.

Exceptio Judæorum generalis: tempus adventus Meſſiæ præterierit, ipſum tamen adventum ſuum differt, propter peccata populi. Quod jam ante etiam ab ipſis annotatum vidimus ad gnomen Elianam, de millenariis mundi, ac Meſſię, ובעונותינו שרבו יצאו כהם מה שיצאו *at propter peccata noſtra plurima abierunt ex his anni, qui abierunt*. In Sanhedrin, eodem cap. Raf ait: כלו כל הקצין *Elapſi ſunt omnes termini, & res non pendet, niſi à reſipiſcentia & bonis operibus. Samuel: Sufficit lugenti perſiſtere in luctu ſuo. Juxta traditionem, quæ R. Elieſeris verbis fertur: Si Iſraëlitæ pœnitentiam agant, liberabuntur; ſin, haud liberabuntur. Cui R. Jeho-*

Digitized by Google

Jehoſuas: Si pœnitentiam (ſua ſponte) non agant, non liberabuntur. Veruntamen Deus excitabit ſuper eos regem, cujus edicta graviſſima ſint, velut Hamanis. Is efficiet, ut ſe ad bonam frugem recipiant. Traditio alia. Dictitabat R. Elieſer: Iſraelitæ, ſi convertant ſe, liberabuntur: Q. D. Revertimini filii averſantes, & ſanabo averſiones veſtras. Huic oggeſſit R. Joſuas: Annon S. E. *Gratis vendidiſtis vos, et ſine argento liberabimini? Gratis vendidiſtis vos, ſcil. idololatria. Et ſine argento vindicabimini, id eſt, non per pœnitentiam et bona opera. Replicavit iſte: Annon* S. E. *Revertimini ad me et revertar ad vos?* Similiter R. David Kimchi in *Ieſa.* LIX. 16. & *Hoſ.* III. 5. Et omnes Judæi paſſim peccata ſua in cauſá dicunt eſſe retardati, præter tempus promiſſum, adventus Meſſię. Quo & alia tum convocant, & peccata olim ab Iſraelitis commiſſa, quaſi ea adhuc luerẽt, & quodcunque peccatum quod inter ipſos committitur. Namque etiamnum, & in quacumque caſtigatione plecti in ipſis peccatum à Majoribus in conflando adorandoque vitulo tempore Moſis perpetratum, ajunt. R. Moſes Gerundenſis: אין לך ישראל פירענות שאין בה אנקיא מעון העגל. *Non eſt tibi Iſrael ultio, in qua non ſit uncia de iniquitate vituli.* Et non peccata tantum, quę ipſi committunt, ſed & alia, etiam ludicra cauſantur, quod nempe Meſſię adventus differatur. Theod. Hackſpan in annotationibus ad R. Lipmannum, *pag.* 393. adducit ex libro *Chaſidim*, quod dicunt: *quiſquis multos pœnæ involvit, is retardat advenientem Meſſiam.* Et, *qui gignit ſpurium, retardat adventum Meſſiæ.* Præterea: *quiſquis fœmellam parvam ducit uxorem, retardat Meſſiam.* Kimchi, ad *Ieſa* LVI. I. מראה, *oſtendit hic textus, pœnitentiam impedire adventum Meſſiæ.* Aben Ezra, in decalogi præc. III. de temerario agens juramento, illudque reprehendens, ſubjungit, ואלו *cæterum ſi in Iſrael non eſſet niſi ſola iſta tranſgreſſio, ſufficeret ad prolongandam captivitatem, & augendam plagam ſuper plagas noſtras.* Menaſſe noſter, *lib.* III. de reſurrect. *cap.* III. inquit: *profecto veriſſimum eſt, ſi Iſraelitæ ſerio factorum ſuorum pœnitentiam egiſſent, Meſſiæ adventus non fuiſſet procraſtinatus: at nunc quia profunde immerſi jacent hærentque defixi in vitiis & peccatis ſuis, hinc eſt, quod differatur beatitudo illa uſque ad finem dierum.* In Talmude, cod. *Sabbath*, cap. XVI. R. Jochanan nomine R. Simeon ait: *Si Iſrael ſabbata duo rectè obſervaret, mox liberaretur; ſicuti ſcriptum eſt: qui ſervaverunt ſabbata mea* &c. *dabo eis* &c. *nomen melius, quam filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et ibidem, *adducam eos ad montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ,* hoc

hoc eſt : reducam eos Jeroſolymam. Auctor Avkas rochel, part. II. inquit. ידע לכם, *Notum ſit vobis, pro certo apud Deum concluſum eſſe, Iſraelem non redemtum iri, donec pœnitentiam egerint à manuum ſuarum iniquitatibus.* ex verſione Hulſii. Auctor Schebet Jehuda, ex verſione Gentii, pag. 388. *faxit Deus optimus maximus, ut mihi videre aliquando contingat fabricam ſanctiſſimæ & glorioſiſſimæ Ædis, Deique noſtri cultum, qualis ille olim florente imperio noſtro viguiße dicitur, hoc opto, hoc voveo, tu maxime Deus, fac me hujus voti compotem.* Atque ita ſentiunt Judæi, differri præter promiſſionem, atque exſpectationem, Meſſiæ adventum; atque ejus cauſam eſſe peccata ſua, neglectamque paſſim reſipiſcentiam. Quod quam verum ſit, ſupereſt nunc ut examinemus. *Reſpondeo*, tria præcipuè hic attendenda eſſe. Primùm, quod *concedunt* Judæi, tempus adventus Meſſiæ, quo venire ipſum juxta prophetias oportuit, expiraſſe. Deinde, *differri*, ac tardare ejus adventum, præter omnem ſpem & exſpectationem. Denique, cauſam hujus eſſe ipſorum *peccata.* Ex quibus petimus reſponſionis noſtræ articulos. I. Ad ſententiam Eliæ fruſtra addi exceptionem, ובעונותינו, *at propter peccata noſtra* &c. neque enim illa ſunt verba Eliæ ejus, cui præcedens ſermo de ſex annorum mundi millenariis tribuitur, ſed recentioris alicuius, qui poſtquam vidit elapſas annorum Elianorum periodos, & ex communi Judæorum pertinaciâ non crederet adventum Meſſiæ, iſta addenda putavit. Nam quomodo Elias, ſi longe poſt conſtitutam Meſſię periodum hanc vixerit, dicere iſtud potuiſſet, atque effari quod falſum arguebat jam ſuum tempus? nam vel omiſiſſet tempus Meſſiæ circumſcribere, vel alium poſuiſſet calculum, quam quem jam ipſum tempus coarguebat. Tum in codice *aboda zara*, cap. לפני אידיהון traditio Eliana hæc recitatur, cum alia additione: *propter peccata vero noſtra, quæ multiplicata ſunt, egreſſi ſunt ex iis ſeptingenti anni & quatuordecim.* Ita dum alibi nulli certi anni adduntur; alibi trecenti; hic ſeptingenti, liquet ſatis non eſſe hæc Eliæ verba, ſed aliorum, qui pro re nata hoc vel illud dicendum addendumque ad Elianum iſtud cenſuerunt. Denique & ſermo coarguit, aliam eſſe hanc additionem, & alienam à ſententia Eliæ; quoniam verba Eliæ Chaldaica ſunt; hæc Hebræa. Adeo certum, ab aliis hanc qualemcunque gloſſam textui & verbis Elianis, contra Auctoris mentem, aſſutam eſſe, ex ratione temporis pręterlapſi, quo, quamvis contra mentem Eliæ, Meſſiam tamen veniſſe fateri noluerunt. II. Ad rem nunc ipſam. Vehementer confirmat cauſam & fidem noſtram, quod ſaltem tem-

pus

pus adventus Meſſiæ *præteriiſſe* fateri coguntur, quo venire debuerit. Et de hoc impræſentiarum diſputamus. Quis, & an noſter, verus Meſſias ſit? ſequenti agitabitur controverſia, & libro. III. Neq; ſolum tempus illud exſpiraſſe Iudæi hic concedunt; ſed etiam illud incidere in *noſtrū* hoc ipſum, quo Chriſtiani Meſſiam veniſſe credimus: nempe illud, quod tum ſancti Dei Vates in Dei verbo prædixerunt, tum ipſi in ſuis ſcriptis Iudæorum Rabbini, iique antiquiſſimi & probatisſimi, denotarunt. Judicem nunc cauſæ noſtræ non alium volumus, quam Iudæos ipſos, ut ingenuè pronuncient, an non noſtræ partes hic videantur longè potiores ſuis, qui religioſe ſtamus tempori à Dei Prophetis, cui etiam Doctores Talmudici ferè conveniunt, præſignificato, quo venturum Meſſiam omnes illi dixerunt, à quo Iudæi abeunt & recedunt. IV. Neque recedunt aliquantulum, vel exigui aut dubii temporis ſcrupulo, ſed intervallo *ſeſquimille annorum.* Tempus longe majus, quam quo duraturum Meſſiæ regnum ſibi vane pollicentur, poſtquam plus temporis neglexit Meſſias, quam ſc. unquam ſit habiturus. Oſtende rem ullam unquam à Deo promiſſam, quæ tam diu ultra præſtitutum ſuum tempus fuerit protracta & dilata. V. Sed impoſſibile eſt, per immotam & immutabilem Dei *veritatem*, ut quod *prædixit*, non eo, quo ſtatuit tempore, certò præſtet. Omnis homo mendax, Dei autem verbum nunquam fallit, neque fallere etiam poteſt. Cœlum ac terra interibunt prius quam ut unus apex vel punctulum legis intercidat. Exod. XXXIV. 6. *Jehova multus benignitate ac fide.* Deut. XXXII. 4. *omnes* Dei *viæ ſunt jus: Deus fidelis & expers iniquitatis, juſtus & rectus eſt.* Pſalm. LXXXVI. 15. Jerem. X. 10. *Jehova verò Deus verus eſt, & Rex ſempiternus.* Quam ſuam veritatem æque minus ac ſe, ſuamque naturam abnegare Deus poteſt. Geneſ. XXIV. 27. *Benedictus ſit Iehova Deus domini mei Abrahami, qui non dereliquit benignitatem ſuam & fidem ſuam.* Num. XXIII. 19. *Deus non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat: an ipſe dixerit, & non faciet? an loquutus fuerit, & non præſtabit illud?* I. Sam. XV. 29. Pro Dei veritate facit tota S. Scriptura, & natura Dei, & experientia perpetua teſtis exhibitorum fideliter eorum, quæ ex Dei prædictionibus exſpectata unquam hominibus fuerunt. VI. Neque ſimpliciter prædictio fuit hæc de adventu Meſſię, ut veritas Dei lædatur ex ejus neglectu; ſed promisſio, & ea quidem boni maximi; adeo ut Dei benignitas hic ſpectari imprimis debeat aut ſervata, aut omiſſa. In locis modò nominatis conjungitur cum Dei veritate ejus bonitas, quę peccata liberaliter con-

Digitized by Google

condonat, non ea cum naturę, veritatis, bonitatis, glorięque ſuę præjudicio vindicat. Exod. XXXIV. 6, 7. *Iehova, Iehova, Deus, miſericors et gratioſus, longanimis & multus benignitate ac fide, cuſtodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem, & defectionem, et peccatum.* Pſalm. LXXXVI. 5. 15. *Tu autem Domine Deus, miſericors es, et gratioſus, et longanimis, et multus benignitate ac fide.* Similia his leguntur locis innumeris. Hinc in Scripturis frequens locutio, quâ dicitur ex Dei promiſſionibus nihil excidere, nihil cadere in terram. *Joſ.* XXI. 44. 45. *Non excidit quidquam ex ullis rebus bonis, quas eloquutus fuerat Jehova domui Iſraelis, cuncta evenerunt.* & cap. XXIII. 14. *cognoviſtis toto corde veſtro, et toto animo veſtro, non excidiſſe rem ullam ex omnibus rebus bonis, quas promiſerat Jehova Deus veſter vobis, omnia eveniſſe vobis, non excidiſſe ex iis rem ullam.* VII. Si ulla in re, ſeu promiſſum non præſtando, ſeu non ipſo, quo dixit, tempore, divina veritas erret, jam tota *labaſcit*, atque incerta redditur in *omnibus*. Nam quantumvis non ſemper deprehendatur fallere, nunquam tamen haberi poterit infallibilis, dum vel ſemel erravit. Hoc verò non abſurdum, ſed putare impium eſt. Neque enim de Dei verbo tum dici poterit quod Jeſaias, *cap.* XL. 8. *Exareſcit gramen, decidit flos, at verbum Dei noſtri permanet in ſeculum.* Vel quod David, *Pſalm.* CXIX. 65. *Bono affeciſti ſervum tuum Jehova, ſecundum verbum tuum.* VIII. Non promiſit Deus Meſſiam, ejuſque adventum ſub aliquâ *conditione*, ab hominibus præſtandâ, à qua ſuſpenderetur; ſed ſimpliciter, atque abſolute. IX. Neutiquam ſub conditione *probitatis*, aut reſipiſcentiæ, vel ſi mereantur. Non magis ac olim quum Deus contrarium dixit, *Deut.* IX. 5. *non propter juſtitiam veſtram.* X. Quod ſi vero conditio ſubſternatur divinis promiſſionibus, quæ pendeat ex bonis noſtris operibus, & meritis, quis unquam boni alicujus particeps evadet, ac divinarum promiſſionum hæres? vel quis eo nomine bona aliqua adeptus? aut ſibi ſuæque virtuti acceptum illa ferre auſit? *Pſalm.* CXV. 1. *Non nobis Iehova, non nobis.* & CXLIII. 2. *nam non eſt juſtus coram te ullus vivens.* XI. Tum peccata Judæorum, ob quæ nunc dicunt adventum Meſſiæ morari, annon *præſcivit* Deus, & prævidit tum etiam quum promiſſiones de Meſſiâ ſuo tempore venturo toties repeteret? niſi præſciverit, haud erit omniſcius; ſin ſciverit, quomodo propter ea jam evenientia promiſſiones olim factas reſcindat faciatque irritas? XII. Quæ illa hodie Judæorum, vel à deſtructo templo, *delicta* gravia, & atrocia, quæ divinam fidem frangant? Menaſſe *lib. de termino vitæ, pag.* 169. tria præcipuè recenſet, idolo-

idololatriam, homicidium, & adulterium; quando de præſenti, quam appellant, captivitate ſermonem faciens, eâ purgandum ab iſtis populum dicit, *purgabitur ab idololatriâ, homicidio, & adulterio, quæ ſunt tria maxima peccata. Et poſt peractam hanc mundationem, ſequetur tempus juſtitiæ,* quo venturum ſtatuit Meſſiam. Sed illa etiam peccata olim, & plus quam hodie, inter Iſraëlitas viguerunt. Quare ſingularius aliquid ſit neceſſe eſt, quod ita extra omnem ordinem, & metam divina iis retardat promiſſa. Hodie certè non illa fœda & gentilis idololatria apud Judæos, ac olim, obſervata; neque crebra adeo homicidia, quibus in ſanctiſſimos olim Prophetas paſſim irruebant; forte nec adulteria. Quæ ergo illa hodie peccata præ prioribus, quæ Dei promiſſiones, & hominum ſpem tantopere illudant? XIII. Semper quidem graviſſimorum peccatorum reus fuit Dei populus, ob quæ juſta adverſus eos ultio excanduit; at ſemper tamen fidem iis datam promiſſamque ſervavit Deus: adeo ut quum in promiſſam Patribus terram à Deo ducendi eſſent, & peccata efficerent, ut quod iter aliquot diebus conficere Deo propitio potuiſſent, in multos annos extenderetur, tamen fidem ſuam haud ita multo poſt liberavit Deus, atque in Cananæam eos intromiſit. Neque exemplum adferri poteſt dilatæ promiſſionis ultra tempus prædictum, & tanto intervallo, vel neglectæ, ob peccata quamvis graviſſima. XIV. Quę eſt peccatorum, & delinquentium perpetua abundantia, ne ulla quidem Dei promiſſa certa erunt, ſiquidem retrahat & remoretur ea Deus, ob hominum peccata. Sed contra eſt, & in reddendis ſuis promiſſis Deus non reſpicit noſtra demerita, ſed fidem ſuam. *Ierem.* XXIX. 10. 11. *Sic enim ait Iehova; nam ubi implebuntur Babyloniæ ſeptuaginta anni, viſitabo vos et præſtabo vobis verbum meum illud optimum, reducendo vos in locum hunc. Quum reſpexero cogitationes, quas ego cogito de vobis, dictum Iehovæ, cogitationes proſperitatis, non autem adverſitatis, dandum vobis finem, eumque exſpectatiſſimum.* XV. Jam omnes Prophetæ falſitatis convincentur, ſiquidem eo tempore, quod illi uno ſpiritu atque ore dixerunt, non venerit Meſſias, juxta criſim illam propheticam, *Ierem.* XXVIII. 7. 8. 9. *Veruntamen audi quæſo verbum hoc quod ego loquor, te audiente, et audiente toto hoc populo. Prophetæ illi qui fuerunt ante me & ante te inde à ſæculo, illi prophetaverunt contra regiones amplas, & contra regna magna bellum, & afflictionem, & peſtem. Propheta ille qui prophetat pacem, quum evenit verbum ipſius Prophetæ, cognoſcitur ille Propheta eſſe, quem miſit Iehova verè.* Verba ſunt Prophetæ Jeremiæ ad pſeudo-prophetam

Hana-

Hananiam. Quare juxta hanc argumentationem, niſi, quæ benè prædixerunt Prophetę omnes de tempore adventus Meſſię, omnino adimpleta ſint, redarguentur haud veri fuiſſe, nec à Deo miſſi Prophetæ omnes, qui tam uniformiter de diebus illis vaticinati fuerunt. R. Menaſſe, in Conciliat. ad *Deut. quæſt.* VII. ex Maimonide adfert, probari hinc Prophetam, quod ejus bona prædictio ſemper impletur: *quando vel homini, vel civitati alicui boni quidpiam annunciari Deus per Prophetam jubeat, nunquam illius pœnitentia eum duci, neque talem promiſſionem conditionalem eſſe.* Fruſtra Maimonides malorum prædictionem excipit, quaſi talium pœnitere Deum poſſit, ut Ninevitis accidit; vel etiam bonorum prædictionem intelligendam eam, quę per Prophetam enunciata, quaſi ea, quam Deus ſuâ voce proloquitur, revocari queat. Melius ibidem R. Haſday, *experimentum Prophetæ non ex mali minus, quam boni prædictione capi ſtatuit: etenim ſi ad oſtendendam prophetiæ ſuæ veritatem quidpiam vaticinatus fuerit, non paſſurum Deum, ut illud non eveniat, quando inde dependeat ejus exiſtimatio.* Falſum eſt, quod ex Abravanele ſtatuere videtur Menaſſe, quod *prædictiones univerſo populo, aut uni alicui bonum vel malum portendentes, ſemper conditionales ſunt, & à cujuſque actionibus bonis ac malis pendent.* Audiamus potius ipſum verba Jeremię exponentem. *At verba Jeremiæ ad Hananiam, quæ innuere videntur ſemper bona eventum ſuum ſortiri, quod huic opinioni adverſum eſt, accuratius expendere oportet. Ait enim: Propheta ille qui prophetat pacem, cum evenerit verbum ipſius Prophetæ, cognoſcitur ille Propheta eſſe quem miſit Dominus. Mens hæc eſt: En Hanania, quamvis à natura hominibus inſitum ſit, amare eos, qui bona annunciant; odiſſe infauſta prædicentes; tamen licet Prophetis, qui ante me famem, peſtilentiam, bella, annunciavere, eſſent qui obloquerentur, & bona, ut tu nunc, prædicerent, non eo illi mox veri habiti ſunt, ſed exſpectatum eſt, donec evenirent ea quæ vaticinabantur. Quare nec tibi proſpera indicenti gloriandum eſt, priuſquam impleantur verba quæ proloculus es.* Rectè ergo ex eventu promiſſionis de Prophetâ judicium fertur, & quod, niſi eventus omninò reſpondeat, & in re, & in tempore, falſi ille arguitur. XVI. Pone à conditione probitatis ac reſipiſcentiæ ſuſpenſam fuiſſe *promiſſionem* de adventu Meſſię; modò, quod illam quoque efficere in ſe ſuſceperit Deus, ſequetur. Atqui ſe hoc facturum revera pollicitus Deus fuit cum Meſſiâ, non autem ut ab illo ejus adventus ſuſpenderetur. *Ierem.* XXXI. 33. *Indam legem meam menti eorum; et cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Zach. XIII. 2. 3. 4. *Eritque*

que illa die, dicit Dominus exercituum ; exſcindam nomina ſimulachrorum de terrâ &c. Imo hunc in finem Elias ante eum venturus dicitur, ut converteret homines. *Malach.* IV. 5. 6. *ne forte veniam inquit* Deus, *et terram percutiam anathemate.* Significatur tempore ſatis malo venturum Meſſiam, quo hoc unice agendum ſit, ut homines ad meliorem vitam adducantur. XVII. In Talmude mala tempora, & improba faciunt adventui Meſſię æque opportuna ac bona. In Sanhedrin *cap.* XI. inquit R. Iohannes: אין בן דויד בא *non veniet filius Davidis, niſi aut ſeculo, quod omni vitio careat; vel quod univerſum culpæ ſuccumbat. Quoniam ſcriptum,* Ieſa. LIX. 16. *Et vidit non eſſe virum, & obſtupuit, non eſſe interceſſorem.* Quod citat etiam R. David Kimchi in *Ieſa.* LIX. 16. In Talmude ſequitur, R. Iehudam dixiſſe: *quo ſeculo filius Davidis venturus eſt, domus conventus in lupanar convertetur* &c. R. Nehorai: *quo ſeculo filius Davidis veniet, adoleſcentes viros provectæ ætatis pudefacient; ſeniores adoleſcentulis aſſurgent; filia inſurget contra genitricem, & nurus contra ſocrum; frons ſeculi canina erit, neque filius patrem reverebitur. Trad. R. Nechemias ait: Quo ſeculo filius Davidis veniet, illo impudentia creſcet, honorati quique fraudibus & nequitiis utentur. Vitis reddet fructum ſuum, & nihilo minus carum erit vinum. Omne regnum ſuperſtitioni & perverſis dogmatibus erit deditum: neque erit, qui redarguat. Id atteſtatur R. Iohannes. Is ſic dictitabat: Non veniet filius Davidis, donec omne regnum prava de Deo & divinis opinione occupetur.* Maimonides, in Epiſtolâ, de Auſtrali regione: *Tempore autem, quo revelabitur (Meſſias,) magna erit anguſtia ſuper Iſraëlem, quia dicitur: Cùm videbit abiiſſe manum, et concluſum cum derelicto nihil eſſe, tunc revelabit eum Sanctus ben. & perficiet id, cujus ſpem fecit. Loquitur etiam propheta admirabundus de tempore, quo viſurus eſſet liberatorem: Quis autem ſuſtineat diem adventus ejus? & quis conſiſtet cùm apparuerit? Atque hæc eſt veritas, quam credimus de hoc argumento.* Atqui iſtud tempus, & talis vivendi conditio fuit ſub finem templi ſecundi, ſive anguſtias reſpiciamus, ſive improbitatem hominum, de quibus hoc teſtatus Joſephus fuit, lib. VI. de bello, cap. XVI. *Non equidem recuſabo dicere, quæ dolor jubet. Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmina, aut Sodomæ incendia paſſuram, multo enim magis impiam progeniem tulit, quam quæ illam protulerat.* XVII. Dato, ob peccata differri quandoque divinas promiſſiones; ſed *tanto tempore* ut differat eas Deus, ſupra mille, & quod excurrit, annos, inauditum, & præter omnem rationem eſt.

XVII. Idque in ultimum mundi *finem*, quod ab ejus exordio, continuâ Prophetarum ſerie, toties & tam magnifice promiſſum fuit. XIX. Adhæc Judæi dicunt, ſe in feſto expiationis *Kippur* totos puros & ſanctos reddi, adeo ut nequidem Diabolus in eos tum valeat inſurgere, ut eos accuſet, vel aliquid carpat. Rabbi Eliezer, *cap.* XLVI. *Niſi autem eſſet dies Cippurim, expiationum, mundus non ſubſiſteret: dies enim expiatorius in hoc & futuro ſeculo expiat. ſic dicitur: Sabbathum ſabbathorum hoc vobis. Sabbathum hujus ſeculi, ſabbathorum in futuro ſeculo. Licet autem omnia feſta tranſirent vel abolerentur, dies tamen expiatorius levia & gravia (peccata) expiat. hinc dicitur: Quia iſto die expiabit vos ab omnibus peccatis veſtris; Non eſt hic ſcriptum, à peccatis veſtris, ſed ab omnibus peccatis veſtris. Iſto die, quo lex fuit lata, dixit Sammael coram Sancto ben. Domine mundi, ſuper omnes populos mundi dediſti mihi poteſtatem, non verò in Iſraëlitas. Reſpondit illi: En, habes in illos poteſtatem die expiationis, ſi habuerint peccatum; ſi verò non, in illos non habebis potentiam. Idcirco dant illi munus die Expiatorio, ne irritum reddat Iſraëlitarum ſacrificium. hinc dicitur: Una ſors pro Domino, altera ſors pro Hazazel ſeu capro emiſſario. Sors ſancti ben. eſt ſacrificium holocauſti; ſors verò Hazazel eſt hirci peccati, atque omnes iniquitates Iſraëlis ſuper illum ſunt, juxta illud: Et feret hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates illorum. Animadvertit autem Sammael, nullum peccatum in iis deprehendi die expiatorio. Dixit coram Domino mundi: Habes unicum populum in terra, ſimilem angelis miniſterii in cœlis. Quid angeli miniſterii? Non habent poplites; ſic & Iſraëlitæ die expiatorio ſtant ſuper pedes ſuos. Quid angeli miniſterii? Non habent cibum nec potum; ſic & Iſraelitæ die expiationis non habent cibum neque potum. Quid angeli miniſterii? Puri ſunt ab omni peccato; ſic quoque Iſraëlitæ die expiatorio mundi ſunt ab omni peccato. Quid angeli miniſterii? Pax inter illos eſt intima; ita etiam die expiationis pax eſt in medio Iſraëlitarum. Audit quoque Sanctus ben. ſupplicationem illorum de accuſatore ipſorum. Expiat quoque altare, ſacerdotes atque univerſum cœtum, à magno uſque ad parvum. ſicuti dicitur: Et expiabit ſanctuarium ſanctum.* Quomodo ergo non tali aliquo tempore vel die venit ipſorum Meſſias? XX. Atque extra diem expiationis etiam ſe hodie pientiores ſuis majoribus faciunt, Judæi; ut ſibi perſuadeant, ſi in terrâ ſuâ eſſent, inde non ejiciendos, propter tantam ſc. ſuorum probitatem. Menaſſe in *Geneſ. quæſt.* XLIII. *pag.* 65. *Sexto, poteſt quis adverſis conflictari ob peccatum parentis: unde Jeremias Lamentat. cap.* IV. 29. *ait, Patres noſtri peccarunt, & non illi, ſed nos luimus delicta ipſo-*

ipſorum. Etenim nos, qui nunc ex populo Iſraëlitico in captivitate ſumus, nequaquam graviter adeo peccamus, quam fecerunt majores noſtri; et fortaſſis, ſi adhuc in patria eſſemus, non ejiceremur inde. Sed ad recuperandam ejus poſſeſſionem, ingentibus meritis ac præparatione opus eſt. Ita ut nos ob majorum noſtrorum peccata nunc puniamur. Sed non ſolet Deus tali tantaque pœna involvere bene merentes liberos, ob peccata duntaxat majorum. Vel quid jam ultra requiritur, ſiquidem res ſtet ab eorum reſipiſcentiâ & probitate, quam ut Parentum ſuorum vitam vincant excellenti iſtâ probitate, quâ ſi in terrâ ſuâ loco Majorum fuiſſent, vel adhuc eſſent, inde ſe non expellendos putent? Quorſum ergo ipſorum Meſſias moras nectit ulteriores, quo minus confeſtim adſit? XXI. In Sanhedrin R. Jehoſua inquit, de Meſſię adventu: *ſi mereantur, accelerabo; ſi non mereantur, tempore ſuo.* Jam neque immerentibus ſuo tempore, neque propter eorum merita ocyus accedit. Deſperata res eſt. XXII. Quin tantum abeſt, ut ob peccata populi retardare adventum ſuum Meſſias, ut potius ideo, feſtinare, oporteat, quippe venturus, ut à peccatis populum ſervaret, *ad expiandum iniquitatem, et adducendum juſtitiam perpetuam.* XXIII. Denique quis dicat, an Judæi unquam futuri ſint probiores atque hodie ſunt, & non forte quotidie pejores? vel eo uſque Majorum vitam ſuperaturos eſſe, ſuaque indies emendaturos, aut ad illa ingentia merita (ut loquitur Menaſſe) perventuros, ut hinc Meſſiæ adventum merituri ſint: niſi vero per ſua porro vitia & peccata eundem pergant abigere à ſe, totumque inducere. Ita ut, ſi inde adventus Meſſiæ pendeat, ſemper is quidem protelandus videre poſſit.

II. *Objectio* Judæorum, adverſus Meſſię adventum, hæc eſt. Elias nondum venit, qui tamen ex *Malach.* IV. 5. pręcurſurus dicitur dies Meſſiæ; ergo neque Meſſias advenit. Sic Tryphon apud Juſtinum; ſic paſſim Judęi argumentantur. Unde etiam jugiter & multo cum ejulatu clamitant: veniat Elias! veniat Elias! veniat, cum Meſſiâ filio Davidis! Elias Tisbi, in fine ſui Lexici: יהי רצון *Eſto bona voluntas coram Deo, ut ſimiliter ſit nobiſcum hoc tempore, & confirmet nobis verſum illum: ecce ego mitto vobis Eliam. Sic precatur author Elias.* Hinc illud etiam obſervare dicuntur Judæi, ut, circumciſuri infantem, ſedem vacuam conſtituant Eliæ, ſi forte iſto tempore veniret actionis iſtius præſes, & occuparet locum. Difficiles quaſque quæſtiones & dubia ad Eliæ adventum reſervant, ab illo explicanda; unde vulgatum apud eos: *Elias veniet et ſolvet.* Quem reſpondendi modum appellant תיקו, de quo R. Samuel in intro-

Digitized by Google

ductione ad Gemaram. Exponunt aliqui תיקו, per Raſe tebot, ſeu formam abbreviationis, Judæis valde ſolennem, תשבי יתרץ קושיות ובעיות *Elias Tisbi explicabit objectiones, & quæſtiones dubias.* Verùm alii volunt Græcum eſſe θήκη, ut ſenſus ſit, quæſtionem inſolubilem & inexplicabilem eſſe. In Euangelio mulier Samaritana oſtendit id de Meſſià olim uſurpatum, Joann. IV. 25. *Scio Meſſiam venturum, qui Chriſtus dicitur: is ubi venerit, omnia nobis annunciabit.* Atque illud de Eliâ, & ejus ante Meſſiam adventu, motum quoque in Euangelio videmus. R. Menaſſe ben Iſrael, *lib.* II. *de Reſurrect. cap.* III. multa in hunc finem de adventu Eliæ adfert, quæ examinare erit operæ pretium. Sic ille:

Non alienum ab eo, quod agimus, eſſe videtur, ſi hic referam illud, quod de propheta Elia antiqui dixerunt. Hic enim, uti ajunt, primo reſuſcitabitur, ſive corpus ejus igne ætheris fuerit conſumptum, (quemadmodum R. David Kimchi, aliique plures cenſent) ſive vivat in terreſtri paradiſo ſecundum corpus & animam, uti opinio priſcorum ſapientum fuit: hoc certum eſt, illum primo appariturum, ut annunciet reſurrectionem mortuorum, ſicut manifeſte liquet ex Malachia; Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam et percutiam terram excidio. Dies ille magnus, et terribilis, eſt dies judicii, qui erit conjunctus reſurrectioni: ante eum, inquit, veniet Elias, ut pacem & amorem inter omnes conciliet, non tantum in rebus corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus: idcirco dicitur, convertet cor patrum ad filios, & filiorum ad

Reſp. I. Elias iſte, quem Malachias dicit, quique ante diem Meſſiæ venturus erat, non fuit idem ille Elias Tisbites, in perſonâ propriâ, ſed myſticè & per ſimilitudinem intelligendus, de eo qui ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Eliæ venturus eſſet. Quemadmodum Meſſias ſæpe David appellatur, non quod ipſe David ſit, Salomonis parens, ſed ob ſimilitudinem multam & arctam conjunctionem cum Davide. Jerem. XXX. 9. *Servient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo, quem excitabo* אשר אקים *ipſis*, id eſt, Meſſiç; uti exponunt Targum, Kimchi. R. Jehuda, in Talmude, *Sanhedrin*. Jezech. XXIV. 23. *& ſuſcitabo iis Paſtorem unum, qui paſcet illos, ſervum Dominum Davidem.* Tum, *cap.* XXXVII. 24. de Meſſià exponit utrumque R. David Kimchi. Hoſ. III. 5. *Poſtea reverſi Iſraelitæ quærent Jehovam Deum ſuum, et Davidem Regem ſuum.* Nempe Meſſiam, dicunt Chaldæus Paraphraſtes, Aben Ezra, & Kimchi. Aben

Digitized by Google

patres. Nam nulla diſſenſio, nulla lis aut controverſia inter eos erit, uti antiqui ajunt, in Gemara Eduyot: quippe animos hominum adeo permovere, immutare ac diſponere valebit, ut in die judicii optime compoſitus ſit futurus mundus, neque cauſa, cur deſtruatur aut in nihilum redigatur, ulla reliqua manſura.

Aben Ezra in Pſal. XLV. 1. יש אומרים *ſunt qui ajunt, hunc pſalmum de Davide loqui vel Meſſiâ filio ejus, nam et hoc ejus nomen, quomodo, & David ſervus meus erit iis Dux in perpetuum.* Ezech. XXXVII. 24. Uti II. Reg. IX. 31. Jehu appellatur Zimri: non quod is eſſet; ſed ob morum, & actionum ſimilitudinem. Eſtque ea loquendi ratio apud omnes uſitatiſſima. Ita quoque qui ſingulari vocatione ante Meſſiæ adventum præcurſurus, eumque annunciaturus, & ad Meſſiam homines converſurus eſſet, Elias vocatur, ob ſpiritus nimirum & virtutis, quâ olim Elias polluit, ſimilitudinem. II. Is autem Eliæ æmulus fuit ante Meſſiam miſſus Johannes Baptiſta, ut non uno loco in Euangelio, ex ſimili ſpiritus divini in utroque documento, oſtenditur. *Luc.* I. 17. Angelus de Johanne: *& is præcedet ante eum* Meſſiam, *in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, et rebelles ad prudentiam juſtorum; ut paret Domino populum inſtructum.* Matth. XVII. 12. *Elias jam venit: at non agnoverunt eum.* Cap. XI. 14. *Atque ſi velitis accipere, ipſe Johannes eſt* Elias, *qui venturus erat.* Quem & Iudæorum hiſtoriæ, ut Eliam, à Malachiâ notatum, in Baptiſtâ agnoſcas, ſic deprædicant. Joſephus, Antiquitat. *lib.* XVIII. *cap.* VII. *Apud Judæos autem fuit opinio, juſtâ ultione numinis deletum Herodis exercitum, propter Joannem, qui Baptiſta cognominatus eſt: Hunc enim Tetrarcha necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum ſtudia, & imprimis pietatis ac juſtitiæ, ſimulque ad baptiſmi lavacrum.* IV. Nullaque neceſſitas exponendi adventum Eliæ, ad literam, de reditu vel reſuſcitatione proprii iſtius Eliæ Tisbitis, quia quod de de illo, ejuſque officio dicitur, per talem peragi potuit, qui Eliæ virtute ſpirituque indutus, quam proxime ei ſimilis exiſteret. V. Etiam inter Judæos non ſatis certa videtur de corporali Eliæ adventu opinio, ut ex verbis R. Maimonidis colligas *halacha melachim*, cap. XII. §. 2. יש מן החכמים שאמרין שקודם ביאת המשיח יבא אליאהו, *Sunt inter Sapientes, qui dicunt Eliam ante adventum Meſſiæ venturum. Atque hæc omnia et alia ſimilia nemo novit quo modo futura ſint, donec extiterunt.* Ergo non eſt communis illa Sapientum, nedum omnium inter Iudæos ſententia. Menaſſe ben Iſrael, *lib.* III. de reſurrection. *cap.* VII. *Addit deinde propheta Malachias, Deum ante diem illum magnum,*

gnum miſſurum Eliam Prophetam : ſed non explicat , an Elias iſte venturus ſit ante vel poſt adventum Meſſiæ. Hac cauſſa eſt, quod R. Moſes Ægyptius hic dubius hæſerit, neque alterutrum affirmare auſus fuerit. Sed & hac de re inter ſapientes controvertitur. Quicquid ſit, veniet præcurſor aliquis, qui animos hominum flectat, ac probe diſponat, ne terra anathemate percutiatur. Si poſt adventum Meſſiæ credatur adfuturus Elias, non alius tum ejus adventus, juxta Iudæos, quam reliquorum à reſurrectione, quam ad dies Meſſiæ ſecuturam autumant. Si præcedaneus adventus ejus ſit, bene Menaſſe intelligit de Præcurſore aliquo, qui animos hominum flectat, ac probe diſponat, ne terra anathemate percutiatur. Quod ipſum Johannes Baptiſta præcurſor Meſſiæ egit, cujus hæ erant conciones, *Matth.* III. ut fugerent homines iram venturam, dignam agerent reſipiſcentiam, maximè quum ſecuris ad radicem arboris poſita eſſet, ut, quæ minus ferret fructus, excideretur, atque injiceretur in ignem. VI. Ex Eliâ præcurſore Meſſiæ, faciunt Judæi hodie præcurſorem, ac nuntium reſurrectionis; ita ut quemadmodum hoc deſperatæ eorum cauſæ argumentum eſſe ſupra diximus, quod Meſſiæ adventum conjungunt vel commiſcent cum generali omnium reſurrectione & tempore ultimi judicii; ita in Eliâ, ejuſque munere aſſignando eundem errorem, & fallaciam produnt. VII. Benè notari volo illa Menaſſis verba ſupra allegata, ex *lib.* II. de reſurrect. *cap.* III. *uti in populi redemtione ex Ægypto, duo legati fuerunt*, Moſes videlicet, & Aaron; *ita in futurâ redemptione, ſive reſurrectione, duos futuros legatos, Eliam, et Meſſiam.* Ergo redemtio Iudæorum, non alia quam reſurrectio mortuorum: atque ita Meſſiæ adventus planè eluditur, & nihil ultra cum eo habent Judæi quod exſpectent, quam reſurrectionem. Quod quidem bene eſſet, niſi primum negarent tollerentque adventum ejus. Profecto longè aliud & majoris momenti cum Meſſiâ exſpectari Deus voluit, quam ut in mundi demum fine accederet, reſurrectionis, juxta cum aliis, præco futurus & legatus. Ex Pirke R. Eliezeris adducit Menaſſe, Iudæos non redimendos, antequam dignam egerint factorum pœnitentiam, quodque illud non ſint præſtituri ante adventum Eliæ: at hic demum veniet tempore reſurrectionis, in quod tempus proinde etiam rejicitur Meſſias. VIII. Eliam in terreſtrem paradyſum tranſſumtum falſo credunt Iudæi, cumque iis alii. quippe qui in cœleſtem ſublatus paradyſum eſt, teſtante Scripturâ. II. *Reg.* II. 11. *Sic adſcendit Elias turbine in cœlum.* nullaque ratione paradyſi terreni locus putatur etiamnum ex-

extare, & immunis fuiſſe à generali diluvio. Melius Kimchi in *Malach.* IV. 5. dicit animam Eliç in cælum adſcendiſſe, שעלתה לשמים, ſtatuit eam deſcenſuram in fine mundi in corpus novum ſibi creandum, haud diſſimile priori, & in eo prædicaturum inſtantem diem judicii. IX. Eſtque fabula nugaciſſima, epiſtolam ab Eliâ ex paradyſo miſſam ad Joramum Regem fuiſſe. II. *Chron.* XXI. 12. ויבא אליו מכתב מאליהו *& venit ad ipſum ſcriptum ab Eliâ Prophetâ &c.* Sed Eliam tum temporis non *fuiße* in vivis mihi necdum conſtat. Non obſtat II. Reg. III. 11. ubi Rex Joſaphat quærit, annon adeſſet Propheta aliquis Jehovç, quem in ſummâ ſitis anguſtiâ conſulerent, cui reſpondetur: *eſt hic Eliſa, filius Scaphat*, אשר יצק מים qui effudit aquam manibus Eliç; id eſt, miniſter Eliç, vel qui affundit, ut ſit enallage temporis. Poteſt enim dici, vixiſſe tum quidem Eliam, ſed non præſto fuiſſe; vel quod eum Rex Iſraëlis tacuerit ex odio & malevolentia. Quomodo Achabus I. *Reg.* XXII. 7. 8. quadringentis Prophetis convocatis unum Eliam poſthabuit, nimirum quia nihil boni ab eo exſpectabat. Aut, ſi velimus tempore Ioſaphati Regis Eliam in cœlos jam tranſlatum, reſpondemus epiſtolam Eliæ ad Ioramum non intelligi ſcriptam ab Eliâ poſt ſuam aſſumtionem; ſed prophetiam, quam ante diſceſſum conſignarat, Regi tum ſignificatam & tranſmiſſam fuiſſe: quemadmodum multa Prophetç particularia de nonnullis tum caſibus, tum perſonis dixerunt, poſtea demum adimpleta. ut Propheta Bethelis, de Rege Ioſuâ, ejuſque zelo in deſtruendo altari I. *Reg.* XIII. 2. Jeſaias, de Cyro, *cap.* XLIV. atque ſimiliter alii.

Atque hæc de adventu Meſſiæ, eoque olim præterito, diſputata nobis ſunto.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Liber

Liber Tertius, de JESU MESSIA.

CAPUT PRIMUM.

Quæst. An Jeſus ſit verus Meſſias?

Temporè Ieſu, quod tempus Meſſiæ venturi fuit, nullus ita pro Meſſiâ habitus, ac ille. Verùm poſtea, in juſtam repudiati illius veri pœnam, in varios Pſeudo-Meſſias inciderunt Iudæi, miſereque deluſi ab illis fuerunt: Meſſiâ Barcozba. Moſe Cretenſi. Davide el-David, aliiſque variis. De nomine Ieſu, & Chriſti, id eſt, Meſſiæ. Norunt Iudæi Chriſtum noſtrum extitiſſe. An is per Ieſum, de quo Talmudici, intelligatur. Et Gentiles eum memorant. Vt hoc ſaltem verum ſit. Probatur, eum Meſſiam fuiſſe, argumento generali, & ſpeciali, per partes. De Chriſti ortu, & vita. Præcurſor Iohannes Baptiſta. Iudæorum de eo teſtimonia. Natus eo tempore Meſſias, quo omnium vota ſpeſque in Meſſiam erectæ. Quod cum ex aliis, tum ex ipſis probatur Gentilibus. De proſapia & genealogia Chriſti, ex Davide. Defenſa ea contra objectionem Iudæorum. Chriſtus ex virgine natus. Vindicatur Jeſa. VII. 14. *contra Iudæorum oppoſitiones. Vita Chriſti, ſancta. Conſideranda, quæ dixit; quæ egit; quæque paſſus fuit. Pro officio Meſſiæ Prophetico, ſacerdotali, Regio. In duplici vitæ ſtatu, humili, atque glorioſo.*

DIſcuſſo & pertractato, quantum non negotii, quod immenſum, ſed inſtituti noſtri ratio depoſcere viſa, argumento de Meſſiæ adventu, quem præteriiſſe evicimus, mox ſequitur inquiſitio in Meſſiam, *quis* jam ille ſit, poſtquam conſtat veniſſe. Niſi quod & ipſum illud jam oſtendere debeat Judæis Meſſiam, quia alium nec ipſi, nec alii hic jam loquuntur, quàm noſtrum. Hoc autem ſequitur, ut nunc plenius expendamus. Chriſtiana fides eſt, quod Jeſus *eſt Chriſtus filius ille Dei, qui in mundum venturus erat*. Joan. XI. 27. Et pro iſtâ noſtrâ fide præſentem ingredimur diſputationem.

Eo tempore, quo benedictus Meſſias noſter natus & in mundum venit, communibus omnium Judæorum votis Meſſias *exſpectabatur*. Quod Euangelica confirmat hiſtoria, plus quàm uno loco: & teſtantur etiam Scriptores profani. Deinde, nec *alius* quis pro Meſſiâ tum habitus

Digitized by Google

habitus agnituſque fuit, quàm noſter Jeſus. Sed denique *eo* à Iudæis repudiato, accidit iis, quod prædixerat Ieſus, quia ſe in nomine Patris venientem indigne repellebant, quod quemcunque alium in nomine proprio venientem facile eſſent amplexuri. *Joann.* v. 43. Quod poſtea contigit, quando primùm tempore Imperatoris Adriani ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ, inquit Ariſto Pellæus, apud Euſebium, *lib.* II. *cap.* VIII. planum, qui ſe pro Meſſiâ impudenter jactabat, multâ animorum contentione venerati fuerunt, qui ſe appellari volebat *bar Cocheba*, id eſt, *filium ſtellæ*; quia de ſe dictum interpretabatur à Bilhamo prophetâ, *Num.* XXIV. 17. *prodibit* כוכב *ſtella ex Jacobo.* Huic celebris R. Akiba aſſurrexit, factuſque ejus armiger, acclamavit, הינו מלכא משיחא *ecce Regem Meſſiam.* Eidemque applicatum ibat iſtud *Hagg.* II. *adhuc modicum & commovebo cœlum & terram* &c. quod de Meſſiâ dictum ſupra vidimus. Sedem ſelegerat urbem Paleſtinæ Bitter, quam ſuo facinore, & ſecutâ clade fecit celebrem. Nam quum innumeri ipſum ſectarentur undique Judæi, primo valde ſæviit in quaſcunque ſibi vicinas gentes, quaſi hoc ſe facto Meſſiam comprobaturus, quod internecione deleret obvios quoſque ſeu Romanos, Græcos, Chriſtianos etiam. De quo Iuſtinus Martyr, ut re ſuo tempore geſtâ, in Apologia ad Antoninum Pium: *proximo namque bello* (ἐν τῷ νῦν πολέμῳ) *Judaico Barcochebus, defectionis Judæorum dux et princeps, ſolos Chriſtianos ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent, & maledictis inceſſerent, protrahi juſſit.* Neque ſolos Chriſtianos, ſed & alios quoſcunque ab eo trucidatos, ſubjugatoſque memorat Auctor Zemach David, ad ann. 880, millenarii quarti, *Ben Cuziba, vocatus bar Cochaba, rebellavit Romanis, & fecit ſemetipſum Meſſiam; atque idcirco dictus fuit bar Cochaba, propterea quod myſtice interprebatur & de ſe dictum eſſe ajebat, Procedit Cochab ſtella ex Jahakob, &c. R. quoque Akiba, cum illum videret, dixit de eo, Hic eſt Rex Meſſias, ſicuti extat in Echa Rabbata (comm. in Threnos) ad verſum: Abſorbet Dominus, &c. Et Judæi, qui Bitheræ erant, ipſum unxerunt et coronarunt in Regem ſuper ſe, atque excuſſerunt jugum Romanorum à cervicibus ſuis. Magna autem clade affecerunt Romanos & Græcos in Africa, gentem magnam et multam inſtar arenæ in litore maris, cujus non erat numerus. Sic quoque fecerunt in Ægypto; incolas etiam Alexandriæ in Ægypto trucidarunt una cum Romanis, juxta verba Meor Enaijm Cap.* 12. *pluſquam duo centena millia virorum. Judæi quoque in Cophri (quæ eſt Tzepharan) internecione deleverunt omnes gentiles, adeo ut nullus inter eos ſuperſtes relinqueretur, do-*

nec Cæſar Trajanus mitteret adverſus illos ducem exercitûs ſui Adrianum filium ſororis ſuæ, et magnam iis intulit cladem, qualis non fuit audita aut viſa tempore Nebuzar-Adon, neque diebus Titi. De tempore autem Bencozbę, & cladis Bitterenſis, tum gravitate, diſcrepant inter ſe Iudæi, & videri de hoc poſſunt, neque enim neceſſe huic immorari, vel ſcrupulos iſtos diſcutere, è Iudæis, Auctor Iuchaſin, Meor Enajim, Seder Olam, Zemach. E Chriſtianis, Scaliger, *in Chronicon Euſebii*, *ad* ann. M cIↃ XLVIII. Genebrardus, *Chronolog. lib.*II. *ad* ann. 4157. Martyni Raymundi Pugio fidei, *part.*II. *cap.*IV. Buxtorfius, *Lexic. Talmud.* voce כוזיבא & *Synag. Iudaic. cap.* XXXVI. Ioſephus de Voiſin, in *Pugionem Raymundi*, *pag.*271. aliique. Valde aggravant cladem Bitterenſem, adeo ut eam cum Ieroſolymitanâ utrâque conferre nil addubitent. Obſeſſi à Romanis Iudæi, ipſi Ducem ſuum Pſeudo-Meſſiam obtruncarunt.

Simile negotium fuit Pſeudo-Moſis, Iudæi Cretenſis, tempore Theodoſii Iunioris, qui Iudæis per Cretam inſulam perſuadere conabatur, ſe eundemMoſem eſſe, qui olim Iſraelitas ex Ægypto eduxerat, jam cœlo demiſſum,ut Iudæos per mare iterum in terram priſtinam conduceret. Quare opes & res ſuas negligere illis auctor erat, magnaque turba virorum, mulierum, puerorumque eum ad maris promontorium ſequuta, quum ſe aquæ committerent, alii ſubmerſi, ſalvati à proximis Chriſtianis alii, ipſo ſe clam ſubducente Pſeudo-Moſe. Unde multi exiſtimarunt dæmonem fuiſſe humanâ ſpecie, ad ſeducendum homines falli faciles ſubmiſſum, plurimique Iudæorum,deſerta infidelitate, Chriſtianæ tradiderunt ſe religioni. Hiſtoriam refert Socrates, *lib.*VII. & Nicephorus, *lib.*XIV. *cap.* XL. XLI.

Sub Leone Iſauro, Syrus quidam impoſtor Meſſiam ſe dixit, & Iudæorum multos opinione illa miſerè ſeduxit. De quo, ex Theophane, Baronius, *Annal. Tom.*VII. *ad* ann. 721.

Tempore R. Maimonidis, & R. Benjaminis Tudelenſis, in Perſiâ Pſeudo-Meſſias extitit David el David, David al roi dictus Benjamini, qui prodigiis & incantationibus multos ſuorum in ſtuporem traxit, ſeque pro Meſſiâ habendum non ſuis ſolum, ſed & Perſiæ Regi palam dicere auſus, conjectus in vincula, iis ſe exemiſſe ſeu magiâ, ſeu corruptione cuſtodum, traditur. Inſequutus à Rege, flumen Goſam ſtrato pallio transfretaſſe, & unico die iter dierum decem emenſus perhibetur. Tandem autem operâ Regis Turcici, Zaidi Aladini, Perſæ ſubjecti,

cti, qui ſocerum Davidis ad id induxerat, ut gentis ſuæ ſaluti conſuleret ſublato è medio nefario homine, Iudæos omnes in univerſale odium perniciemque adducente, inebriatus capite plexus fuit, quod, ceu piacularem hoſtiam, Perſarum regi Turcus iſte Zaid poſtea miſit. Alii exitum ejus aliter referunt, niſi forte de diverſis intelligendi ſint. Dicunt, Rege Davidem interrogante, num Meſſias eſſet, idque intrepide aſſeverantem juſſiſſe miraculum edere, quo verbis ſibique fidem adſtrueret, ad quę is, ſe exhibiturum miraculum reſpondit, nempe quod decollatus eſſet revicturus iterum: ſed hoc non alium in finem dixiſſe apparuit, quam ut faciliori evaderet pœnâ, graviorem metuens merituſque, quippe amputatus capite nil minus quam reſurrexit. Alii tamen (adeo homines infatuarat) exſpectabant revicturum. *Iudæi vero*, inquit Maimonides, *pleriſque in locis magnâ pecuniâ multati ſunt, atque etiamnum ibi ſunt quidam judicio deſtituti, qui aſſerunt eum modo ex monumento ſuo revicturum.* Hæc Maimonides, qui & aliorum Pſeudo-Meſſiarum ſuorum meminit. Tum & ejus, qui hoc ſui ſignum dabat, quod nocte in ſomno leproſus; mane & per diem formoſus eſſet, atque integer: *tandem*, inquit, *ille quoque, dignum moribus ſuis, vitæ exitum inveniens, Iudæis nil præter vetus exilium, omniumque gentium odium reliquit. Alius itidem per Occidentem in Pheſano regno pro Meſſia ſe geſſit; unde nova malorum Iudæis incubuit cohors. Decem annis ante iſtum alius etiam Meſſias in regno Cordubenſi prodiit, qui furore ſuo miſeras Iudæorum reliquias propemodum perdidit. Alius etiam in Gallia, cujus culpâ plurima conciliabula deleta ſunt. Alius præterea temporibus Magiſtri Salomonis Adreti filii fuit, quemadmodum ille in quæſtionibus ſuis ſcriptum reliquit.* Gentius, in Hiſtoriâ Judaica, *pag.* 169. Vorſtius ad Tzemach, *pag.* 303. Atque alterius adhuc Pſeudo-Meſſiæ mentio in Schebet Iehudâ, ſeu hiſtoriâ Iudaicâ, & inde apud Vorſtium, qui in Perſiâ Meſſiam ſe jactabat, nulloque alio, quo hoc probaret, argumento ſe habere opus aſſerebat, quam fœlici rerum eventu & ſucceſſu, *neque aliis argumentis ad faciendam fidem Meſſiæ opus eſſe.* Sed, quod ei Iudæi alii ad illa reſpondebant, iſti quoque evenit: *at multi idem, quod tu, tentarunt; ſed infœlici omnes eventu.*

Præcedenti ſæculo notus in Germaniâ fuit Pſeudo-Meſſias R. Lemlem, cujus hiſtoriam promiſit, ad epiſtolam R. Maimonidis, ad Iudæos Maſſilienſes, Iohannes Iſaacus Levita; una cum rebus geſtis R. Davidis, ob prodigia ſua & incantationes publice tandem combuſti. Illum nominat Auctor Zemach ad annum 260. Rabbinorum, ſub tem-

Digitized by Google

plo ſecundo, R. Lahimlam: atque inſtare Meſſiæ adventum ſuis prædicabat, dabatque ſignum hoc, ſed ſatis facile inſaniæque proximum, quod fornacem domui ſuæ demoliretur, addens, proximo ſe anno in terrâ ſanctâ cocturum. Sed & hic communi Iudæorum effugio in cauſam ſuam uti novit, ſcilicet, niſi peccata illum impediant morenturque. Atque ita variis falſis Meſſiis deluſa ſæpiſſime miſera Iudæorum gens fuit, juſto nimirum Dei judicio, à quo tempore verum Meſſiam, qui ad illos venit, recipere dedignati ſunt. Is autem Ieſus eſt Chriſtus, ſive Meſſias.

Ieſus Ἰησοῦς, non ab ἰάομαι, ſed ab Hæbræo ישע eſt, & Servatorem ſignificat. Hebræis יהושע dicitur, & brevius ישוע. *Ezr.* II 2. II. *Paral.* XXXI. 15. In nominis ad aliam linguam tranſitione, gutturalis ultima abjicitur, ejuſque loco in Græcis nominibus ſubſtituitur S. uti in voce משיח quoque vidimus, Μεσσίας, Ἰησοῦς. Ratio nominis perhibita ab Angelo fuit, Matth. I. 21, 22. *Salvabit enim populum ſuum à peccatis ſuis.* Atqui is merito Salvator, qui nempe *ſalvat*; nec unum vel paucos aliquos, ſed *populum* integrum, ſuum nempe; & à malis graviſſimis, *peccatis* ſcilicet. Jeſa. XXV. 6, 7, 8, 9. *Faciet autem Iehova exercituum omnibus populis in monte hoc convivium* &c. *& abſorbebit ipſam mortem in victoriam, et abſterget Dominus Iehovi lachrymas ab omnibus faciebus* &c. *Ut dicat tempore illo, ecce Deus noſter hic eſt, exſpectamus eum, et ſervat nos: hic eſt Iehova, quem exſpectamus, exultabimus, & lætabimur de ſalute ejus*, בישועתו. Tria. Deus *Servator*. II. omnibus *populus*. III. à *morte*. Quem de temporibus Meſſiæ locum exponunt Rabbini. Quare nihil mirum, quod Meſſias vocatur ישוע *Salvator*. Jeſa. XLIX. 26. *ut agnoſcant me Iehovam eſſe ſervatorem tuum.* Patriarcha Jacob, Geneſ. XLIX. 13. *exſpecto redemtionem tuam*, לישועתך. Quod egregie ita παραφράζει Targum Jeroſolymitanum: אמר אבונן יעקב *Dixit Pater noſter Iacob, non exſpectat anima mea redemtionem Gideonis, filii Ioaſch, quæ temporaria; neque redemtionem Simſonis, qui redemtionem fecit; ſed redemtionem, de quâ dixiſti in verbo* λόγῳ *tuo* במימרך, *quæ futura eſt populo tuo filiis Iſraelis, illam redemtionem exſpectat anima mea.* Quandoquidem ergo redemptio פירקא, & ישועה, *ſalvatio* cum Meſſiâ exſpectanda fuit, hinc eum ישע *Ieſum* nominari oportuit Tiſbi in voce ישו ſcivit rationem nominis Meſſiæ iſtam à nobis dari: *Dicunt Chriſtiani,* אומרים הנוצרים *Meſſiam ipſorum vocatum eſſe* ישו *Ieſum, juſſu Angeli Gabrielis, eo quod liberaturus eſſet totum mundum à gehennâ.*

At tum ipſe, aliique teterrima atque plane diabolica ſanctiſſimi nominis cudunt interpretamenta. Nempe caſu nomen hoc Meſſiæ obtigiſſe, uti aliis ſic quidem etiam vulgo appellatis, quemadmodum Tiſbi ait, qui & addit: *quia Judæi non credunt quod ipſe ſit* המושיע *ſervator ille, idcirco nolunt ipſum vocare* ישוע, *ſed tollunt* ain *literam, & pronunciant* ישו *Jeſu.* Cujus tamen & aliam rationem mox ſubjicit, omitti nimirum *ain* literam, ob difficultatem pronuntiationis, teſtante R. Aben Ezrâ, neminem hujus literæ ſonum efferre rite poſſe, qui non eum à pueritiâ addidicerit. Alii Judæorum ישו dicunt, ſed per raſe tebot explicant, ימח שמו וזכרו *pereat nomen et memoria ejus*, Meſſiæ videlicet noſtri; vel quod *idem*, יש שקר ותועבה, *ſit mendacium, et abominatio.* Ex quo ipſorum odio precatiuncula illa, cujus in ſuperioribus meminimus, quæ incipit עלינו, quâ contra Idololatras orant, & Chriſtianos, relicto in impreſſis codicibus hiatu, המשתחוים להבל וריק ומתפללים ללא יושיע, *qui incurvantes ſe honorem exhibent vanitati, & inanitati, et adorant eum, qui non poteſt ſervare.* Quo Jeſum Chriſtum noſtrum notant, quaſi vanum Servatorem, & Chriſtianos cum fruſtra invocantes in cenſum idololatrarum referunt. Habent & alia divini nominis ludibria, ut quando per Gematriam Cabaliſticam in וריק *et inanitati* faciunt eundem quem in ישו numerum 316. Tantundem reperiunt in אלהי נכר *Deus peregrinus.* Acuta ſcilicet argumenta, imo blaſphema. Aliàs ipſos, ſed raro, obſervo plene ſcribere nomen ישוע, etiam quando de Meſſiâ noſtro verba faciunt. Abravanel in Jeſa. LII. ישוע הנוצרי, *Ieſum Nazarenum*, ait; ſic & Auctor Zemach ſæpe, aliique.

Jeſus *Chriſtus*, id eſt, unctus, Hebraicè משיח. *Ioan.* IV. 42. *ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ χριστός. οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, ſcio quod Meſſias veniet, qui dicitur Chriſtus.*

Judæi varia Meſſiæ celebrant nomina, quibus notatur, deſcribiturque. Unde in Cod. Sanhedrin, *cap. Chelek*, in Meſſiæ nomen inquirentes, dicunt, *quod illi nomen? Familiares R. Sila ajebant, Silóh nomen ejus eſſe.* Q. D. *Uſque dum veniat Silóh. Familiares Jannai dicebant, Jinnón nomen ejus eſſe.* Q. D. *Sit nomen ejus in ſempiternum, coram Sole Jinnón nomen ejus. Familiares R. Chaninæ. Chanina id eſſe dictitabant.* Q. D. *Quòd non daturus ſum vobis Chanináh, i. e. gratiam. Sunt, qui dicant Menachem fil. Chiſkija nomen ei eſſe.* Q. D. *Nam longè à me abeſt Menachem, i. e. conſolator, qui reficiat animam meam. Magiſtri autem dicunt, nomen ejus eſſe, Leproſus de domo Rabbi.* Q. D. *Certe morbum noſtrum ille in ſe recepit, & ægritudines noſtras*

ſtras bajulavit, at nos reputavimus ipſum plaga affectum. Ad quem locum Cl. Collega noſter, ex Midraſch ſuper Proverbia locum addit, plura Meſſiæ nomina memorantem: *ait R. Huna, octo hiſce nominibus inſignitur Meſſias: Jinnon*; Pſalm. LXXII. 17. *Dominus juſtitia noſtra*; Jerem. XXIII. 6. *Germen ſive ſplendor*; Zachar. VI. 12. *Conſolator*; Eſa. LI. 3. (*ubi illa verba: Nam conſolatur Dominus Tzionem*). *David*; Pſal. XVIII. 51. *Elias*; Malach. IV. 5. *Silo*; Gen. XLIX. 10. Ita etiam variis paſſim nominibus, epithetis, elogiis inſignitur Meſſias noſter, de quo agendum impræſentiarum nobis eſt.

Non eſt is quidem planè ignotus Judæis. fatentur extitiſſe, neque totum commentum eſſe, quod de eo credimus: etiam interemtum à ſuis, & veſpera Paſchatis. Sed infandis mendaciis, nugis, blaſphemiis hiſtoriam pervertunt. Auctor Zemach, ישוע נוצרי נולד, *Jeſus Nazarenus natus eſt in Bethlehem Juda, quæ diſtat Jeruſalemo leuca una & dimidia, anno 3761, à creatione mundi, 42. Imperii Cæſaris Auguſti.* An verò quæ in Talmude de Jeſu Stadæ, & Pandeiræ filio, diſcipulo Perachiæ, qui cum præceptore in Ægyptum aufugerit, & magiam ibi didicerit, tandem lapidatus à ſuis, veſpera Paſchatis, ut conficta de Chriſto noſtro haberi debeant, an vere geſta de alio quopiam cognomine Jeſu, valde dubium, incertumque. Diſcrepantes ſuper hoc ſententiæ ſunt apud Iudæos ſimul & Chriſtianos. Illi quidem paſſim pro eodem habent, & Jeſum noſtrum illis denotari ſcribunt. At R. Lipman Mulhuſinus, cum aliis contrarium cenſet, & duos fuiſſe diverſos Jeſus adſtruit, in Nitzachon, part. ult. ubi Diſputationem adtexit ſuam cum Petro quodam ex Iudæo Chriſtiano, & quo excuſaret probra in Talmude de Ieſu dicta, quæ de Ieſu noſtro paſſim exponi ſciebat, negavit eundem eſſe Ieſum, ונאמר להם שאין, *et dicemus iis, hunc non eſſe Ieſum. Oſtenderunt etiam ipſis Sapientes Pariſienſes* (ſic Snellius vertit) *duos fuiſſe nomine Ieſu inſignitos. Ieſus enim, in quem credunt, fuit in diebus Reginæ, quam vocant Helenam, ceu expoſui in Danielem* Num. CCCXXXII. *At hæc fuerat temporibus Hillelis, ut diſcimus in Maſſ. Naſir, atque adducit* cap. 1. *Maſſ. Schabbath. At Ieſu, cujus in Talmude fit mentio, vixit tempore R. Ioſua F. Perachiæ, ſicut eſt in capite Chelek, & Maſſ. Succa. Et Hillel fuit multis generationibus poſterior R. Ioſua F. Perachia, ut videre eſt in Maſſechoth Avoth.* Iudæorum alii duplicem faciunt Perachiam, uti illi duplicem Ieſu, ut ſaltem diſcipulum Perachiæ tueantur fuiſſe etiam Ieſum. Atque Chriſtianorum nonnullis placuit ſententia de duobus Ieſu, & non noſtrum deſi-

Digitized by

deſignari per illum Ieſum Stadæ filium, diſcipulum Perachiæ. Sic Galatinus. Sic Paulus Ricius, in *Epitome doctrinæ Talmudicæ*. & præſertim Wilhelmus Schikardus, in proœmio *Tarich* à *pag*. 83. ubi ſeptem argumentis pugnat, & probare annititur illa Ieſus Talmudici noſtro applicari non poſſe. Verum, ſi rem benè expendamus, hoc non quæritur, an illa Ieſu noſtro conveniant, quod nemo Chriſtianorum vel cogitabit unquam; ſed annon veris falſa miſcentes, prout ſolent Iudæi, & inſuper habitâ veritate omni Theologicâ & Chronologicâ, per Ieſum iſtum Stadæ & Pandiræ filium diſcipulum Perachiæ, magum, à ſuis veſperâ Paſchatis occiſum, notare voluerint noſtrum Ieſum, horrendum quamvis in modum de ipſo mentiti? & annon quod hoc jam negant aliquando, ſolo Chriſtianorum metu, quorum offenſam verentur & punitionem, facere videantur? Nam illorum mendacia hac in re, contradictiones & blaſphemias notavit quoque Vorſtius in Notis Chronologicis ad Zemach *pag*. 264. *&c*. Quod autem in Talmude ſub Ieſu illo Stadæ & Pandirę filio &c. noſter Jeſus deſignetur, contra Galatinum contendit Raynoldus, Prælect. CLIII. de libris Apocryphis, adducto in eandem ſententiam Abrahamo Levita, in ſua Kabala hiſtoricâ: & Clariſſ. Buxtorfius, in Lexico, nunquam ſatis deprædicando, voce כשר ſeptem dat rationes, quibus oſtendat, Iudæos per iſtum Ieſum Stadæ filium, noſtrum tecte mendaciterque notare voluiſſe: quibus rationibus per alias Scikardi ſatisfieri non poteſt: ut quoque haud dubitem, Ieſum noſtrum illo deſignatum fuiſſe, quem Stadę, id eſt, ſcortatricis (neque enim id proprium, ſed appellativum nomen eſt,) Marię (hoc proprium ei dant nomen, dicuntque fuiſſe capillorum muliebrium plicatricem) filium, & Pandirę commemorant. Iterum Buxtorfius, in voce פנדירא *nomen proprium viri, qui à Iudæis ſtatuitur pater, vel ex majoribus Ieſu Chriſti, unde apud Talmudicos mentio* ישו בן פנדירא *Ieſu filii Pandiræ*. Neque apud unum Damaſcenum, in Genealogia Marię occurrit Pantheris nomen, qui Marię proavum Panterum dictum, ſcribit; ejuſque filium, Bar-Pantherum: ſed & apud Epiphanium, atque Origenem, contra Celſum, Ioſephi parens Iacobus, ipſeque Ioſephus, Pantheri appellantur, ut omnino nomen gentilitium fuiſſe videatur. De quo videndus Gerardus Voſſius, Diſſertat. *de genere Ieſu Chriſti, cap*. v. Iam de Ieſu dicitur, in Talmude Sanhedrin, בערב פסח תלאוהו לישו, *in veſpera Paſchatis ſuſpenderunt Ieſum*. Unde enm vulgo per contemtum תלוי appellant, *ſuſpenſum*; atque Chriſtianos, עובדי התלוי *cultores ſuſpenſi*. Quin & Gentilibus

hoc

hoc non ignotum intactumque Scriptoribus, interque illos famoſiſſimo Corn. Tacito, Annal. *lib.* XV. *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.*

Quare conſtat, etjam teſtimonio maximorum noſtrorum inimicorum, Judæorum, & Gentilium, Jeſum Chriſtum extitiſſe, neque eſſe eum merum commentum noſtrum. Quærimus impræſens, an Meſſias fuerit? an is, quem Deus toties, tamque auguſtè promiſit, & præſignificavit? ille, de cujus adventu huc uſque diſputavimus. Ut quem veniſſe, ex præcedentibus, clarum eſt certumque, eum illum eſſe certo ſtatuere liceat & credere. Atque argumento quidem hac in cauſa, pro Jeſu noſtro Meſſiâ, utimur duplici: *generali* primum, inde *ſpeciali*.

Illud eſt; Cui competunt, & in quo *adimpleta* omnia quæ de Meſſiâ olim prædicta, & prænotata, is eſt verus Meſsias: Sed in Jeſu Meſsiâ omnia illa adimpleta, eique competunt: ergo eſt verus Meſsias. Pro hoc argumento confirmando eſt quod in N. T. ſive à Chriſto, ſive Apoſtolis, Vetus Teſtamentum, ejuſque loca paſsim adferuntur ad probationem omnium, quæ in N. T. exponuntur, & aguntur. Hinc Chriſtus ad Scripturas provocavit continuò, & ad eas homines remiſit. Neque aliam formula illa cauſam habet, *factum hoc &c. ut impleretur*. Quæ tam frequenter per N. T. occurrunt, ut loca ſingula annotare, nulli non obvia, haud ſit neceſſe. Eaque omnia confirmavit Chriſtus in cruce, ſub mortem, dicens: *conſignatum eſt*. Ioan. XIX. 30.

Speciatim ex inductione ſingulorum demonſtrandum, Ieſum Meſsiam eſſe. Ubi conſideramus, I. quod Chriſti *perſonam* concernit. II. effectum & *opus* ejus ſingulare in vocatione & *converſione gentium*.

Ibi, ad *perſonam* Chriſti, notanda I. ejus *ortus*. II. *vita*. In ortu, I. *Præcurſor*, qui ante Meſſiam ire, ejuſque viam parare, juxta vaticinia, debuit. II. videndum, *quando* natus Meſſias, quoque tempore. III. quâ *proſapiâ* & ſtirpe. IV. quo *modo*, nimirum ex *virgine*. V. *loco*, nempe Bethlehemi.

Præcurrere aliquis Meſſiæ, in ſpiritu & virtute Eliæ, debuit, juxta *Malach.* III. 1. & IV. 5, 6. *Ieſa.* XL. 3. *vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Totam autem hanc pericopen, quæ incipit, *Conſolamini, conſolamini*, de diebus Meſsiæ Iudæi exponunt. Kimhi כל אלה הנחמות עתידות לימות המשיח, *omnes illæ conſolationes futuræ diebus Meſſiæ.* Atqui illa vox clamantis in deſerto, atque præcurſor Chriſti Johannes Baptiſta: cujus etiam hiſtoria Iudaica honorificè

rificè meminit. Ioſephus , Antiquit. *lib.* XVIII. *cap.* VII. *Apud Iudæos autem fuit opinio , juſta ultione numinis deletum Herodis exercitum , propter Johannem qui Baptiſta cognominatus eſt. Hunc enim tetrarcha necavit virum optimum , Iudæos excitantem ad virtutum ſtudia : & in primis pietatis ac juſtitiæ , ſimulque ad baptiſmi lavacrum : quod ita demum Deo gratum ajebat fore , ſi non ab uno tantum alteróve peccato abſtineant , ſed animis per juſtitiam priùs mundatis , addant & puritatem corporis. Quúmque magni concurſus ad eum fierent : plebe talis doctrinæ avida , Herodes veritus ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pararet , quòd viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio , judicavit ſatius eſſe, priùs quàm novi aliquid exoriretur , illum tollere , quam rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum miſsum in Macheruntem ſupra dictam , illic occidi imperat. Quod factum ſequuta eſt Iudæorum exiſtimatio , ab irato Deo perditum eſſe Herodis exercitum.* Quin & eodem capite refert incæſtuoſas Herodis, cum Herodiade, uxore fratris, nuptias; ob quas à Iohanne graviter reprehenſas, capite mulctatum eum ſcimus ex hiſtoriâ ſacrâ Euangelicâ, *Matth.* XIV. quod & Iudaica confirmat hiſtoria. Nam ita quidem de eo Ioſephus Gorionides, & in hoc rectius , quam Flavius Joſephus , hiſtor. *lib.* V. *cap.* XLVI. *Ipſe* Herodes *accepit à Philippo fratre ſuo adhuc vivente uxorem ejus , etiam cum illa genuiſſet fratri ſuo filios : eamque inquam accepit ſibi in uxorem , & interfecit multos ex ſapientibus Iſrael. Occidit etiam Johannem , ob id quod dixerat ei : Non licet tibi habere uxorem Philippi. Hæc fuit cauſa quod eum peremit. Et hic fuit Johannes ille , qui baptiſmum celebravit.* In Hebræo eſt , וגם הוא הרג את יוחנן על׳ אשר אמר לו אסור לך לקחת את אשת פיליפוס ויהרגהו. הוא יוחנן אשר עשה טבילה׃ R. David Ganz , in Zemach , part. I. *Herodes accepit conjugem fratris ſui Philippi , dum adhuc is viveret , in uxorem , et Iohannem Sacerdotem maximum ,* (ſic quidem ille ſtatuit , cum ſacerdotem maximum fuiſſe , כ״ג) *eo quod ipſum redarguiſset , occidit gladio , cum multis aliis ſapientibus Iſrael.* Quæ quam egregie conveniant cum Euangelio , ejuſque, & Johannis Baptiſtę confirment tum veritatem , tum auctoritatem , quilibet perpendat. Nam in eo dicitur Herodes Johannem decollari curaſſe , propter verbum iſtud, quod dixiſſet ſibi, οὐκ ἔξεστι, *non licet tibi eam habere.*

Quod ad *tempus* nati Meſſiæ , tum venit, quando I. omnia Veterum *vaticinia* finem ſortiebantur : quod ex ſuperiori, de adventu Meſſiæ , diſputatione liquet. II. quum vulgò *Iudæorum* natio Meſſiam venturum exſpectabat. Unde in Euangelio hinc deſcribuntur homines , quod

Digitized by Google

Meſſiam præſtolabantur. Simeon, *exſpectans conſolationem Iſraëlis.* Luc. II. 25, 26. Eodem capite, quo hiſtoria panditur nativitatis Meſſiæ, *verſ.* 38. de prophetiſſâ Annâ, filia Phanielis, ex tribu Aſer, prophetaſſe dicitur *omnibus exſpectantibus redemtionem Ieruſalemi.* Mulier Samaritana, *ſcio quod Meſſias venit: ille quum venerit annunciabit nobis omnia.* Ioann. IV. 25. & *verſ.* iterum 29. *Venite, videte hominem, qui mihi omnia, quæ feci, narravit: numquid hic eſt ille Meſſias?* Et hinc fama ad *Gentiles* percrebuerat venturi eo tempore Meſſiæ Regis apud Iudæos. Quæ temere Iudæi Veſpaſiano adaptarunt, quum Meſſiam verum repudiaſſent, & Imperatoris Romani gratia ipſis omnimode aucupanda videretur. Menaſſe loca ex Joſepho, Suetonio, & Servio huc adferenda conjunxit in lib. *de termino vitæ*, quæ proinde ex eo deſcribere haud pigebit, *pag.* 176. *His aſtipulatur Ioſephus, cujus verba adducere lubet: Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, reſponſum erat ambiguum, itidem in ſacris libris inventum, quod eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt: multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem plane reſponſum, Veſpaſiani deſignabat imperium, qui apud Iudæam creatus eſt imperator. Sed enim homines fatum vitare non poſſunt, etiamſi præviderint. At vero hi ſignorum quædam pro ſua libidine interpretati ſunt, alia contempſere: donec patrio excidio, ſuaque pernicie, eorum iniquitas confutata eſt. Huc etiam pertinet, quod Tacitus his verbis refert: Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur: quæ ambage Veſpaſianum, ac Titum, prædixerant: ſed vulgus, more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretari, ne adverſis quidem ad vera mutabantur. Suetonius hujus oraculi quoque meminit: percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudæa profecti, rerum potirentur. Id de Imperatore Romano quantum eventu poſtea prædictum patuit, Iudæi ad ſe trahentes, rebellarunt: cæſoque præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, rapta aquila fugarunt. Similiter Servius in Commentariis ad Virgil. Æneid. Nam & Suetonius ait in vita Cæſaris, reſponſa eſſe data per totum orbem, naſci invictum imperatorem.* Unde quam conſpiret tempus nati Meſſiæ cum omnium calculis, exſpectatione, voto, apparet: nempe quo totus ferme orbis in ejus deſiderium ac ſpem intentus hærebat, tum venit חמדת כל הגוים, humani generis deſiderium ac ſalus. Non nova illa ac recens, ſed *vetus*; non levis, ſed *con-*

ſtans

ſtans fama erat Suetonio; de rege & imperio Iudæâ oriundo, *& naſci invictum imperatorem*, uti habet Servius. Quæ aliunde quam ex Iudæis, & eorum computationibus in hoc tempus adventus Meſſiæ finientibus originem habere nequiverunt. *Ex antiquis Sacerdotum litteris*, inquit Tacitus. Atque ex divino aliquo decreto conſtantem illam opinionem arceſſit Suetonius: illud enim ſatum appellabant: *percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis* &c. Adeo fata, & vetus conſtanſque opinio, ex Sacerdotum litteris emanans, tum temporis Regem iſtum oriturum Iudæis, etiam Gentilibus dictabant, quæ alteri quam Meſſiæ applicari non poſſe & inde orta, nemo non videt. Joſephus fatetur, tum impletum χρησμὸν de rege orbi dominaturo, & ex ipſorum finibus oriundo ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. Hunc quem alium intelligas, quemve talem oracula loquuntur, niſi Meſſiam? Idque adeo tum credebant Iudæi, ut hæc eos cauſa in bellum armarit contra Romanos, nempe ab iſthoc ſibi Rege auxilium pollicentes & vanas ſuppetias. Ioſephus ex turpi adulatione, & ſolus ille, quantum ſcimus, omnium Iudæorum, oracula de Meſſiâ Veſpaſiano: perinde uti poſtmodum R. Akiba illa Pſeudo-Meſſię Bacozbę, applicavit. Tantopere ſibi ex communi conſtantique opinione Mesſiam tum ſpondebant, arripiebantque fere quemcunque. Nam exhibendum illo quidem tempore, ex omnium Prophetarum oraculis, nulli dubitare amplius tum poterant. Quod oraculum ambiguum ἀμφίβολον Joſephus dicit, non ad ſenſum illorum, ſed ad animum ſuum loquitur, conantem illa contra omnem omnium ſententiam Gentili Idololatræ, atque hoſti attribuere. Quare quum illo tempore, atque ex longinquâ famâ, non nuper natâ, ergo & ante Veſpaſianum etiam vigente, id eſt, ante ultimam gentis deſtructionem, Meſſiam venire oportuit, atque ideo tam enixe deſiderabatur, certe Meſſias noſter qui ad illa tempora natus, ſuo, quo debuit, tempore advenit. Atque ita hac etiam ratione probatur verus eſſe, vel ſaltem in eo non id deſiderari, quod in nativitate Meſſię, quoad temporis circumſtantiam, obſervari debuit. Eo magis, quo tum nemo, uti ille, pro Meſſiâ agnitus acceptuſque ab hominibus fuit. Unde poſtea, videntes turbatas rationes ſuas Iudæi, præ animi incertitudine ac deſperatione eò prolapſi, ut vaticinia de Meſſiâ quibuſvis fere, & jam Veſpaſiano attribuerent, gentili, non Judæo, homini præputiato, inimico, potius quam nulli, quia aliquem iſto tempore Meſſiam eſſe debere undequaque coarguebantur.

III. Ex eâ *proſapiâ* natus eſt Meſſias noſter, quâ eum naſci decuit, id

 eſt,

Digitized by Google

eſt, ſtirpe Davidis, & Judæ. Unde in frontiſpicio Euangeliii ſcriptum, βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. *Matth.* I. I. Nempe hic liber eſt quoque ἐκ τῶν βιβλίων, imo principaliter quidem βίβλος. Atque uti primus liber Veteris Codicis eſt γενέσεως, liber בראשית; ita & hic, ſed γενέσεως Chriſti, non mundi, non naturæ. Chriſtum ex Judâ originem ſuam trahere ita clarum, certumque, ut Apoſtolus *Heb.* VII. 14. dicat, πρόδηλον hoc eſſe, id eſt, palam manifeſtum, non ſimpliciter δῆλον, ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν. Quod niſi certum indubitatumque eſſet, non tam fidenter Apoſtolus apud Hebræos dixiſſet.

Objiciunt Judæi: ne quidem in Euangelio oſtendi, Chriſtum è Davide prognatum: tantùm hoc de Joſepho probari, cujus tamen verus, atque ab eo genitus filius Chriſtus non ſit. Ita apud Munſterum, in Euangelium Matthæi argumentantur, ſtatim in initio: *Matthæus & Lucas genealogiam deducunt ad Joſeph, & in omnibus libris eorum non invenitur genealogia Mariæ, unde ſi Jeſus natus eſt ſine patre non eſt de domo David: aut ſi contendis eum eſſe de domo David, erit Ioſeph pater ejus. Præterea quare Ioſeph vocaretur vir ejus ſi non duxiſſet eam ad concubitum? Fuerat potius vocandus, deſponſatus ejus. Neſcimus itaque ex qua tribu fuerit Maria. Quod ſi dixeritis, habemus per traditionem, & hic mos eſt apud Iudæos, quod quiſque ducit propinquam ſuam in uxorem, ideo genealogia Ioſeph ſimul eſt genealogia Mariæ: reſpondemus conficta eſſe verba veſtra & ænigmatica ut Deum vobis ſtatuatis: cum hæc ſit conſuetudo noſtræ legis, ut cuilibet liceat ducere uxorem quæ illi placuerit, ſive ſit propinqua, modo ſit ex lege permiſſa: & ſic filii hujus tribus poſſunt ducere uxores de illa vel iſta tribu, id quod patet ex facto Gibeonitarum, quomodo tribus devoverint eum qui filiam ſuam illis locaret in uxorem. Præterea eſto quod Maria fuerit de tribu Iehuda, et quare ergo genealogia non ducitur ad eum ſed Ioſeph?* Atque Judæus, in Amica Diſput. quæſt. XXIII. *pag.* 27.

Quomodo ex eo quod Ioſephi genus ab Euangeliſtis ad Davidem et Judam referatur conſequens eſt Jeſum ex eodem genere prognatum eſſe, cum ex iiſdem Euangeliſtis conſtet, Joſephum non fuiße ut putabatur verum ac naturalem Ieſu patrem?

Ad quæ *reſpondemus*. I. Dato, Euangeliſtas Matthæum & Lucam Chriſti genealogiam deducere ad Joſephum, non ſequitur inde, Chriſtum non eſſe de domo David. II. Imo hinc contrarium conſtat. 1. Quia hoc adeo certum habebatur Mariam cum Joſepho ejuſdem ſtirpis eſſe, ut ad ejus explicationem ſufficere videretur, iſtius pandere genealogiam, quâ expoſitâ, pro certo pro-

Digitized by Google

probatum erat, Chriſtum eſſe filium Davidis, atque Abrahami. II. Ideoque illud πρόδηλον dicit eſſe Hebręis Apoſtolus *Heb*. VII. 14. III. Niſique certum fuiſſet, Judæi Chriſti adverſarii, quando toties tum ipſe, tum Apoſtoli eum dixerunt Davidis filium, obſtrepuiſſent quidem, & vel in judicio, vel extra, hoc attuliſſent, ex quo ſolo falſi convictus certiſſime fuiſſet. IV. Uti uxor, vel ſponſa, qualis erat Maria μεμνηστευμένη ἀνδρὶ Ἰωσὴφ, eo tranſit in familiam, & nomen mariti, ita & fructus ventris ejus, qui inde non illius jam habetur, ſed hujus, & ejuſdem nominis, familiæ, ac tribus cum eo. Confer legem *Deut*. XXV. 6. 7. ubi filius à Levire procreatus, quia mulier hactenus defuncti habebatur, in illius nomen tranſit, familiam ac bona, non autem cenſetur filius naturalis & viventis patris. Partus ſequitur ventrem; venter maritum. Hic ſenſus verborum illorum eſſe poteſt *Luc*. I. 27. ubi Angelus dicitur miſſus *ad virginem deſponſatam viro, cui nomen Joſeph, ex familiâ Davidis: & nomen virginis, Maria*. Nempe virgo deſponſata Davidicæ ſtirpis viro, æſtimatur quoque ejuſdem. V. Fateor quidem, haud prohibitum Judæis fuiſſe cum tribu aliâ conjugia miſcere, quod contra vulgarem errorem, à viris doctiſſimis benè obſervatum, Corn. Bertramo *Lucubrat. Franckental. cap*. VI. Seldeno, *lib. de ſucceſſ. Ebræorum*, *cap*. XVIII. & Gomaro, *de Genealogiâ Chriſti, cap*. V. verùm ſi Maria ἐπίκληρος fuerit, fratre carens, tum agnato & tribuli ſuo nubere eam oportuit, ex lege *Num*. XXXVI. VI. Quæ ſententia eſt Ger. Voſſii, Diſſert. *de genere Chriſti*. Verùm nos III. dicimus, Lucam Euangeliſtam genealogiam Mariæ deſcripſiſſe; Matthæum, Joſephi. Et ſic non uterque Euangeliſta genealogiam Chriſti ad Joſephum deducit; neque neſcitur genealogia Mariæ. Sic ait Lucas, *et erat Jeſus quaſi annorum triginta incipiens*, ὢν (ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Ματθὰτ &c. id eſt, *filius (uti putabatur) Joſephi*, revera, *(aut)* ſed *Eli*, & hic *Matthat* filius &c. Eli parens Mariæ fuit. Jam ante notum, in genealogiis non matres, ſed viros recenſeri: quare ubi dictum eſſet, Joſephum non eſſe verum Chriſti patrem, ſolummodò putatitium, proxime ponendus erat Mariæ parens, & avus Chriſti maternus, Eli. Aut ſi velis illud τοῦ Ἠλὶ non Chriſto, ſed Joſepho attribuere, in promtu eſt reſponſio, quod nempe filius Eli Joſephus dicendus, non naturalis, ſed legalis, jure conjugii, quia nimirum ejus gener erat. Quemadmodum *Ruth*. I. 8. Nahomi nurus, dicuntur ejus filiæ. Atque hoc vulgatum. Ut, quomodocunque illa ſumas, quæ de Chriſti genealogia apud Matthæum & Lucam, non aliter quam ad ſcopum hunc referenda ſint, Chri-

 ſtum

ſtum omni modo demonſtrari eſſe Davidis filium, & verum Meſſiam.

IV. Quod ad modum nativitatis Meſſiæ, ex *virgine*; ita natus Meſſias noſter fuit. Matth. I. 22, 23. *Hoc autem omne factum ut impleretur dictum à Domino per Prophetam, dicentem: ecce virgo concipiet et pariet filium, & vocabunt nomen ejus Immanuel: quod interpretatum eſt, Deus nobiſcum.* Prophetia illa eſt Ieſa. VII. 14. *Ideo dabit Dominus ipſe vobis ſignum: ecce virgo concipiet et pariet filium, & nominabitur*, vel, *nominabit ipſa nomen ejus, Immanuel.* Ubi hæc obſervanda. I. prædici promittique rem ſingularem aliquam & miraculoſam, אות *ſignum*. II. Non uni alicui, non Achazo Regi, qui oblatam ſigni optionem indigne contemſerat, ſed omni *populo*, domui Davidis. Argumento, rem prædici, cujus intererat omnium. III. Signum omnino *divinum*, à ſolo Deo exhibendum, quod proinde dicitur daturus *Dominus ipſe*. IV. Signum admirandum, *ecce*. V. In eo ſitum, quod *virgo* paritura eſſet. VI. paritura filium *Immanuelem*. Quæ omnia nulli aptari poſſunt, quam Meſſiæ.

Nam de quocunque alio interpreteris, vim & plenitudinem prophetiæ nunquam exhauries. Hinc ad nativitatem Meſſiæ noſtri ex virgine Hiſtoria benè annotat, *factum hoc, ut impleretur dictum à Domino per Prophetam, ecce virgo concipiet*. Nullam autem cauſam Iudæi habent hoc negandi, quod Euangeliſta dicit, vel ejus in dubium trahendi veritatem. Neque enim vel *impoſſibile*, ut virgo pariat, videlicet impoſſibile Deo. Quippe uti Angelus Mariæ hoc objicienti reſpondit, ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα. Neque *indignum* Deo, vel Meſſiæ eſt, ut in ejus gratiam hoc miraculum, inque ejus nativitate, de quo tam prodigioſa multa paſſim dicta, edatur. Quod ſi vero ſimpliciter contendant Iudæi, verum non eſſe, quod de illa Chriſti nativitate Euangelium habet, rationem jure expoſcimus, ob quàm illud minus recipiant, quam alia quævis ulli hiſtoriæ memorata ſeu humanæ ſeu divinæ, quum extra partes ſi te conſtituas, nulla omnino cauſa vel ratio dari aut excogitari poſſit, quare illud confingere ſancti Euangeliſtæ voluerint, omneſque ab illo inde tempore temere credere Chriſtiani, niſi omnino certum fuiſſet divinumque. Jam in facti & hiſtoriæ aſtruendâ veritate, ſufficit eam tueri contra exceptiones & objectiones contrarias. Nam quo quæſo argumento probaveris Iſaacum ex Sarâ, Samuelem ex Annâ, &c. natos, ſi quis forte illa negare velit, quam aſſerendo juſtam contra illorum hiſtoriam rationem dari non poſſe? Atqui eadem Euangelii, & narratæ in eo Chriſti nativitatis hiſtoriæ ratio eſt. Nihil tu quidem adverſus

hanc

hanc dices, quod ego non, vel alius adverſus illa. Imo vel idcirco hoc accipere magis decet, quo in gloriam Meſſię facit ſingularem, cujus honorem ſcimus Deum ubique promovere voluiſſe, & quibuſcunque tum ſignis tum prodigiis manifeſtum facere. Nos nimirum à noſtra parte deerimus credendo, ubi ſuarum partium Deus judicat talia vel in noſtri gratiam, quo pluris tum ſe, tum Meſſiam faciamus, exhibere? Quare cauſæ nihil eſt, cur non ſtatuamus virgineum Mesſiæ partum prædici à Ieſaia, & à Matthæo narrari. Quod argumentum non ſolum oſtendit, hac in parte Meſſię noſtro non defuiſſe, quod in eo, ejuſque ſingulari nativitate requiſitum, ſed ulterius, cum propterea Mesſiam haberi debuiſſe. Quod peculiare in hac re eſt, non item in circumſtantia vel temporis, vel loci, quo Meſſias natus. Nam hæc modo oſtendunt, in Mesſiâ adimpleta & concurrere, quę ex Prophetiis debuerunt: non item qui illo tempore, locoque venit, ideo Mesſiam eſſe. Sed hoc imo probat non ſolum impletam hanc in eo prophetiam, ſed talem, quę Mesſiam arguat certisſime. Nam in cujus gratiam opus tam ſingulare & miraculum edat Deus, ut virgo concipiat, pariatque, quam Mesſiæ? Ubi ergo obſervatum fuit, & iſto quidem tempore, locoque, quod virgo pareret, quis dubitare potuit homo non contumax vel perverſus, Mesſiam illum eſſe, qui tam prodigioſum in modum mundum intrabat? Hoc item ab Angelo ſignificatum, *ideo ſanctum quod ex te naſcetur* Mariâ, *filius Dei vocabitur*, Luc. 1. 35. Illa nimirum miraculoſa nativitas argumentum habebitur certum ac manifeſtum, quod non alius is erit, quam Mesſias Dei filius.

Excipiunt Iudæi, non dixit Ieſaias propheta, virginem concepturam, & parituram, ſed ſimpliciter fœminam aliquam. Proinde hoc Matthæus male adduxit, & ſuſpectam reddit Jeſu ex virgine nativitatem. Intelligi apud Prophetam volunt, עלמה uxorem Prophetę: alii, uxorem Regis: alii, aliam quamcunque. Opinionem primam ſequitur R. Selomo Jarchi: alteram David Kimhi. Ille, הנה העלמה אשה, *ecce* inquit, *Propheta uxor mea concipiet hoc ipſo anno, qui eſt quartus Regis Achaz. Et pariet filium, & vocabit nomen ejus [Spiritus Sanctus ſuperveniet in eam. Et vocabit nomen ejus Immanuel] quod eſt, erit rupes noſtra nobiſcum. Et hoc vult dicere, puellam iſtam fuiſſe, quæ de vitâ ſua non prophetarat, ideoque Spiritus Sanctus ei ſuperveniret: illudque eſt, quod infra dicitur; et acceſſit ad Prophetiſſam &c. Neque reperimus uxorem Prophetæ Prophetiſſam dictam fuiſſe, niſi quoque prophetaſſet. Sunt etiam, qui hæc exponunt,* addit, *de Hiskia dicta. At nequit;*

quit; quia annorum habitâ ratione Hiskias ante imperium Patris jam natus erat annos novem. De uxore Prophetæ etiam accipit Menaſſe in Conciliatore Hiſpanico, in Jeſaiam, *pag.* 13. Rabbi David Kimchi: *ecce* העלמה *concipiet)* העלמה אינה בתולה, *hæc non eſt virgo, ſed puella, ſive virgo, ſive maritata; quemadmodum* Prov. XXX. 18. *via viri* בעלמה *ad mulierem, quæ eſt ſcortum: ſic quoque adoleſcens minoris ætatis* עלם *vocatur:* I. Sam. XXII. 55. *cujus iſte adoleſcens eſt filius? & hæc quia juvenis adhuc erat,* עלמה *dicta eſt: quæ erat uxor Prophetæ; vel uxor Achaz, id quod rectius: etenim ſi fuiſſet uxor Prophetæ dixiſſet, Prophetiſſa; quemadmodum dicitur: & acceſſit ad Prophetiſſam. Huc, quod dicitur* cap. VIII. 8. *Implebit latitudinem terræ tuæ Immanuel; nempe eo quod filius Regis eſſet.* Dixit, *nunc concepturam, & nunc parituram filium, & quod vocatura ipſum mater ejus ſit Immanuel. Et vocabit ipſa] de matre ejus hoc dictum, pro more, quo matres ſolebant liberis ſuis nomina imponere. Dicit, & vocabit) imperative; nam Propheta juſſerat ita nomen ejus vocari: quia ab eo, quo natus erit, die, vobis pax futura, et Deus vobiſcum, ideo appellabitur nomen ejus Immanuel. Et quod illud ſignum? butyrum & mel comedet) q. d. à die nativitatis ejus edet cum notitia butyrum & mel; & quodcunque dulce ipſi exhibebunt, ei os aperiet, accipietque illud; verùm ſi offerant cibum ingratum, ſciet eum repellere à ſe, occludetque os ſuum, nec placebit ei.* Hactenus R. David Kimchi. R. Lipman Mulhuſinus, in Nizachon ad locum iſtum uxorem Prophetę intelligit. *Reſpondeo*, quod per עלמה *virgo* intelligi debeat, ac proinde bene ſic vertatur, & Matthæus ita legat, atque in libris noſtris loco עלמה virgo ponatur, quod R. Lipman nobis exprobrat, וידעתי שבספריהם כתוב במקום עלמה וירגו *ſcio quod in libris eorum legatur pro* alma *virgo*. Probo, ex vocis I. *uſu* in ſacris. II. *Eytmologiâ*, vociſque ſignificatione. III. ejus *acceptione* hoc in loco neceſſariâ. id eſt, omnibus illis modis, quibus hic agere, & ſententiam noſtram adſtruere poſſumus.

Ac primò quidem, ex vocis in Sacris uſu. Septies occurrit; cum ה demonſtrativo ter העלמה; ſemper autem virginem ſignificat. *Geneſ.* XXIV. 3. *ſit ergo virgo* העלמה *quæ egredietur, ad hauriendam aquam.* Certe precatur pro virgine Abrahami ſervus. Atque Rebecca verſ. 15. appellatur item נערה, & בתולה, *quam vir non cognoverat.* Talis eſt העלמה. Exod. II. 8. ſoror Moſis, *et ibat* העלמה *virgo*. Tum hoc loco *Jeſa.* VII. 14. Ubique virginem ſignificat, & ibi locorum, & *Pſalm.* LXVIII. 26. *Cant.* I. 3. & VI. 7. *Prov.* XXX. 18.

Aſt *objiciunt* Iudæi omnes, Menaſſe quoque, loco allegato, *Prov.* XXX.

Digitized by Google

xxx. 18. 19. עלמה non virginem, ſed ſcortũ denotare. Quia de ſcorto aliud mox ſubjicitur. Locus ita habet: *Tria iſta occulta à me, imo quatuor hæc non novi: viam aquilæ in cœlo, viam ſerpentis in rupe, viam navis in corde maris, & viam viri ad virginem. Similis eſt via mulieris adulteræ: comedit, deinde abſtergit os ſuum: tum dicit, non ſum operata iniquitatem.* Reſp. I. Nego conſequentiam. Verſ. 19. fit ſermo de ſcorto, ergo de eodem verſ. præc. 18. II. Deinde, nulla poteſt dari ratio, quare non ſit hoc loco intelligenda virgo. III. imo Textus hoc omnino ſuadet, & quod rem ſibi obſcuram Propheta dicit, vir virginem honeſte ambiens, eamque ſingulari Dei providentia, ſibi concilians & devinciens in perpetuam vitæ ſocietatem. Ubi certe admirandum eſt, homines ſecreto divinæ providentię ductu, ſibi antea ſæpe non viſos nec notos, ita inter ſe coaleſcere, & in conjugium individuum honeſto amore ac conſenſu conglutinari. IV. Ex adverſo via viri ad ſcortum quid habet occulti vel admirandi, quod intelligi vel capi vix queat? Corpus enim ſuum proſtituit, & ſæpe nimis palam & manifeſtariè rem gerit. Ut via viri ad talem nihil adeo abſconditi habere dici poſſit, aut debeat. V. Quod jam verſu 19. dicitur, כן דרך, *ſimilis via adulteræ*, indicat de ea præcedenti verſu dictum non fuiſſe: nam tum non *ſimilis* via hujus eſſet cum illâ. ſimilitudo innuitur, non identitas ſeu rei, ſeu exempli. Hæc occultare facinus ſuum geſtit & tegere, ne cui appareat. Et in hoc ſimilitudo rei abſconditæ: ecquis enim facile dixerit, vel judicaverit, iſtam adulteram eſſe? VI. Quod ſi explicationem prioris membri verſ. 18. petere placeat, eamque fundare in עלמה *virgine* magis, quam in *via viri* ad illam, dicendum, occultum eſſe, an ea, quam vir ducit virginem, talis revera ſit, quia adeo difficulter hoc ſibi certo conſtare poteſt, ſaltem patere. Concludimus ergo, & tuemur ſimpliciter, uſum vocis עלמה reſpiciendo ſacrum, nihil aliud denotare quam virginem.

Conſideremus ejus nunc *Etymologiam* & notationem. עלמה dicitur à עלם vel נעלם *latuit, abſcondit*. Quo denotatur ſtatus virginis abſconditus, à conſpectu & commercio hominum, ſaltem virorum. Prout innuptæ olim ſedulo aſſervari & recondi domo, atque in conclavi parentum ſolebant. Unde dicebantur κατάκλειστοι, & ἀπόκρυφοι, II. *Maccab.* III. 19. Neque vox ulla Hebræis eſt, quæ certius ac ſignificantius virginem notet, quam עלמה. Non נערה, quæ ætatis vox eſt; & quoque maritatam ſignificat. *Ruth.* IV. 12. בתולה commune nomen eſt, & tum vitiatam ſignificat, *Deut.* XXII. 19. tum eam quæ maritata fuit, & mor-

tuum luget maritum. *Joel.* I. 8. quando de virgine dicitur, additur explicativum rei, uti *Geneſ.* XXIV. 16. *& vir non cognoverat eam.* Sola vox עלמה perpetuo uſu, ſuaque vi virginem notat.

Denique quod ad vocis hoc in loco *acceptionem*, de virgine exponi debet. Primo etenim, quod de eâ exponi *poſſit*, non negabis, opinor. II. Quæ jam ratio eſt, niſi ſententiæ præjudicium, quod ita exponere nolis? III. Ita intellexerunt Græci, qui verterunt ἰδοὺ ἡ παρθένος. Quemadmodum etiam *Geneſ.* XXIV. 43. alibi νεᾶνις. Ut jam Euangeliſta nullo pacto culpari poſſit, quod ita hæc citet in ſuâ hiſtoriâ. Et Chaldæa paraphraſis habet, הא עלימתא Non benè tranſtulerunt Judæi in verſione Hiſpanicâ *la moca*, quod modò juvenem filiam notat, quum dicendum iis fuiſſet, *la virgen*. IV. Atque niſi ita explicetur, quodnam hic ſignum erit אות, tanto cum apparatu prædicendum? Communi modo ut aliqua concipiat fœmina, & pariat, nihil habet quod prædici, & tanquam ſignũ proponi poſſit. Atqui ſignum & prodigium hic proponitur, אות. Quæ vox alibi conjungitur cum מופת *oſtentum*. Jeſa. XX. 3. Deut. VI. 22. Exod. IV. 9, 17, 25, 30. האתות הגדולות *ſigna iſta magna*. Joſ. XXIV. 16. Non leve ſignum hic dicitur, quod *ipſe Deus* daturus eſſet; atque ſuperaturum quodcunque Achazus ſignum petere potuiſſet, in cœlis aut terrâ, & neglexerat: ſignum univerſæ *domui* Davidis Quocunque te vertas, non ſuo ſignum conſtitues loco, niſi in parturâ virgine: quod optimè demum & plene, cum mente Dei ac verborum convenire poteſt. VI. Matri virgini attribuitur ὀνομαθεσία filii, quod alioqui officium patrum erat, non matrum, ſecus ac Judæi opinantur. Certe non agebant hoc Matres inconſulto parente, ſed ex hujus conſilio & voluntate. Patet ex *Geneſ.* XVI. 15. *et* XXI. 3. VII. Filii nomen, quo appellandus eſſet, dicitur Immanuel, auguſtius, quam ut vulgari filio, vel ob cauſam non excellentiorem, quam in communi alicujus nativitate, vel in terræ liberatione ab hoſtibus illis exiguâ, attendi poſſet, tribueretur. E contra optimè & pleniſſime quadrans Meſſię. VIII. Eo magis quo puer iſte non modo nominatur Immanuel, ſed ipſe eſt. unde ipſius terra, *terra tua Immanuel.* & extenſio alarum ejus, plenitudo terræ ipſius dicitur, *Jeſa.* VIII. 8. Quod de nullo, non Prophetæ filio, imo nec regis, accipi poteſt: nam verba dominium exprimunt non humanum, ſed divinum, & non Prophetæ filio debebatur terra illa, omniſque ejus latitudo & plenitudo; neque Regis filio Hiſkiæ aptanda illa, qui jam natus & adoleſcens erat novem aut decem annorum, quum non nato, ſed naſcituro deinde

inde ex virgine iſtâ העלמה fieret illa promiſſio. Quare de Meſſiâ, neque alio accipi verba illa, & nativitas poteſt.

Præter hoc, & alia ſunt, quæ verba non poſſe ſive de *Regis*, ſive *Prophetæ*, ſive *alterius* aliquo filio intelligi, oſtendunt. Namque, uti ipſi Judæi inquiunt, quando ſententiis hic inter ſe pugnant, non poteſt filius Regis denotari, quia is jam natus erat novem annis; atqui Propheta loquitur de *naſcituro*, de naſcituro ex *virgine*, ſingulari *ſigno*, ac miraculo, cuique nomen futurum erat *Immanuel*. Quæ in Regis filium nequaquam quadrant. Neque etiam Prophetæ, ex uxore ſuâ, filius accipi poteſt. Quia non erat ea *virgo*. tum *Propheti*ſſ*am* nominaſſet, uti alias. Atque talis ei filius, qualis hic *nomine*, *ſigno*, *poteſtate* deſignatur, natus non fuit. Nedum ut vulgaris aliquis filius intelligatur, quia *non vulgaris* hic ſermo, aut vulgaria de eo dicuntur, ſed prædictio & promiſſio eſt ſigni illuſtris, non in אשה, ſed העלמה exhibendi, & de cujus matre bene obſervavit Jarchi dictum, Spiritum S. ei ſuperventurum fuiſſe. Quod in matre Meſſię vere atq; ſingulariter factum ſancta Euangelii hiſtoria commemorat, ubi Angelus Mariæ dixit: *Spiritus S. ſuperveniet tibi*. Luc. 1. 35.

Exceptio prima. Quomodo Jeſus intelligetur, quomodo de eo exponetur ſignum, qui multis demum ſæculis poſt natus, haud potuit ſua nativitate ſignum eſſe terræ ab illis tum Regibus brevi liberandę. *Reſp*. Non ſigni *exhibitio*, at quidem ejus certa *promiſſio*, potuit ſignum eſſe rei tum præſtandæ. Quum quod Deus prædicit, propter ejus infallibilitatem pro impleto non hic ſolum, ſed & alibi paſſim habeatur, atque haberi merito debeat. Ubi annotandum, Deum quidem antea promiſiſſe Meſſiam, ejuſque adventum ſæpiſſime, ſed nunquam ortus ejus expoſuiſſe modum ſingularem ex virgine, niſi jam hic. Quod proinde pro ſigno accipi debuit. II. Signa ejuſmodi divina, quorum certitudo pendet à veritate Dei, ſæpe etiam alias ſequuntur rem cujus gratiâ proponuntur. Alia ſunt ſigna rerum *antecedentia*, alia *conſequentia*, quæ quamvis ſequantur, tamen quia certa ſunt, ſtatim ac ſignificata, vim habent ſuam quando tum promittuntur, tum exhibentur. uti *Exod* III. 12. Moſi datur ſignum miſſionis ſuę ad Iſraelitas, poſt exodum populi demum exhibendum: *& hoc tibi erit ſignum* האות, *quod te miſi, quando eduxeris populum ex Ægypto, ſervient Deo in monte hoc*. Signum eſt conſequens ſuæ miſſionis, non antecedens: & tamen eo confirmari ſatis Moſes potuit in ſpe ac fiducia divini auxilii, quod certo futurum illud eſſet, quod dicebat Deus. Nam & ſic ei colligere licebat, quandoquidem Deo ſint ſer-

Digitized by Google

vituri Iſraelitę, poſt eorum egreſſum, in monte hoc, certe tum erunt ſuperſtites, & benè ipſis erit, quibus libera conſtabit Deo ſerviendi ratio. Uti Iudæi quoque apud Jeſaiam argumentari poterant, quod ſi Meſſias ex virgine naſciturus, non delenda ergo eorum natio eſſet ab illis regibus, ſed vindicanda & liberanda. I. Sam. II. 34. *& hoc tibi ſignum erit* האות *quod duobus tuis filiis eveniet Hophni et Pinehas, eodem die morientur ambo.* Ita Saulo Regi Samuel unctionis ſuę in Regem ſigna dat, poſt ejus à ſe ſeceſſum ſequutura, *ubi à me hodie abiveris, invenies duos viros apud ſepulchrum Rachelis, qui tibi dicturi ſunt, reperta ſunt aſinæ* &c. I. Sam. x. 1, 2. & 3. *atque inde pergens, venienſque ad quercum Tabor, reperient te ibi tres viri adſcendentes Bethelum ad Deum* &c. I. Reg. XXII. 25. & dixit Micha, הין *ecce te, videbis* id *die illo quo ibis de conclavi in conclave ad latendum.* Adde II. *Reg.* VIII. 2. Tertio nihil neceſſe, ſignum naſcituri Chriſti jungere cum ſpe liberationis præſentis. Nam qui ejus ſignum tam proterve contemſerant, nihil attinebat alio ſigno in hac cauſâ iterum inſtrui. Explicari negotium poteſt abſtractè, quod contemtum ulturus, ſignum hoc ſe daturum dicat Deus, non autem, quod ad rem preſentem alligetur, nempe hoc de nativitate ex virgine. Nam quæ ſequuntur, mox in Exceptione tertiâ exponemus.

Exceptio II. Chriſti nomen non fuit Immanuel, ſed Jeſu. *Reſp.* I. Imo illud etiam Chriſti nomen fuit, eique propriiſſimâ ratione debitum, declarans ejus tum perſonam, tum officia. Qui Jeſus, idem Immanuel eſt, eoque Immanuel, quia Jeſus. II. Multa nomina aliquibus imponuntur, ut tamen ab illis non ὀνομαστικῶς appellentur, ſed quę naturam, officium, virtutemque, aut aliud quid ſingulare declarant. Sic Prophetæ filius Maher Schalal Chaſbaz *Jeſa.* VIII 3. Jeroſolyma vocatur *urbs veritatis, mons Iehovæ exercituum, mons ſanctus.* Zachar. VIII. 2. Meſſiæ *nomen, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, princeps pacis.* Jeſa. IX 6. Sic nullus propriori jure Immanuel vocari potuit quam Meſſias, qui Deus nobiſcum θεάνθρωπος, & in quo ac cum cujus opere redemtorio ſingulari ratione Deus ſe nobiſcum demonſtravit.

Exceptio III. Quomodo Chriſto Jeſu, & ex illa interpretatione rei, cujus hic ſignum quærebatur, applicari poſſunt ea quæ ſequuntur *verſ.* 15. 16. *Butyrum & Lac comedet, uſque dum norit repellere malum & eligere bonum. Nam antequam ſciverit puer iſte repellere malum & eligere bonum deſeretur terra, cujus cauſa tædet te, à duobus regibus ſuis. Reſp.* I. Quod de eſu butyri & lactis, facit ſolum ad denotandam Chriſti naturam, & com-

& communem educationis puerilis ſortem: ne extra hominis conditionem temere putarent, qui ex virgine naſceretur. II. adeoque nil repugnat (quod hic Iudæi alias objicere nobis ſolent) veræ Chriſti, ex altera naturâ, Deitati. III. *Nam antequam*, ſenſus eſt, tantulo temporis ſpatio ac eſt inter infantis ortum & primam diſcretionis notitiam, terra veſtra liberabitur. Hinc etiam *cap.* VIII. 4. ſimile dictum de filio Prophetæ: *etenim antequam norit hic puer proferre, pater mi aut mater mea, aſportabunt opulentiam Damaſci, & prædam Samariæ.* Atque ita revera vix quatuor anni fuerunt, quod deleti illi Reges ſunt.

Quinto, locus naſcituri Meſſiæ conſiderandus, qui Bethlehem fuit. Eoque Meſſias noſter natus, juxta prophetam, Mich. V. I. *Et tu Bethlehem Ephrata, cui parum ut ſis inter millia Juda, ex te prodibit mihi qui dominator erit in Iſraele, egreſſus cujus à principio, à diebus ſæculi.* Quem de Meſſiâ locum exponunt Chaldæus paraphraſtes; R. Selomo Jarchi, & Kimhi. R. Eliezer, *cap.* III. Unde convenienter in Euangelio legitur: *annon Scriptura dicit, quod ex ſemine Davidis & Bethlehemo pago Davidis Meſſias veniat?* Joann. VII. 41. Ex Davidis genere, ſimul & loco. *Matth.* II. 5, 6. Herodes, convocatis omnibus Sacerdotibus & Scribis populi, quærit ex iis, ubi Meſſias naſceretur. Reſpondent, in Bethlehem Jehuda: ſic enim ſcriptum per Prophetam: *et tu Bethlehem &c.* In Schebet Jehuda Gentii, pag. 251. interrogantibus Meſſiæ patriam, reſpondetur, Bethlehemum Judæ eſſe. Menaſſe, in Conciliatore ad locum Prophetæ, exponit quoque dominatorem in Iſraele, de Meſſiâ: *que es el rey Meſſias, el qual con abſoluto y unico poder dominara en todo Iſrael.* מושל ille vertit *Dominador*. Verſio Ferrarienſis, *podeſtan.* At vero locum non ita accipit ille, quaſi ex Bethlehemo dicatur oriundus Meſſias ipſe, ſed ex Davide Bethlemitâ: ſicut & Kimhi explicat.

Pero por que no pareciesse &c. *Reſp.* I. Inquirendum nobis paulo
,, Latinè: Quia non videtur ipſe altius in cauſam, quæ Judæos urget,
,, Meſſias oriundus Bethlehem, ſe- illam comminiſcendi amplectendi-
,, quitur, *& egreſſus ejus*, vel, origo, que expoſitionem, quæ non alia eſt,
,, *à tempore antiquo, à diebus mundi*, quam quod vident Bethlehē deſola-
,, quod eſt, à diebus regis David, tam & dirutam, locumque illum vix
,, quod notat nativitatem Meſſiæ ſupereſſe, quod inter alia convince-
,, non actualem, ſed originalem. re eos deberet erroris ſui perfidiæque, & docere Meſſiam, qui iſto loco naſci debuit, olim natū, quando locus iſte notus adhuc fuit & habitus ſuo in terrâ Judæâ cenſu, jam vero malunt

negare nunc Bethlehemo oriundum Meſſiam fuiſſe. Non aliunde, quam ex conſueto veterique erroris ſui præjudicio, & obſtinatione. Nobis argumento ad majorem cauſę ipſorum arguendam deſperationem. II. Eſt & aliud, quo hoc in loco premi ſe ſentiunt, quia Meſſię *egreſſus* מוצאתיו dicuntur eſſe מקדם *a principio, à diebus ſaeculi* Græci, καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς, ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, quæ ejus ortum exiſtentiamque connotant aliam præter temporariam illam Bethlehemiticam, id eſt, præter humanam, divinam etiam, quâ in principio fuit, atque à diebus ſæculi Unde Menaſſe ad hunc locum Quæſtionis fecit argumentum, quam laborat conciliare. Indeque hæc tanto conatu pervertere conantur & detorquere, quæ hic locus illuſtria Meſſię continet argumenta, ad probandum ejus ortum & nativitatem humanam, aſſignato natali ſolo; & divinam quoque naturã, ante illa. III. Ille hic proditurus dicitur Bethlehemo, qui dominator intelligitur. atqui is non David, ſed Meſſias eſt. Non de Davide hic agitur, ejuſque natali: quorſum enim hoc jam feciſſet? ſed de Meſſiâ, ejus nativitate, natali, regno. Atque ex te Bethlehem ille mihi prodibit, dicitur. IV. Neque aliter intelligi poteſt oppoſitio, *parum tibi eſt, eſſe inter millia Jehudæ*, vel quę non es minima inter duces Jehudæ, qui ſenſus eodem redit, niſi referatur ad Meſſiam ex eo loco humili, ſed quod eum redderet illuſtrem, naſcituro. V. Tum dicitur, exibit, non exivit. VI. Si nativitas Meſſiæ originalis attendatur, atq; ideo quod David Bethlehemo natus, is qui ex Davide, ortus cenſebitur Bethlehemo, poterit quis fere dici omnibus locis natus, prout locis diverſiſſimis orti ejus majores ſinguli. VII. Atque Bethlehemo ortum Meſſiam noſtrum norunt, & fatentur Judęi ipſi. Cujus rei ſupra teſtimoniũ attulimus ex hiſtor. Davidis Ganz. VIII. Certe in eo admirabilis Dei obſervanda eſt providentia, quæ res ita direxit, ut Imperator Romanus, incertum qua motus cauſa, quum pax ubique terrarum eſſet, voluerit conſcribi per omne imperium ſuum, inſolito primoque cenſu, omnium capita: qua occaſione Nazaretho, ubi majores Chriſti habitabant, Bethlehemum proficiſci coacti, quia domus Davidicæ erant, hic peperit Maria, & Meſſiam orbi exhibuit in conſpectu omnium tribulium Davidicorum, qui iſthic loci adeſſe æque ac ipſi tenebantur, quorum nemo dubitavit, eum domus ſanguiniſque Davidici eſſe: & in Davidis ipſo loco, ſtatuque ferè ſimili in præſepi paſtorali, inter paſtores mox agnitus celebratuſque fuit, Davidis verus filius & hæres.

Hæc ad Jeſu Meſſię ortum. Quę ad ejus *vitam* ſpectant. I. fuit ea omni ex parte ſanctiſſima, abſque ulla labe & vitio, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος,

κεχωρισ-

κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. In nullâ unquam *peccavu* re, nullius criminis *convinci* à quoquam unquam potuit. Quæ ab Adverſariis & hoſtibus ejus prolata, ita falſa fuerunt & inania, ut ipſos pudere Auctores debuerit, & nemini non comperta fuerunt putida eſſe mendacia.

Speciatim quæ dixit Jeſus & *docuit*, quę *egit*, quæque *paſſus*, ſi examinemus, undiquaque conſtabit, Meſſiam eſſe, adeo ei omnia examuſſim conveniunt. Hinc Spiritu Dei imbuendus dicebatur, Jeſa. XI. 1, 2. *Prodibit virgula è trunco ſucciſo Iſai, & ſurculus è radicibus ejus efflorescet. Super quo quieſcet ſpiritus Jehovæ, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & potentiæ, ſpiritus ſcientiæ & reverentiæ Jehovæ &c.* Quem de Meſſia exponendum locum docent etiam Judæi, Targum, Talmud, Cod. *Sanhedrin cap. chelek.* Selomo Jarchi, David Kimchi. Menaſſe, lib. *Spes Iſraelis*, pap. 71. *de quibus explicandus videtur* Jeſa. cap. XI. *ubi de Meſſia agens, ita loquitur* &c. Ieſa. LXI. 1. *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me, eo quod unxit Jehova me ad evangelizandum manſuetis* &c. Kimchi in Radicibus, voce ענו, de Meſſiâ exponit. Chriſtus ſibi convenire oſtendit in Euangelio. *Luc.* IV. 21. 22. *Incipiebat autem dicere iis: hodie impleta eſt hæc prophetia in auribus veſtris. Et omnes atteſtabantur ei, et admirabantur verba gratiæ, prodeuntia ex ore ipſius.* Docuit autem Chriſtus perfectam *ſalutis doctrinam*: vi & *poteſtate* planè *divinâ*, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, & non uti Scribæ, quod dicitur *Matth.* VII. 29. Tum per *ſe*, tum per *alios*, ad hoc miſſos *Apoſtolos*, ut totum mundum erudirent. *Matth.* XXVIII. 19. Menaſſe, *lib.* III. de Reſurrectione, *cap.* II. adducens locum *Jeſa.* II. 2. 3. 4. *& erit in noviſſimo dierum præparatus erit mons domus Domini etc. quia Sione exibit lex, et verbum Domini Jeruſalemo, & judicabit inter gentes et arguet populos multos*, &c. inquit; *docet hic Propheta, non tantum bona temporalia; ſed etiam ſpiritualia hominibus obventura, quando Meſſias veniet. Nam tunc omnes gentes unanimi conſenſu (quemadmodum etiam à Zephania futurum prædicitur) Deo Jacobi, & Iſaaci adhærentes, ejuſque doctrinam amplectentes, uno et eodem cultu ei ſervient.* Chriſtus non verbis ſolum & doctrinâ, ſed factis quoque magnus fuit, ſeque Prophetam demonſtravit. Unde *Luc.* XXIV. 19. dicitur *vir propheta, potens opere & ſermone coram Deo, & omni populo.* Inter alia eminent *miracula*, adeo certe teſtantia naturâ ejus & officium, & verum Meſſiam, ut auditores miſſoſque ad ſe Johannis diſcipulos non alio reſponſo ablegarit, quam ut obſervârent nunciarentq; facta ſua. *Matt.* XI. 4, 5. *reſpondens Jeſus dixit iis: ite et annunciate Johanni quæ auditis et videtis. Cæci vident,*

et claudi

et claudi ambulant, leproſi purgantur, & ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, & pauperibus euangelizatur. Aliter ac pſeudo-Meſſias Barcozba, qui nullum edebat miraculum: de quo Maimonides, in Iad chazaka, tractatu *de Regibus, cap.* XI. ולא שאלו ממנו חכמים לא אות ולא מופת, *neque ſapientes ab eo petierunt ullum ſignum vel prodigium.* At Meſſias noſter fecit *miracula*, quæ facere ſolius Dei eſt. *faciens mirabilia ſolus.* Pſalm. LXXII. 18. & LXXXVI. 10. & CXXXVI. 4. Deinde miracula fecit ſuâ *poteſtate*; alii, & diſcipuli ejus, per eum, & ejus nomine. Unde dicit *Matth.* IX. 28. *creditis quod ego hoc poſſim facere?* Dicunt ei, *ita Domine.* 29. Tunc *attigit eorum oculos*, dicens: *ſecundum fidem veſtram fiat vobis. atque aperti fuerunt eorum oculi.* Apoſtoli, miracula fecerunt ejus nomine ac vi, dicentes: *in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Tertio, fecit miracula pro *arbitrio*, quum vellet. Non ita Prophetę ulli. nam ſolius Dei hoc eſt, *qui in cœlis eſt, quodcunque vult facit.* Pſalm. CXV. 3. & CXXXV. 6. *Quidquid Jehova vult facit in cœlo & in terra, in mari, & abyſſo omni.* Matth. VIII. 2. *Domine, ſi velis, potes me mundare.* Ioann. V. 21. *Ita & Filius, quos vult, vivificat.* IV. Miracula fecit *magna*, & maxima quæque, nullâ vi aut arte humanâ patranda. Qualia cæcorum à nativitate illuminatio, dæmonum ejectio, mortuorum in vitam ſuſcitatio &c. V. cujuſcunque *generis* miracula, in homines, dæmones, mare, tempeſtates, panes, piſces &c. VI. *Singularia*, ad quę homines dicerent, *à ſæculo non auditum.* Ioan IX. 32. de quibus & Chriſtus, Ioan. XV. 24. *ſi non faciam opera, quæ nemo alius fecit.* VII. In *aperto*, illuſtria & manifeſta, non clanculùm, in angulis aut latebris, ſed ubi omnes videre ac teſtari poterant quę quantaque ederentur. Magnâ paſſim hominum turbâ & frequentiâ. Unde hoc aliquoties in hiſtoriâ occurrit: *videntes turbæ admirabantur.* VIII. Fecit *plurima* miracula. Menaſſe Moſem præcellere facit reliquis Prophetis, copiâ miraculorum, nam à Moſe, vel ejus cauſa edita recenſet miracula ſex ſupra ſeptuaginta, à reliquis autem Prophetis omnibus modo ſeptuaginta & quatuor: *Videmus hinc Moſem non modo excellentia & ſublimitate prophetiæ, verum & miraculorum multitudine omnes ſuperaſſe. Etenim ſupputatione inita comperimus per aut propter Moſem* LXXVI. *miracula edita: at per vel ob reliquos omnes Prophetas à principio mundi uſque ad excidium primi Templi, id eſt, annis ter mille trecentis & viginti octo, tantum quatuor & ſeptuaginta. Ita ut ſine controverſia ille cunctos exceſſerit, quippe non in elementis modo, et mixtis, in mineralibus, plantis, animalibus rationis expertibus, in hominibus, cœlis, & angelis miracula*

Digitized by Google

racula edidit, ſed & ipſam Divinitatem deorſum attraxit, facie ad faciem cum Domino locutus, ut inquit Abravaniel ſub finem expoſitionis in Legem. At certe plura fuerunt Jeſu noſtri miracula; adeo ut populus hinc palam diceret obſtupefactus: *Meſſias quando veniet, an quidem plura his, quæ ille facit, patrabit miracula?* & Johannes in ſine hiſtoriæ, quod vix mundus libros caperet, ſiquidem ad unum omnia ſcriberentur, quæ Jeſus fecit. Hyperbole quidem; ſed quę monſtrat, quantus miraculorum Chriſti numerus fuerit, copia quanta. IX. Et hoc in miraculis Chriſti ſingulare (hæc enim ſectamur jam, quæ in miraculis Chriſti, ad oſtendendam ejus veritatem, obſervanda quam maxime ſint) quod illa fecit in ſuam *gloriam*. Veræ Deitatis manifeſtum argumentum. Joann. II. verſ. II. *hoc initium miraculorum fecit Chriſtus in Canâ Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam; atque crediderunt in ipſum diſcipuli ejus.* Denique, non modo ipſe miracula fecit, ſed & *dono miraculorum* alios inſtruxit ornavitque. Quod nec Moſes, nec ulli Prophetę potuerunt, ut aliis facultatem miraculorum patrandorum (quatenus nempe ea ab hominibus, inſtrumentaliter & moraliter duntaxat, efficiuntur) contuliſſent. Jeſus imo; deditque Apoſtolus ſuis *poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem morbum, omnemque infirmitatem.* Matth. x. 1. &c. Quod ipſum non reticet Talmud, quando tractatu, de idololatria, *aboda zara cap.* 1. Jacobum apoſtolum Jeſu Chriſti diſcipulum celebrat dono miraculorum pollentem, à quo tamen R. Samuelis nepos à ſerpente ictus curari noluerit, ideo quod Jeſu diſcipulus ſanare eſſet ſolitus בשם רבו ישו *in nomine præceptoris ſui Ieſu.* Hæc in Talmude, iſto occurrunt capite. Quod Judæi *excipiunt*, Chriſtum miracula feciſſe, non virtute propriâ, ſed arte magicâ, ſive quam in Ægypto didicerit, & attulerit inde; ſive per Schem hamphoraſch, vim nominis tetragrammati ſibi explorati; calumnia eſt, & *blaſphemia*, reſponſo non digna. Primo enim, ſic agnoſcis jam miracula à Chriſto patrata. Atque hoc accipimus. II. Si criminari ſuffecerit, aliquis æque facile idem dixerit de miraculis Moſis & Prophetarum: neque Chriſti magis, quam iſtorum miracula eo crimine inſimulari poſſunt. III. Fuerunt Chriſti miracula vera, ergo non magica. Neque enim magi vera edere miracula poſſunt, ſolum mira quæpiam, illuſiones, & præſtigias. IV. Fueruntque mera beneficia hominum bono inſervientia, uſibuſque tum corporalibus, tum ſpiritualibus; contraria magicis. V. Et omnis generis miracula, quæ pro arbitrio patrabat

Digitized by Google

Chriſtus quæcunque. Non hoc Magi poſſunt. VI. Neque ſuperari aliis potuerunt, uti Magorum opera, qualia in Ægypto olim edebant, ubi tum in minimis hærebant, quæ imitari nequibant, tum à Moſis virgâ deglutitæ ipſorum. VII. Non modo magico, aut adhibitis incantationibus ad illa acceſſit Chriſtus edenda, ſed divinâ planè ratione ac vi eadem patravit. VIII. Fuit in Ægypto Chriſtus: ergo Magiam ibi addidicit, quàm putidum & falſum? Moſes non ſolum in Ægypto fuit, ſed & ſtudia Ægyptiorum excoluit: nec tamen magiam inde aſportavit, vel per magiam opera patravit ſua. IX. Chriſtus in Ægyptum confugit infans, neque diu adeo ibi hæſit, tantummodo ad mortem uſque Herodis tyranni: ut nec ætas, nec tempus fuerit ſceleratis artibus addiſcendis. X. Quomodo vi Diabolicâ peregiſſet ſua Chriſtus opera & miracula, cujus tota doctrina & quidquid fuit, egitque, Diabolo directè uniceque oppoſitum fuit, ut ejus vim & regnum deſtrueret funditus. Neque colluſio inter partes & capita ita ſe totis adverſa ulla cogitari aut poni poteſt. XI. Speciatim opera magica detexit, evertit. Petrus Simeonem, *Act.* VIII. 9. Paulus Elymam magum, *Act.* XIII. 8. 9. 10. & Pythoniſſam, *cap.* XVI. 16. 17. nihilque eſt, quod omnem magiam reprehendat acrius profligetque, quam Jeſu Chriſti doctrina & ſpiritus. Atque huc plurima Chriſti fecerunt miracula, ut Diabolum ejiceret, ac proculcaret. quin totus adventus ejus in carnem huc tendebat, *ut opera Diaboli ſolveret.* 1. *Joann.* III. 8. XII. Si magiæ ſuſpectari vel minimâ ratione potuiſſet Chriſtus, non hoc omiſiſſent acerrimi ejus adverſarii objicere, atque hinc eum accuſare in judicio atque etiam damnare. Præſertim ubi inter conditiones poſuerunt judicum ſupremi Senatus Sanhedrin, magiæ ut periti eſſent, quo de magis & magiâ rectius poſſent judicare. XIII. Quod de Schem hamphoras,

Tricæ ſunt, apinæque, aut ſi quid vilius iſtis.

Niſi tædeat, vide de eo Martini Raymundi *Pugionem fidei, part.* II. *cap.* VII. & Lutheri librum *de Schem hamphoras.*

Denique quæ *paſſus* Jeſus fuit, in iis etiam ſe Meſſiam oſtendit, quoniam eum pati illa oportuit: ſicut in ſequentibus, ubi de hoc ſpeciatim & ex profeſſo agendum erit, plenius demonſtrabimus. Quemadmodum & hinc Paulus Apoſtolus probavit Jeſum eſſe Meſſiam, *Act.* XVII. 3. *Aperiens & probans quod Chrſtum decuit pati, et de mortuis reſurgere, & quod hic eſt ille Chriſtus Jeſus, quem ego vobis annuncio.*

Præterea quæ poſt Chriſti mortem ei contigerunt, Meſſiam quoque

Digitized by Google

que demonſtrarunt, nempe ejus primum è mortuis *reſurrectio*: juxta Pſalm. XVI. 10. *nam non relinques animam meam in ſepulchro, non ſines ſanctum tuum videre corruptionem*. Quod in Davide verum non fuit, cujus notum inter Judæos ſepulchrum fuit, & indubitata cadaveris corruptio, pro communi videlicet mortuorum ſorte. Tum idem eo ſignificatum, quod Meſſię regnum futurum æternum, atque tamen moriturum eum quoque dictum: quare ut regnum haberet perpetuum reſuſcitandus erat. *Jeſa.* LIII. 10. 11. 12. *Poſtquam poſuerit animam ſuam in ſacrificium pro delicto, videbit ſemen, prolongabit dies, et voluntas Domini per manum ejus proſpere ſuccedet.* Deinde in cœlum *adſcendit*, ſecundum *Pſalm.* LXVIII. 19. *adſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem*. Debuitque adſcendere, ut, quod tertium ei ſervabatur, obtineret, quod eſt *ſedere* ad dextram Dei. Quod prædictum de eo fuerat, *Pſalm.* CX. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam, uſque dum inimicos tuos pono ſcabellum pedum tuorum*.

Atque illa omnia, pro triplici Chriſti *officio*, ad quæ ungi Veteres ſolebant, *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*. Namque Propheta Chriſtus fuit, & Sacerdos, & Rex. Eo præſtantiori omnia modo, quo illa ſpiritualiter obivit. Ungebantur Prophetæ. I. *Reg.* XIX. 16. *Pſalm.* IV. 19. *Jeſa.* LXI. 1. Sacerdotes, *Exod.* XXXIX. 7. & XL. 13. 15. *Levit.* VIII. 12. *Pſalm.* CXXXIII. 2. Reges, & duces, *Judic.* IX. 8. I. *Sam.* IX. 16. II. *Sam.* I. 21. 14. & V. 3. I. *Reg.* XIX. 16 II. *Reg.* IX. 3. 6. & XI. 12. & XXIII. 30. *Pſalm.* XLV. 8. Jam Meſſiam ſingulari & propriâ ratione unctum ad illa oportuit, qui hinc nomen fert, ut dicatur unctus. Eaque conjunguntur, *Dan.* IX. 24. 25. ubi Meſſias dicitur ungendus, & obſignaturus viſionem atque prophetam; expiaturus iniquitates, & adducturus juſtitiam; futuruſque נגיד dux, anteceſſor. Quæ Prophetam deſignant, Sacerdotem, Regem. *Zach.* VI. 12. 13. Meſſias appellatur צמח *germen* (de Meſſiâ etiam Judæi exponunt) ædificaturus templum, futururus ſacerdos, & dominatus in ſolio ſuo, *Ecce virum, cujus nomen eſt germen, qui è loco ſuo germinabit, & ædificabit templum Jehovæ: Is enim ædificaturus eſt templum Jehovæ, idemque reportaturus decorem, et ſeſſurus ac dominaturus in ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter utroſque.* Extiterunt olim quidem, qui utroque munere functi, ſacedotes fuerunt juxta & reges. qualis Melchizedeck, *Geneſ.* XIV. Prophetæ & Reges, uti David: Prophetæ ac ſacerdotes, talis Samuel: ſed ut quis ſimul Propheta, ſacerdos, & Rex eſſet, nemo unquam fuit, & re-

Digitized by Google

& reſervatum hoc videtur uni Meſſię. Triplicem coronam celebrant Judæi, legis, ſacerdotii, & regni. Ita R. Simeon, in Pirke Avoth, *cap.* IV. שלשה כתרים *tres ſunt coronæ, legis, ſacerdotii, & regni.* Atque apud Joſephum, Eleazar Regi Hyrcano exprobrat, quod ſufficere ei deberet corona regni, quia ſacerdotii corona erat ſeminis Aaronici. Addit Auctor Zemach, quartam coronam famę ſeu boni nominis, quando in fine *lib.* I. ad *a.* 351. De R. Joſepho Cetz Cracovienſi varba facit, eumque redimitum ait quadruplici coronâ, ſacerdotii, legis, & regni ſeu dignitatis, denique etiam coronâ boni nominis. Ridicule, quo minus coronæ aliquid jam habent, ut plures fingant.

Meſſias *Propheta* eſſe debuit. Sic enim de eo Moſes vaticinatus fuit, Deut. XVIII. 15. *Prophetam è medio tui ex fratribus tuis, ſicut ego ſum, ſuſcitabit tibi Jehova Deus tuus; ei auſcultate.* Hæc Chriſto applicata in Euangelio. Ubi dicitur ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. *Joann.* VI. 14. Ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ. *Ioann.* I. 46. Atque expreſſe locus de Chriſto exponitur, Act. III. 22. 23. *Moſes etenim Patribus dixit: quod Prophetam vobis Dominus Deus veſter ſuſcitaturus eſset ex fratribus veſtris, uti me.* Deinde quod additum de Propheta, אליו תשמעון *ipſum audietis*, confirmat illa de Meſſiâ dicta, namque hoc Pater de Chriſto cæleſti voce pronunciavit, juſſitque eum audiri. αὐτοῦ ἀκούετε. *Matth.* XVII. 5. Tertio, in eo præſertim Propheta hic æquiparatur Moſi, quod, uti is, ſic ille quoque futurus eſſet Mediator Deum inter & populum. verſ. 16. *ſecundum omnia quæ petiiſti à Jehova Deo tuo in Horeb, tempore congregationis, dicendo, non potero ultra audire vocem Jehovæ Dei mei, neque videbo amplius ignem hunc magnum, ne moriar. Atque dixit Jehova ad me, placent quæ dixerunt. Prophetam ſuſcitabo illis, è medio fratrum ipſorum, ſicut te, & dabo verba mea in ore ejus, et loquetur ad eos quodcumque præcepero ipſi.* Vide, ut alter futurus eſſet mediator.

Nequit verò locus exponi de Joſuâ, quod Aben Ezra: vel de quocumque poſt Moſem Prophetâ; uti Kimchi, & Jarchi; vel de Jeremiâ, quod alii faciunt. *Quia* I. Joſua quidem Moſis ſucceſſor, at non item Propheta fuit, ſingulariter & διαφερόντως ita dictus. II. Neque per eum Deus ita loquutus, quomodo per Moſem, & per hunc Prophetam loquuturum ſe prædicit. III. Nulli, nec Joſua, nec Jeremias, nec reliqui fuerunt ſicuti Moſes. Nulli cum Moſe æquiparandi. Et dicitur futurus כמני *ſicut ego*, à Moſe. Quin expreſſe dicitur, Deut. XXXIV. verſ. 10. *non ſurrexit præterea Propheta in Iſraele par Moſi, tum omnibus ſignis & pro-*

prodigiis etc. tum omnibus operibus terroris maximi, quæ fecit Moſche ante oculos totius Iſraelis. Quod Menaſſe confirmatum it, quæſt. ult. in Deuteronomium, IV. Omnes Prophetæ poſt Moſem, ejus fuerunt interpretes, quod ultimus eorum conteſtatur Malachias, in fine: *recordamini legis Moſis, ſervi mei, quam ego præcepi ei in Horeb, inſtitutorum & judiciorum in univerſum Iſraelem.* At illorum nemo iſti par. V. Et quidem paritas hic aſſignatur in tradendâ doctrinâ, audienda æque & obſervandâ cum lege illâ Moſis. VI. Neque de omnibus in genere ſubſequentibus Prophetis intelligi illa poſſunt, quia non dictum, Prophetas, ſed Prophetam dabo. Tum ſingulare aliquod notat iſtud *ſuſcitabo* אקים *verſ.* 18. & יקים *verſ.* 15. Denique non ſemper fuerunt Prophetæ apud populum. Fuit aliquando tempus quo Prophetis caruerunt, neque aliquem ex medio ſuorum viderunt Prophetam. Uti poſt Malachiam. Ne dicam tempora Iudicum, quibus verbum Domini carum fuit, neque ita, uti alias, explicata viſio. I. *Sam.* III. I.

Propheticum Meſſiæ munus inſuper declarant hæc Scripturæ loca. Ieſa. XLII. I, 2. &c. *Ecce ſervus meus quem ſuſtento, electus meus in quo complacuit anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium proferet gentibus. Non clamabit, neque efferet vocem, neque audire faciet vocem ſuam foras. Arundinem quaſſatam non conteret* &c. Quem locum de Meſſiâ exponunt Targum, & Kimhi, tum hic, tum in *Zach.* IX. 9. & Maimonides in Epiſtolâ, de Auſtrali regione. Ieſa. LXI. I. *Spiritus Domini Dei mei ſuper me, eo quod* משח *unxit me Jehova ad euangelizandum.*

Hæc de ſe Propheta, dicunt in hunc locum Rabbini. At nec hoc repugnat, ut quoque myſticè applicentur ad Meſſiam, Prophetarum maximum. Imo de nullo melius, quam de Meſſiâ intelligi poſſunt, quæ hic dicuntur. Verius certè de eo, quam de Jeſaiâ, propter dictorum, promiſſorumque auguſtiam.

Prophetarum fuit, *docere*, Jerem. VII. 25, 26. Nehem. IX. 26. etiam *prædicere* futura. unde antiquitus iidem videntes appellabantur, הראים I. *Sam.* IX. 9. Aliquando & facere *miracula*. Hinc Eliſæus dixit, II. Reg. V. 8. *veniat ad me, & ſciat prophetam eſſe in Iſraele.* Quæ omnia Chriſtus Jeſus abunde præſtitit. Nam & prædixit multa, tum ipſe, tum ejus inſtinctu Apoſtoli, *Matth.* XVI. 21. & XXIV. & XXVI. 2. 13. 14. *Luc.* XVIII. 31, 32, 33, 34. *Joan.* VI. 70. & XXI. 18, 19. *Actor.* XI. 28. II. *Teſſ.* II. Johannes, in Apocalyſi. Illud argumentum Chryſoſtomus vehementer urget, Orat. II contra Judæos, ubi inter alia hoc

Digitized by Google

Chriſti de muliere ejuſque facto, quod ſe unxiſſet, dictum, ubicumque in univerſa terrâ prædicaretur Euangelium, illud ejus memorandum fuiſſe facinus, *Matt.* XXVI. 13. ita extollit: *Utrùmne mentitus eſt, an dixit verum? Evenit quod prædixit, an fuit inane vaticinium? Interroga Judæum, & ſi millies perfricuerit frontem, adverſus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim eccleſiis appellari mulierem audimus. Sunt conſules, duces, viri, mulieres, nobiles, illuſtres, ſplendidi, in omnibus urbibus, & in quancunque orbis partem deveneris, ſummo cum ſilentio audiunt omnes hujus mulieris officium. Nec eſt ulla mundi plaga quæ factum hoc ignoret.* &c. Quæ autem contra prophetias, doctrinam, miracula, aliaque Chriſti à Judæis nonnullis objiciuntur, egregie confutata à Johanne Mullero, in libro Germanico, *De Judaiſmo*, & vindicata præſertim adverſus Rabbi quendam Luſitanum, cujus m. ſ. habuit Colloquium Latinum cum Chriſtiano Theologo, Abrahamo, Middelburgi habitum.

Etiam *Sacerdos* Meſſias eſſe debuit. De quo Pſalm. CX. 4. *tu es Sacerdos in æternum juxta ordinem Melchizedek.* Quem pſalmum non de Abrahamo intelligendum, uti Jarchi vult, & R. Lipman: neque de Davide, uti Ezra & Kimhi putant, probant, I. quia non illi ad dextram Dei collocati. II. nec eorum ſceptrum emiſſum ex Zione. III. non illi conſtituti à Deo Sacerdotes: non cum Dei etiam juramento. IV. non æterni. V. Non de Davide accipi poteſt, qui eſt pſalmus Davidis de ſuo Domino. VI. Chaldæus exponit de λόγῳ במימריה. VII. Atque R. Saadias à Gaon de Meſſiâ fatetur pſalmum accipiendum, commentario in *Dan.* VII. 13. Auctor avkas rochel, apud Hulſium, *pag.* 80. *Zach.* VI. 12, 13. Meſſias dicitur צמח, *germen*, nec hoc ſolum, ſed והיה כהן *& erit ſacerdos.* Nam germen quidem de Meſſiâ Judæi paſſim exponunt. Targum, Maimonides, in epiſt. de Auſtrali regione. Targum item in *Zach.* III. 8. & *Jeſa.* IV. 2. ac *Jerem.* XXIII. 5. & Kimchi in illos locos. nam & iſtis *germen* vocatur. Atque alibi Judæi nomen Meſſiæ dicunt, *germen.* Jam Sacerdotis erat, *offerre.* Exodi XXIX. 44. Levit. I. 5. Pro populo precari & *intercedere.* Levit. IX. 7. & XVI. 6. 17, 18. Populo item *benedicere.* Num. VI. 23. Deut. X. 8. & XXI. 5. Quæ Jeſus noſter eo plenius atque copioſius peregit, quo & benedixit nobis ſpirituali benedictione quacunque. *Epheſ.* I. 3. *Gal.* III. 13, 14. atque pro nobis intercedit jugiter, *Joann.* XVII. *&c. Rom.* VIII. 34. *Heb.* VII. 25. & IX. 24. Obtulitque non alia, non terrena, ſed ſeipſum hoſtiam placentem Deo, pro pecca-

Digitized by Google

peccatis noſtris, eorumque expiatione. *Heb.* II. 17. & V, I. & IX. 12. 13. 14. 26. *Epheſ.* V. 2. 25. *Joann.* I. 29. De quo in ſequentibus ex profeſſo dicturi ſumus.

Tertio Meſſiam *regem* eſſe debuiſſe, Judæi juxta nobiſcum ſciunt. Unde perpetua apud illos phraſis, המלך משיח *rex ille Meſſias.* Plena teſtimoniorum in hanc rem Scriptura S. eſt. *Pſalm.* II. 6. & XLV. 2, 4. & LXX. II. *Jerem.* XXIII. 5. *Iezech.* XXXIV. 23. & XXXVII. 24, 25. *Hoſ.* III. 5. *Zach.* IX. 9. Adde ubi *dux* dicitur Meſſias, & dominator. *Geneſ.* XLIV. 10. *Ieſa.* LV. 4. *Dan.* IX. 25. *et* II. 44. *et* VII. 11, 12. *Mich.* V. 2. Cumque regis ſit, *regnum* habere & ſubditos, *Pſalm.* II. 6. *et* LXXII. 2. eoſque *regere*, *Pſal.* II. 8. & CX. 3. & LXXII. 9. atque contra *hoſtes* tueri, & hos debellare, *Pſalm.* II. 9. & XLV. 6. *et* LXXII. 9. *et* CX. 1, 2, 5. Chriſtus omnes regii muneris partes perfectiſſimè explet, atque eo excellentior rex eſt, quo ſpiritualis & æternus. Certe regem eum Euangelium deprædicat. *Luc.* I. 32, 33. *Matth.* XXVIII. 18. *et* IV. 17. *Ioann.* XVIII. 36. *Luc.* XXII. 29, 30. *Matth.* II. 2. *et* XXVII. 11. *Ioann.* I. 50. & XII. 13. I. *Cor.* XV. 25. Ut ex omnibus his inter ſe collatis, comprobatiſque liquidiſſimè appareat, Ieſum eſſe Meſſiam, utpote in quo impleta & concurrant omnia, quæ de Meſſiâ dicta, & eum decuerunt. *quum & quæ de ipſo prædicta ſunt, impleta ſunt, & quæ impleta ſunt, ante prædicta ſunt*, uti loquitur Novatianus, ſub nomine Tertulliani, *lib.* de Trinitate.

Omnia illa pro *duplici* vitæ Chriſti ſtatu, *humili* primum, atque exinanitionis, quo gloriam & majeſtatem ſuam ad tempus quaſi ſepoſuit & occultavit, nempe quoad χρῆσιν, non κτῆσιν, & ſub abjectâ humanæ conditionis formâ latuit; tum *glorioſo*, & exaltationis. Nam duo illa de Meſſiâ Scriptura teſtata fuerat, partim humilia, illuſtria partim, ut niſi ad duplicem vitæ ejus ſtatum ac conditionem applicari nequeant. *Zach.* IX. 9. proponitur ut *Rex*, atque etiam ut *pauper*. Jeſa. IX. 6 *filius natus*, & ſimul *Deus fortis, ac pater æternitatis*. Jeſa. LIII. ejus paſſiones deſcribuntur & mors; uti quoque *Pſalm.* XXII. alibi ut Rex, ut ſedens ad dextram Dei, & gubernans omnia. *Pſalm.* II. & CX. & CXVIII. 22. *Dan.* VII. 11, 12.

Quæ melius de unius Meſſiæ duplici vitæ ſtatu exponuntur, quam de duobus Meſſiis, quod Iudæi faciunt, altero Meſſia filio Joſephi, cui nomen erit ſc. Nehemias, filius Huſiel; altero, Davidis filio: quorum ille in prælio contra Gog & Magog ſit occidendus; iſte ſuccedens ei, regnum

gnum occupaturus. Quæ ſomnia multis in locis exponunt. Targum, in *Cantic.* IV. Ezra, in *Zach.* IX. 9, & *Malach.* III. 1. Iarchi, Kimchi, Abravanel, & Iudæi paſſim, nam de Meſſia ſuo ben Ioſeph locum vulgo capiunt) in *Zach.* XII. 10. Auctor Avkas rochel, ſub ſigno nono: *Clanget Michael clangorem magnum quo ſepulchra mortuorum aperientur Hieroſolymis, eoſque Deus Ben. vitæ reſtituet. Meſſias etiam Ben David et cum ipſo Elias Propheta è mortuis ſuſcitabunt Meſſiam Ben Ioſeph qui ſub portis Hieroſolymæ aſſervabatur. Deinde mittent Meſſiam Ben David ad colligendas Judæorum reliquias in omnibus terris diſperſas. Et confeſtim omnes gentium reges totius orbis Iſraelitas humeris ſuis impoſitos ad Deum deducent.* &c. Menaſſe, lib. Spes Iſraelis, pag. 78. *Tempore illo* X. *tribus venient Hieroſolymam, ſub ductu Principis, quem Rabbini nonnulli in Talmud, & paraphraſi Chaldæa aliquot in locis vocant Meſſiam filium Ioſeph; et alibi Meſſiam filium Ephraim; qui caſus in ultimo bello Gog & Magog, oſtendit ſe eſſe* (exiſtimo legendum, *non* eſſe) *Meſſiam filium Davidis, qui erit, ut dicunt Oſeas et Ezechiel, princeps æternus omnium* XII. *Tribuum, Meſſiæ iſtius filii Ephraimi mentionem faciunt multis in locis ſapientes, maximè verò in Thalmud Babilonico in tractatu ſuca, cap. 5. ubi moriturum eum ajunt in ultimo bello Gog et Magog, & ita explicant cap. 13. Prophetæ Zachariæ: Et aſpicient ad me, quem confixerunt, plangentque ſuper eo, ut ſolet ſuper unigenito filio. Addunt etiam, quòd quatuor duces, de quibus Propheta idem loquitur cap.* 11. *ſunt Meſſias filius Davidis; Meſſias filius Ioſephi, Propheta Elias, et ſummus Sacerdos, quæ quatuor iſtæ dignitates ſunt, quæ in iſto ſæculo beato oſtendent potentiam ſuam. Advertite autem, quòd aliquando vocent Meſſiam filium Ephraimi, aliquando Ioſephi: Prodibit enim ex tribu Ephraimi, & erit dux omnium decem tribuum, nomen Ephraimo dantium, propterea quòd primus eorum rex Ieroboam ex iſta tribu fuit. Non ſine ratione vocant ipſum filium Ioſephi; ipſe enim erat verus typus domui Iſraelis propter incarcerationem ſuam, ac ſubſequentem fœlicitatem. Adde, quòd tamdiu fratres ſuos latuerit, ut planè iis ignoraretur; prorſus ut hodie decem tribus, quæ, utut captivas ſe dicant, poſtmodum tamen ad ſummum fœlicitatis faſtigium adſcendent eodem, ac Ioſeph, modo. Iſte Meſſias Ioſephi morietur in prælio Gog, & Magog, et poſtea reſurget, ut fungatur dignitate iſtâ, non ſceptro quidem regis, ſed munere tantum viceregis, ut Ioſephus in Ægypto; eò quod imperium domûs Iſraelis, quod cecidit ſub regno Oſeæ filii Elæ, ut ait Propheta Amos, cap. 5. verſ. 2. Non reſtaurabitur igitur regnum decem tribuum, ut monet Ezechiel cap. 37. ſub*

impe-

Digitized by Google

imperio Meſſiæ filii Davidis, qui erit æternus, & per mortem Meſſiæ, filii Joſephi, agnoſcent X. tribus Deum nolle, ut plures habeant, præter unum, principes; ut ſuprà diximus. alibi illud appellat imaginationem antiquorum. lib. III. de reſurrect. pag. 287. *Meſſias Ben Ioſeph, ſeu filius Ioſeph quem antiqui imaginati ſibi ſunt ante filium Davidis, ducem ac principem populi fore.* Habes hiſtoriam, vel fabulam Meſſiæ, filii Ioſephi: nam certe fabula eſt. Neque enim Scriptura uſpiam alterius, vel duplicis Meſſiæ meminit, ſemper unius, ejuſdemque. Atque de hoc diverſiſſima dicuntur, eodem ſemper, uti modò oſtendimus, ex *Zach.* IX. 9, 10. *Ieſa.* LIII. 2, 3, 8, 11. nihil ut opus ſit, alium & alios comminiſci.

Atque ex illis jam colligimus argumentum noſtrum pro Meſſiâ Ieſu: Quum omnia impleta in eo, quæ de Meſſiâ dicta, præſtarique ab eo debebant, & quoad ortum, & vitam, vitæque ſtatum, & officia, omnia & ſingula quæ arguere Meſſiam queant; ſequitur certiſſime, Meſſiam eum eſſe. Atqui illa jam probavimus: ergo nihil reſtat, quam ut pro Meſſiâ iſtum noſtrum communibus animis, fide atque cultu recipiamus.

Cap. II.

De Messiæ Regno Spirituali.

Meſſias regnum habiturus. ſed quale? Præmiſſæ diſputationi Concluſiones duæ: de Scripturæ loquutionibus parabolicis; etiam in ſermone de Meſſiâ. Tum oſtenditur, ea quæ de Meſſiæ regno in Prophetarum vaticiniis proponuntur ſub figuris rerum corporalium & terrenarum, non poſſe ad litteram exponi: ſed convenientius, aliter: denique, debere ſpiritualiter ſumi. Iudæi ipſi nunc multa ab Antiquis Rabbinis carnaliter dicta de Meſſiæ regno, epulo &c. myſticè conantur explicare. De bello Gog, & Magog. De Templo Iezechielis, quod Iudæi inaniter tertium appellant, & exſpectant.

Quod dictum fuit, Meſſiam regem eſſe, id ab omnibus quidem Judæis pariter ac Chriſtianis accipitur, verùm nequaquam eodem modo, imo hinc Iudæi ſe argumentum habere contra Ie-

Digitized by

ſum noſtrum opinantur, quod non fuit rex talis, qualem ipſi Meſſiam futurum arbitrantur. Nam regem illum debere mundanum eſſe, & terrenum habere imperium, cenſent: contrà Chriſtiani, regnum Meſſiæ aliud, iſtoque excellentius prædicamus, videlicet ſpirituale planè & cæleſte. De hoc res poſtulat, ut ſingulatim agamus: magnum quippe Iudæorum petit præjudicium, & argumentum cauſæ noſtræ haud infimum. Quare dicimus, ea quæ de Meſſiâ, ejus officiis, item beneficiis apud Prophetas occurrunt, loquutionibus ſæpe & figuris rerum corporalium ac terrenarum, non ita ad litteram capienda vexandaque eſſe, ſed interpretanda figuratè & ſpiritualiter, לדרך משל dicunt Hebræi. Id eſt, Chriſtum ſpiritu & verbo ſuo in homines dominari debere, & ſuis paſſionibus expiatos à peccatorum pœnis, regere doctrina & ſpiritu ſuo per viam juſtitiæ & ſanctitatis, tueri, protegere ac conſolari divinis atque ſpiritualibus ſolatiis, donec eos perducat tandem in cœleſtem vitam, gloriamque beatorum æternam. Certe hoc regnum longe præſtantius terreno quovis, eoque, quod Iudæi Meſſiæ ſuo aſſignant, ſito in regno & imperio quali quali mundano, & certis locorum, temporumque finibus circumſcripto, neque admodum diu duraturo. Uti de eo ipſi abjectè ſatis ſentiunt, & loquuntur. Menaſſe, lib. de Reſurrectione *cap.* XXI. *Non eſt tantum miraculum, ſi Meſſias veniat ſubjugatum regna ſibi atque imperia multa, cum non raro accidiſſe videamus, ut humiles alioqui abjectique ad regna atque imperia pervenerint, terrarumque multarum domini fuerint. At reſurrectio mortuorum majus quid eſt.* Ergo adinſtar alicujus reguli mundani ſimile habiturus imperium fingitur Iudæorum Meſſias. Quod quam indignum, quam infra majeſtatem imperii & regiminis iſtius, quod nos Meſſiæ adſcribimus? qui hac in parte Iudæis, utcumque multum, ſed vane, de Meſſiâ gloriantibus, longe meliores & pro ejus dignitate magis copioſe loquimur, atque zelamur.

Duas in hac diſputatione præmittimus *Concluſiones*. Quarum *prima* eſt, in Scripturis multa ſæpe figurate poni, quæ myſtice, aut ſpiritualiter exponenda ſunt: præſertim apud Prophetas. Neque hoc Iudæi ipſi negare poſſunt. Maimonides, in More Nevochim, *part.* II. *cap.* XXXIX. varia adfert exempla locutionum parabolicarum in Sacris. Hoc de Prophetis in genere, ac præſertim de Ieſaiâ obſervat, quod, *quando vaticinatur de gentis alicujus deſtructione, vel de populi alicujus magni interitu, ait: Stellas cecidiſſe; Cœlos interiiſſe et contremiſcere; Solem obtenebratum; Terram vaſtatam et commotam eſſe; aliiſque multis ſimilibus*

loquutio-

loquutionibus parabolicis utitur, ſicut apud Arabes, de eo, cui ſingulare aliquod infortunium accidit, dicitur, quòd Cœlum ipſius in Terram converſum ſit, vel ſuper terram ejus ceciderit: ſic, quando enarrat (Ieſaias) proſperitatem ac fœlicitatem Genti alicui eventuram, dicit: lucem ſolis vel Lunæ augeri; vel, cœlum & terram innovatum iri. Alii autem Prophetæ, cum loqui volunt de viri, gentis vel terræ alicujus interitu, attribuunt Deo Opt. Max. magnam iram et indignationem; cùm verò ſermonem volunt inſtituere de proſperitate populi alicujus, attribuunt Deo lætitiam & exultationem. Tum duas facit propoſitiones, primam, *non omnia ſecundum litteram intelligenda et accipienda eſſe, quæ dicuntur in opere Bereſchith ſeu creationis, ſicut vulgus hominum exiſtimat.* Alteram, *Quod Prophetæ ſæpè adhibeant vocabula æquivoca, et metaphorica, quorum intentio non eſt id, quod in prima parabola ſeu metaphora docent & ſignificant.* Vide de eodem Menaſſe *in Gen. quæſt.* XXX. *pag.* 38. Deinde *cap.* XLIII. agit de rationibus & modis parabolarum propheticarum. *Cap.* XLVII. de hyperbolis & metaphoris, quæ in Prophetis occurrunt. Modum illum loquendi ex more & formâ humanâ deſumptum appellant Hebræi, דרך של בני אדם, & כלשון בני אדם. Vel, לפי דעתן של בני אדם. Idem Maimonides, in Iehude thora, ſive de fundamentis legis, cap. I. §. XIV. *Poſtquam autem ita ſe res habet, omnia iſta & genus alia, quæ in lege et ſermonibus Prophetarum dicuntur, mera parabola & allegoria ſunt: ſic cum dicitur, ſedens in cœlis ridebit. Provocarunt me vanitatibus ſuis. ac ſi Deus lætaretur. De hiſce omnibus, & ſimilibus dixerunt Sapientes: loquitur lex linguâ humanâ.* Cap. II. §. V. *Quidnam eſt iſtud, quod prophetæ ajunt, ſe vidiſſe angelum ignis & præditum alis? Hoc omne (dicitur) in viſione prophetica & modo parabolico, ad indicandum, illos non eſſe corpora, neque graves inſtar corporum gravium. Eodem modo dicitur: Dominus Deus ignis conſumens: ipſe autem non eſt ignis, niſi metaphoricè: ſic quoque dicitur: Facit angelos ſuos ventos.* Confer Autorem *Halichoth Olam, tractatu* IV. *cap.* I. *&* III. Neque neceſſe adeo Scripturæ loca ad oſtendendum illum loquendi modum adducere. Ieſa. XXIV. 23. *& rubeſcet luna, & pudore ſuffundetur ſol, quando dominaturus eſt Iehova Zebaoth in monte Zion & Ieruſalem, atque ſenibus ejus reverentia erit.* Ieſa. LXII. 3. *et eris corona pretioſa* in manu *Iehovæ, & regale pileum in palmâ Dei tui.* Ierem. V. 6. *Ideo percuſſit eos leo ex ſylva, lupus deſerti devaſtabit eos, pardus vigilat contra civitates ipſorum, quicunque ex iis egredietur, diſcerpetur.* Hoſ. II. 21. *et pangam iiſcum eo die fœdus cum beſtia agri, et cum volucri cœlorum, et reptili terra &c.*

Digitized by Google

ra &c. 23. *atque erit in die illo, exaudiam, inquit Deus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. 24. et terra exaudiet frumentum, et muſtum, & oleum; & illa exaudient Izreelem.* Amoſ. VIII. 9. *Et erit die illo, verbum Domini Iehovæ, faciamque occidere ſolem in meridie, & tenebras obducam terræ die lucente.* Quæ, aliaque ſimilia plura omnes norunt non juxta litteram, ſed metaphoricè & parabolicè exponenda eſſe. *Concl. ſecunda:* atque in negotio Meſſiæ, ubi hoc tractant argumentum Prophetæ, non minus tali loquendi modo figurato utuntur paſſim. *Pſalm.* LXXII. de Meſſiâ exponunt Iudæi quoque, Sanhedrin cap. *chelek*, Targum, Ezra, Iarchi, tum hic, tum in *Zach.* IX. I. R. Eliezer, *cap.* XXXII. Menaſſe ben Iſrael, *lib.* III. *de reſurr. pag.* 259. & in Conciliatore Hiſpanico *in Mich.* V. *pag.* 177. Atque illo Pſalmo dicitur verſ. 3. *montes proferent pacem populo, & colles in juſtitia. 6. deſcendet ſicut pluvia in germen, ſicuti gutta irrigantes terram. 10. Reges Tarſis, & inſulæ dona adferent, reges Scheba & Seba cum muneribus accedent.* Atqui dudum eſt, quod illi reges deſierunt eſſe. adde verſ. 15. 16. *ubi fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium, commovebit ſe ut libanus fructus ejus, & florebunt cives uti herba terræ.* Videmus quot hic loquutiones impropriæ, quæ non juxta litteram, ſed ſpiritualiter ſumendę ſunt. Ieſa. XXXV. I. *Lætabuntur de his deſertum & aridum, & exultabit ſolitudo, ac florebit tanquam roſa*, & quę ſequuntur: nam toto capite eadem dicendi figura eſt, ע״ משל inquit ad hæc Kimchi. Ieſa. LX. II. *pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum, et pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum* &c. tum verſ. 20. 22. *non occidet amplius ſol veſter.* &c. *minor in mille evadet, et parvus in gentem fortem.* Jeſa. LXV. 17, 18, 19, 20. *non erit ibi amplius ſugens dierum aliquot et ſenex qui non adimpleat dies ſuos, nam juvenis morietur centum annorum,* &c. 25. *Lupus & agnus una paſcent, & leo ſicuti bos gramen comedet, & ſerpentis cibus pulvis erit.* Cap. LXVI. 20, 21. Zach. XIII. I. & XIV. 20, 21. *iſthoc die erit in tintinnabulis equorum* ſcriptum, *ſanctitas Jehovæ, eruntque ollæ in domo Jehovæ, quaſi crateres coram altari.*

Iam viſo more loquendi prophetico per ſimilitudines & formas parabolicas, mirum videri non debet ſi eodem pacto intelligamus prolata de Meſſiæ regno Prophetarum vaticinia, non ad litteram, ſed ſpiritum, non humano, ſed divino more, cœleſtique. Quod tribus modis evincemus. Primo, quia illa *non* poſſunt *corporaliter* accipi & exponi. Secundo, multo *convenientius* & dignius *ſpiritualiter* explicantur. Tertio oſten-

oſtendemus, imo aliter *non* poſſe illa, aut *debere*, quam ſpiritualiter ſumi. Quibus quodcunque evincitur aut concluditur, certe id firmiter ſatis ſolideque concluſum arbitramur.

Ac primo quidem, non poſſe illa de regno Meſſiæ corporaliter & terrenè explicari, patet I. Quia parum nimis atque *exile* hoc eſt pro ratione aut *promiſſionum*, de Meſſia, ejuſque regno omni ævo factarum; aut ipſius adeo *regni*, ſi terrenum habeatur. Quippe, quid tanti in hoc, ut rex aliquis mundanum quoddam erigat teneatque imperium? neque enim id eſſe *tantum miraculum*, ipſum Menaſſem dicentem audivimus. Quid hoc, ut ſtatim à mundi *initio*, β. *omnibus* Patribus, γ. tot tantiſque *ſermonibus* δ. ac *figuris* prædici debuerit, quod aliquis ſub ultimum mundi finem regnum aliquod habiturus ſit adinſtar aliorum mundi regum & Imperatorum? Quid vel illa res in ſe habet, vel Patres & ſecula omnia attinuit, tanta cum σπουδῇ regnum tale promitti, aut exſpectari? Contra verò ſi exponamus de regno ſpirituali, quod ad omnes ubique, quorumcunque ſæculorum locorumque fideles & probos pertinuerit, fundatum in Meſſiâ ſeu exhibendo, ſeu exhibito (nam illud, quamvis nondum revera factum, ex veritate promittentis Dei tamen pro æque certo habitum, atque iſtud) cujus gratia, vi & ſpiritu viguerint pii omnes, cujus expiatione redemti, & meritis cœlo deſtinati fuerint & vel recepti, vel recipiendi, in ultimum uſque mundi finem, ſic demum auguſtiam & amplitudinem regni Meſſiæ cognoſcere incipimus, & vim ſentire, rationem etiam, quare tum hoc prædicere Deus omnibus ſeculis, & expeti omnium votis, ut in quo ſumma ſalutis æternę hæreat ſalvandis omnibus, voluerit. Quid verò regnum in ſe tale habet, quod quis multum deſideret? α. regnum *non* adeo *amplum* & magnum. β. poſt gravia demum *bella* & ſtrages horrendas ſequuturum. γ. neque longo admodum, ſed *brevi* tempore duraturum, forte XL. modo annis, juxta Menaſſis, aliorumque ſupputationem. δ. quod vel *nihil*, vel parum certe conſolari aut beare potuerit alios, ante illa tempora viventes, mortuoſque, & ſive afflictionibus oppreſſos, ſive fœliciter agentes, facile tam proſpere, ac in iſto Meſſiæ regno. II. Cum adventu Meſſiæ prædictum, ſceptrum auferendū eſſe: non ergo in ſceptro externo vel regno dominium Meſſię conſtituendum. III. Atque etiam urbs Ieruſalem ſupremá devaſtatione delenda: non ergo ſedes futura imperii illius mundani ac terreſtris. IV. Rex Meſſias proponitur futurus pauper, *Zach.* IX. 9. & affligendus valde, *Jeſa.* LIII. ergo ejus dignitas non conſiſtit in æter-

Digitized by Google

no ſplendore regno terreni, ejuſque ἡγεμονίᾳ.

Deinde longe *convenientius* illa de Meſſiæ regno explicantur ſpiritualiter. Namque I. hoc regnum *divinum* eſt, in homines timentes Dei, & Deo beandos: quod dominiis omnibus mundanis, quę in hominum corpora, non animas; non pios, ſed quoſvis, & plurimam partem improbos exercentur, multis certe paraſangis antecellit. II. *Cæleſte* regnum, tanto mundanis omnibus præſtantius, quanto cœlum terrena omnia antecedit. III. atque etiam mundum omniaque quę in mundo ſibi *ſubjecta* Meſſias habet, regitque in bonum eccleſiæ ſuę & regni illius ſpiritualis. *Pſalm.* II. 8. *Dan.* II. 44. *Matth.* XXVIII. 18. *Apoc.* I. 5. Ut, ubi Adverſarii noſtri tribuunt Meſſiæ regnum terrenum, in hoc etiam genere, nos etiam longe plura ei tribuamus; non quidem regni apparatum & formam mundanam, ſed ipſi ipſiuſque imperio non unam ditionem, aut regnum, ſed imperia, homines, terram omnem, cœlumque.

Denique *debere* ſpiritualiter intelligi illa de Meſſiæ regno, ſic oſtendimus. I. Quia ſequentur alias *abſurda* multa, contraria ſibi, naturæ, legique divinæ, qualibus devitandis incommodis Iudæi ipſi docent ſequendum ſenſum myſticum & ſpiritualem eſſe. Menaſſe, lib. I. de reſurrect. cap. VI. *ſciendum eſt, Scripturam ſemper ſecundum litteram intelligendam et explicandam eſſe, niſi explicatio contineat aliquid quod implicat contradictionem.* Et in Præfat. libri de termino vitæ: *nempe credunt littera, quoties nihil ſonat abſurdi. Sed allegorias admittunt, ubi in proprietate verborum ſenſus fuerit recta rationi adverſus.* Jam niſi plurima de Meſſia, ejuſque regno dicta, ſpiritualiter interpretemur, contraria rationi ac naturę multa ſequentur. Tale eſt, quod Jeſa. XI. 6, 7, 8. *et lupus cum agno commorabitur, et pardus cum hædo recubabit, vituluſque & juvenis leo, ac pecus* pingue *ſimul erunt, & parvulus puer dux inter eos. Et vaccâ urſâque compaſcentibus, ſimul recubabunt catuli earum, et leo ſicut bos ſtramen comedet. Et delectabit ſe lactens ſuper foramen hæmorrhoi; & ſuper ſpecum viperæ depulſus à lacte manum ſuam injiciet.* Adde Ieſa. LXV. 25. Quæ ſiquis ad litteram interpretari velit, haud unam committet abſurditatem. Ipſis Judæis dicentibus, cum tempore Meſſiæ, quantacumque rerum obventura ſit mutatio, haud tamen ſeriem & ordinem naturæ immutandum. Maimonides, in fine Jad Chazeka, cap. ult. *ne ſubeat animum cogitatio* שבימות המשיח יבטל דבר ממנהגו של עולם או יהיה שם חידוש במעשה בראשית אלא עולם כמנהגו הולך וזה שנאמר בישעיה וגר זאב עם כבש ונמר.

ונמר עם נדי ירבץ מעל וחירה, *quaſi diebus Meſſiæ aliquid à conſueto mundi ordine abiturum eſſet, aut novi quid foret in operibus naturæ; ſed mundus ordine ſuo perget; & quod dicitur in Jeſaiâ, lupus cum agno commorabitur, & pardus cubabit cum hædo, allegoria eſt et ænigma.* In eundem ſenſum celebre apud Judæos eſt dictum R. Samuelis, אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שיעבוד מלכיות *nullum eſt diſcrimen inter hoc ſæculum, & dies Meſſiæ, niſi ſervitus regnorum*, id eſt, quod non amplius ſervituri ſint regnis. Sanhedrin cap. *chelek*, & alibi ſæpiùs. Nullo in reliquis rebus poſito diſcrimine. Felicitas temporum Meſſię hoc etiam modo parabolico proponitur Amoſ. IX. 13. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ*, (dies autem illos Meſſię eſſe, præterquam ex contextu, colligitur ex verſu 11. ubi dicit Deus ſe tugurium Davidis erecturum,) *quibus attinget arator meſſorem, & calcator uvarum ſatorem: & ſtillabunt montes muſtum, & omnes colles colliqueſcent.* Iezech. XLVII. 2. *ad flumen autem aſſurgent in ripa ejus hinc & inde arbores omnes eſculenti fructus, quarum fructus non conſumentur, menſibus ſuis præſtantiſſimos fructus edent, quia aquæ earum è ſanctuario prodeunt, ideo ſunt fructus earum cibo, et folia earum curationi.* Alia ſunt, quæ directè legi adverſarentur, ſi ad verbum caperentur. Uti Jeſa. XIX. verſ. 19. *tempore illo erit Jehovæ altare in mediâ terrâ Ægypti, & ſtatua Jehovæ apud terminum ejus.* Quum lex vetet alibi altare eſſe, quam in loco à Deo aſſignato; certe non in terrâ Ægypti. *Deut.* XII. 14. Neque dubitant Judæi, quin peccaverit Onias Sacerdos, quando illâ fretus prophetiâ, facultatem impetravit à Ptolomæo Philometore templum aliud ab Hieroſolymitano Alexandriæ ſive Leontopoli erigendi. De quo Joſephus, *Antiquit. lib.* XIII. *cap.* VI. & XX. *cap.* VIII. An de eodem (quod ego quidem cenſeo,) an alio Talmudici intelligant ſuum Oniæ templum, quod apellant, בית חוניו, vide agentem Joh. Seldenum, *lib.* I. *de ſucceſſ. in Pontificatum. cap.* VIII. Spiritualiter autem illud de altari in mediâ Ægypto intelligendum eſſe, de vocatione Ægyptiorum ad communionem eccleſiæ, ſeu Eccleſiæ ibidem erectione, manifeſtum eſt. Quò item facit quod antecedit de linguâ Cananæâ per Ægyptum uſurpandâ, *Tempore illo erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes ſermone Cananæo, & jurata Jehovæ exercituum.* Similiter Malach. I. 11. dicitur, *in omni loco ſuffimentum* Deo offerendum, & מנחה *munus purum.* Jeſa. LXI. 6. promittit Deus promiſcue ſacerdotes illos futuros, *vos vero ſacerdotes Jehovæ vocabimini.* Quod tamen ex lege ſoli tribui Levi & Aaronicæ debebatur. *Exod.* XXVIII. & XXIX.

Pſalm.

gantur, non niſi pro particulari opinione habenda eſt iſta ſententia, quin & rejicienda. Cap. VII. exponit, quod Antiqui dixerunt de candela ſupra caput infantis in utero materno poſitâ, *inquiunt antiqui, infanti, quam diu in utero matris eſt, candelam ſupra caput poſitam eſſe qua perluſtrat ac videt omnia, quæ ſita ſunt inter utrumque mundi cardinem: cum autem naſcitur, angelus occludens infantis os, ſeu potius impediens linguæ uſum, extinguit lumen: cumque vi erumpit ex utero infans, eorum omnium obliviſcitur, quæ ante perſpecta habuit, ideo ortum ac natalem ſuum irrigat lachrymis. Quorum verborum non alia mens eſt, quam animas hominum ante partum ſapientiſſimas eſſe, omniumque rerum cognitione imbutas: ſed eas ſcientia iſta privari, quando corpori induntur, non aliter quam ii qui ex perturbato cerebro in phreneſin incidunt, ac proinde ſcientiam omnem quam diſcendo iterum acquirunt, non eſſe niſi eorum quæ ante ſciverunt reminiſcentiam. Quæ Platonis ſententia quoque fuit plane contraria opinioni Ariſtotelis.* Cap. XVII. Colloquiũ vel egregiam fabulam diſputantis cadaveris cum R. Nahmanno tractat: *Foſſores quidam fodientes terram R. Nahman offenderunt cadaver defuncti R. Abay flentis atque ejulantis: venerunt hi, et dixerunt id R. Nahman: qui adveniens quæſivit ex illo, quis eſſet? reſpondit, ego ſum Abay bar Ioſahya. Dixit illi R. Nahman, an non à R. Mari dictum eſt, quod juſti convertantur in pulverem? Reſpondit ille, quis iſte Mary, egone illum novi? Rurſus R. Nahman inquit, ita perſcriptum eſt, & revertetur pulvis in terram ſicuti fuit. Hinc R. Abay inquit, quamvis legeris Eccleſiaſtem, nihilominus tamen non legiſti Proverbia: in iis enim habetur, & putredo oſſium, invidia: id eſt, hominis invidi oſſa tantum putreſcent, non vero illius, qui invidia non laborat. Deinde eum R. Nahman tetigit, et comperit, corpus vegetum ac validum eſſe, dixitque illi, erige te Domine, & ito domum. Tum illi R. Abay inquit, nunc oſtendis te non legiſſe prophetas: nam à quodam dictum eſt, Eſa. 37. Et ſcietis, quod ego Dominus aperiens ſepulchra veſtra et faciens adſcendere vos de ſepulchris veſtris. Deus igitur eſt, qui hoc facit. Sed inquit alter, ſcriptum eſt, Pulvis es, & in pulverem converteris. Imo inquit ille, hoc intelligendum eſt, de una hora ante reſurrectionem.* Illud Menaſſe jam ita exponit: *dato, at non conceſſo, fabulam eſſe, eo antiqui (uti ſæpe inculcare ſolent) docere voluerunt, quod in eorum cadaveribus, qui recte atque honeſte vixiſſent, nihil juris vermes habituri ſint; & quod tamen cadavera eorum hora una ante reſurrectionem mortuorum convertenda ſint in pulverem.* Conciliatore in Geneſ. Quæſt. IV. citat contentionem Lunæ cum Sole, vel cum Deo, ſuper ſole, *R. Simon ben Pazi, refert in Gemara.*

Gemara Holin, Lunam diſputaſſe cum Deo, quæſiiſſeque ex eo, quo pacto fieri poſſet, ut eâdem coronâ duo Reges uterentur. Dominum vero reſpondiſſe, abi, & diminue teipſam. Unde factum, ut, quæ duo luminaria ante æqualia, poſtea diſparem ſortita rationem fuerint. Menaſſe pro apologo exponit, *ex apologo hoc fictore colloquio, conciliatio iſtiuſmodi petitur*, inquit. *Luna primo magna appellatur, quia plena creata eſt, & oppoſita Soli; paulo poſt parva dicitur, quia lucem à Sole accipiens, cum motu ſimul decreſcit.* Atque ita paſſim ſectatur ſenſus metaphoricos, ſpirituales, & myſticos. Ut minus hæc in nobis carpere quiſpiam poſſit, qui ſpiritualem ſenſum aptamus iis, quæ myſtice & figurate ſonant, neque aliter exponi poſſunt aut debent.

Objiciunt Judæi omnes, bellum cum Gog & Magog, à Meſſiâ gerendum, quod deſcribitur *Jezech. cap.* XXXVIII. & XXXIX. Atqui hoc Jeſus noſter non præſtitit. Varia de iſthoc bello paſſim Judæi fabulantur. Auctor Afkath rochel: *Dicunt autem Rabbini b. m. prius venturum Meſſiam Ben Joſeph ad colligendas captivitates, et tum fore bella Gog et Magog, prout exponunt cap. Roob. exaltatus ſuper omnia in caput (ex 1. Par. 29. 11.) Exaltatus in caput, hæc ſunt bella Gog & Magog juxta illud Ezech. 38. 3. Ecce me contra te. ò Gog, Princeps primariè Meſobechi et Tubalis. Sic cap. Hachalil de iſto tempore exponunt ſcripturam quæ exſtat Zach.* XII. 11. *Planget terra, quæque familia ſeorſim &c. propter mortem ſcil. Meſſiæ Ben Joſeph qui occidetur. Et cap. primo cod. Megilla, ad eundem refertur id quod dicitur verſ.* 11. *Die illo magnus erit planctus Hieroſolymis. &c.* Menaſſe, *lib.* III. de reſurrect. cap. V.

Omnes Rabbini in eo conſentiunt, Iſraelitas poſt reditum in patriam ſuam, qui redemptionis tempore futurus eſt, non plane, ac perfecte omni tranquillitate, & pace fruituros, niſi demum poſt confectum poſtremum, ac ultimum bellum Gog & Magog. Futurum enim eſt, ut poſtquam Iſraelitæ in Paleſtinam redierint, gens illa Gog & Magog ad invadendum, & occupandam terram illam, & quidem cum ingente hominum multitu-

Reſp. Quidquid Iudæi hic dicunt, nititur duobus illis apud Iezechielem Prophetam capitibus: nam quæ Præterea eidem fini adfert Menaſſe loca, nulla ratione huc quadrant. Sed apud Iezechielem, totis illis capitibus nulla, ne leviſſima quidem Meſſiæ fit mentio, non quod iis dux exercitus contra Gogum futurus eſſet, cumque debellaturus. Quare, dato hic aliquid adhuc implendum eſſe, ad-

gnum occupaturus. Quæ ſomnia multis in locis exponunt. Targum, in *Cantic.* IV. Ezra, in *Zach.* IX. 9, & *Malach.* III. I. Iarchi, Kimchi, Abravanel, & Iudæi paſſim, nam de Meſſia ſuo ben Ioſeph locum vulgo capiunt) in *Zach.* XII. 10. Auctor Avkas rochel, ſub ſigno nono: *Clanget Michael clangorem magnum quo ſepulchra mortuorum aperientur Hieroſolymis, eoſque Deus Ben. vita reſtituet. Meſſias etiam Ben David et cum ipſo Elias Propheta è mortuis ſuſcitabunt Meſſiam Ben Ioſeph qui ſub portis Hieroſolymæ aſſervabatur. Deinde mittent Meſſiam Ben David ad colligendas Judæorum reliquias in omnibus terris diſperſas. Et confeſtim omnes gentium reges totius orbis Iſraelitas humeris ſuis impoſitos ad Deum deducent.* &c. Menaſſe, lib. Spes Iſraelis, pag. 78. *Tempore illo* X. *tribus venient Hieroſolymam, ſub ductu Principis, quem Rabbini nonnulli in Talmud, & paraphraſi Chaldæa aliquot in locis vocant Meſſiam filium Ioſeph; et alibi Meſſiam filium Ephraim; qui cæſus in ultimo bello Gog & Magog, oſtendit ſe eſſe* (exiſtimo legendum, *non* eſſe) *Meſſiam filium Davidis, qui erit, ut dicunt Oſeas et Ezechiel, princeps æternus omnium* XII. *Tribuum, Meſſiæ iſtius filii Ephraimi mentionem faciunt multis in locis ſapientes, maximè verò in Thalmud Babilonico in tractatu ſuca, cap. 5. ubi moriturum eum ajunt in ultimo bello Gog et Magog, & ita explicant cap. 13. Prophetæ Zachariæ: Et aſpicient ad me, quem confixerunt, plangentque ſuper eo, ut ſolet ſuper unigenito filio. Addunt etiam, quòd quatuor duces, de quibus Propheta idem loquitur cap. 11. ſunt Meſſias filius Davidis; Meſſias filius Ioſephi, Propheta Elias, et ſummus Sacerdos, quæ quatuor iſtæ dignitates ſunt, quæ in iſto ſæculo beato oſtendent potentiam ſuam. Advertite autem, quòd aliquando vocent Meſſiam filium Ephraimi, aliquando Ioſephi: Prodibit enim ex tribu Ephraimi, & erit dux omnium decem tribuum, nomen Ephraimo dantium, propterea quòd primus eorum rex Ieroboam ex iſta tribu fuit. Non ſine ratione vocant ipſum filium Ioſephi; ipſe enim erat verus typus domui Iſraelis propter incarcerationem ſuam, ac ſubſequentem fœlicitatem. Adde, quòd tamdiu fratres ſuos latuerit, ut planè iis ignoraretur; prorſus ut hodie decem tribus, quæ, utut captivas ſe dicant, poſtmodum tamen ad ſummum fœlicitatis faſtigium adſcendent eodem, ac Ioſeph, modo. Iſte Meſſias Ioſephi morietur in prælio Gog, & Magog, et poſtea reſurget, ut fungatur dignitate iſtâ, non ſceptro quidem regis, ſed munere tantum viceregis, ut Ioſephus in Ægypto; eò quod imperium domûs Iſraelis, quod cecidit ſub regno Oſeæ filii Elæ, ut ait Propheta Amos, cap. 5. verſ. 2. Non reſtaurabitur igitur regnum decem tribuum, ut monet Ezechiel cap. 37. ſub impe-*

Digitized by Google

imperio Meſſiæ filii Davidis, qui erit æternus, & per mortem Meſſiæ, filii Joſephi, agnoſcent X. *tribus Deum nolle, ut plures habeant, præter unum, principes; ut ſuprà diximus.* alibi illud appellat imaginationem antiquorum. lib. III. de reſurrect. pag. 287. *Meſſias Ben Ioſeph, ſeu filius Ioſeph quem antiqui imaginati ſibi ſunt ante filium Davidis, ducem ac principem populi fore.* Habes hiſtoriam, vel fabulam Meſſiæ, filii Ioſephi: nam certe fabula eſt. Neque enim Scriptura uſpiam alterius, vel duplicis Meſſiæ meminit, ſemper unius, ejuſdemque. Atque de hoc diverſiſſima dicuntur, eodem ſemper, uti modò oſtendimus, ex *Zach.* IX. 9, 10. *Ieſa.* LIII. 2, 3, 8, 11. nihil ut opus ſit, alium & alios comminiſci.

Atque ex illis jam colligimus argumentum noſtrum pro Meſſiâ Ieſu: Quum omnia impleta in eo, quæ de Meſſiâ dicta, præſtarique ab eo debebant, & quoad ortum, & vitam, vitæque ſtatum, & officia, omnia & ſingula quæ arguere Meſſiam queant; ſequitur certiſſime, Meſſiam eum eſſe. Atqui illa jam probavimus: ergo nihil reſtat, quam ut pro Meſſiâ iſtum noſtrum communibus animis, fide atque cultu recipiamus.

Cap. II.

De

Messiæ Regno Spirituali.

Meſſias regnum habiturus. ſed quale? Præmiſſæ diſputationi Concluſiones duæ: de Scripturæ loquutionibus parabolicis; etiam in ſermone de Meſſiâ. Tum oſtenditur, ea quæ de Meſſiæ regno in Prophetarum vaticiniis proponuntur ſub figuris rerum corporalium & terrenarum, non poſſe ad litteram exponi: ſed convenientius, aliter: denique, debere ſpiritualiter ſumi. Iudæi ipſi nunc multa ab Antiquis Rabbinis carnaliter dicta de Meſſiæ regno, epulo &c. myſticè conantur explicare. De bello Gog, & Magog. De Templo Iezechielis, quod Iudæi inaniter tertium appellant, & exſpectant.

Quod dictum fuit, Meſſiam regem eſſe, id ab omnibus quidem Judæis pariter ac Chriſtianis accipitur, verùm nequaquam eodem modo, imo hinc Iudæi ſe argumentum habere contra Ie-

ſum noſtrum opinantur, quod non fuit rex talis, qualem ipſi Meſſiam futurum arbitrantur. Nam regem illum debere mundanum eſſe, & terrenum habere imperium, cenſent: contrà Chriſtiani, regnum Meſſiæ aliud, iſtoque excellentius prædicamus, videlicet ſpirituale planè & cæleſte. De hoc res poſtulat, ut ſingulatim agamus: magnum quippe Iudæorum petit præjudicium, & argumentum cauſæ noſtræ haud infimum. Quare dicimus, ea quæ de Meſſiâ, ejus officiis, item beneficiis apud Prophetas occurrunt, loquutionibus ſæpe & figuris rerum corporalium ac terrenarum, non ita ad litteram capienda vexandaque eſſe, ſed interpretanda figuratè & ſpiritualiter, על דרך משל dicunt Hebræi. Id eſt, Chriſtum ſpiritu & verbo ſuo in homines dominari debere, & ſuis paſſionibus expiatos à peccatorum pœnis, regere doctrina & ſpiritu ſuo per viam juſtitiæ & ſanctitatis, tueri, protegere ac conſolari divinis atque ſpiritualibus ſolatiis, donec eos perducat tandem in cœleſtem vitam, gloriamque beatorum æternam. Certe hoc regnum longe præſtantius terreno quovis, eoque, quod Iudæi Meſſiæ ſuo aſſignant, ſito in regno & imperio quaſi quaſi mundano, & certis locorum, temporumque finibus circumſcripto, neque admodum diu duraturo. Uti de eo ipſi abjectè ſatis ſentiunt, & loquuntur. Menaſſe, lib. de Reſurrectione *cap.* XXI. *Non eſt tantum miraculum, ſi Meſſias veniat ſubjugatum regna ſibi atque imperia multa, cum non raro accidiſſe videamus, ut humiles alioqui abjectique ad regna atque imperia pervenerint, terrarumque multarum domini fuerint. At reſurrectio mortuorum majus quid eſt.* Ergo adinſtar alicujus reguli mundani ſimile habiturus imperium fingitur Iudæorum Meſſias. Quod quam indignum, quam infra majeſtatem imperii & regiminis iſtius, quod nos Meſsiæ adſcribimus? qui hac in parte Iudæis, utcumque multum, ſed vane, de Meſsiâ gloriantibus, longe meliores & pro ejus dignitate magis copioſe loquimur, atque zelamur.

Duas in hac diſputatione præmittimus *Concluſiones*. Quarum *prima* eſt, in Scripturis multa ſæpe figurate poni, quæ myſtice, aut ſpiritualiter exponenda ſunt: præſertim apud Prophetas. Neque hoc Iudæi ipſi negare poſſunt. Maimonides, in More Nevochim, *part.* II. *cap.* XXXIX. varia adfert exempla locutionum parabolicarum in Sacris. Hoc de Prophetis in genere, ac præſertim de Ieſaiâ obſervat, quod, *quando vaticinatur de gentis alicujus deſtructione, vel de populi alicujus magni interitu, ait: Stellas cecidiſſe; Cœlos interiiſſe et contremiſcere; Solem obtenebratum; Terram vaſtatam et commotam eſſe; aliiſque multis ſimilibus*

loquutio-

loquutionibus parabolicis utitur, ſicut apud Arabes, de eo, cui ſingulare aliquod infortunium accidit, dicitur, quòd Cælum ipſius in Terram converſum ſit, vel ſuper terram ejus ceciderit: ſic, quando enarrat (Ieſaias) proſperitatem ac fælicitatem Genti alicui eventuram, dicit: lucem ſolis vel Lunæ augeri; vel, cælum & terram innovatum iri. Alii autem Prophetæ, cum loqui volunt de viri, gentis vel terræ alicujus interitu, attribuunt Deo Opt. Max. magnam iram et indignationem; cùm verò ſermonem volunt inſtituere de proſperitate populi alicujus, attribuunt Deo lætitiam & exultationem. Tum duas facit propoſitiones, primam, *non omnia ſecundum litteram intelligenda et accipienda eſſe, quæ dicuntur in opere Bereſchith ſeu creationis, ſicut vulgus hominum exiſtimat.* Alteram, *Quod Prophetæ ſæpè adhibeant vocabula æquivoca, et metaphorica, quorum intentio non eſt id, quod in prima parabola ſeu metaphora docent & ſignificant.* Vide de eodem Menaſſe *in Gen. quæſt.* XXX. *pag.* 38. Deinde *cap.* XLIII. agit de rationibus & modis parabolarum propheticarum. *Cap.* XLVII. de hyperbolis & metaphoris, quæ in Prophetis occurrunt. Modum illum loquendi ex more & formâ humanâ deſumptum appellant Hebræi, דרך של בני אדם, & כלשון בני אדם. Vel, לפי דעתן של בני אדם. Idem Maimonides, in Iehude thora, ſive de fundamentis legis, cap. I. §. XIV. *Poſtquam autem ita ſe res habet, omnia iſta & genus alia, quæ in lege et ſermonibus Prophetarum dicuntur, mera parabola & allegoria ſunt: ſic cum dicitur, ſedens in cælis ridebit. Provocarunt me vanitatibus ſuis. ac ſi Deus lætaretur. De hiſce omnibus, & ſimilibus dixerunt Sapientes: loquitur lex linguâ humanâ.* Cap. II. §. V. *Quidnam eſt iſtud, quod prophetæ ajunt, ſe vidiſſe angelum ignis & præditum alis? Hoc omne (dicitur) in viſione prophetica & modo parabolico, ad indicandum, illos non eſſe corpora, neque graves inſtar corporum gravium. Eodem modo dicitur: Dominus Deus ignis conſumens: ipſe autem non eſt ignis, niſi metaphoricè: ſic quoque dicitur: Facit angelos ſuos ventos.* Confer Autorem *Halichoth Olam, tractatu* IV. *cap.* I. & III. Neque neceſſe adeo Scripturæ loca ad oſtendendum illum loquendi modum adducere. Ieſa. XXIV. 23. *& rubeſcet luna, & pudore ſuffundetur ſol, quando dominaturus eſt Iehova Zebaoth in monte Zion & Ieruſalem, atque ſenibus ejus reverentia erit.* Ieſa. LXII. 3. *et eris corona pretioſa* in manu *Iehovæ, & regale pileum in palmâ Dei tui.* Ierem. V. 6. *Ideo percuſſit eos leo ex ſylva, lupus deſerti devaſtabit eos, pardus vigilat contra civitates ipſorum, quicunque ex iis egredietur, diſcerpetur.* Hoſ. II. 21. *et pangam iiſcum eo die fœdus cum beſtia agri, et cum volucri cælorum, et reptili terræ* &c.

Digitized by Google

ra &c. 23. *atque erit in die illo, exaudiam, inquit Deus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram.* 24. *et terra exaudiet frumentum, et muſtum, & oleum; & illa exaudient Izreelem.* Amoſ. VIII. 9. *Et erit die illo, verbum Domini Iehovæ, faciamque occidere ſolem in meridie, & tenebras obducam terræ die lucente.* Quæ, aliaque ſimilia plura omnes norunt non juxta litteram, ſed metaphoricè & parabolicè exponenda eſſe. *Concl. ſecunda:* atque in negotio Meſſiæ, ubi hoc tractant argumentum Prophetæ, non minus tali loquendi modo figurato utuntur paſſim. *Pſalm.* LXXII. de Meſſiâ exponunt Iudæi quoque, Sanhedrin cap. *chelek,* Targum, Ezra, Iarchi, tum hic, tum in *Zach.* IX. I. R. Eliezer, *cap.* XXXII. Menaſſe ben Iſrael, *lib.* III. *de reſurr. pag.* 259. & in Conciliatore Hiſpanico *in Mich.* V. *pag.* 177. Atque illo Pſalmo dicitur verſ. 3. *montes proferent pacem populo, & colles in juſtitia.* 6. *deſcendet ſicut pluvia in germen, ſicuti guttæ irrigantes terram.* 10. *Reges Tarſis, & inſulæ dona adferent, reges Scheba & Seba cum muneribus accedent.* Atqui dudum eſt, quod illi reges deſierunt eſſe. adde verſ. 15. 16. *ubi fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium, commovebit ſe ut libanus fructus ejus, & florebunt cives uti herba terræ.* Videmus quot hic loquutiones impropriæ, quæ non juxta litteram, ſed ſpiritualiter ſumendę ſunt. Ieſa. XXXV. I. *Lætabuntur de his deſertum & aridum, & exultabit ſolitudo, ac florebit tanquam roſa,* & quę ſequuntur: nam toto capite eadem dicendi figura eſt, ע"ר כמשל inquit ad hæc Kimchi. Ieſa. LX. 11. *pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum, et pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum* &c. tum verſ. 20. 22. *non occidet amplius ſol veſter.* &c. *minor in mille evadet, et parvus in gentem fortem.* Jeſa. LXV. 17, 18, 19, 20. *non erit ibi amplius ſugens dierum aliquot et ſenex qui non adimpleat dies ſuos, nam juvenis morietur centum annorum.* &c. 25. *Lupus & agnus una paſcent, & leo ſicuti bos gramen comedet, & ſerpentis cibus pulvis erit.* Cap. LXVI. 20, 21. Zach. XIII. I. & XIV. 20, 21. *iſthoc die erit in tintinnabulis equorum* ſcriptum, *ſanctitas Jehovæ, eruntque ollæ in domo Jehovæ, quaſi crateres coram altari.*

Iam viſo more loquendi prophetico per ſimilitudines & formas parabolicas, mirum videri non debet ſi eodem pacto intelligamus prolata de Meſſiæ regno Prophetarum vaticinia, non ad litteram, ſed ſpiritum, non humano, ſed divino more, cœleſtique. Quod tribus modis evincemus. Primo, quia illa *non* poſſunt *corporaliter* accipi & exponi. Secundo, multo *convenientius* & dignius *ſpiritualiter* explicantur. Tertio oſten-

Digitized by Google

oſtendemus, imo aliter *non* poſſe illa, aut *debere*, quam ſpiritualiter ſumi. Quibus quodcunque evincitur aut concluditur, certe id firmiter ſatis ſolideque concluſum arbitramur.

Ac primo quidem, non poſſe illa de regno Meſſiæ corporaliter & terrenè explicari, patet I. Quia parum nimis atque *exile* hoc eſt pro ratione aut *promiſſionum*, de Meſſia, ejuſque regno omni ævo factarum; aut ipſius adeo *regni*, ſi terrenum habeatur. Quippe, quid tanti in hoc, ut rex aliquis mundanum quoddam erigat teneatque imperium? neque enim id eſſe *tantum miraculum*, ipſum Menaſſem dicentem audivimus. Quid hoc, ut ſtatim à mundi *initio*, β *omnibus* Patribus, γ. tot tantiſque *ſermonibus* δ. ac *figuris* prædici debuerit, quod aliquis ſub ultimum mundi finem regnum aliquod habiturus ſit adinſtar aliorum mundi regum & Imperatorum? Quid vel illa res in ſe habet, vel Patres & ſecula omnia attinuit, tanta cum σπουδῇ regnum tale promitti, aut exſpectari? Contra verò ſi exponamus de regno ſpirituali, quod ad omnes ubique, quorumcunque ſæculorum locorumque fideles & probos pertinuerit, fundatum in Meſſià ſeu exhibendo, ſeu exhibito (nam illud, quamvis nondum revera factum, ex veritate promittentis Dei tamen pro æque certo habitum, atque iſtud) cujus gratia, vi & ſpiritu viguerint pii omnes, cujus expiatione redemti, & meritis cœlo deſtinati fuerint & vel recepti, vel recipiendi, in ultimum uſque mundi finem, ſic demum auguſtiam & amplitudinem regni Meſſiæ cognoſcere incipimus, & vim ſentire, rationem etiam, quare tum hoc prædicere Deus omnibus ſeculis, & expeti omnium votis, ut in quo ſumma ſalutis æternę hæreat ſalvandis omnibus, voluerit Quid verò regnum in ſe tale habet, quod quis multum deſideret? α. regnum *non* adeo *amplum* & magnum. β. poſt gravia demum *bella* & ſtrages horrendas ſequuturum. γ. neque longo admodum, ſed *brevi* tempore duraturum, forte XL. modo annis, juxta Menaſſis, aliorumque ſupputationem. δ. quod vel *nihil*, vel parum certe conſolari aut beare potuerit alios, ante illa tempora viventes, mortuoſque, & ſive afflictionibus oppreſſos, ſive fœliciter agentes, facile tam proſpere, ac in iſto Meſſiæ regno. II. Cum adventu Meſſiæ prædictum, ſceptrum auferendū eſſe: non ergo in ſceptro externo vel regno dominium Meſſię conſtituendum. III. Atque etiam urbs Ieruſalem ſupremá devaſtatione delenda: non ergo ſedes futura imperii illius mundani ac terreſtris. IV. Rex Meſſias proponitur futurus pauper, *Zach*. IX. 9. & affligendus valde, *Jeſa*. LIII. ergo ejus dignitas non conſiſtit in æter-

Digitized by Google

no ſplendore regno terreni, ejuſque ἀξιοπρεπείᾳ.

Deinde longe *convenientius* illa de Meſſiæ regno explicantur ſpiritualiter. Namque I. hoc regnum *divinum* eſt, in homines timentes Dei, & Deo beandos: quod dominiis omnibus mundanis, quę in hominum corpora, non animas; non pios, ſed quoſvis, & plurimam partem improbos exercentur, multis certe paraſangis antecellit. II. *Cæleſte* regnum, tanto mundanis omnibus præſtantius, quanto cœlum terrena omnia antecedit. III. atque etiam mundum omniaque quę in mundo ſibi *ſubjecta* Meſſias habet, regitque in bonum eccleſiæ ſuę & regni illius ſpiritualis. *Pſalm.* II. 8. *Dan.* II. 44. *Matth.* XXVIII. 18. *Apoc.* I. 5. Ut, ubi Adverſarii noſtri tribuunt Meſſiæ regnum terrenum, in hoc etiam genere, nos etiam longe plura ei tribuamus; non quidem regni apparatum & formam mundanam, ſed ipſi ipſiuſque imperio non unam ditionem, aut regnum, ſed imperia, homines, terram omnem, cœlumque.

Denique *debere* ſpiritualiter intelligi illa de Meſſiæ regno, ſic oſtendimus. I. Quia ſequentur alias *abſurda* multa, contraria ſibi, naturæ, legique divinæ, qualibus devitandis incommodis Iudæi ipſi docent ſequendum ſenſum myſticum & ſpiritualem eſſe. Menaſſe, lib. I. de reſurrect. cap. VI. *ſciendum eſt, Scripturam ſemper ſecundum litteram intelligendam et explicandam eſſe, niſi explicatio contineat aliquid quod implicat contradictionem.* Et in Præfat. libri de termino vitæ: *nempe credunt littera, quoties nihil ſonat abſurdi. Sed allegorias admittunt, ubi improprietate verborum ſenſus fuerit recta rationi adverſus.* Jam niſi plurima de Meſſia, ejuſque regno dicta, ſpiritualiter interpretemur, contraria rationi ac naturę multa ſequentur. Tale eſt, quod Jeſa. XI. 6, 7, 8. *et lupus cum agno commorabitur, et pardus cum hædo recubabit, vituluſque & juvenis leo, ac pecus* pingue *ſimul erunt, & parvulus puer dux inter eos. Et vaccâ urſâque compaſcentibus, ſimul recubabunt catuli earum, et leo ſicut bos ſtramen comedet. Et delectabit ſe lactens ſuper foramen hæmorrhoi; & ſuper ſpecum viperæ depulſus à lacte manum ſuam injiciet.* Adde Ieſa. LXV. 25. Quæ ſiquis ad litteram interpretari velit, haud unam committet abſurditatem. Ipſis Judæis dicentibus, cum tempore Meſſiæ, quantacumque rerum obventura ſit mutatio, haud tamen ſeriem & ordinem naturæ immutandum. Maimonides, in fine Jad Chazeka, cap. ult. *ne ſubeat animum cogitatio* שבימות המשיח יבטל דבר מכנהגו של עולם או יהיה שם חידוש במעשה בראשית אלא עלם כמנהגו הולך וזה שנאמר בישעיה וגר זאב עם כבש וגמר.

ונמר עם גדי ירבץ משל וחידה, *quaſi diebus Meſſiæ aliquid à conſueto mundi ordine abiturum eſſet, aut novi quid foret in operibus naturæ; ſed mundus ordine ſuo perget; & quod dicitur in Jeſaiâ, lupus cum agno commorabitur, & pardus cubabit cum hædo, allegoria eſt et ænigma.* In eundem ſenſum celebre apud Judæos eſt dictum R. Samuelis, אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שעבוד מלכיות *nullum eſt diſcrimen inter hoc ſæculum, & dies Meſſiæ, niſi ſervitus regnorum*, id eſt, quod non amplius ſervituri ſint regnis. Sanhedrin cap. *chelek*. & alibi ſæpiùs. Nullo in reliquis rebus poſito diſcrimine. Felicitas temporum Meſſię hoc etiam modo parabolico proponitur Amoſ. IX. 13. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ*, (dies autem illos Meſſię eſſe, præterquam ex contextu, colligitur ex verſu 11. ubi dicit Deus ſe tugurium Davidis erecturum,) *quibus attinget arator meſſorem, & calcator uvarum ſatorem: & ſtillabunt montes muſtum, & omnes colles colliqueſcent*. Iezech. XLVII. 2. *ad flumen autem aſſurgent in ripa ejus hinc & inde arbores omnes eſculenti fructus, quarum fructus non conſumentur, menſibus ſuis præſtantiſſimos fructus edent, quia aqua earum è ſanctuario prodeunt, ideo ſunt fructus earum cibo, et folia earum curationi.* Alia ſunt, quæ directè legi adverſarentur, ſi ad verbum caperentur. Uti Jeſa. XIX. verſ. 19. *tempore illo erit Jehovæ altare in mediâ terrâ Ægypti, & ſtatua Jehovæ apud terminum ejus.* Quum lex vetet alibi altare eſſe, quam in loco à Deo aſſignato; certe non in terrâ Ægypti. *Deut.* XII. 14. Neque dubitant Judæi, quin peccaverit Onias Sacerdos, quando illâ fretus prophetiâ, facultatem impetravit à Ptolomæo Philometore templum aliud ab Hieroſolymitano Alexandriæ ſive Leontopoli erigendi. De quo Joſephus, *Antiquit. lib.* XIII. *cap.* VI. & XX. *cap.* VIII. An de eodem (quod ego quidem cenſeo,) an alio Talmudici intelligant ſuum Oniæ templum, quod apellant, בית חוניו, vide agentem Joh. Seldenum, *lib.* I. *de ſucceſſ. in Pontificatum. cap.* VIII. Spiritualiter autem illud de altari in mediâ Ægypto intelligendum eſſe, de vocatione Ægyptiorum ad communionem eccleſiæ, ſeu Eccleſiæ ibidem erectione, manifeſtum eſt. Quò item facit quod antecedit de linguâ Cananæâ per Ægyptum uſurpandâ, *Tempore illo erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes ſermone Cananæo, & jurata Jehovæ exercituum*. Similiter Malach. I. 11. dicitur, *in omni loco ſuffimentum* Deo offerendum, & מנחה *munus purum*. Jeſa. LXI. 6. promittit Deus promiſcue ſacerdotes illos futuros, *vos vero ſacerdotes Jehovæ vocabimini.* Quod tamen ex lege ſoli tribui Levi & Aaronicæ debebatur. *Exod.* XXVIII. & XXIX.

Pſalm.

Pſalm. LXXII. Reges Tarſis, Scheba, & Seba dicuntur munera allaturi Meſſię, qui à longo tempore deſierunt eſſe in rerum natura. Ex quibus apparet, multa de Meſſiâ quamvis litteraliter & carnaliter dicta, altiori modo, & ſpirituali exponenda neceſſario eſſe. II. Varia ſe in textu ſpiritualiter mox ipſa exponunt. Pſal. XLV. verſu. 4. dicitur, *accinge gladium tuum ſuper femur, ô robuſtiſſime, gloriam tuam & decorem tuum.* quod mox explicatur de vi & progreſſu doctrinæ, verſ. 5. *& proſpere equita in decore tuo ſuper verbum veritatis, & manſueta juſtitia.* Jeſa. XI. 4, 5, 6. *Sed juſte vindicabit tenues, & corripiet ex æquo manſuetos terræ: percutiet vero terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum morte afficiet improbum. Erit enim juſtitia cingulum lumborum ipſius, et fides ipſa cingulum feminum ipſius. Quare commorabitur lupus cum agno* &c. Jeſa. XXV. 6. 7. *faciet autem Jehova exercituum omnibus populis in monte hoc convivium* rerum *pinguium, convivium* vini *defæcati, pinguium ſaginariorum, vini fæcibus purgati. Et abſorbebit in monte hoc velum obvelans omnes populos* &c. Illa ſtatim ſpiritualiter explicantur, verſ. 8. 9. *abſorbebit mortem in victoriam, & abſterget Dominus Jehovi lachrymas ab omnibus faciebus; & opprobrium populi ſui amovebit a tota terra, nam Jehova loquutus eſt. Ut dicat tempore illo, ecce hic Deus noſter, exſpectavimus eum, & ſervat nos* ויושיענו: *hic eſt Jehova, quem exſpectabimus, exultabimus et lætabimur* בישועתו *in ſalute ejus.* Jeſa. LIV. 11. 12. *afflicta, procellis agitata, conſolatione deſtituta: ecce ego collocaturus ſum cum ornamento lapides tuos, et fundaturus te ſapphiris, & diſponam pyropo ſpecularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi; denique totum terminum tuum lapidibus ſpecioſiſſimis.* Atque hoc exponitur verſ. 13. 14. de ornatu ſpirituali. *& omnes filii tui edocti erunt à Jehova, amplaque pax filiorum tuorum. Juſtitiâ ſtabilieris, procul eſto ab oppreſſione quia non timebis* &c. III. Niſi ſpiritualiter illa de Chriſti regno explicentur, non poterit eſſe *æternum*, quod tamen dicitur: omnia enim mundana caduca & evanida ſunt, quin ipſa vanitas. *Eccleſ.* 1. 1. Illud autem conſtans, & perpetuum. *Dan.* II. 44. והיא תקום לעלמיא, *& hoc durabit in perpetuum.* Dan. VII. 13. 14. Pſalm. LXXII. 17. *nomen ejus erit in æternum, quamdiu ſol erit* &c. Pſalm. XLV. 7. II. Sam. VII. 12. 13.

Ad hominem. Nihil habent Judæi quod nobis opponant, nedum exprobrent, quod illa de Meſſiæ regno ſpiritualiter explicamus, qui multa ipſi apud ſuos & in Talmudicis occurrentia, de ſtatu temporis ſub Meſſia, quoque ſpiritualiter exponunt. Non quod concedam illa Veterum

de ave,

Digitized by Google

de ave, piſce, bove mactandis in epulo Meſſiæ, myſtice bene exponi ad Auctorum mentem & ſententiam, vel quod de גלגול rotatione corporum per abditas terræ cavernas & meatus tempore reſurrectionis fabulantur alii: ſed quod hæc regeramus iis κατὰ βίαιον, ægre ferentibus commodum decentemque ſenſum à nobis aptari vaticiniis de tempore regnoque Meſſiæ figurate loquentibus. Ita quidem Menaſſe conatus eſt aliorum Rabbinorum ſomnia & fabulas eludere excogitato ſenſu & explicatione myſticâ; ſed certe ad excuſandum & declinandum pudorem, quem illa ſapientibus movent, magis quam ad dictorum veritatem mentemque. Lib. II. de Reſurrection. cap. XIX. *Atque hæc intelligentia*, hominum nempe à reſurrectione, *intimaque ac perfectiſſima rerum omnium cognitio, eſt epulum illud, de piſce Leviathan, de quo legitur in tractatu Baba Batra, quod Deus iſto tempore præparabit illis, qui optime, ac ſanctiſſime in terris vixere. Hæc eadem eſt fragrantiſſimum vinum illud conſervatum in uvis ſex dierum Bereſit ſive creationis, cujus mentio fit in Berachot. Quæ omnia non ſunt proprie, ſed metaphorice intelligenda; uti recte monemur in libro Zoar, Paraſat Toldot. Et quemadmodum probe obſervatum eſt à R. Gabay, in libro Abodat à codes, per iſta, ac ſimilia, ſignificatur ſpiritualis animarum oblectatio, voluptas, ac gaudium, quo in illo ſtatu potientur: ſicuti enim vinum hic hominum animos oblectare, & exhilarare ſolet: ſic etiam ſtatus ille ſpiritualis reſuſcitatos omni ac perpetuo gaudio perfundet. Sed de his Rabbinorum, et Talmudis allegoriis alias, ac ſeorſim ſingulari tractatu agere, mihi propoſitum eſt.* Ita quidem Menaſſe illa trahat in ſenſum myſticum, at nunquam efficiet, ut hæc Auctorum mens fuerit & ſententia. Utut ſit, patiatur ergo jam nos ſpiritualia, & ſpiritualem animarum oblectationem, voluptatem atque gaudium ſub Meſſiâ intelligere in iis quæ de illo, ſermone figurato Prophetæ loquuti fuerunt ac vaticinati. Corporum aut cadaverum rotationem per abditos terræ cuniculos uſque in Palæſtinam, ut hic ſcilicet reſurgant, ſimiliter explicat, ejuſdem libri cap. II. *Sed nequis decipiatur aut fallatur opinione Simmay, quæ in Talmude Babylonico, & Ieruſalmi, & Bereſit Raba eſt, quæ ſtatuit & imaginatur ſibi, oſſa defunctorum per abdita viſcera terræ devoluta iri uſque in terram ſanctam, atque ibi reſurrectura eſſe: obſervandum eſt, verba iſtius R. non ſimpliciter, ſed allegorice accipienda eſſe: quemadmodum erudite à R. Iaacob ben Habib in commentariis ad Hen Iaacob, & clariſſimo viro Iſhac Abravanel obſervatum eſt. Atque hoc ſenſu ea omnino intelligenda ſunt, aut ſi aliter intelligantur,*

gantur, non niſi pro particulari opinione habenda eſt iſta ſententia, quin & rejicienda. Cap. VII. exponit, quod Antiqui dixerunt de candela ſupra caput infantis in utero materno poſitâ, *inquiunt antiqui, infanti, quam diu in utero matris eſt, candelam ſupra caput poſitam eſſe qua perluſtrat ac videt omnia, quæ ſita ſunt inter utrumque mundi cardinem: cum autem naſcitur, angelus occludens infantis os, ſeu potius impediens linguæ uſum, extinguit lumen: cumque vi erumpit ex utero infans, eorum omnium obliviſcitur, quæ ante perſpecta habuit, ideo ortum ac natalem ſuum irrigat lachrymis. Quorum verborum non alia mens eſt, quam animas hominum ante partum ſapientiſſimas eſſe, omniumque rerum cognitione imbutas: ſed eas ſcientia iſta privari, quando corpori induuntur, non aliter quam ii qui ex perturbato cerebro in phreneſin incidunt, ac proinde ſcientiam omnem quam diſcendo iterum acquirunt, non eſſe niſi eorum quæ ante ſciverunt reminiſcentiam. Quæ Platonis ſententia quoque fuit plane contraria opinioni Ariſtotelis.* Cap. XVII. Colloquiũ vel egregiam fabulam diſputantis cadaveris cum R. Nahmanno tractat: *Foſſores quidam fodientes terram R. Nahman offenderunt cadaver defuncti R. Abay flentis atque ejulantis: venerunt hi, et dixerunt id R. Nahman: qui adveniens quæſivit ex illo, quis eſſet? reſpondit, ego ſum Abay bar Ioſabya. Dixit illi R. Nahman, an non à R. Mari dictum eſt, quod juſti convertantur in pulverem? Reſpondit ille, quis iſte Mary, egone illum novi? Rurſus R. Nahman inquit, ita perſcriptum eſt, & revertetur pulvis in terram ſicuti fuit. Hinc R. Abay inquit, quamvis legeris Eccleſiaſtem, nihilominus tamen non legiſti Proverbia: in iis enim habetur, & putredo oſſium, invidia: id eſt, hominis invidi oſſa tantum putreſcent, non vero illius, qui invidia non laborat. Deinde eum R. Nahman tetigit, et comperit, corpus vegetum ac validum eſſe, dixitque illi, erige te Domine, & ito domum. Tum illi R. Abay inquit, nunc oſtendis te non legiſſe prophetas: nam à quodam dictum eſt, Eſa. 37. Et ſcietis, quod ego Dominus aperiens ſepulchra veſtra et faciens adſcendere vos de ſepulchris veſtris. Deus igitur eſt, qui hoc facit. Sed inquit alter, ſcriptum eſt, Pulvis es, & in pulverem converteris. Imo inquit ille, hoc intelligendum eſt, de una hora ante reſurrectionem.* Illud Menaſſe jam ita exponit: *dato, at non conceſſo, fabulam eſſe, eo antiqui (uti ſæpe inculcare ſolent) docere voluerunt, quod in eorum cadaveribus, qui recte atque honeſte vixiſſent, nihil juris vermes habituri ſint; & quod tamen cadavera eorum hora una ante reſurrectionem mortuorum convertenda ſint in pulverem.* Conciliatore in Geneſ. Quæſt. IV. citat contentionem Lunæ cum Sole, vel cum Deo, ſuper ſole, *R. Simon ben Pazi, refert in*

Gemara.

Digitized by Google

Gemara Holin, Lunam diſputaſſe cum Deo, quæſiiſſeque ex eo, quo pacto fieri poſſet, ut eâdem coronâ duo Reges uterentur. Dominum vero reſpondiſſe, abi, & diminue teipſam. Unde factum, ut, quæ duo luminaria ante æqualia, poſtea diſparem ſortita rationem fuerint. Menaſſe pro apologo exponit, *ex apologo hoc fictore colloquio, conciliatio iſtiuſmodi petitur*, inquit. *Luna primo magna appellatur, quia plena creata eſt, & oppoſita Soli; paulo poſt parva dicitur, quia lucem à Sole accipiens, cum motu ſimul decreſcit.* Atque ita paſſim ſectatur ſenſus metaphoricos, ſpirituales, & myſticos. Ut minus hæc in nobis carpere quiſpiam poſſit, qui ſpiritualem ſenſum aptamus iis, quæ myſtice & figurate ſonant, neque aliter exponi poſſunt aut debent.

Objiciunt Judæi omnes, bellum cum Gog & Magog, à Meſſiâ gerendum, quod deſcribitur *Jezech. cap.* XXXVIII. & XXXIX. Atqui hoc Jeſus noſter non præſtitit. Varia de iſthoc bello paſſim Judæi fabulantur. Auctor Afkath rochel: *Dicunt autem Rabbini b. m. prius venturum Meſſiam Ben Joſeph ad colligendas captivitates, et tum fore bella Gog et Magog, prout exponunt cap. Roob, exaltatus ſuper omnia in caput (ex* I. *Par.* 29. II.*) Exaltatus in caput, hæc ſunt bella Gog & Magog juxta illud Ezech.* 38. 3. *Ecce me contra te, et Gog, Princeps primarie Meſchechi et Tubalis. Sic cap. Hachalil de iſto tempore exponunt ſcripturam quæ exſtat Zach.* XII. II. *Planget terra, quæque familia ſeorſim &c. propter mortem ſcil. Meſſia Ben Joſeph qui occidetur. Et cap. primo cod. Megilla, ad eundem refertur id quod dicitur verſ.* II. *Die illo magnus erit planctus Hieroſolymis. &c.* Menaſſe, *lib.* III. de reſurrect. cap. V.

Omnes Rabbini in eo conſentiunt, Iſraelitas poſt reditum in patriam ſuam, qui redemptionis tempore futurus eſt, non plane, ac perfecte omni tranquillitate, & pace fruituros, niſi demum poſt confectum poſtremum, ac ultimum bellum Gog & Magog. Futurum enim eſt, ut poſtquam Iſraelitæ in Palæſtinam redierint, gens illa Gog & Magog ad invadendum, & occupandam terram illam, & quidem cum ingente hominum multitu-

Reſp. Quidquid Iudæi hic dicunt, nititur duobus illis apud Iezechielem Prophetam capitibus: nam quæ Præterea eidem fini adfert Menaſſe loca, nulla ratione huc quadrant. Sed apud Iezechielem, totis illis capitibus nulla, ne leviſſima quidem Meſſiæ fit mentio, non quod iis dux exercitus contra Gogum futurus eſſet, eumque debellaturus. Quare, dato hic aliquid adhuc implendum eſſe, ad-

Digitized by Google

dine infinitiſque militum copiis, ea ſpe animoque, ut regnum atque imperium illud ſibi vindicet, non aliter quam Gothi olim Vandalique, vili turba comitati, opulentiſſima regna ſubjecerunt ſibi & de illis triumpharunt. Et quanquā fortè perſuaſum habituri ſint, non niſi ſingulari providentia divina Monarchiam iſtam Judaicam erectam eſſe, forte tamen cogitabunt, eam ad tempus tantum aliquod duraturam eſſe; ac proinde eam non minus tum à ſe everti ac ſubjugari poſſe, quam everſa aut ſubjugata olim fuit à Nabuchodonoſor & Tito Veſpaſiano. Hac ſpe ac fiducia armata manu invadent gentes illa terram ſanctam, eamque expulſis iterum Iſraelitis in poteſtatem ſuam conabuntur redigere.

de & pugnæ carnalis, in fine ſæculi, nihil officit Meſſię noſtro. Quia nuſpiam dicitur, ab ipſo Meſſiâ bellum hoc adornandum, vel dandam ſtragem. Temere Judæi hæc de Gog & Magog, cum Meſſiâ connectunt. Neque hoc fecerunt, niſi poſtquam fruſtrati antecedentibus calculis, præ deſperatione Meſſię adventum rejecerunt in ultimum mundi finem. Inde hoc. quod de bello Gog & Magog in fine mundi futurum ſtatuunt, conjungere cum Meſſiâ ſuo cœperunt. Atque ita totum illorum hic argumentum diſruptum, & nullum eſt. II. Neque ad litteram ſingula exponenda eſſe inde patet, quia ipſa terra Magog, quę, & ejus princeps, præcipuum narrationis hujus argumentum, nullibi ulla eſt. Menaſſe, pag. 296. *Hebræi norunt quidem Magog eſſe ex poſteris Japhet: ſed quænam illa gens vel natio hodie ſit, ignorant*. III. Quę hic dicuntur, Judæi in finem mundi rejiciunt, & fere ejus ultimum diem, ergo præjudicare illa adventui Meſſiæ ejuſque perſonæ nequeunt. Nihil enim unquam dictum à Prophetis, nihilque in Meſſiâ eſt, quod impediat (ne dicam, flagitet) ejus adventum fine mundi longe anteriorem. Menaſſe, pag. 280. *Hoc prælium itaque committetur in fine mundi: nam poſtremo ac ultimo ejus die, concutietur tota terra, & in partes diſſoluta diſſipabitur inundationibus, terræ motibus, & id genus aliis ruinis. Ac tum deſtruentur univerſa, Gog cum omnibus gentibus delebitur, & ex eorum clade, tot cadaveribus terra implebitur, ut ſeptem menſibus opus futurum ſit, ad cadavera ſepelienda & expiandum terram.* IV. Meâ ſententiâ non deſignatur hic certa aliqua perſona per Gog, principem Meſech & Tubal; ſed ſub illo nomine, in genere hoſtes eccleſiæ, & quomodo Deus illos ſit coerciturus, ac perſundaturus. Non ergo vel ſolum Antiochum, ejuſque perſequutiones; aut Antichriſtum Romanum; ſed quoſcunque Eccleſiæ inimicos & adverſa-

verſarios denotari ſub illo nomine exiſtimo, & tum quomodo illi contra eccleſiam, tum Deus pro eccleſiâ contra illos bellum geſturus, eoſque perditurus ſit. Neque ulla hic difficultas movebitur, quâ non ſolùm non major in aliâ quacumque ſententiâ, ſed cui non etiam per alias expoſitiones occurri poſſit. Ut ſi quęras, quare ergo ſub Gogi nomine, & mentione terræ Magogi, illud proponatur? hoc tibi æque ſolvendum eſt, quemcumque intelligas, ſeu Antiochum, ſeu Romanum Antichriſtum, ſeu Armillum Judaicum, quam mihi: & difficilior tibi ideo reſponſio, quia non in hoſte in genere, ſed in particulari illo, quemcunque deſignaveris, oſtendenda tibi convenientia erit. v. Judæi Armillum quendam comminiſcuntur Romæ ex marmoreâ ſtatuâ mirum in modum oriundum, & Antichriſtum vocandum, principem exercitus hujus (Magogici, nam non alium hic ab iis relinqui video) cum Meſſiis ſuis, primùm ben Joſeph, tum ben David conflicturi, ubi Ben Joſeph, tum ipſe à Ben David interficiendus Armillus. Mirabilis fabula, quam refert Auctor Avkat rochel, ſub ſigno Meſſiæ ſeptimo, apud Hulſium, pag. 51. *Deus mirabilium patrator, prodigium oſtendet in mundo. Dicunt* (quàm levi & futili fundamento prodigia ſua ſuperſtruunt Judæi) *Romæ lapidem marmoreum eſſe puellæ formoſiſſimæ formam referentem; qui non manu ſit effectus, ſed virtute divinâ creatus ſit. Ad hunc lapidem ſceleratiſſimi ex mundi nationibus convenient, eumque calefacientes concumbent cum illo, Deus autem guttas ſeminis eorum in medio lapidis conſervabit, creabitque creaturam in illo, ac infantis ſpeciem formabit, tandemque lapide diſrupto formam hominis educet, cui nomen erit* Armillus, *qui adverſarius erit, et gentes illum vocabunt Antichriſtum. Longitudo ejus erit duodecim cubitorum, & inter utrumque oculum ejus ſpithamæ ſpatium erit; oculis profundis & rutilantibus, capillus capitis ejus erit ſicut color auri, plantæ pedum ejus erunt virides, duoſque habebit vertices. Hic ad impios accedet, & ipſis dicet; Meſſias ego ſum, ego ſum Deus veſter, qui ſtatim in ipſum credent, et regem ſibi conſtituent, aſſociabuntur ipſi omnes poſteri Eſau.* Contra hunc proditurus dicitur in prælium Meſſias ben Joſeph, qui Nehemias Huſielis filius, cum triginta millibus Iſraelis, iique primum quidem proſpere, at in ſecundo prælio ipſum ducem amiſſuri Meſſiam, cujus corpus Angeli miniſterii ſublaturi ſint atque aſſervaturi cum Patriarchis: poſt hunc ſequetur Meſſias Ben David, una cum Eliâ, ad quem reliqui inter Judæos ſe congregabunt, atque Armillo reſiſtent. Meſſiam autem *Deus ad ineundem bellum non adiget, ſed dicet ipſi ſolummodò, ſede ad dexteram meam.*

 Pſalm.

Digitized by Google

Pſalm.110. 1. *Ipſeque dicet Iſraelitis, ſiſtite vos & ſalutem Domini aſpicite, quæ hodiè vobis parabitur. Et confeſtim ipſe Deus pugnabit cum hoſtibus, quod dicitur* Zach.14. 3. *Et exibit Deus & pugnabit cum gentibus illis ſicut illo die quo pugnavit, die conflictus. Demittetque Deus ignem et ſulphur è cœlo, id quod dicitur* Ezech.38. 22. *Et diſceptabo cum illo peſte & ſanguine, lapideſque immanes grandinis, ignem et ſulphur depluam ſuper illum. Et illicò impius Armillus morietur cum toto exercitu ſuo omnibuſque impiis qui domum Dei noſtri vaſtarunt, et è terrâ noſtrâ nos deportarunt. Illâ ipſâ horâ vindictam de illis ſument Iſraelitæ, quia dicitur.* Obad.1. 18. *Eritque Dominus Jacobi velut ignis & domus Joſeph flamma, domus autem Eſau in ſtipulam* &c. Tum *clanget Michael clangorem magnum quo ſepulchra mortuorum aperientur Hieroſolymis, eoſque Deus Ben. vitæ reſtituet, Meſſiam Ben Ioſeph qui ſub portis Hieroſolymæ aſſervabatur, Deinde mittent Meſſiam Ben David ad colligendas Judæorum reliquias in omnibus terris diſperſas. Et confeſtim omnes gentium reges totius orbis Iſraelitas humeris ſuis impoſitos ad Deum deducent.* &c. Hæc nimirum Armilli Hiſtoria, nativitas, facinora, mors. Cui, quæro, quanam ratione aptabunt nomen, & prophetiam Gogi? Ut hinc nimirum nos cauſam habeamus agendi contra Judæos, nequaquam ii contra nos. VI. Menaſſe, qui nullam in loco, ubi de bello Gog & Magog tractat, mentionem Armilli facit, credo quod commenti eum puduerit putidiſsimi, memorat illorum ſententiam tamen, qui per Gog & Magog Antichriſtum intelligunt pag. 295. *Cæterum ſcio, alios per bellum Gog & Magog intelligere ſeculum Antichriſti, quod erit in fine mundi. Hinc Auguſtinus ait, Gog eſſe Diabolum, et Magog exercitum Antichriſti. Ambroſius exiſtimat Gog eſſe Gothos, qui multas Romanorum provincias invaſerunt atque everterunt. Euſebius arbitratur Gog eſſe Imperatorem Romanum, & Magog ejus regnum atque imperium. Plinius refert Cavæ Syriæ urbem eſſe Bambycem, ſive Hierapolin, quæ Syris nominatur Magog. Hebræi norunt quidem Magog eſſe ex poſteris Japhet: ſed quænam ea gens vel natio hodie ſit, ignorant. Atque hæc de variis multorum explicationibus.* Quaſi dixerit, omnes, qui Magog ſpeciatim exponere conantur, æque eſſe incertos, nec exemptis Hebræis ſuis. Ita, quod eodem capite, ad explicationem hujus rei, ex Zachariâ adduxit, *gladie, ſuſcita te ſuper paſtorem meum, & ſuper virum ſocium meum*, de Papâ Romano accipit: *vel potius de Papa Romano capiendum eſt, qui ſe paſtorem, & proximum à Deo appellat et Dei vicarius in terris audire vult. Contra illum, ſimileſque illi, qui*
pote-

Digitized by Google

poteſtate ſunt inferiores, Deus bellum ſuſcitabit. Quare, ſi quod de bello Gog & Magog, de Antichriſto Romano non ſolum accipi poſſit, ſed *capiendum eſt*, quæ Chriſtianorum plurimorum hic ſententia, nihil quidem contra Chriſtum, & fidem noſtram illo ex loco adferre Judæi poſſunt. VII. Quin illa confirmant admodum expoſitionem noſtram, nomina Gogi & Magogi, non de certâ aliquâ perſonâ; non in ſpecie, ſed genere exponenda de hoſtibus Eccleſiæ eſſe, quorum ratio & vis agendi, ac multitudo ferociaque deſcribatur in hoc quaſi apologo. Quò etiam facit quod in Talmude, Sanhedrin, *cap.* chelek, dicunt, Deum in animo habuiſſe, niſi reſtitus fuiſſet, Hiſkiam facere Meſſiam, & Sanherib Gogum. Quod ſignificat, Gogi nomen non perſonæ habendum, ſed generis. VIII. Ipſi per Edom in hac hiſtoriâ, & alibi paſſim, quamvis falſò & calumnioſè, intelligunt Chriſtianos. Ut facile concedere debeant, Gogum exponi de adverſariis Eccleſiæ.

Uti illud de bello Gog & Magog, ex *Jezech.* XXXVIII. & XXXIX. ita ex ſeqq. *cap.* XL, XLI. & ſeq. quæ de *templo* ſcribuntur, *objiciunt* Judæi *ſecundo* loco, dicentes cum Meſſiâ templum tertium ædificandum, ſignumque eſſe Meſſiam nondum veniſſe, & non eſſe noſtrum Jeſum, eo quod hoc nondum factum ſit. Menaſſe, lib. III. de Reſurrect. cap. VIII.

Quando Iſraelitæ promiſſa pace, et tranquillitate in Palæſtina fruentur; dubium non eſt, quin tum inſtaurandum ſit templum, et terræ ſanctæ diſtributio facienda: nam prophetia de ea re certa, & infallibilis eſt, quæ hactenus complementum non habuit: ac proinde poſt reſurrectionem mortuorum implenda eſt. Hic enim Deus Ezechieli promittit cap. XLIII. 19. *Et dabis ſacerdotibus levitis, qui ſunt de ſemine Sadok, qui accedunt ad me ait Dominus Deus, ut miniſtrent mihi vitulum filium bovis, ad ſacrificium pro peccato. Et aſſumes ſanguinem ejus, et panes ſuper quatuor cornibus ejus, &c. Hic certe promittit Dominus Ezechieli, futurum,*

Reſp. I. Reverſio Iſraëlitarum in terram Palæſtinam, quam præcedaneam facit extructioni templi, & hujus fundamentum, vana eſt atque imaginaria, & ſic hoc quoque. Quod vel ex eo conſtare poteſt, quod hic dicit, illa futura demum poſt reſurrectionem mortuorum. II. Ergo non erat conjungenda templi tertii extructio cum Meſſia, & ejus adventu, niſi hunc poſt reſurrectionem & judicium rejicias. Quo faciunt ultima ejus verba: *ex his igitur omnibus patet, quod domus Domini Dei demum exſtruetur, ac dedicabitur, & terra ſancta dividetur, poſt reſurrectionem mortuorum, ut judicium extremum.*

arbitror

ut ſuſcitetur à mortuis, ac primus ſumat ſanguinem, eòque aſpergat cornua altaris. Hoc utique completum non fuit tempore ſecundi templi: nam Ezechiel non aſcendit Hieroſolyma: ſed mortuus in Babylone eſt, ibique ſepultus ac terræ eſt mandatus. Verum enimvero ut manifeſte liqueat rei hujus veritas, lubet proponere, & ex ordine cuncta ea referre, ex quibus evinci poteſt, prophetiam Ezechielis non completam eſſe tempore ſecundi templi, prout nonnulli volunt. Inde viginti & unam res profert, quæ de templo Jezechielis dicuntur quidem; at in ſecundo non fuerunt. Unde concludit, pro veritate prophetiæ, illa in tertio templo exſpectanda. Quæ item repetit *in Conciliatore Hiſpanico, ad Jezech. quæſt.* XII. Atque tandem & hæc ſubjungit: *Confirmatur hæc ſententia per ea, quæ hujus operis capite diximus de diviſione terræ, futura demum poſt reſurrectionem mortuorum; & quidem idcirco, quia Deus ipſis Patriarchis terram promiſerat. Quare neceſſe eſt, ut ipſi etiam patriarchæ, & quiſque eorum pro ſe promiſſam ſibi à Deo portionem obtineant. Conſtat porro, Deum promiſiſſe Abrahamo, ſe decem nationes in manus ejus daturum eſſe, de quibus videre eſt* Gen. XV. 18. *Omnes illæ ſunt devictæ ab Iſraelitis, præter tres gentes, ſcilicet Cenæum, & Cenizæum, & Cadmonæum. Inſuper* Deuter. XIX. 8. *præ-* arbitror legendum, & judicium extremum. Quis hic, aut qualis Meſſias, qui venturus ſit demùm poſt reſurrectionem & judicium? ſimilis ſcilicet ſuo templo, in cerebro hærens & vanâ Judæorum opinatione. Ut minus illa Jeſu noſtro objicere poſſint, quæ demum poſt reſurrectionem eventura dicunt & judicium. III. Non fit apud Jezechielem mentio Meſſiæ in deſcribendo templo, quaſi ab eo eſſet exſtruendum, ſicuti Iudæi opinantur. IV. Vanum eſt quod de tertio templo ſomniant, quia ſecundum templum ultimum fuit. *Hagg.* II. 10. domus iſta dicitur poſtrema, atque à Daniele *cap.* IX. 26. ſupremâ devaſtatione exſcindenda. V. Inque illud templum venturus erat Meſſias, non in aliud tertium. Adde *Malach.* III. I. VI. Quod delineatur apud Jezechielem templum, viſio fuit, non templi poſt finem ſæculi ædificandi: ſed, uti hæc viſio oblata ei anno XXV. captivitatis Babylonicæ, ita ut tranſiliat templum poſt aliquot annos iterum ædificandum, & non hoc ſolum, ſed univerſam ſæculi mundique metam ad templum aliquod poſt reſurrectionem & judicium demum exſtruendum, incongruum eſt. VII. Verùm omninò ſignificavit templum haud ita diu poſt reædificandum. Quem in finem jubetur Propheta viſionem ſuam populo exponere. VIII. Et ſimul ſtatum Eccleſiæ ſub illo templo

cipit Dominus, ut tres civitates refugii addantur reliquis, quando terræ termini extendentur. Quare finis & terminus iſte poſt reſurrectionem mortuorum, & diviſionem terræ extendatur oportet, alioqui præceptum, ac mandatum Domini, uti ait R. Moſes, vanum & inane foret, quod dictu aut creditu longe abſurdiſſimum eſt. Ex his igitur omnibus patet, quod domus Domini Dei demum extruetur, ac dedicabitur, et terra ſancta dividetur, poſt reſurrectionem mortuorum, ut judicium extremum. plo erigendæ atque ex Zione exiturę cum Meſſiâ: eccleſiæ videlicet ſingulari modo oriundæ ex Iudæis, & ædificandę per Apoſtolos, tum per univerſum orbem ſe longe lateque diffuſuræ, innixæ angulari lapidi Meſſiæ, & in æternum duraturæ. Hæc nova divinaque Eccleſiæ facies prætereunda Vatibus non fuit, ſed in templi reſtaurandi delineatione ſignificanda, quia ex eo proditura erat. IX. Itaque quod multa hic à Prophetâ in templo ſuo delineata, non deprehenſa in ſecundo fuerunt, agnoſco, ſed myſtice dico interpretanda, & copioſe in Eccleſiâ Chriſtiana locum habere. Ubi hoc quam maxime obſervandum, quod omnia in templo Iezechielis, delineata menſurataque longe ampliora ſunt, quam vel in primo Salomonis, vel poſtremo Zorobabelis fuerunt: ad indicandum, ſignificari extenſionem & dilatationem Eccleſiæ univerſalem, in cultu, hominibuſq; Eccleſię adjungendis, cum major copia Spiritus donorumque effundenda eſſet, & nationes Gentium Eccleſiæ inſerendæ. X. Spiritualis ſenſus cum ex toto contextu, tum præſertim apparet ex *cap.* XLVII. ubi aquæ prodeuntes ex limine ſanctuarii, gratiam & copiam Spiritus S. deſignant, Zione exeuntes & ſenſim augeſcentes. *Pſal.* cx. 2, 3. & XLV. 4, 5, 6. Quod ad oculum in templo ſecundo impletum fuit, cum doctrinâ, ſpiritu, & Eccleſiâ Chriſti prodeunte ex Judæis & Jeruſalemo. verſ. 7. *ecce in ripâ fluminis arbores magnæ valde hinc et inde. Et dixit mihi, aquæ iſtæ procedunt in Galilæam primam, et deſcendunt in campeſtria, tum veniunt ad mare, & in ipſum mare exoneratis eis curantur aquæ ipſius. Ita fit ut omnis animans quæ repit, quocumque perveniunt flumina, vivat, & ſit multitudo piſcium ampla valde: nam venientibus illuc aquis iſtis curantur & vivunt, quocumque pervenit hoc flumen.* Quomodo illa corporaliter exponas? aquę ex ſanctuario fluunt, per quas incedere primum, tum natare cogitur Propheta, quæ totam Judæam perluunt, tum in mare magnum exeunt, & piſces atque animalia curant. Omnia & ſingula ſenſum poſcunt myſticum, abſque eo nec intelligenda, neque explicanda. Senſu ſpiritituali

Digitized by Google

tuali optime, atque decentiſſime. Sic quod verſ. 12. *ad flumen autem aſſurgent in ripa ejus hinc inde omnes arbores eſculenti fructus, quarum folia non decident, et quarum fructus non conſumentur, menſibus ſuis præſtantiſſimos fructus edent quia aquæ earum è ſanctuario prodeunt: ideo ſunt fructus earum cibo, et folia earum curationi.* puteſne ſanctas aquas eſſe ſanandis in mari piſcibus, atque arboribus fructificandis? Tum, quinam fructus naturales, qui nec conſumantur, & quorum non decidant folia? Quanto ſatius eſt, homines intelligere, aquâ & ſpiritu, id eſt, ſpiritu Dei, cum aquis comparato, perque eas ſignificato, ablutos, ſanatos, & fœcundos factos? Nam, quod Judæi quoque pro axiomate habent, cum diebus Meſſiæ nulla mutatio introducenda in rerum naturas. Maimonides, quod & ſupra adduximus: *ne ſubeat animum cogitatio, diebus Meſſiæ quidpiam in mundi gubernatione ceſſaturum, aut aliquid novi fore in operibus creationis; ſed mundus eadem ratione gubernabitur.* Atque R. Samuel, in Talmude, Cod. de Sabbatho, אין, *non eſt inter hoc ſæculum & tempora Meſſiæ differentia ulla, niſi quod ſubjuganda ſint regna.* Natura ergo manebit eadem. Atqui, niſi illa Iezechielis myſtice exponas, naturæ rerum ipſarum adverſantur. Unde etiam Abravanel *Iezech.* XLVII. de aquis ex Sanctuario ſcaturientibus myſticè exponit de religione, atque de abundante Dei cognitione. XI. Quin contrariabuntur ſibi invicem. Jam enim dicitur Jeruſalem habitanda פרזות ad modum pagorum, & quod Deus ipſis futurus ſit murus *Zach.* II. 4. unde etiam terra פרזות dicitur, terra pagorum, ubi homines habitant abſque muris & portis. *Iezech.* XXXVIII. 11. & tamen alibi portæ Jeruſalemi dicuntur futuræ juxta numerum filiorum Iſrael. *cap.* XLVIII. 31. XI. L'Empereur, præfat. ad Middoth, R. Alſchechum in *Hagg.* II. 10. adfert, exponentem templum רוחני *ſpirituale*, atque כותלים רוחניים *parietes ſpirituales*, quia nempe homines pii ſunt præcipuum templum. Valde bene, & ad mentem noſtram. Petrus 1. ep. II. 5. *& vos ut lapides vivi, ædificati, fiatis domus ſpiritualis.* XIII. Cogeris explicare Jezechielis templum ſpiritualiter, quin alias repugnabit in menſurâ & ſacrorum formâ prophetæ Moſi: quia in nonnullis aliter hic, & ibi. Atqui in cæremonialibus & rebus templi ut Prophetarum alteri, ut Moſi repugnet, nec ipſi admittent Judæi. XIV. Atque terra dicitur diſtribuenda etiam peregrinis inter Judæos *cap.* XLVII. 22. 23. quæ antea ſolis Judæis data. Sed hoc jam revera, ad ſignificandam ſpiritualem gentium cum Judæis in eandem eccleſiam coalitionem. XV. Niſi poſtremis illis in Ieze-

Digitized by Google

in Iezechiele capitibus ſenſus ſublimior ſubſit quam litteralis, quam exſpectatio tertii alicujus templi, in fine mundi extruendi, quam cauſam habuerunt antiqui, quod illorum lectione junioribus interdixerint? Non enim videntur hoc feciſſe, niſi propter altam, & myſticam eorum interpretationem. Quem morem Hieronymus notat, præfat. in Iezech. *lege cautum fuit apud Hebræos, ne quis minor annis triginta, quædam initii Geneſeos capita, Cant. Canticorum, et partem aliquam Ezechielis, nempe principium de Cherubim, & finem de ædificatione templi legeret.* Ejuſdem meminit Origenes, proœm. in Cant. Canticorum. Atque inde R. Eliezer R. Iohanni, monenti ut ad ſe accederet, diſceretque opus Mercavæ, reſpondit: *nondum conſenui.* Nempe nondum ſibi per ætatem licere illa, ſignificans. XV. Hebræi, præter terreſtre Ieruſalem, mentionem quandoque faciunt Ieruſalemi cæleſtis. Atque Martinus Raymundus, *Pug. fid. part.* II. *cap.* XV. citat gloſſam R. Selomonis Iarchi, in Sanhedrin chelek, dicentis, בירושלם של מעלה *de Ieruſalemo ſuperna loquuta ſunt Scripturæ in fine Iezechielis.* Atq; ex Beth Iſrael, *pag.* 85. Sebaldus Schnell, in *Diſput.* contra Abravanelum, in Obadjam, adfert, *dixit R. Johannes, non uti Jeruſalem hujus mundi, ita Jeruſalem mundi futuri. In illam qui vult, adſcendit; in hanc nonniſi præparati.* Illam appellant ירושלם של מטה, τὴν κάτω Ἱερουσαλήμ; illam, ירושלם של מעלה, τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ. Quod & Apoſtolo obſervatum, *Gal.* IV. 26. Vel illa eſt ἡ νῦν Ἱερουσαλήμ: ſic Apoſtolus verſu præc. συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ: Ieruſalem hujus ſæculi בעולם הזה, altera Ieruſalem ſequentis ſæculi לעולם הבא. Ita regnum cœlorum in N. T. Eccleſiam ſignificat, & ſtatum ejus aliquando præſentem, gratiæ; gloriæ aliquando, futurum. XVI. Ex Seder Olam Martinus Raymundus adducit *Pug. fidei, part.* II. *cap.* XIV. & ex eo Galatinus, *lib.* IX. *cap.* V. quod terræ Cananeæ filiis Iſrael data fuerit poſſeſſio ſemel, atque iterum, prima & ſecunda; verum quod tertia iis non contingeret. Unde ſequitur, fruſtra Iudæos corporalem & terrenam reverſionem exſpectare, cumque eâ templum.

Ad confirmationem ſententiæ ſuę quæ Menaſſe denique in fine adducit, facilis nunc ſolutio. I. Quod Deus quidem terram Canaan Patriarchis promiſit, ſed non iiſdem poſſidendam, at ipſorum liberis. Jam quod liberis noſtris datur, nobiſque promittitur illis dandum ſuo tempore, nobis etiam merito datum intelligitur. II. Omnes *Geneſ.* XV. 18 19. memoratę gentes à fluvio Ægypti, ſive Sichor, ſive Nilo, ad fluvium Euphratis debellatę ſubjectæque Iſraelitis fuere: ſicuti legitur

1. *Reg*. IV. 21. & IX. 21. III. Quod Deus præcepit *Deut*. XIX. 9. ut tres civitates refugii adderentur, non uti Menaſſe hic ſcribit, reliquis, ſed *tribus*, עוד שלש ערים על השלש האלה, ut in univerſum eſſent ſex, hoc ad litteram impletum, perfecitque Joſua *cap*. XX. 7. ubi ſex urbes refugii ipſæ nominantur. Nimis quam temerarium ut ſit, quod Menaſſe illa rejiciat poſt reſurrectionem mortuorum demum adimplenda.

CAP. III.

DE

DOCTRINA, & RELIGIONE CHRISTI.

AD Chriſti doctrinam, ſeu officium Propheticum diſputatur de veritate Evangelii, & doctrinæ ſeu religionis Chriſtianæ. Quæ adſtruitur, demtis primùm præjudiciis, per omnes ejus partes, doctrinam, præcepta, & promiſſa, quod ad illorum tum veritatem, tum divinitatem. Nempe illis argumentis, quibus Iudæus poſſet confirmare authoritatem Vet. Teſtamenti. Deinde, convenit cum omni vero. Undiquaque divina eſt. Scriptores ejus viri ſancti, & fraudis ignari. Vis ejus divina oſtenſa in converſione tot hominum, atque gentium. Et converſorum profeſſio cum fidei & doctrinæ, tum vitæ, ſancta. Illius perpetuitas. Ad argumenta in contrarium compendio reſpondetur.

CHriſtum docuiſſe, ad Prophetici ipſius muneris expoſitionem, diximus: in quo non ſolum id præſtitit quod à Meſſiâ exſpectabatur, ſed talem edidit doctrinam, quæ ſola arguere poſſet eum ſupra hominum, & reliquorum Prophetarum ſortem, Meſſiam Dei filium eſſe. Nam doctrina ejus non mundana fuit aut terrena, non de rebus communibus vilibuſque, nedum carnalibus, ſed de altiſſimis & ſpiritualibus myſteriis fælicitatem pandens ſupremam. Atque hoc ſi oſtenderimus, Chriſti religionem plane divinam eſſe, & cæleſtis vitæ ac beatitudinis ducem, compendio totum abſolverimus negotium, & profligato Judaiſmo obtinere debebit Chriſtianiſmus ſolus. Jam autem hoc nobis demonſtrandum venit, docendumque, quam vera & divina Chriſti Jeſu doctrina ſit & religio. Nam cum duo hæc in doctrinâ quacunque ſpectari poſſint, primum *veritas* ejus, tum quoque *divinitas*, non ſolum ut ſimpliciter vera, non falſa ſit, ſed ut ſupremo gradu vera, atque habens & complectens veritates divinas; duo iſta in religione & doctrina Chriſti ita oſtendemus reperiri, ut nuſpiam aliàs.

Ante omnia vero, ut negotium hoc plene tractemus ſolideque, ab eo, quocumque nobis res ſit, demenda prius præjudicia & exceptiones, quas contra principium veritatis noſtrum tenet: ut ſaltem vacuo, quantum

tum licet, animo ad noſtra audienda accedat. Duo quippe unâ eademque operâ hic præſtamus, veritatem *doctrinæ* Chriſti oſtendimus, & ſimul Scripturæ, quâ illa continetur, id eſt *Teſtamenti* Novi. Nam ita horum unum alteri innexum, & doctrina Euangelio fundata, & Euangelium doctrinæ, ut unum ſine altero eſſe, nec doceri, vel accipi queat. Quare & promiſcue illa inter ſe, prout res poſtulare videbitur, ſpectabimus.

Religio autem in tribus conſiſtit, *doctrinâ* veritatis *credendæ*; tum *præceptis*, in vita *obſervandis*; denique *promiſſionibus* bonorum, quæ *ſperamus*. Illic veritas; ibi honeſtas; hic utilitas ſpectatur: atque religio, quæ iſta omnia eminentiſſime tradit perfectiſſimeque, ὁμολογουμένως divina eſt, & omni modo accipienda. Chriſtiana certe ita illa tractat docetque, ut illa nec ſcire alibi vel aliunde, quam hinc queas, neque cogitare aut deſiderare, ſupra quam illa docet, rectum quid & ſalutare poſſis. Etenim ſi per ſingulas ire placet partes: quę vel doctrina vel religio eſt, quę de Deo, & rebus divinis, de creatione, & gubernatione mundi, de Angelis, de homine, de peccato, miſeriâ, redemptione hominis &c. certiora, ſublimiora, & magis vera divinaque tradat, quàm doctrina illa noſtra? Quid eſt quod ſcire velis, & ſcire referat, neque hic pandatur tibi, quantum ad religionem ſalutemque noſſe opus ſit? Quę ignota alibi, & abſcondita hic reſerantur, & naturæ ac rationi inacceſſa exponuntur palam. Ita ut ſitis illa noſcendi res maximè divinas, quę ubique miſerum in modum torquetur, juvatur nuſpiam, hic vere ſatietur etiam, nec ita tamen, quin honeſto ſanctoque ardore ſe ad majora non fruſtra ferri ſentiat, tandem plane extinguenda in ſupernis & cœleſtibus, ubi Deo coram fruetur, omnique in eo perfectione & beatitudine. Cognoſcimus hic ἐκ μέρους; ibi cognituri pleniſſime. Deinde præcepta quę religio habet magis ſpiritualia, juſta, ſanctaque? nulli indulgens vitio, concupiſcentię nulli, & non ipſum malum, ſed & mali quamcunque ſpeciem deteſtans. Ut nihil cogitare queas quod ullam mali cognationem habet, & non hic vetetur; ex adverſo ſanctitas, ſupra quam concipere potes & factis aſſequi, caſta, plena, & diviniſſima præſcribitur. Quibus tum paria conſonant promiſſa, Dei ſummam teſtantia bonitatem & liberalitatem, bona non hujus tantum vitę, ſed & futurę, & æternę, non unius generis, ſed omnia complectentia. Quę cuncta certe religionē iſtam noſtram commendare debent, & omnium animos accendere in amorem & ſtudium ſui. Quippe nec norit illa quis, minus ut ſentiat, qui non ipſâ

 praxi

Digitized by Google

praxi periculum capere, & devoto experiri animo inſtituat. Si quis Dei voluntatem ſacere ſtuduerit, de doctrina Chriſti ſciet, utrum ex ſe loquutus ſit, an ex Deo.

Ordine autem & ad lineam ut diſputemus, ſicuti moris eſt, argumentis his tum *N. Teſtamenti*, tum *doctrinæ* Chriſti qua *veritatem*, qua *divinitatem* probamus.

Primò. Quibuſcumque argumentis Iudæus (nam cum hoc hominum genere res nobis eſt) authoritatem & divinitatem Vet. Teſtamenti atque religionis Moſaicę, vel antiquæ Iſraeliticę probare poteſt, iiſdem Nos adſtruemus veritatem N. Teſtamenti & religionis Chriſti divinam. Et hoc quidem eo magis, quo N. T. adeo in Veteri fundatum eſt, ut ſeipſum perpetuò ex illo commonſtret, nihilque frequentiùs & magis ſedulo agat, quam ut oſtendat ſummam ſuę cum Veteri convenientiam & paritatem. Ut ſive res ſpectemus, utrobique agitatas, ſive docendi in N. Teſtamento illam ex Veteri rationem, nihil facilius ſit & liquidius, quam hoc argumento agere pro N. Teſtamento, & vincere. Experiatur Judæus hac via diſputationem vel apud nos, vel, ſin minus hoc, apud ſuum ipſius animum, atque rem ita ſe habere certiſſimè deprehendet.

Secundo, & ſpeciatim per partes, atque initio pro illius *veritate*. Omnimoda veritas in religione noſtrâ, iiſque, quibus ea continetur, tabulis, argumentum ei præbet validiſſimum. Non quod veritas ubicumq; eſt, arguat iſtud divinum eſſe, ſed quidem in cauſa religionis. Certe eximit animo omnem repugnandi dubitandique cauſam. Veritas ubique ſibi conſentit, nec ulla alteri uſpiam eſt contraria. Veritatem autem Scripturę & doctrinæ N. T. hæc arguunt. I. quod ſecum omnia conveniant, in ratione rerum, & hiſtoriarum, quæ deſcribuntur. II. & cum illorum naturis. III. cumque Scripturâ Vet. Teſtamenti. IV. & quavis alia verâ, ſive Judaicâ, ſive gentili. Neque aliter veritatem illorum probare poſſumus: per illa verò certiſſimè. Hæc autem per ſingula operoſe deducere eſſet actum agere, adeo id paſſim à Scriptoribus Chriſtianis, præſertim in Commentariis ad Nov. T. præſtitum, & operis foret nimium diffuſi. Quare ſuffecerit nobis argumentorum capita indicaſſe, quæ, ubi ullâ à Judæis inſtantia impeti videbimus, promte ſumus vindicaturi. Quid quod pleraque N. T. dogmata, & citata in eo ex Vet. Teſtamento loca, in eundem ſenſum ab antiquis Judæis etiam expoſita fuiſſe, à nonnullis probatum ſit, & nuper à Joſepho de Voiſin,

Digitized by Google

ſin, in Martini Raymundi *Pugionem fid. in Proœmium*, *pag.* 124. *et* 134.

Tertiò. Iam & *divinitatem* illius probamus. I. ex *materiâ*, quam continet, diviniſſimâ, in doctrinâ, præceptis, promiſſis: de quibus modo dictum. II. *fine*, ad Deum tendens, & ducens hominem ad vitam Deo dignam, ſanctam & cæleſtem. III. ideoque & *origine* talem. Nequit enim niſi à Deo quod divinum, & religio quę talis, procedere. IV. Ideoque & divinis confirmata *miraculis*, quę quomodo Moſis olim vocationem, officium & doctrinam comprobarunt, ita jam multo magis Chriſti. Ut ſi conſtet Iudæis argumentum quod pro religione Moſis adferunt ex illius ſanctitate & dignitate, ex quo loco Ioſephus diſputat contra Appionem, *lib.* II. εἰ μὲν οὖν διὰ τὴν ἀρετὴν τῶν νόμων οὕτω πρὸς αὐτοὺς διακείμεθα, συγχωρησάτωσαν ὅτι κρατίστους ἔχομεν νόμους: pariter & nos dicamus, quoniam virtute & dignitate doctrinę noſtræ ſolâ ita erga eam affecti ſumus, concedant ergo nobis Iudæi, ſicuti & nos hoc concedimus omnino de lege etiam Moſaicâ, doctrinam noſtram eſſe optimam & diviniſſimam.

Quartò. Ipſi præterea Auctores ſeu *Scriptores* Euangelii haud exigua ſuppeditant argumenta, quibus non fallere eos voluiſſe, imo nec potuiſſe, ſed veriſſimam doctrinam conſignaſſe, certi ſimus. Fallere *noluiſſe*, hinc colligas, quod fuerunt viri *pii & ſinceri*, qui nec ſua in hiſtoria tacuerunt vitia & peccata; & quorum doctrina tota *mendaciis* adverſiſſima, eaque ſummopere deteſtatur; & quod *nullâ* propoſita ſeu lucri ſeu ambitionis *ſpe*, quorum cauſas procul omnino habuerunt, ad hoc induci potuiſſent, qui nil niſi veram pietatem, & arctam vivendi rationem, ſub variis & continuis *afflictionibus* ſequuti ſunt, & docuerunt. Fallere non item *potuiſſent*, quia res docebant jam *tum geſtas*, quarumque *ſpectatores* αὐτόπται, non in tranſitu, ſed deſtinata vocatione fuerant, quę tam *concordi* ſtudio confingere, & variis ſcriptis, tempore, locoque tradere impoſſibile; denique ea ſcripſerunt quę non clam & in angulis, ſed ſub oculis & teſtimonio ipſorum *inimicorum* contigerant, ut, ſi fingere inſtitutiſſent, jam tum à præſentibus redargui potuiſſent, certe non tot homines illis *fidem* habuiſſent, ad amplectendam, ſpe divinę gratię ſalutiſque, religionem, nulla externa re aut commodis ſe commendantem, ſed duris undique obſitam regulis de ſui, carnis, rerumque mundanarum mortificatione, & de ſuſtinendis diriſſimis quibuſque perſequutionibus & martyriis. Quis ut illa ſubiret, animum inducere poſſit ſuum, pro religione, quam totam confictam falſamque ipſe,

ipſe, & levi opera omnes primo illo tempore ſcire potuiſſent; quando tamen pluſquam unquam magnâ copiâ illi, qui teſtes oculati auritique fuerant omnium quæ Ieſu Chriſto contigerant, accedebant? Sumamus unum doctrinæ ipſorum & religionis noſtrę caput, in quo ſumma rei Chriſtianæ hæret, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe. Scripſerunt illi rem ita actam, & quod Chriſtus poſt mortem multis & centenis hominibus ſe viſendum præbuit, colloquutuſque variis de rebus iiſcum fuit: potuerunt facile ſcire ibi tum homines, verum hoc eſſet, an falſum: non plani videbantur & impoſtores hoc qui teſtabantur, non ſolis Apoſtolis ſui videndi copiam fecerat Chriſtus, ſed plurimis aliis, qui ſub quovis cruciatu aſſerebant illud verum eſſe. Erant duum hic generum homines, qui ipſi Chriſtum reſuſcitatum viderant, vel qui narrantibus hoc aliis habebant fidem: illi quorſum hoc fingere voluiſſent, cui (uti ille ajebat) bono? II. quorſum aliis idem ſuadere, quod ſcirent à ſe confictum. III. vel hi quorſum illud credere, cujus, ſi dubitaſſent, veritatem aut mendacium inquirere in ipſorum erat manu. IV. Non quis tam facile ſe, & religionem ſuam committere rei incertæ poteſt. V. Non ſi unus & alter ita temerarii, ſtatim & alii, & omnes. VI. Quorſum hoc teſtari voluiſſent, quod nihil opum, aut gloriæ, nec aliarum mundi rerum ſecum ferebat uſum aut copiam? VII. quin ex adverſo omnia, & quod profiteri ac ſequi, niſi ſub diriſſimis afflictionibus, & morte quavis crudeliſſima nec poterant, nec volebant fideles. Denique in quæ ut nullus humanus reſpectus eos agebat, vel ambitus, ita ſolâ pietate ac ſanctitate ferebantur, & pro eâ, ejuſque intemeratâ obſervantia, & cultu Dei agebant & patiebantur, quodcunque hic præſtandum erat. Quæ ut locum habeant, niſi ubi pro fundamento certiſſima veritas & ſanctiſſima Dei religio habentur, atque in eandem animi ab altiori, quam humano, id eſt, divino ſpiritu excitantur, compinguntur, & conſolidantur. eſt ἐξ ἁπλῶς ἀδυνάτων.

Quinto. Converſi per Euangelii prædicationem tot homines ad Deum, ejuſque cultum, ab inveteratâ & antiquâ idololatriâ, argumentum præbent reale & apodicticum pro ejus divinitate. Quî enim alias I. converti homines poſſent, à malo, ad bonum; à Diabolo, ad Deum; ab idololatriâ, ad fidem, & verum Dei cultum, niſi vi divinâ? II. neque hoc per alind unquam medium factum, quam per Jeſu Chriſti Euangelium. III. per ejus ab hominibus, optimis quidem, ſed ſimpliciſſimis, & ſanctis factam ubique prædicationem. IV. nec ut

pauci

Digitized by Google

pauci aliqui, ſed ut plurimi ſint converſi, integræ regiones, & mundus aliquis. IV. idque nulla vel vi, vel allicio mundano aut carnali. V. & brevi adeo tempore. Ut Chryſoſtomus, homil. *quod Chriſtus ſit Deus*, hinc merito ejus divinitatem colligat: *Etenim non eſt puri hominis, in tantis rebus, orbem terrâ, marique, tam brevi tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus preventum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus: & non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omne (ut ſic dicam) barbarorum genus. Inſuper quòd hæc confecit, nullis uſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, ſed per undecim viros, principio ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus: idque non præſentibus ſolum, ſed et futuris. Quid? quot ſubvertit leges patrias, abolevit conſuetudines inveteratas, evellit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis ſuas alias implantavit? Abduxit ab his in quæ propenſi eramus, et in ardua & difficilia induxit.* Deinde, *conſidera et cogita tecum, quid ſit in tam brevi tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, ut patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam et radicatam revellant: altaria & templa, et ſtatuas & ſacrificia, et prophana feſta, et immundum odorem, ſicut fumum aliquem aboleant.*

Sexto. Procedant ipſi quotquot per Euangelium vel olim, vel hodie converſi, & per illud in Chriſtum credunt. Spectentur eorum exempla ac *profeſſio*, juxta doctrinam Chriſti: atque exinde de hoc inſtituatur judicium. Præſertim comparatione habitâ ad priſtinum vivendi morem, ut nunc vitam inſtituere ament *ſanctam* & caſtigatam, Dei & voluntatis ejus *notitiam* præferant, & utrumque, ſolo boni amore, ſub rerum omnium ipſiuſque adeo vitę ſuæ *jactura* confirmare geſtiant. Dicant, quantam ex hac religione inſtitutionem, & vitæ in melius mutationem ac ſanctificationem, quam in malis conſolationem, & ad ipſum quoque martyrium confirmationem, accipiant. Neque illa vulgaria ſunt, aut communis vitæ & naturæ ſeu placita, ſeu effecta, ſed, uti in Deum homines perferunt & trahunt, ita plane divina eſſe ambigere neminem ſinunt. Præcipue ſtupendum illud quod in Chriſtianorum afflictionibus ſpectatur & perſequutionibus, ut tum ex ſolo religionis, & Dei amore quælibet & quantacunque adverſa lubenti animo excipiant, ſeque in eo beatos, atque id ex religionis ſuæ præſcripto, prædicent. Ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας. Jac. v. 11. & 1. 2. Matth. v. 11. 12. *Chriſtianus mi-*

ſer videri poteſt, non poteſt inveniri, inquit in Octavio, Minutius.

Septimo. Chriſtianæ religionis conſtantia & *perpetuitas*, quod per tot ſæcula duravit, & jam ſatis ſuperque ſe oſtendit æternam eſſe, idque nullâ externâ mundi, ſed ſolâ veritatis ſuæ vi & efficaciâ, declarat quam divina ſit, quam cunctis numeris abſoluta, & commendanda omnibus. Nam ſi Judæis hoc argumento pugnare liceat pro authoritate religionis Moſaicæ, utique & nos pari jure hinc agere poſſumus pro Chriſtianâ. Sic autem Joſephus, in libris contra Appionem: ἐπεὶ τοίνυν ὁ πολὺς χρόνος πιστεύεται πάντων εἶναι δοκιμαστὴς ἀληθέστατος, *quoniam ergo magnum tempus creditur omnium eſſe veriſſimus probator, hinc ego teſtem faciam virtutum legiſlatoris noſtri, & quam ille de Deo tradidit, doctrinæ.* Deinde de eodem: τῆς δὲ τῆς ἀρετῆς πάλαι μὲν ὁ θεὸς, μετ' ἐκεῖνον δὲ μάρτυς ὁ χρόνος εὕρηται γεγενημένος. Similiter & Chriſto noſtro, ejuſque Euangelio & doctrinæ teſtimonium perhibuit primò Deus, tum & tempus. Eoque hoc, quod pro Chriſti religione ex temporis diuturnitate, petimus argumentum magis ſtringit, quo hoſtes ejus tum haud diu duraturam religionem noſtram ſibi fuerant polliciti; tum eam extinctam jam ſibi fruſtra gratulati. Illius Auguſtinus meminit *lib.* XVIII. de Civitate Dei, *cap.* LIII. & merito ridet Gentilium vaticinium de Chriſti religione, per trecentos modo ſexaginta & quinque annos duratura, & quod, *completo memorato numero annorum, ſine morâ ſumeret finem*. Jam etiam Impp. Diocletianus, & Maximinianus, tanquam de deletis Chriſtianis triumpharunt, & monumenta erexerunt, qualia cum per orbem Romanum frequentia, tum in Hiſpaniis: DIOCLETIANUS. JOVIUS. MAXIMI. HERCULEUS. CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMP. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO QUI REMP. EVERTEBANT. Talis & altera inſcriptio DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALLERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA CULTU DEORUM PROPAGATO. Adeo ſibi extinctam deletamque rem Chriſtianam vane imaginabantur, quæ millenos abinde annos ſtetit, & propagata fortiter ubique fuit. Ut dicere nobis liceat cum Chryſoſtomo (non quod ejus authoritate agamus, ſed argumentis: quamvis Menaſſe aliquoties ipſe & Patres illos adducat, ex ſuâ lectione, an alienâ, ego non dixero) orat. II. adverſ. Iudæos: *Dic mihi quid eſt in cauſa, ut quum tres fuerint crucifixi eodem loco, eodem tempore, ſub iiſdem judicibus, illi ſileantur, hic ſolus adoretur? Rurſus quam ob rem tandem quum plures novam vivendi rationem induxerint, ac diſcipulos habuerint,*

buerint, illorum ne nomen quidem hodie notum ſit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potiſſimum eluceſcunt ex collatione. Confer iſta mihi ô Judæe, ac diſce veritatis excellentiam.

Jam quæ argumenta adverſus Euangelium, & doctrinam Chriſti proferunt Iudæi, ſive ex locis in ſpeciem pugnantibus, ſive alias difficilibus, ad illa reſpondemus compendiò, quia ſingula diſcutere prolixi valde operis eſſet, & nihil hic à quopiam proferri poteſt quod non ſæpius & abunde à Chriſtianis diſcuſſum & pertractatum variis in locis, ſive commentariis ad Nov. Teſtam. ſive reſponſionibus ad Judæos, atque Atheos, ſit. Quare ſingula illorum prætereuntes, dicimus in genere, I. Nihil à quopiam, neque etiam à Iudæo, adverſus hiſtoriam & Scripturam N. T. proferri poſſe, quale non moveri & produci poſſit, paris, imo gravioris difficultatis, adverſus Scripturam Teſt. Veteris. Ut nullam nobis hic operam facere Iudæi poſſint aut moleſtiam, dum congerunt ἐναντιοφανῆ ex N. T. quin eam retorquere valde facile poſſimus in Auctores ſuos. II. Nihil proferent de novo, quod non & ab aliis ante ipſos motum, & cui non ab aliis ante nos reſponſum. Quorſum ergo & ipſi, & nos fruſtra agamus actum? Videri poſſunt, Lyranus, reſponſ. ad Object. Iudæorum. Spanhemius, in Dubiis Euangelicis, occaſione cavillationum Iudæi cujuſdam, natis. Mullerius, in Iudaiſmo, *lib.* II. *cap.* XXVIII. & *lib.* III. *cap.* II. aliique innumeri. Nos pergimus ad alia. Et quia quinto loco argumentum pro divinitate doctrinæ Chriſti attulimus, efficaciam ejus in convertendis hominibus, hic plenius exponi, res tanta cumprimis poſtulat.

Cap. IV.

De

Vocatione Gentium.

Vocatio Gentium olim à Deo per Prophetas prædicta, & promiſſa. Eaque ſuo tempore peracta. A quo, quando, quibuſque mediis, ex quo vitæ ſtatu, & ad quem, in quibus & quot hominibus ac nationibus, quamque brevi. Quæ arguunt evidentiſſime, Meſſiam veniſſe, eum eſſe Ieſum, atque religionem Chriſti divinam eſſe. Modus abrenunciandi Diabolo, in Eccleſia, olim obſervatus, ad primam Chriſtianiſmi profeſſionem. De defectu oraculorum, & extirpatione Dæmonum apud Gentiles. Et priſcorum Chriſtianorum de converſis gentibus illuſtria teſtimonia. Chriſtiana religio continet perfectiſſimam doctrinam, de Deo, hominis juſtificatione, & ſanctificatione, denique de

 beato

Digitized by Google

beato poſt hanc vitam ſtatu. Plinii de Chriſtianis teſtimonium, ex epiſtolâ ad Trajanum. De Iudæorum, propter infidelitatem, rejectione. Et hoc prædictum à Prophetis olim fuit. Iuſtumque, propter contemtum, & repudiatum ab ipſis Meſſiam.

NEque de unius alteriuſve converſione hic jam agimus, vel aliquorum, ſed plurimorum, & gentium integrarum, atque populorum, אומות העולם. Proſelyti olim ſemper quidem aliqui ad Iſraelem acceſſerunt, ſed jam totæ nationes, ad Dei notitiam cultumque, cum Meſſia, adductæ: quin Eccleſia à Judæis tranſlata ad Gentiles. Sed de duobus iſtis diſtincte agamus. Ac primo de *Gentium*, ad veram Dei notitiam & religionem, cum Meſſia, *vocatione*: deinde, de *Judæorum rejectione*; hoc enim ſecum fert Eccleſiæ à Judæis ad Gentiles tranſlocatio. Atque utrumque olim ſatis prædictum fuit. Illud, Jeſa. II. 2. 3. *ut confluant ad eum omnes gentes*. verſ. 17. 18. 19. 20. *Tempore illo abjiciet homo idola argentea ſua, & idola aurea ſua, quæ fecerunt quiſque ſibi ad incurvandum ſe illis, talpis & veſpertilionibus.* Agi autem hiſce de tempore Meſſiæ conſtans Judæorum eſt ſententia. *Jeſa.* XI. 10. 12. Meſſias dicitur futurus *ſignum populorum, & ſignum gentium*. Cap. XIX. 18. 19. & XXXV. & XLII. 1. 4. XLIV. 6. 20. 21. tanta converſorum copia dicitur adducenda, ut gentilium Eccleſia animum ſuum interrogatura ſit, *quis genuit mihi iſtos, cum fuerim orba & ſolitaria?* 22. *Sic ait Dominus Jehovi, ecce ſuſtollam ad gentes manum meam*. Cap. LII. 7. 10. 15. & LXV. 1. 2. *Expoſitus ſum iis, qui me non interrogabant, inventus ſum ab eis, qui non quærebant me, dixi, ecce me, ecce me, genti, quæ non vocatur de nomine meo. Expanderam manus meas toto die ad populum rebellem*. Cap. LXVI. 20. Jerem. XVI. 19. *Ad te gentes venient è finibus terræ, & dicent, utique falſum poſſederunt majores noſtri, vanitatem & inutilia.* Zephan. II. 11. *Terribilis Jehova in eis, quum emaciabit omnes Deos terræ.* Sermo eſt de defectu & exterminatione idolorum per mundum. *Hoſ.* I. 10. II. 12. *Joel.* II. 28. *Amoſ.* IX. 11. 12. *Mich.* IV. 1. 2. *Zach.* XIII 2, 3, 4, 5. *Mal.* I. 11. Quod egregie Chryſoſthomus hunc in modum urget, Orat. II. contra Judæos: *Non enim in una civitate, quemadmodum ſub Judæis, ſed ab exortu ſolis uſque ad occaſum prædixit hanc culturam eſſe celebrandam. Præterea ex ſacrificii modo, ſiquidem purum illud appellans, declaravit de quâ loqueretur. Denique à perſonis offerentium. Non enim dixit, in Iſrael, ſed in gentibus. Ac ne putares quòd in una duabuſve aut tribus civitatibus hoc culturæ genus inſtaurandum eſſet, non ſimpliciter dixit in omni loco, ſed ab ortu ſolis uſque ad occaſum: demon-*

Digitized by Google

demonſtrans quod quantum terra ſol aſpicit, tantundem Euangelium eſſet occupaturum. Adde *Geneſ.* XLIX. 10. *&* IX. 27. *Deut.* XXXII. 21. *Pſalm.* II. 8. 10. & LXXII. 8. 9. 10. & XXII. 28. 30. & XLVIII. 4. 8. 9. 10. & LXVII. & LXVII. 32. & LXXXIX. 5. 26. & XCVIII. 2. 3. 4. & CX. 3. 4. 5. Zach. IX. 2. *Emath quoque in terminis ejus*: Targum, וחמת תתוב לכהוי כארע בית שכינתה, *& Emath convertetur ut ſit de terra domus majeſtatis ejus.* Tremellius, qui Targum in Prophetas XII. Latine dedit, Heidelbergæ a. cIↄ Iↄ LXVII. exponit, *quin etiam Antiochia redigetur ut ſit ex terrâ, in quâ reſidet illius majeſtas.* Ad quæ obſervandum, Antiochiam ex primariis civitatibus fuiſſe, quæ primitus Euangelium recepit, & ubi tanta fidelium & Chriſtianæ rei frequentia fuit, ut *Chriſtianorum* nomen originem ſuam ibi cœperit, quum antea diſcipuli, fratres, fideles, nec minus tamen etiam poſtea, nominarentur. *Act.* XI. 26. Menaſſe ben Iſraël, de reſurrect. lib. III. cap. II. ad citatum locum Jeſa. II. *docet hic Propheta, non tantum bona temporalia, ſed etiam ſpiritualia hominibus obventura, quando Meſſias veniet. Nam tunc omnes gentes unanimi conſenſu (quemadmodum etiam à Zephania futurum prædicitur) Deo Jacobi & Iſaaci adhærentes, ejuſque doctrinam amplectentes, imo et eodem cultu ei ſervient.* In Conciliatore Hiſpanico, ad Amoſ. *qu.* IV. R. Bahye adducit, dicentem, „quod tempore Meſſiæ omnes nationes reducerentur ad „cognitionem Dei, quomodo dicatur *Zach.* VIII. 23. & *Zephan.* III. Judæus Anonymus, in Amicâ Diſput. *qu.* X. *omnes populi recipient Meſſiam, & obedient ei, cujus rei teſtimonia paſſim in Prophetis.* Num. XXIV. 17. Jeſa. LX. 12. Jeſa. II. Dan. VII. 13. *extant adhuc multa alia prophetiæ, quibus docetur, Meſſiam honorandum & recipiendum ab omnibus populis.* Confer Galatinum, *Arcan. Cathol. verit. lib.* IV. *cap.* XXVII. *& lib.* VI. *cap.* XIV. *& lib.* IX. *cap.* XII. atque ex eo Helvicum, *Elench. Judæorum.* I. *theſ.* 30. *et append.* III. *elench.* & ex hoc Jacobum Martini, *Diſputat.* V. *de Meſſiâ.*

Factam autem gentium illam vocationem, toties tamque auguſtè à Prophetis *prædictam*, & à Judæis ſimiliter *expoſitam*, negare non poteſt quiſquis ſanâ mente & abſque præjudiciis rem introſpexerit. Conſidera *orbem Chriſtianum*, ubicumque unquam fuit, & impræſens agit, & compara cum ſtatu priſtino *Gentiliſmi*, ſub quo antea fuit: quanta, quam ſancta & felix illa mutatio? Judæi ipſi nihil ratione religionis magis deſpectui habent, quam gentilem: nihilque revera miſerius homine cognitione veri Dei, ac ſpe ſalutis deſtituto, qui extra fœdus, ex-

Digitized by Google

tra religionem, quin extra ſalutis & Salvatoris ipſam notitiam, quid agat, credat, aut ſperet, certi nil habet; ut verò talis ad Dei cognitionem, cultum, & ſalutem æternam adducatur, quam præſtans, quamque beata res eſt! atque hic non de uno aut altero ſalvando agitur, ſed de integris gentibus ac populis: ut certe, qui hoc fecerit, dignum ob quod ab omnibus agnoſcatur & colatur opus peregiſſe videri debeat. Atqui id egit Jeſus Meſſias. Etenim nos, & quotquot unquam Chriſtiani fuerunt, ut à Gentiliſmo, & certo exitii barathro liberatos, & Deo, ejuſque cognitioni, cultui, ſaluti addictos merito nos gratulamur, ita nulli hoc debere nos, & ſingularem eam cæleſtemque gratiam, quam Jeſu Meſſiæ noſtro, agnoſcimus. Neque vel Judæi, vel alii poſſunt aſſignare, per quem illud nobis contigerit, effectumque ſit, quam per noſtrum Jeſum. Non aliquis Ethnicus id fecit, ut Ethniciſmum deteſtati ſimus. Non Judæus, ut Chriſtum à Judæis crucifixum pro Salvatore receperimus. Non dæmon aliquis, ut dæmonis opera omnia & oracula abrogata ſint. At magnus aliquis, & ſanctus, & divinus fuerit eſt neceſſe, qui à Numinum cultu, ad verum Iſraëlis Deum, & ſtudium legis, & morum ſanctimoniam, atque ad altioris vitę ſtudium & ſpem nos traduxit. Quis autem ille? ſolus, in quem merito confidimus Chriſtiani omnes, Jeſus Meſſias. Nempe, illud indicio eſt. I. *Veniſſe* Meſſiam. Nam cum eo, & ejus adventu (uti modo vidimus) vocandas ad Deum gentes, dictum fuerat. II. Illum eſſe noſtrum *Jeſum*. Etenim per eum, ejus juſſu & inſtinctu peractum totum illud negotium fuit. III. Eumque eſſe verum *Salvatorem*. Nam hoc certe eſt homines ſalvare, ab erroribus & ignorantiâ Dei ad ejus notitiam, verbum, & cultum adducere, redimere, ſanctificare eos, atque tandem (nam quid ad illa aliud ſequi poteſt?) beare æternùm. Illud opus Meſſiâ dignum, & quod auctorem nec alium habere poteſt, nec monſtrare. Ubi expendere convenit, tum *quando*, tum per *quos*, & quo *medio* illa Gentium vocatio, ſeu converſio peracta ſit. Videlicet, tempore Meſſiæ noſtri, eo in cælos ſublato, ſed pręcepto quod ante abitum Apoſtolis ſuis dederat; per quos miniſtros ſuos, ſuo ſpiritu & vi inſtructos, non quo alio medio, quam prædicatione verbi & Euangelii totum mundum concuſſit, & reformavit. Ut totum opus uni & ſoli Chriſto debeatur: in cujus fidem & cultum, utpote unius veri Dei, homines ſacramento adacti ſunt & conſecrati. Si vel nihil aliud, certe hoc Meſſiam docere deberet homines, & comprobare. Vel negabis, nos Chri-

ſtianos

Digitized by Google

ſtianos meliores eſſe Gentilibus? & hunc præſentem noſtrum ſtatum priſtino Gentiliſmi? ergo damna in nobis notitiam & cultum Dei Iſraelis, & legis ac Prophetarum ſtudium, vitamque ad exemplum Patriarcharum, & verbi divini canonem, inſtitutam. Aut hæc ſi probes, proba etiam eorum auctorem Chriſtum. Velis nolis, agnoſcere hic Chriſtum in nobis cogeris, & mirari ſaltem ejus vim opuſque: qui, quod nullus unquam vel potuit, vel egit, in tot hominum mullibus perfecit, ut mutatâ in melius vitâ, & religione, qui Gentiles olim, non ethnice nunc vivamus, ſed Iſraeliticè, non ad idola feramur uti olim, ſed majori ac iſthuc ſanctiorique impetu erga ipſum Iſraëlis Deum, non alium; ejus haurientes notitiam ex ſacro verbo, cujus olim copiam ſoli Jacobo fecerat, non ita omni genti, at hodie ſecus & gentibus quidem copioſiſſimum in modum. Quid, obſecro etiam atque etiam perpendite, quid hoc eſt, quod ſacratæ legis tabulæ & Prophetarum libri, nullis antea viſi, lecti, culti, Gentibus nunc omnibus traditi, & à nobis majori cura & ſtudio verſentur, exponantur, doceantur, quam à vobis quidem ipſis fieri poteſt? imo qui Iudæos ex iiſdem arguere, convincere, & erudire quotidie annitimur, contra illa graviter errantes peccanteſque? Talene quid auditum omnibus retro ſeculis, ante Meſſiam noſtrum, in Iſraële, in orbe fuit? Compara nos, ſi nolis cum priſtino noſtro in Gentiliſmo, à quo per immenſam & inexplicabilem Dei in Chriſto gratiam exempti ſumus, ſtatu; cum Gentilibus, quaquaverſum & hodie degentibus, conſcientiam appello tuam Judæe (rem quippe agimus ſeriam, ſanctamque) an nos noſtraque vita & religio non videtur vobis melior, illorum? annon in hoc beati ſumus ac fælices? annon glorificandus hujus tantæ noſtræ fælicitatis auctor? & hic alius, quam Chriſtus? annon nos hunc ſolum pro eo agnoſcimus, colimuſque; in eo Deum? an vos quidem alium ejus auctorem ſcitis, profertis? an ullus veſtrum ſimile, non dicam egit, ſed tentavit? an quis unquam Propheta in tale opus incubuit? quantulum fuit Jonæ facinus cum hoc noſtro, & tamen in illo etiam typum aliquem Chriſti ſpectare licet. Quid Moſes egit, cum hoc æquiparandum? ille unius populi dux, legem tabulis inſcribere, at non animis potuit; objurgare & docere, non convertere; paucorum annorum Propheta & Imperator: Chriſtus autem totum mundum docuit, & in fidem nomenque adegit ſuum; nec doctrinam ſolum ſuam annunciari curavit, ſed eam etiam cordibus hominum inſerere & efficacem reddere potuit: atque per tot jam annos regna-

Digitized by Google

regnavit, regnaturus denique in æternum.

Hæc diſtinctè annotanda ſunt, & ponderanda ſingula. I. vocatio ſeu converſio *corporis* Gentilium, ut populus ille, non aliqui demum proſelyti, ad Eccleſiam acceſſerit: juxta Chriſti mandatum: *ite & docete omnes gentes*. Matth. XXVIII. 19. Unde Apoſtoli ita egerunt, ſcripſeruntque. Rom. X. 18. *in omnem terram exivit ſonus eorum*. Coloſſ. I. 28. *admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem omni ſapientia, ut ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* Confer Apoſtolorum Epiſtolas, ad quoſcunque ſcriptas, non ad Hebræos ſolùm; ſed & Græcos, Romanos, & in genere ad quoſvis. II. *Quando* inſtituta vocatio? ab adventu Meſſię noſtri. III. *Cujus* juſſu, ſpiritu ac præſidio? ejuſdem. IV. Per quos? *Apoſtolos*, eorumque ſucceſſores. V. Quâ viâ, & *medio*? per prædicationem Euangelii. VI. A quo vitæ ſtatu? ab omni *idololatria*, & Gentilium flagitiis. VII. Ad quid? cognitionem & *cultum* unius Dei, in Chriſto, juxta verbum ſuum. VIII. Idque *brevi* admodum temporis ſpatio peractum. Quæ omnia dignè conſideranti non poſſunt non videri omni ex parte divina eſſe, & ad confirmandam Meſſię *adventus* primùm præteriti, tum *Chriſti* noſtri, & *doctrinæ* ejus Euangelicæ veritatem, apodictica. Extirpare hominum animis inveteratam idololatriam, & indere veram veri Dei notitiam, ut nunc idola deteſtentur adeo ac olim amarunt & coluerunt eadem, certe eſt divinitatis opus & argumentum. Quamobrem Chriſtiani, qui ex Gentilibus prodibant & convertebantur, ut ſuum erga Diabolum & omnia ejus opera odium teſtarentur, in baptiſmo, quo Chriſto obſignabantur, palam & ſolenniter reſpondere ſolebant, ſe abrenunciare jam Diabolo, atque omnibus ejus pompis: *Iniſti pactum cum adverſario tuo, dicens ei: renuncio tibi Diabole, et ſæculo tuo, et pompæ tuæ, & opibus tuis*, inquit Hieronymus, epiſt. ad Demetriadem. Ephræm Syrus, tract. de pœnitentia, cap. V. *Confeſſionem, quàm coram multis teſtibus profeſſi ſunt, dicentes: abrenuncio tibi Satana, & omnibus operibus tuis.* Unde Salvianus, lib. V. de providentia, *quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? quæ ſcilicet, niſi ut renuntiare ſe Diabolo ac pompis ejus atque ſpectaculis et operibus proteſtentur?* De quo plenius alibi diximus, ubi *de Baptiſmo Veterum*. Expreſſius & illuſtrius teſtari poterant converſionem ſuam, & prioris vitæ mutationem? Idola, mundum, Diabolum, & omnem ejus apparatum ac pompam, ſub primam Chriſtianiſmi profeſſionem, abjurare, & nullum ſibi velle impoſterum cum illis eſſe com-

Digitized by Google

commercium? cum propoſito & ſtudio colendi unum Deum, qui ſe in verbo ſuo revelavit, Iſraelis Deum, אף הוא I. Reg. II. 14. *Habemus firmiſſimum illud verbum Propheticum, cui benè agitis attendentes, ut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco,* ſic Apoſtoli loquuntur II. *Pet.* I. 19. ut ſciamus, illos verbum Dei & Prophetas commendaſſe, & huc hominum ſtudia direxiſſe, atque vitam. Quod Judæus, vel ſi rumpatur, non poteſt non probare & laudare factum. Adeo vi veritatis & factorum coguntur nobis accedere, & ſua, videl. legem & Prophetas, prædicando, noſtram quoque commendare religionem & pietatem.

Certe Gentiles aliquid hic obſervarunt ſibi eveniſſe, quod cum ſtupore admirati, unde accideret, ignorabant. Conſcripſerunt tamen & litteris mandarunt quodcunque hoc erat, quod eo tempore quo Meſſias noſter venit, & innoteſcere cœpit doctrina ejus, paſſim oracula conticeſcerent,

Nec reſponſa dabat Libycis in ſyrtibus Ammon.

Extat egregius Plutarchi libellus *περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, de defectu oraculorum,* ubi non modo annotat hoc eveniſſe, & valde mirum ipſis viſum, ſed in cauſas ſollicite inquirit. Alii rerum adſerebant viciſſitudines; alii ſpirituum exhauſtam vim. *Hoc loco cum urgentur, evanuiſſe ajunt vetuſtate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, qui Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut ſalſamento putes loqui, quæ evaneſcunt vetuſtate,* inquit facete illos ridens Cicero, lib. II. de divinatione. *Sed quod caput eſt,* ait, *cur iſto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modo noſtrâ ætate, ſed jam diu, jam ut nihil poſſit eſſe contemtius?* De quo etiam Juvenalis, Satyr. VI.

quoniam Delphis oracula ceſſant.

Strabo, lib. XI. Geograph. *διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι σχεδόν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο. Ideoque et oraculum Ammonis pene deſertum eſt, quod antea honorabatur.* Sed quam veram cauſam deficientium oraculorum Gentiles ignorarunt, Judæi certè ignorare non poſſunt, ex vaticiniis Prophetarum, exerte dicentium, cum Meſſiâ idola excindenda. *Jeſa.* II. 18. 20. *Zach.* XIII. 2. 3. 4. 5. Ut, quum Meſſias noſter, ſuâ vi, doctrinâ, & ſpiritu admirandum iſtud opus peregerit, Euangelio ubique Dæmones locis ſuis extrudente, & homines à terrore ſpectriſque liberante, ſequatur irrefragabiliter, & doctrinam ejus divinam, & ſe illum eſſe, cui exactio dæmonum à Prophetis attributa fuit, id eſt, Meſſiam veriſſimum. Certe maximum hoc opus, & ſolius Dei, Diabolum

 bolum

Digitized by Google

bolum φιμῶν, expellere, & ſuperare. Egit hoc aliquoties Chriſtus, in mundo quando adhuc verſaretur, ut non ferentes adventum & præſentiam ejus, ex energumenis dicerent dæmones: *ſine, quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? veniſti huc ante tempus nos torquere?* Sed plenius hoc latiuſque egit, quando antiquis ſedibus oracula ſubmovit, ejecitque: de quo Cicero, & Plutarchus, magni nominis teſtes, & Gentiles ipſi, egregiam cauſæ noſtræ inſcii præſtiterunt operam, dum tam ſignanter & accurate illud ſcriptis reliquerunt ſuis. Iſte Cheronenſis, in locis propinquis, neque enim longe diſtabant Cheroneà Delphi, Lebadia, & Oropus, ſed erant contermini, videbat τῶν χρηστηρίων ἀμαύρωσιν, μᾶλλον δὲ, πλὴν ἑνὸς ἢ δυεῖν, ἁπάντων ἔκλειψιν. Quæ res omnium excitabat ſtudium ad inquirendum, unde in oraculis conſuetis inſolitum prodigium: cujus veram cauſam Chriſtiana demum novit & pandit religio. Apud Plutarchum, Demetrius, *nihil, inquit, attinet de iſto percunctari oraculo, & cauſam quærere, cum videamus oracula quæ in his ſunt locis obſoleviſſe, atque adeo, duobus aut tribus exceptis, omnia defeciſſe. id potius indagandum eſt, quibuſnam cauſis exſtincta ſint. Nam ut alia taceam, Bœotiam, quæ ſuperioribus temporibus ob oraculorum multitudinem vocalis admodum fuit, nunc prorſus deſtituerunt oracula, tanquam amnes ſiccati, ingenſque divinationis quaſi æſtu quodam abolitæ penuria regionem occupavit. neque enim alibi hodie, quam apud Lebadiam Bœotia vaticinationis reſponſa deſiderantibus præbet: reliqua partim ſilent oracula, partim vaſta prorſus deſertaque jacent. Atqui ea tempeſtate, qua Medi bellum Græciæ intulerunt, Amphiarai oraculum non minori fama clarebat*, &c.

Videri de hoc inſuper argumento poteſt Theodoretus, Ἑλλην. θεραπ. Serm. x. Profecto ſtupenda illa res fuit, quam ſatis admirari, aut deprædicare nunquam poſſumus, illo tempore, illo medio, cum adventu Meſſiæ noſtri, per prædicationem Euangelii expulſum antiqua ſede & poſſeſſione Diabolum, profligata idola, excuſſa oracula, veterem ſuperſtitionem eradicatam, & quoad religionem vitamque orbem Gentiliſmi traductum in meliorem formam, & veri Dei profeſſionem atque cultum. Nullæ hinc divinationes ad Caſtaliæ aquas; ad Colophonium fontem nullæ. Nihil lebes ultra prædicere Theſprotius, nihil tripus Cirrhæus, aut Dodonæum tintinnabulum, aut quercus Pelaſga loqui inſtitit. Sed tacuit Jupiter Dodonæus, tacuit Colophonius Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Didymæus, Lebadia dein ipſa, & Trophimus, Amphilochus, Amphiaraus, Ammon, atque Chaldæorum & Tyrrhenorum

Digitized by Google

norum per mortuos divinatio. Jam nihil iſtorum ultra auditur, vel noſcitur. Eſtque etiam aliud apud Plutarchum, in aureo illo libello annotatum, quod prætereundum nobis minime fuit, imperante Tiberio (quo tempore Chriſtus paſſus) factum, quod nonnullis mare mediterraneum navigantibus, audita è continenti prodigio ſimilis vox fuit, quæ gravi ſonitu acclamavit, ὁ μέγας Πᾶν τέθνηκε. Audiamus Auctorem, nam digna obſervatu hiſtoria eſt: ſic apud eum Philippus quidam hiſtoriarum ſcriptor: *De morte autem geniorum narrationem audivi viri nequaquam fatui aut vani. Æmiliani rhetoris, quem & veſtrûm nonnulli audiverunt, pater fuit Epitherſes, civis meus, & grammaticæ doctor. Is aiebat ſe aliquando in Italiam navigare intendiſſe, ac conſcendiſſe navim, quæ & mercibus & multis vectoribus eſſet onuſta. Sub veſperam vero, cum juxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, navimque incerto curſu prope Paxas delatam. vigilaſſe tum vectorum pleroſque, multos etiamnum à cœna potaſſe. Tum ſubito ab inſula Paxis auditam fuiſſe vocem, quæ Thamûn quendam nominatim cieret, non ſine admiratione hominum. Erat autem Thamûs iſte Ægyptius gubernator, paucis una vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum ſiluiſſe: tertio vocanti ſe dediſſe. eumque contenta voce dixiſſe: Ubi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem eſſe mortuum. Perterritos aiebat Epitherſes hoc audito univerſos, ac inter ſe diſputaſſe præſtaretne exſequi hoc mandatum, an vero omittere, neque quicquam curioſe agere. Thamûn autem ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe prætervecturum: ſin malacia ad eum locum pervectis exſiſteret: expoſiturum quod audiviſſet. Poſtquam ad Palodes perventum fuit, cum neque ventus eſſet, neque fluctibus mare exagitaretur, Thamûn è puppi verſus terram proſpexiſſe, ac quod inaudiverat dixiſſe, Mortuus eſt magnus Pan. Vix dum conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum fuiſſe, non unius ſed multorum, admiratione mixtum. Quod autem fieri ſolet cum evenit aliquid multis teſtibus præſentibus, ſtatim rei famam Romæ fuiſſe delatam, Thamumque à Tib. Cæſare fuiſſe accerſitum, ac Cæſarem ita pro certo credidiſſe, ut de Pane illo diligenter inquiſiverit. Doctos vero, quos ille multos ſecum habebat, conjeciſſe eum eſſe, qui Mercurio & Penelopa fuiſſet natus. Habuit autem Philippus teſtes quoſdam ex iis qui tum una aderant, & Æmiliani jam ſenis auditores fuerant.* Pana illi quidem interpretati fuerunt certum illud Numen: alii in genere, Πᾶν, numinum Diabolicorum, quorum tum temporis interitum vox illa teſtata fuerit; vel utcumque Dæmonis, ſub Pane à Gentilibus culti. Neque deſunt, qui Chriſti mortem, qui verus Πᾶν, omnium au-

ctor, & Salvator, & quę ſub id tempus contigit, quâ ſuparata omnis Dæmonum vis fuit, ſignificatam, vel ab invito dæmone, uti quando aliàs Chriſto, & Chriſti Apoſtolis verum perhibere teſtimonium coactus fuit, quantumvis illis rerum adhuc inſciis, arbitrentur. Utcumque ſit, prodigioſa illa merito habenda, dæmonum fuga, oraculorum extinctio, audita & excepta vox illa, & Gentilium ſcriptis obſervata confirmataque, ſub Auguſti potiſſimum & Tiberii temporibus, quibus Meſſias noſter in mundo verſatus eſt, & ubicunque poſtea nomen & doctrina Chriſti illata, quod confeſtim, uti ad præſentem lucem tenebrę, & oracula, & omnis ipſorum officina ac ſchemata evanuerunt. Nempe quia nulla communio juſtitiæ cum injuſtitiâ, Chriſto cum Belial, templo Dei cum idolis: quibus omnibus longe fortiorem ſe hoc documento oſtendit Chriſtus, & quia id in Diabolum nemo alius poteſt, Deum.

Viderunt miraculum hoc, & obſervarunt, ſcriptiſque paſſim celebrarunt ſuis illorum temporum Chriſtiani. Quippe quibus inexplicabili gaudio fuit ac ſolatio, eandem quæ ſibi, etiam aliis longe lateque gratiam indulgeri, & ex eodem ſecum Gentiliſmo educi catervatim & liberari innumeras mundi nationes. Juſtinus, in Dialogo, cum Tryphone: οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἔστι τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ᾧτινιοῦν ὀνόματι προσαγορευομένων &c. *atqui ne unum quidem eſt genus mortalium, ſive barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium (ſcenitarum) & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Ieſu, ſupplicationes & gratiarum actiones Patri, fabricatori rerum omnium non fiant.* Irenæus, libr. I. cap. III. *Etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus et idem eſt, ſic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire.* Tertullianus, lib. adverſ. Judæos: *In quem enim alium univerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum qui jam venit? Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, Romani, & incolæ, tunc & in Hieruſalem Judæi, et Gentes cateræ, ut jam Getulorum*

Digitized by Google

lorum varietates, et Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa loca Romanis, Chriſto verò ſubdita, & Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, & Shcytarum, & abditarum multarum Gentium, et provinciarum & inſularum multarum vobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat. Hinc eodem libro dicit: *aſpice univerſas nationes, de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, et Chriſtum ejus.* Quæ eadem quoque verba habet, contra Marcionem lib. III. Origenes, homil in Jezech. IV. *Confitentur et miſerabiles Judæi hæc de Chriſti præſentia prædicari: ſed ſtulte ignorant perſonam, cum videant impleta quæ dicta ſunt. Quando enim terra Britannia ante adventum Chriſti in unius Dei conſenſit religionem? quando terra Maurorum? quando totus ſimul orbis?* Chryſoſthomus, lib. quod Chriſtus ſit Deus: *ubique Gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, et ultra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, et quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt, ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ.* In Johannem, homil. I. *Verum Syri, Ægyptii, Indi, Perſæ, Æthiopes, et innumeræ aliæ gentes, dogmata ab hoc,* de Johanne loquitur, ejuſque doctrinam cum Veteribus, præſertim cum Pythagorâ confert, *introducta, in ſuam transferentes linguam, homines barbari philoſophari didicerunt.* Hieronymus, Tom. I. epiſt. in Epitaphio Nepotiani, ad Heliodor. *Ab India uſque ad Britanniam, à rigida Septentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani jam innumerabiles populi, et tantarum gentium multitudines, quàm variæ longius habitu, tam veſtibus & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, & velut muſcæ et culices conterebantur (abſque notitia enim ſui creatoris omnis homo pecus eſt) nunc verò paſſionem Chriſti & reſurrectionem ejus cunctarum gentium & voces et litteræ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes fidei ſuæ in Crucis titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam, & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem, quod Pythagoras ſomniavit, Democritus non credidit, in conſolationem damnationis ſuæ Socrates diſputavit in carcere, Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos; & totius mundi una vox, Chriſtus eſt.* Et epiſt. ad Lætam: *Depoſuit pharetras Armenius: Hunni diſcunt Pſalterium; Scythiæ frigora fervent calore fidei; Getarum rutilus et fla-*

Digitized by Google

et flavus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria; Ad Sim. & Fretel. *quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur?* Arnobius, converſus Gentilis, in libris adverſus Gentes, quos ſcripſit adhuc catechumenus, lib II. *Enumerari poſſunt atque in uſum computationis venire ea quæ in India geſta ſunt apud Seras, Perſas, & Medos: in Arabia, Ægypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in inſulis & provinciis omnibus quas Sol oriens atque occidens luſtrat: ipſam denique apud Dominam Romam.* Et ut tandem finem faciam horum teſtimoniorum, quorum adeo recordatio nos delectat, ut temporis fere laboriſque capiat oblivio, Theodoretus, Græcar. Curat. Serm. IX. *At noſtri illi piſcatores ac publicani, ſutorque ille noſter, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque ſolum Romanos, quique ſub Romano vivunt imperio, ſed Schytas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, utque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationeſque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere; non armis uſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Parthicæ violentia; ſed verborum ſuaſu oſtenſa legum quas prædicabant utilitate.* Nę gratiſſima illa ſunt, quæ, ſingulari affectu à Patribus priſcis annotata, quæque & magnam fidei gaudiique illis adferebant confirmationem, undique colligamus ſedulo & læto memoremus animo, atque identidem infidelibus omnibus, & Gentilibus atque Iudæis ingeramus. Quò videant, quanta Euangelii ac doctrinæ noſtræ vis ſit, quæ tam late orbem ſibi brevi ſubegit, & rudes feroſque homines, abſque armis & vi ullâ externâ, etiam abſque carnalibus & voluptatis aut lucri gloriæve illecebris, in omnem modeſtiam finxit & pietatem. Eant Judæi, & vituperent ac calumnientur fidem religionemque noſtram, nulla interim alia tantam hominum copiam, tam brevi, tam facile, ac fæliciter formavit in melius, & ſanctimoniam perfectam docuit, quam illa noſtra.

Nulla religio ſanam veramque *de Deo doctrinam* tradit: non quomodo *juſtificari* coram Deo homo, id eſt, quo pacto ei peccata ablui, condonarique poſſint. Nam & Gentiles riſerunt illos, qui culpas aquâ flumineâ tolli expiarique putabant. Neceſſariam quidem ſibi videbant propitiationem, & hinc tot illorum ſacrificia; ſed certum expiationis modum neſciebant. Ut hoc, quod noſtra rationem illam plene & ſolide

lide exponit, in quâ animus acquieſcere poteſt, vel ſolum ſatis eam commendare debeat ut veram divinamque. Sed & perfectam docet *ſanctitatem*, in conſummatâ omnis mali fugâ odioque, & virtutis omnigenâ obſervantiâ. Præterea & rationem *beatitudinis* æternę ſtatuſque hominum poſt hanc vitam. In quibus inveſtigandis & exponendis ah quam miſere Gentiles aberrarunt! Jam vero Chriſtiana doctrina illa pleniſſime explicat, & talia continet præcepta, promiſſaque. quæ fruſtra alibi quæras, hic autem copioſiſſime exhibentur. Ut Gentiles ipſi, quando de nobis pronunciare, & vere ſententiam exponere auſi, quantumcumque ad perſequendos Chriſtianos deſtinati, ſe non alios deprehendiſſe affirmarent, quam quorum hæc fuiſſet ſumma *vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* Plinius in epiſt. ad Trajanum. *lib.* x. *epiſt.* XCVII. Cui mox reſcripſit Imperator, tales homines conquirendos non eſſe. Ad quæ merito Tertullianus, in Apologia. *ô ſententiam neceſſitate confuſam!* Numerum etiam Chriſtianorum Plinius indicarat in ſua epiſtola, & quod hæc potiſſimum ſibi cauſa fuiſſet conſulendi Imperatorem: *Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus, etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt.* Tanta ubique Chriſtianorum erat multitudo, ut, ſi non illorum innocentiâ, ſaltem numero tangerentur adverſarii.

Si inſtes, multitudinem converſorum non ſtatim notam eſſe veræ religionis, & probitatis. imo vel maxime, nempe iſto modo converſorum. Reſpondet ad hoc peregregie Tertullianus, ad Gentes, in Apologetico: *Sed non ideo, inquit, bonum quia multos convertit. Quanti enim ad malum performantur, quanti transfugæ in perverſum? Quis negat? tamen quod vere malum eſt, ne ipſi quidem quos rapit defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Denique malefici geſtiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facile aut ſemper confitentur: certe condemnati mœrent: dinumerant in ſemetipſos mentis malæ impetus, vel fato vel aſtris imputant. nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt. Chriſtianis vero quid ſimile? neminem pudet, neminem pœnitet, niſi plane retro non fuiße. Si denotatur,*

gloria-

Digitized by Google

gloriatur: ſi accuſatur, non defendit. Interrogatur, vel ultro confitetur, damnatus gratias agit. Quid hoc mali eſt, quod naturam mali non habet? timorem, pudorem, tergiverſationem, pœnitentiam, deplorationem. Quid hoc mali eſt: cujus reus gaudet? cujus accuſatio votum eſt, et pœna felicitas? Nemini vero mirum videatur, nos Chriſtianos Patres adferre, in Diſputatione cum Judæis, quia non illos ideo adducimus, ut iſtis nominibus, & autoritate convincamus adverſarios, ſed illorum argumentis: & quia illa attulerunt ii contra Gentiles, quibus ratione infidelitatis pares Judæi, ut iiſdem utrique fere armis debellandi ſint. Et cur non illa quæ pro communi cauſa religionis, & veritate Chriſti, ſive contra Gentiles dicta, apud Judæos; ſive contra Iudæos prolata, apud Gentiles adducamus? Pari ratione utrique dum errant, quid ni redargui & confutari ſimili modo poſſint?

Vel age, cum Iudæis, agamus ex Iudæis. Quippe uti Flavius Joſephus, in libris ſuis tum ex profeſſo, uti contra Appionem quando diſputat; tum alibi data quavis occaſione leges ſuas, & Iudæorum erga eas ſtudium commendat, quo Gentium & præſertim Romanorum animos redderet minus à Iudaica religione alienos, ita nobis eodem pacto agere cum Iudæis liceat, ut vim religionis noſtræ ſpectantes, & profeſſionem, conſiderent, quam magnum ſanctumque opus ſit, iſtum in modum reformaſſe Gentiliſmum, & perſuaſiſſe iis Moſem ac Prophetas, & ut ſtudio noſtro excitati Iudæi & commoti, deſinant nobis, religioni, & Servatori ulterius maledicere. Etenim unum Deum colimus, vel Judæis ſatentibus, omnique erga eum obſervantiâ vitam noſtram inſtituere allaboramus. Ipſe noſter Menaſſe ben Iſrael, in epiſt. Dedic. lib. I. de reſurrect. ad Chriſtianos: *unum enim Deum colimus, ejus præceptis nos ſubjicimus, poſt hujus vitæ difficultates meliorem vitam exſpectamus*, inquit. Iterum, in dedicatione lib. III. de reſurrect. *quam* doctrinam *communem habemus. Nec enim non reſurgere amant omnes, qui Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi piis animis venerantur.* In Dedicat. lib. de Fragil. hum. *tam hujus, quam illius religionis in unum tamen Iſraelis Deum credentes homines.* Sic jam non idololatræ, non profani homines, neque Gentiles vobis ultra videri debemus, qui à vitâ, & religione, & ſalutis æternę ſpe commendandi ſumus atque celebrandi.

Sed quod vehementer hac in parte Iudæorum offendit animos, eſt, quod cum vocatione Gentium illâ, quam per prædicationem Euangelii factam hactenus oſtendimus, ipſi interim à fœdere Dei & communione

Eccleſię

Eccleſię *rejecti* dicantur, & qui olim populus Dei, inde extra illam ſortem collocati, factique לא עמי *loammi, non populus meus.* Quippe tres populi Iſraëlitici obſervari poſſunt periodi. Prima, quando fuit Dei populus, *ammi*, tum quando *loammi*, non populus, denique quando à Deo reaſſumendus, evadetque *ruchama*, id eſt, *miſericordiam conſequuta*. Hoſ. 1. Ita ut, quamvis hodie, idq; propter grave ipſorum meritum repudiati à Deo ſint, & priſtino dejecti ſtatu ac privilegio, hoc tamen non ſit futurum perpetuum, neque enim ἔπταισαν ἵνα πέσωσι, ſed quemadmodum illorum caſu ſalus gentibus contigit, ut illos Deus ad æmulationem provocaret, ita illorum reductio, plenitudo erit Eccleſię, & nova quædam ex mortuis vita ac reſurrectio. Hæc nimirum reſurrectio, ſed ſpiritualis, iis continget, quam fruſtra in corporalem, cum Meſſiâ, converterunt. Interim nihil difficilius concoquere poſſunt, quam quod Meſſiam dicantur execrati, & propterea rejecti Deo, quum potius ſe ſolos eo gaudere debuiſſe opinentur. Unde illud etiam vel primo loco inter præjudicia contra nos objicere ſolent, quod ipſi dicantur à nobis Meſſiam crucifixiſſe, quod primam objectionem facit in Diſputatione illa, vel argumentis Iudæi, quę Calvinus ſibi diluenda proponit, Epiſt. CCCLVIII. atque poſt Synagogam Iudaicam Buxtorfii ſunt; & Genebrardus recitat quoque in libello contra argumenta Joſephi Albo, & Davidis Kimhi, in Chriſtianos. Sed nihil eſt quod hoc adeo ipſis dubium videatur. 1. Quando ex omni & primâ *populi* iſtius hiſtoriâ videmus quam duri corde, & perverſi, atque *adverſantes* Deo paſſim fuerint: quomodo ſe erga Moſem, erga Prophetas reliquos geſſerint, & jam contemnere illos & repellere, jam perſequi etiam & trucidare ſoliti. Mirum ut non admodum ſit, tandem improbitatem illam & contumaciam viribus auctam eo ſenſim perveniſſe, ut nec ipſum Meſſiam, pro conſuetâ in Deum rebellione, reſpexerint, ſed & hunc, quod minus conveniret ipſorum appetitui & vitę peſſimę, è medio ſuſtollere nihil dubitaverunt. Moſem quam parum ſæpe abſuit, quin oppreſſiſſent ſui? *Exod.* II. 14. *&* XVIII. 2. *Num.* XIV. 1. quem cum Meſſiâ non comparant ſolum, ſed quidam Judæorum etiam ipſo Meſſiâ majorem faciunt. Num ergo incredibile, illos tandem facinus indignum deſignaſſe contra Meſſiam? Quid dicam quo pacto alios paſſim perſequuti fuerunt Prophetas? Vide II. *Chron.* XXIV. 21. *Jerem.* XV. 10. *et* XX. *Amoſ.* VII. 20. & exempla hujus generis per Scripturas plurima. Non legit hiſtoriam, qui neſcit graves & continuas Dei, & prophetarum,

 inter-

interque eos primi Moſis contra populum iſtum querelas & obteſtationes. Videſis *Exod.* XXXII. 9, 10. *Deut.* XXXI. *Iudic.* II. *Pſal.* LXIX. *Ieſa.* I. 1, 2. & LXV. 3. *Ierem.* XLIV. 16. *Iezech.* III. 7. alioſque locos innumeros. II. Prædictum etiam hoc olim à Prophetis fuit, Iudæos Meſſiam ſuum, qui ad ipſos venturus eſſet, *repudiaturos*, neque ei credituros. *Ieſa.* XLIX. 4, 5, 6. & LIII. 1. *Quis credidit auditui noſtro, & cui brachium Iehovæ revelatum?* Cap. LII. 17. 4. Jeſa. XXVIII. 16. *ideo loquitur Dominus Iehova, ecce me, pono in Tzione lapidem, lapidem probationis angularem, pretioſum, fundationem fundatiſſimam, qui credit non præfeſtinabit.* De Meſſia lapidem explicat Targum, R. Selomo Iarchi. *qui credit*, indicat haud omnes credituros; ideoque dicitur *lapis probationis*: & verſ. 5. *in die illo erit Deus exercituum in diadema gaudii.* Targum יהי משיחא, de Meſſia. Ieſa. VIII. 14. & Targum ibidem. Pſalm. XVIII. 22. *lapis, quem ædificantes repudiarunt, factus eſt in caput anguli.* *Mich.* V. 1. Quin III. etiam prædictum, Meſſiam a Iudæis ipſis *interimendum* fuiſſe. Zach. XII. 10. *& videbunt me, quem transfixerunt.* Locum hunc de Meſſia accipiendum, probatum aliàs; & alloquitur domum Davidis, atque habitatores Ieruſalemi, in quos etiam ſpiritum ſuum eſſet effuſurus; illi videbunt me, quem illi ipſi transfixerunt. Confer *Ioan.* XIX. 37. *Actor.* II. 18, 23, 36, 37. IV. Prædicta etiam propterea populi iſtius a Deo, & Dei fœdere *rejectio.* Jeſa. II. 6. *At verò deſeris populum tuum domum Iacobi.* loquitur Propheta de tempore Meſſiæ. *Cap.* XXIX. 10, 11, 13, 14, & LXV. 2, 3. *Dan.* IX. 26. *Hoſ.* I. 8, 9. & III. 4. Adde quæ hanc in rem ex Iudæis adfert Martinus Raymundus, in *Pugione fidei, part.* III. *Diſtinct.* III. *cap.* XXI. & ex eo Galatinus, *Arcan. Cathol. verit. lib.* IV. *cap.* XXII. & XXIII. & XXIV. atque *lib.* III. *cap.* V. Iulius Conradus Otto, in *Galirazia lib.* I. *cap.* X. Quod autem magis juſtum apud Deum cogitari poteſt, quam ut rejiciantur ab eo, qui eum priùs repudiant? & fœdere excludantur ſuo, qui divinum illud gratiæ in Meſſiâ fœdus tam turpiter habent & proculcant? Satis longanimis erga populum ſuum ſemper fuit clemens Deus, & acerba multa ab eo paſſus nunc dudum, ut hic malorum omnium cumulus, & improbitatis, verè θεομαχίας ſupremum facinus haud aliter vindicandum fuerit, quam tali eorum à ſe repudio, in quo ipſo tamen etiam miſericordiæ ſuæ, fœderis cum Patribus ipſorum initi, benigne recordatus, neque in finem iraſcetur, ſed ſuo iterum tempore revocabit illos & reducet ad ſe atque ad Meſſiam. V. Ipſi oculos in *præſentem*

Digitized by Google

ſuum conjiciant ſtatum. Et hæc, quam nunc ſuſtinent, atque à tanto jam tempore ſuſtinuerunt, calamitas, (captivitatem ipſi ſolent dicere) quid aliud videri poteſt, quam populi rejectio? Quidem antea varios experti caſus & paſſi calamitates fuerunt, ſed cum præſenti nulla earum comparanda. α. Iſtæ aliquarum tribuum: hæc univerſalis eſt totius populi, nullis reſiduis, vel exceptis. β. Exularunt ibi quidem, ſed ad certum locum, jam vero per univerſum diſperſi orbem hærent. γ Neque ad ducentos, aut ſeptuaginta annos, quales fuere captivitates Ægyptiaca, & Babylonica; ſed jam ultra ſexdecim ſæcula. δ. Habuerunt ibi, & in graviſſima captivitate Babylonicâ nonnulla exilii ſolamina, promiſſionem de certo brevique (brevem dico ad præſentem illorum ſtatum) reditu. Ἀιχμαλωτάρχας, judices, Prophetas: aliaque quę deſiderium lenire poterant, & nuperam conditionem in Eccleſiâ & politiâ repræſentare: ſed hodie nihil omnino iſtarum rerum habent, omnium extorres & vacui, ut non poſſis rejectionis aliam ſpeciem ponere, quam hic vides. Præſertim rejectionis talis, quam ipſi dicimus, & ſic Apoſtolus loquitur, Iſraeli ἀπὸ μέρους contigiſſe.

Quodnam autem peccatum oſtendi poteſt quod hanc gravem & diutinam afflictionem fuerit *meritum*, niſi illud, quod omnium præcedentiũ gravitatem exſuperat, contemtus Meſſię? ut, quo majus crimen commiſere nunquam, hoc etiam majori ſupplicio vindicandum fuerit. Teſtatur quidem Joſephus, improbiſſimam fuiſſe gentẽ ſub tempora excidii ultimi, neque adeo Sodomitis inferiorem: at ſic in genere peccata comprehendit omnia, non diſtinguit, vel originem & cauſam defectionis tantæ indicat, atque certe ante captivitatem Babylonicam non meliores fuerunt poſteris qui ſub templo ſecundo vixerunt, ut quocumque te vertas, quum communia populi ſui peccata punire ſic ſolitus Deus ſit, uti quæ ſub primo templo captivitate annorum, non ſæculorum, vindicavit, remanet ſingulare aliquod peccatum fuiſſe, ob quod tantopere nunc puniti ſint, quam aliàs. Chryſoſthomus, Orat. III. contra Judæos: *lubens de integro unumquemque illorum interrogaverim, ob quæ tandem peccata, o Judæe, extra Hieroſolymam agis, tanto tempore?* Quin ſub templo ſecundo puros ajunt fuiſſe majores ſuos ab idololatriâ, quæ principaliter quidem captivitatem Babylonicam cauſata: ut ſi hac in parte meliores tunc, aliud ergo iterum peccatum idololatriâ (quod primæ tabulæ præceptique) adhuc gravius, & tot ſæculorum pœnas meritum, dari debet, in quod illa conjiciamus. Neque hoc curioſitatis, ſed

pietatis eſt, in cauſas afflictionum inquirere & calamitatum. Ut de his pœnitere, & humiliare diſtincte decenterque valeamus. Tum, quod caput rei eſt, ea emendare & corrigere. Exemplum cape II. *Sam.* XXI. I. ubi Davidi, anxie Dei faciem quærenti, cauſa exponitur triennalis famis, videlicet, neglecta Gibeonitarum ultio de domo Saulis: quâ peractâ Deus terrę redditur propitius. Ita decet certe apud animum inveſtigare malorum ſemper cauſas, eaſque quantum in nobis tollere, & deteſtari. Atque hoc eſt agnoſcere נגע לבבו *plagam cordis ſui.* I. Reg. VIII. 38. quâ agnitâ confeſſâque Deus peccata condonare paratus eſt, & ſalvare ſupplices. In Talmude, *Joma*, quæritur, ob quę peccata primum Sanctuarium combuſtum ſit? reſpondetur, proter tria, ע"א וג"ע וש"ד *idololatriam, inceſtuoſum concubitum, et-effuſionem ſanguinis.* Verùm in ſecundo templo dicunt viguiſſe ש"ח *odium immeritum*, atque hoc illud perdidiſſe. Bene. Namque hæc atrox culpa, & quam Deus à primâ mundi origine graviter ſemper ultus fuit. *Geneſ.* IV. 10. 11. 12. &c. *Deut.* XXI. 8. II. *Sam.* III. 28, I. *Reg.* I. 5. Certe odium חנם immeritum & extremum fuit, ex quo Judæi Chriſtum crucifixerunt: atque inter alias ſpecialis cauſa deſolationis ſupremæ. Quod & Daniel ſignificavit, *cap.* IX. 26. propter & poſt exciſionem Meſſiæ, excindendos fuiſſe & ipſos. Quam cauſam ipſi etiam Judæi recenſent in Schebet Jehuda, unde totius hujus argumenti expoſitionem audire Judaicam è re erit. Ex verſione igitur Gentii, *pag.* 339.

Salomo inquit: Si quis mortalium animo & cogitatione percurrat magnas illas calamitates, quas patiuntur Hebræi; incredibili certe admiratione ductus, ita quærere poſſe videtur. Quænam tantarum irarum cauſa eſt, quas Deus in Judæos evomit? Nulla certe uſquam ſub cœlo gens tantis malis unquã eſt conflictata: cum tamen alias gentes, Hebræâ longe gravius Summi Numinis majeſtatem violaſſe conſtet. Hujuſcemodi quæſtionibus hoc divinum Oraculum apte occurrit. Amos cap. III *: verſu* 2 *: Tantum vos cognovi ex omnibus gentibus terræ, id-*

Reſp. Alia hic recenſet *generalia*, & communia de peccatis Judæorum in genere; *particularia* alia. Neque dubitant vel ignorant ulli, peccata ipſorum cauſam eſſe hujus miſerię, quam nos rejectionem nominamus, ſolùm hoc dicimus, quia Deus tam longanimis ſemper, & ſupra modum benignus populo extitit, ut ſæpiſſimè connivẽrit, aliàs indulſerit, remiſeritque facile ipſis crimina, hoc jam quod tranſire nequiit citra notabilem graviſſimamque ultionem, aliquod ſingulare, excellens, & horrendum

Digitized by Google

circo viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Huic vero ſeptem alias adijciamus cauſas, quæ miſeriam hanc noſtram nobis pepererunt. Prima majorum noſtrorum crimina ſunt: quemadmodum ſapientes noſtri per hæc demonſtrarunt verba Exod. xxxii: *verſu* 34. *In die viſitationis meæ viſitabo in eis, & hoc peccatum eorum. dicentes: Nulla tibi Iſraël pœna infligitur, quin partem criminis per impiam aurei illius vituli venerationem, à majoribus noſtris olim commiſſi, malo tuo etiam nunc luas. Quod ipſum vates Jeremias in Lament: ſuis, cap.* v: *verſu* 7. *conqueritur: Patres noſtri peccarunt & non ſunt: Nos vero pœnas iniquitatum eorum portavimus. Altera cauſa eſt, meritorum noſtrorum tenuitas: levibus enim meritis noſtris longi errores noſtri per ſe finiri nequeunt. Hoc omnium gentium ingenium eſt, ut propter legis noſtræ odium & profundam imperii cupidinem univerſos mortales ad ſacra ſua pertrahere ſtudeant. Rationem ſapientes noſtri allegarunt, quare mons ille, in quo data eſt lex noſtra, Sinai; quæ vox & odium ſignificat, appelletur? quia inde ſcilicet propter legem primum odium eſt pronatum: quia lex noſtra cum cæteris gentibus cibum potumque ſociare vetat: quæ duo mortalium animos potiſſimum jungunt, atque mutuo amoris vinculo devinciunt. Hinc doctores nos noſtri ab eo ſunt dehortati, dictitantes: Convictum* rendum facinus eſſe debere. Certum aliquod, & immane, quod tantâ divinæ irę notâ inſigniri debuit. Atque in hoc inquirimus, & inquirendum Judæis omnibus dicimus. Prout niſi ſublato malo ſanitas reduci firma non poteſt: ita nec Deus auferre virgam ſolet, aut vult, niſi agnito prius, & deplorato, atque, quantum in nobis eſt, emendato, ſaltem deteſtato, quod antea tum fecimus, tum probavimus, & afflictionum unicum eſt irritamentum, peccato. ii. *Majorum crimina* fateor ſæpe in poſteris quoque plectuntur; ſed in tertiam, inquit Deus, aut quartam generationem. Peccata nationalia, ut & quorumcumque eorundem criminum ſequacium, in poſteris etiam remotioribus: ſed non hoc, ubi ſequentes reſipiſcunt, & à longo jam tempore vitæ probaverunt emendationem. Quemadmodum Judæi dicunt, Majores ſuos ſub ſecundo templo ab idololatriæ crimine immunes fuiſſe: quare ut jam Deus priſcorum Patrum idololatriam in ultimâ poſteritate non plectat ſolùm, ſed tam atroci, imo & longè graviori, quam ipſos unquam auctores, pœnâ inſolens eſt, & à Dei providentia alienum. iii. Supereſt ergo aliud peccatum ſit, quod præſenti calamitate luere cogimini, verùm idololatriâ nequaquam inferius, quod gravius

cum gentibus viam eſſe expeditiſſimam, qua diſſidentes facile concilientur. Quemadmodum fuſius ad hæc Jer. cap. XIV. v. 22. *verba. Tu enim feciſti omnia hæc: rem ipſam explicuerunt. Tertia eſt cædes Jeſu Nazareni. Neque fruſtra Moſes* Exod. VIII. v. 24. *dixit. Quodſi mactaverimus ſeu immolaverimus abominabiles Ægyptiorum Deos in conſpectu eorum, nonne nos lapidibus obruent? Quarta cauſa ſunt graviſſima hæc tria amoris genera;* 1. *Amor legis.* 2. *Fœminarum.* 3. *Divitiarum: de quibus Hebræi cum cæteris gentibus pari libidine certant. Jam enim in Hiſpania Hebræi Chriſtianas puellas amare cœperunt: ex nimiâ, quam cum Chriſtianis habent, conſuetudine. Aliqui etiam libere pronunciare audent: Leve illud crimen eſſe, Chriſtianas amare puellas; cum levi luatur ſupplicio, fuſtuario inquam: minime videntes, ſe multis æmulorum inſidiis obnoxios eſſe; qui ipſis ſubinde vitam eripiunt: atque adeo Cabaliſtas ipſos æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactandos pronunciare. Hoc vero omnium graviſſimum & maxime miſerandum eſt crimen; ſi enim ſcortum ex Hebræo fiat gravidum; ſimulacrorum aliquando cultorem ipſum genuiſſe, certo certius erit. Divitiarum cupido impulit Judæos, ut falcem ſuam in mercaturæ et opificiorum Chriſtianorum meſſem non tantum immiſerint; ſed quod*

Deus nunc punit, quam multiplicem in Patribus veſtris horrendamque, & diuturnam, quin familiarem ipſis iniquitatem. Ad quod inveſtigandum peccatum animos ſi nunc intendatis veſtros, vel cogitari nullum dignius poteſt, quam hoc quod in Meſſiam deſignaſſe vos, aſſerimus. IV. Meritorum apud Deum veſtrorum non eſt quod tenuitatem dicas, inanitas dicenda fuerat. Quia nulla unquam noſtra apud Deum opera mereri, propriè dicto merito, niſi quæ mala, pœnas omnes, poſſunt. *Bonum meum non ad te,* בל עליך. Pſalm. XVI. 2. & CXLIII. 2. *ne congrediaris judicio cum ſervo tuo, nam non eſſet juſtus coram te ullus vivens.* V. Quod odium legis veſtrę diciris, certe non de nobis magis, quam vobis dici poteſt, imò de vobis prius. Nos enim legem divinam fatemur, accipimus, obſervamus: quin vos, & veſtram fidem, vitamque ex eâ coarguimus erroris atque peccati. VI. Perpetuum, ſed vanum, & contumelioſum Iudæorum ψεῦδος eſt, cujus pudere eos tandem incipit, nos cum gentibus comparare, & eodem ferè habere cenſu, ut, quę in gentes quadrare videntur, impingant nobis, ſed præter jus & veritatem. VII. Benè eſt, quod inter cauſas malorum ſuorum ponunt cædem Ieſu Nazareni, quę primo loco ponenda fuerat. Atque ita

omnium peſſimum eſt, furtis atque rapinis intenti ſint. Si enim quis Hebræorum in furto, aut rapina aliqua deprehendatur; Chriſtiani, more ſuo, unius ſcelus omnium Judæorum culpam faciunt; neque hercle ſine inſigni ſummi Numinis contumelia; ut verum fateamur, illi ex corruptiſſimis moribus noſtris, objiciunt nobis, nulla nos religione, aut lege teneri: quemadmodum triſti quidem, ſed vero ore vir ſummus Moſes Mecozi pronunciavit. Hoc unum ſcelus ad prorogandos errores noſtros ſatis momenti habere videtur: Enimvero quis neſcit, oraculum contrarias vitiis noſtris virtutes à nobis exigere? Zephan. cap. III. *vers* 13. *Reliquiæ Iſraëlis iniquitatem non admittent, nec loquentur mendacium; nec invenietur in ore eorum lingua doloſa. Sexta cauſa eſt, quod genti noſtræ pejerare nulla religio eſt, ſcripſitque Aben Eſra, hoc cauſæ ſatis eſſe, ob quam exilia noſtra proferantur. Septima eſt ſuperba ambitio, quâ aliqui ex gente noſtrâ laborare cœperunt: adeo, ut in Chriſtianos loci indigenas, rerumque dominos, ſuperbe imperium affectaverint. Cauſa etiam fuit prava ambitio, quod eodem anno, in quo ex Hiſpania pulſi fuerunt, ipſa expiationis nocte in conciliabulo ſuo quidam de loco inter ſe certantes, correptis facibus, quæ ante ſacræ legis repoſitorium rite accenſæ ardebant, alii alios petiverint: atque hujus generis* ita ipſos habemus confitentes reos. Et præcipue quidem obſervari hoc à nobis caput debet. VIII. Sed peſſime additur ex *Exod.* VIII. 24. quaſi cum Ægyptiorum falſis atque deteſtandis Numinibus ac idolis conferri Ieſus mereatur: quam blaſphemiam ex iſtis, quę Ieſu noſtri, hoc in libro attulimus, dictis factiſque abunde refutamus. IX. Nec mirari ultra debent, ex iſto contra Meſſiam facinore atque blaſphemia, reliqua peccata, tanquam ex ſcaturigine malorum, profluxiſſe, quæque hic narrant ipſorum libidines. Quid verò ſub amore legis innuant, & an recte hoc ex Hebræo verſum, quia Hebræo deſtituor codice, dicere nequeo. X. Annotari etiam iſtud debet, quantus horror & deteſtatio ſimulachrorum in Papatu, Judæos merito teneat, ut hinc illicita illa conjugia & concubitus damnent, quod progenerent cultores imaginum abominandos. XI. Uti quoque quod ad prorogandas ſuas miſerias haud minimum conferre ingenue fatentur, crebra, quibus gens infamatur, furta, & in Chriſtianos præſertim odia atque fraudes. Inſuper & quæ fraudibus facile comites ſe aſſociant, perjuria. Tum ambitio, aliaque id generis crimina. Non illa ignoramus, vel inficiamur apud Judæos vehementer dominari: ſed vulgaria ſunt & com-

neris crimina per gentem noſtram regnant plurima. Hinc juſtiſſimus ſcelerum vindex Deus, quem flagitiis noſtris irritare non deſinimus, fatalia hæc mala in tot ſecula producit. communia, ad ſingulare autem aliquod denotandum facinus, cujus & omnes rei ſint, & ſingularem hanc pœnam peculiari ratione fuerit meritum, quæ omnem Judæorum involvit nationem & homines, nihil dici poteſt, præter cædem Jeſu noſtri, quo ex fonte omnia ipſorum inde mala, & peccata & miſeriæ, provenerunt.

Judæus, in Amicâ Diſputatione, *pag.* 12. ad quæſtionem eandem: *quænam ob peccata Deus Judæorum regnum evertit tali everſione, quæ tam multis annis duravit?* reſpondet,

Quamvis Judæi peccata ſua hominum nulli ſed ſoli deo confiteantur, neceſſarium tamen eſt his & ſimilibus caſibus peccata noſtra confiteri ad gloriam et comprobationem juſtitiæ divinæ, tum etiam quia publicata ea ſunt ac divulgata per os omnium prophetarum. Et ne à propoſita nobis brevitate recedamus, Remitto lectorem ad 16. *caput Ezechielis, ubi peccata Iſraelis prolixè ac particulatim perſecutus ad hunc modum loquitur: Vivo ego dicit Dominus: Sodoma ſoror tua una cum vicis ſuis non ſic fecit, quemadmodum tu & vici tui fecerunt. Hic ergo receſſat admiratio ob diuturnam noſtram captivitatem. Nam hanc patimur in locum integræ vaſtationis & exciſionis, quæ Sodomis accidit, & quæ nos divina miſericordia vindicat. Idem teſtatur propheta Eſaias dicens: Niſi dominus Sebaoth reliquos nobis faceret paucos aliquot, facti eſſemus ſicut Sodoma & Gomorra. Nec eſt quod adjiciat quis, cum liberatione è captivitate Babylonica hæc peccata*

Reſp. I. Dumque lectorem ad XVI. Jezechielis remittis caput, quid aliud facis, quam declinare ictum & quæſtionem, atque, uti qui propoſito nihil queunt dicere conveniens aptumque, extra ſcopum evagari ſolent, ſic tu quoque aliena ſecteris, dum in propriis hæres. Non de peccatis agimus, quæ ſub templo primo commiſerunt Judæi, & ob quæ ſæpius caſtigati, tandem etiam in captivitatem abducti fuerunt: ſed de peccatis, quæ ſub ſecundo templo hanc ipſis attulerunt exciſionem, & rejectionem. II. Illa peccata luit populus captivitate annorum ſeptuaginta; at ſæcula jam exierunt, quod præſentem ſuſtinuit calamitatem, quo graviorem, eo atrocioribus criminibus ſibi illatam. III. Neque hæc patimini tanquam aliud quid & levius in locum integræ vaſtationis & exciſionis, ſed pro exciſione & vaſtatione ipſa. quid enim vaſtari & excindi eſt imperium,

Digitized by Google

jam olim eſſe condonata, noſque diuturnam hanc perpeti captivitatem ob alia peccata ſecundi templi temporibus commiſſa. Nam liberatio è Babylone nihil aliud fuit quam exploratio quâ Deus experiri voluit, an cum reſtitutione templi & regni poſſent abbreviari & expiari enormia iſta quæ commiſerant adulterii, homicidii & idololatriæ peccata. Sed pro antecedentium debitorum ſolutione quam præſtare debuerant, nova inſuper debita accumulaverunt, & ne vel ratio vel prætextus ullus reſtaret, unde contrarium ſibi quiſqiam imaginari poſſet, per manus Salmanaſſaris decem tribus in captivitatem paſſus eſt abduci in regiones nobis incognitas, ſexcentis fermè annis ante deſtructionem templi ſecundi, hoc eſt ante præſentem hanc noſtram captivitatem, necdum in hodiernum hunc diem in terram ſuam reverſi, aut dominio ſuo reſtituti ſunt. quæ omnia ſpeciali Dei providentia ita nobis evenerunt, ne quis cauſam hujus noſtræ captivitatis ſpeciali alicui peccato ſub ſecunda domo aut templo commiſſo imputaret, cum decem tribus quæ tum abfuerunt captivitatem pati debeant ſexcentis annis longiorem. In hoc ergo reſponſo noſtro quivis non præfractus aut affectibus excæcatus acquieſcet, cum apertum ſit peccata populi Iſraëlitici ita multiplicata eſſe, ut ſi quis alius populus tot & tam gravia peccata deſignaviſſet, cui Deus fidem ſuam perium, ſtatumque populi, ſi non hoc veſtrum eſt? niſi quod nomen vobis, & diſtinctio gentis, aliaque adhuc ſuperſunt, non præſentis rejectionis contraria, ſed futuræ & ſperandæ converſionis benè ſuſpicienda argumenta. IV. Utcunque dicatur integra vaſtatio & exciſio, vel non, eam tamen fatimini vos meritos fuiſſe, & ejus loco præſentem pati ſortem: at unde hoc jam magis, quam olim, & meriti, & experti? Quidem ſi Deus nobiſcum agere velit pro merito, ſemper cauſæ ſatis habet ad integram immittendam vaſtationem & exciſionem, ſed modus & proceſſus divinæ providentiæ obſervandus eſt, & non adeo quid Deus ex juſtitiâ poſſit, ſed ex clementiâ & ratione fœderis ſoleat, & præſertim ut cum illo populo agere conſueverit, cui tam amplas & pretioſas concredidit promiſſiones. Quomodo illum jam abjecerit à ſe, judicio adeo peremtorio & diuturno, niſi quod ſingulari modo Deum, ejus fœdus, & benignitatem omnem in Meſſiâ, tam copioſe, & ſingulariter promiſſam oblatamque, indigno modo reſpuerit & conculcarit? Quod peccatum uti fœderis non rupturam aliquam, ſed integram abolitionem & repudium in ſe continet, ita ut ſimili à Deo æquetur vindictâ, & rejectione

non obligâßet jurejurando nunquam futurum ut prorſus interiret, jamdudum ex hominum memoria deletus eſſet. quamobrem mirari nemo debet, ſi in locum merita exciſionis diutina hac captivitas nobis impoſita fuerit, quemadmodum ſi facinoroſo vita donaretur, mórſque, quam peccatis ſuis commeritus eſſet, in longam captivitatem commutaretur.

populi à ſe, omnino juſtum eſt æquumque. V. Quis vobis dixit, liberationem ex captivitate Babylonicâ nihil aliud fuiſſe, quàm explorationem officii. & non meram plenamque liberationem? VI. Illa peccata, adulterii, homicidii, & idololatriæ, ob quæ primum devaſtatum templum dicitis, ſub ſecundo imminuta fuiſſe, & quod ad graviſſimum illorum, idololatriam, ejus immunes puroſque fuiſſe ſecundi templi homines, aſſeritis. Ut propter illa prioris templi ſcelera, luere non debeant ſub, & à templo ſecundo illorum inſontes poſteri hucuſque. Kimchi in *Jezech.* XI. 14. *& Jeſa.* I. 30. מימי חרבן בית ראשון ואילך לא היו עובדים עבודה זרה בישראל, *à deſtructione prioris templi non fuerunt in Iſraele idololatriam committentes in hortis & ſub quaque arbore viridi, ſicuti antea fuerant; neque illorum ratio fuit habita niſi apud generationem illam, quæ fuit templo priori.* Nempe inquit, quum vidiſſent tempore deſtructionis templi, quod luci neque Idola illos ſervare ab hoſte & à captivitate poſſent, erubuerunt, atque agnoverunt vanitatem eſſe & idololatriam לפיכך לא היה בבית שני עובדי עבו' זרה כלל בישראל *ideoque plane nulli fuerunt idololatræ ſub templo ſecundo.* VII. Tum Propheta dicit, *cap.* XVIII. 20. Filium immunem non laturum peccata parentum. Quare ſi & hodie idem iterum velitis dicere: *Patres comederunt omphacem, et dentes filiorum obſtupeſcunt.* Nos vobis opponimus illud, quod ſequitur, *vivo ego dictum Jehova, ſi amplius uſuri ſitis hac parabola in Iſraële. En omnes animæ meæ ſunt, æque anima patris atque anima filii meæ ſunt: anima quæ peccat ipſa morietur.* Atque inde verſ. 20. *anima quæ peccat ipſa morietur; filius non feret iniquitatem patris, & pater non feret iniquitatem filii. juſtitia juſti cum ipſo erit, & improbitas improbi cum ipſo erit.* Hæc eadem vobis regerimus. ſiquidem antiquam reſumere querelam libuerit, de priſcorum, & qui ſub primo olim deliquerunt templo, peccatis. VIII. Quinimo hodie voſmet ſanctos facitis puroſque præ majoribus veſtris & qui non tale mereatis ſupplicium, ac hoc eſt, in quod vos illi ſuis flagitiis induxerint. Menaſſe, Concil. in Geneſ. XLIII. pag. 65. *etenim nos*, inquit, *qui nunc ex populo Iſraelitico in captivitate ſumus, nequaquam graviter adeo peccamus, quam fecerunt*

fecerunt majores noſtri, & fortaſſis, ſi adhuc in patria eſſemus, non ejiceremur inde. Obſervate ipſi, quomodo primùm Majores templi ſecundi ſanctiores faciatis illis templi primi; deinde vos nunc iſtis; ut nec iſtam calamitatem vobis videamini meriti, quam vobis intulerunt, &, ex veſtrâ ſententiâ, inique vobiſcum agatur, tam probe vitam nunc inſtituentibus ſupra omnes veſtros anteceſſores, quorum indigni ſcilicet feratis peccata, & pœnâ quidem graviori, quam vel ipſi unquam, vel veſtrûm ulli. perennante etiam quotidie in poſteros veſtros miſeriâ. Utcunque diu vos torqueatis in indagando peccato vel primum meritarum afflictionum, vel continuatarum hucuſque, deprehendetis nihil quod illis æque reſpondeat, ac communis culpa infidelitatis erga Meſſiam, quodcumque etiam ſit de vitâ veſtrâ reliquâ, ſive meliori, ſive deteriori. IX. Ex tribus peccatis, primi templi mala & vaſtationem meritis, adulterio, homicidio, & idololatriâ, quum idololatriam ſub ſecundo templo deferbuiſſe dicatis, & tamen propter accumulata illa exciſionem ſecundi templi accidiſſe, neque hoc tantopere in culpa adulterii ſub ſecundi, præ primi templi tempore poſueritis, ſupereſt crimen homicidii, vel vobis fatentibus, (nam paſſim Judæi hoc peccatum ſecundi templi præ aliis notant, atque extollunt. Joſephus etiam, *lib.* VII. de bello *cap.* IV. (ex quo tum genere illud petendum, quod ſecundo templo & vobis mala omnia attulit. Atque hoc quia non leve, aut vulgare conſtitui debet, utpote extraordinariam tantamque pœnam commeritum, ſed eminens aliquod & infandum, convenientius nihil propiuſque dici poteſt, quam, quod nos, parricidium Meſſiæ; quod nec Judæi, neque ulli negabunt, proprium, dignumque illâ ultione facinus fuiſſe. X. Decem tribus quid in ſupremam egerit captivitatem & excidium, colligi aliquatenus ex Sacris poteſt, idololatria & contemtus Dei apertus, non ſimplex, non unius generis, ſed tum quod ab Iſraele incepit omnis abominatio, & exemplo ſuo peccare fecerunt reliquos & Judam quoque, & non aliquorum vel interrupta idololâtria, ſed perpetua & diuturna fuit, nec ullis afflictionibus vel ipsâ adeo captivitate correcta, & fœdiſſima quæque maximeque abominanda, illa uti Dei plenam deſperatamque continebant oblivionem & religionis fœderiſque omnem defertionem, ita Deum viciſſim illos à ſe rejeciſſe, & gentem fere aboleviſſe totam, nulli aut mirum, aut obſcurum, ne iniquum dicam, videri poteſt. Tum, neque voluerunt una cum aliis duabus tribubus exire loco & captivitate decem tribus, quando

 permixti

Digitized by Google

permixti aliis vivebant in Babylone Aſſyriacæ captivitatis Judæi. Quod Joſephus teſtatum reliquit, Antiquitat. lib. xi. cap. v. ubi de Eſdra, *advocata deinde Judæorum concione qui apud Babylonem degebant, & perlecta epiſtola, ipſam quidem retinuit: exemplar verò ejus in Mediam ad omnes ſuæ gentis homines tranſmiſit, qui cognita regis erga Deum pietate, & erga Eſdram benevolentia, omnes vehementer ſunt lætati: multi verò ex eis aſſumptis ſuis facultatibus Babylonem venerunt, cupientes reverti Hieroſolyma. Reliqua Iſraëlitarum multitudo aſſuetum jam domicilium noluit relinquere. Quapropter duæ tantùm tribus per Aſiam et Europam ſub Romano degunt imperio: decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem ſunt, infinita hominum millia, quæ vix eſt numero comprehendere.*

Manet ergo, rejectionis populi Judaici à Deo cauſam propiorem nullam aſſignari poſſe, quam rejectionem Meſſię ab ipſis. Quæ vera divinæ talionis pœna eſt & ſpecies. In eo ergo quod Meſſiam Judæi contemſerunt & crucifixerunt, *meriti* iſtam à Deo pœnam fuerunt. Cujus ſententia, uti in proceſſu judiciali ſolet, *pronunciata* per Apoſtolos fuit, hunc in ſenſum, Act. xiii. 46. *Vobis*, inquiunt Judæis, *oportuit primò loqui ſermonem Dei: quoniam verò repuliſtis eum, voſque haud dignos habetis æternâ vitâ, ecce, convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Verùm *exequutus* ſententiam & judicium ſuum Deus ipſe fuit everſione populi & gentis manifeſtâ & peremtoriâ, quam Daniel Propheta antè prædixerat, ad Meſſię exciſionem, ſequuturam. De quâ Prudentius, in Apotheoſi, contra Judæos,

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patriâ de ſede revulſus,
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.
En quò priſcorum virtus deflexit avorum!

CAP.

Digitized by Google

Cap. V.

JUDÆORUM CONTRA JESUM MESSIAM OBJECTIO.

Jeſa. II. 2, 3, 4. *exponitur, & vindicatur, contra Iudæos. De monte ſupra alios evehendo ac conſtituendo. De confluxu gentium ad eum: & pace, quam doctrina Meſſiæ allatura eſſet. Quod de naturâ doctrinæ explicandum, non de eventu apud homines Effectuſque ille doctrinæ Chriſti apud Gentiles, juxta Prophetam, oſtenditur. Denique teſtimonium Ioſephi de Chriſto quod habet Antiquit.* lib. XVIII. cap. IV. *profertur, & ſententiæ ſuper ejus veritate producuntur.*

Quæ adverſus Jeſum Meſſiam ſingularia ſuis quæque locis, & contra ejus ortum, vitam, vivendique ſtatum objici à Judæis ſolita, ubi res tulit, diſcutere & refellere non deſtitimus, adeo ut hinc nobis hoc poſtremo capite, quod refutandis illorum objectionibus deſtinavimus, facilior opera futura ſit. Neque aliquod ſupereſſe ſcimus, quod in genere urgent, vel argumenti locum habere poteſt, niſi ex Jeſaiæ ſecundo capite quod proferunt: ubi nonnulla videtur ponere Propheta, in diebus Meſſiæ futura, quæ hodie, vel à Jeſu noſtri tempore impleta non adeo liquet. Dicit Propheta, poſtremis temporibus vel diebus, quod omnium, qua Judæorum, qua Chriſtianorum, conſenſu eſt tempore Meſſiæ, fore montem Domini excelſum ſuper reliquos alios montes, & ad hunc confluendas mundi nationes, victuraſque altâ adeo pace, ut gladios in ligones vomereſque converſuræ ſint. Locus ita habet, eſtque primarius; quem Judæi contra Chriſtianos paſſim obtendunt, cap. II. 1, 2, 3, 4. *Verbum quod vidit Jeſaias filius Amos, ſuper Jehudâ & Jeruſalem. Erit autem ultimis diebus, præparatus erit mons domus Domini in vertice montium, & elatus ſupra colles, & confluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi dicentque, venite, adſcendamus in montem Domini, in domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in itineribus ejus, nam ex Zione prodibit doctrina, & verbum Jehovæ Jeruſalemo. Et judicabit inter gentes, & corripiet populos multos, & tundent gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces; non attollet gens in gentem gladium, neque diſcent amplius bellum.* Contrà, inquiunt Judæi, res ſe habent cum adventu Jeſu, atque inter eos qui nomen ejus profitentur, ſeque Chriſtianos appellitant, ut nihil fere diligentius aut diſcant, aut tractent, quam bella. Tum non viſæ cum Jeſu gentes adeo confluere Jeruſalemum & Zionem, quin potius abdu-

Digitized by Google

abductæ & diſperſæ inde fuerunt : & nihil minus apparuit, quàm mons Domini excelſior aut conſtitutus ſupra montes alios. Hæc in univerſum ſunt, quæ hoc ex loco objiciunt, ad tria præſertim revocanda capita. I. montem, cum Jeſu Meſſiâ, illum non fuiſſe elevatum, conſpectumque ſupra alios. II. non ad eum gentes omnes confluxiſſe. III. neque eas in mirabilem iſtam & univerſalem conſenſiſſe pacem. Imo contra, ab adventu Chriſti, & inter Chriſtianos quidem maxime bella vigere & viguiſſe ſemper, quodque indigniſſimum, ſuper ipſâ ſæpe religione, & doctrinę Chriſti articulis. Quin & à Chriſto ipſo hoc prædictum vel ſignificatum fuiſſe, quum diceret, *ne exiſtimate quod venerim miſſurus pacem ſuper terram, non veni pacem mittere, ſed gladium.* Matth. x. 34. *Reſp.* ad ſingula. I. de monte quod dicitur, non ad litteram interpretandum, ſed uti ſimilis commatis alia, de quibus hujus libri *cap. ſecundo* egimus, & ſententiam ex Maimonide comprobavimus, parabolice, de elevatione doctrinæ ſacræ, temporibus Meſſię, quæ futura eſſet inſtar urbis ſupra montem poſitę, quo ſimili Chriſtus Apoſtolos ſuos, eorumque deſignavit officium, *Matth.* v. 14. Atque ita ab hoc Propheta, cap. LII. 13. *Ecce proſperabitur ſervus meus, extolletur et elevabitur, & altus erit valde* ירום ונשא וגבה מאד. De Meſſia locum etiam Judæi exponunt, עבדי משיחא, *ſervus meus Meſſias*, inquit Chaldæus. Cap. XL. 9. *adſcende tibi in montem altum quæ evangelium annuncias Zion, attolle fortiter vocem tuam, quæ evangelium annuncias Jeruſalem; attolle, ne timeto; dic civitatibus Jehuda, ecce Deus-veſter.* Atque hoc illud eſt, quod *cap.* II. elevatione montis ſignificare Propheta voluit. Etiam R. Selomo Jarchi illam montis elevationem non intellexit literalem aut materialem, ſed quod ad ejus dignitatem & æſtimationem בנסים, qua aliis montibus, Sinai, Carmelo, & Tabor foret præferendus. Deinde, neque aliud confluxus gentium ad montem illum notat, quam eorundem ad doctrinam Chriſti, in aperto poſitam, omnibuſque lucentem, vocationem & converſionem. Hoc ſignificatum per cauſam accurrentium populorum expreſſe additam, *ut doceat nos de viis ſuis* &c. III. dicuntur illi arma & hoſtilitatem depoſituri, quotquot huc affluentes doctrinam Domini admiſſuri eſſent. Atque hoc omnino verum, certumque, ſcilicet de doctrina & religione Chriſti noſtri, cujus hic notatur ipſa natura & indoles, ad pacem hortans deducenſque, ſuâ ſingulari naturâ & vi. Quod homines, etiam qui eam profitentur, minus pacifice vivunt, & rixantur, contendunt, præliantur forte etiam ſuper

cauſa

cauſâ & rebus religionis, næ in hoc religioni ipſi ſacratiſſimæ atque intemeratę ſummam faciunt injuriam atque ignominiam, quæ lites, diſcordias, & quas alter alteri infert noxas, ſummopere deteſtatur atque damnat. Ut, ſi ex præſcripto doctrinæ Chriſti vivere velimus, non arma ſolum, ſed omnem armorum bellorumque cupiditatem, & primos omneſque nocendi appetitus exuere prorſus & deponere debeamus, utpote qui interdixit non ſolum ne ex vindictâ oculum pro oculo, dentem pro dente cuipiam excutiamus, ſed vel dicere male, aut cogitare, non raca impingere fratri, aut fatue, quin & temere nos verberanti, adeo nullam intendere ultionem, ut alteram potius nos maxillam objicere, quam ſe vindicare, voluerit. Quid videtur? nonne ſatis hic docuit, depoſito omni bellandi, præliandi, vexandi, contendendique ſtudio, pacē ſectari ſolam, & cum aliis, cum omnibus quietè agere, nomina ipſa inſtrumentaque odii ignorare? id eſt, juxta ſtylum Prophetæ noſtri, gladios in vomeres, haſtas in falces convertere? Atque naturam doctrinę à Meſſiâ docendę, & à monte Zionis exiturę deſcribit Propheta, non quod homines ſecus, & adverſus eam, per accidens malitiæ ſuę, eſſent commiſſuri. Notum eſt, quod aliud ſit vitium *doctrinæ*, aliud *hominum*, minus bene ex doctrinâ viventium. Certe doctrina Chriſti tota pacis eſt, unde etiam Euangelium εἰρήνης dicitur, *Epheſ.* VI. 15. & Chriſtus eâdem Epiſtolâ, *ἡ εἰρήνη ἡμῶν* &c. *ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ. Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην.* *Epheſ.* 14. II. 15. 16. 17. Melchiſedeck, rex Salem, quod eſt rex pacis, *Heb.* VII. 2. Quare & eo nato, acclamatum ab Angelis, de cœlo, *pax in terrâ*, Luc. II. 14. Ipſeque, *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Ioann. XIV. 27. Qualia inſuper in Euangelio, de Chriſto plurima.

IV. Quod autem aliâs dixit, ſe non veniſſe pacem mittere, ſed gladium, explicat *Luc.* XII. 51. non a ſe, aut doctrinâ, vel ſpiritu ſuo hoc futurum, ſed per accidens, ad ſui prædicationem & doctrinam id, per hominum malitiam, ſequuturum, quæ uti ex rebus ſolet innocentiſſimis, ita ex Chriſto præſertim, quo magis vitiis hominum adverſus omnem ſuaderet pacem atque probitatem, anſam caperet diſſidiorum & contentionum. Quemadmodum *Jeſa.* VI. 9, 10. dicitur ad oblatam concionem animus populi pingueſcere, & indurari, non per ſe, non vi concionis, ſed proprie ex hominum malitiâ, objectâ veritatis pietatiſque doctrinâ turpiter abutentium. Qua ratione & Chriſtus dixit, Joann. IX. 3. *In judicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, & videntes occæcentur.*

V. Dicitur in textu prophetico, quod Meſſias inter gentes

judica-

judicaturus, eoſque ita correpturus eſſet, ut hinc edocti arma abjicerent, & deteſtarentur bella. Quod revera Chriſtus inter illos præſtitit, ſuâ tum doctrinâ, tum ſpiritu. Nam quum antea efferi & truculenti eſſent homines, belluarum inſtar viventes, immanibus odiis contra ſe mutuo incitati, ad modeſtam & ſedatam, eamque non rationalem modo & humanam, ſed & religioſam illos adegit vitam ſola Chriſti doctrina, & pacis prædicatio Euangelica, hæc quæ homines facit eſſe cor unum, unamque animam. *Act.* 11. 44, 45. *et* IV. 32. Qui ferina rabie, & moribus plane belluinis, nulla fere niſi externa formę ſpecie hominem referebant, Chriſti audito acceptoque nomine derepente quaſi cicurati & manſuefacti, non tractabiles, ſed & amabiles redditi Deo, hominibuſque. *Quis non ipſa rei mirabilitate obſtupeſcat?* merito cum Euſebio, *lib.* 1. Demonſtrat. Euang. *cap.* VI. interrogamus, *quum eos qui à condito ævo, lapidibus, & lignis, et dæmonibus, belluiſque humana carne victitantibus, et reptilibus venenatis, animalibuſque omnis generis, & feris informibus, ignique, et terræ, et ipſius univerſi inanimatis elementis, divinum honorem et cultum tribuebant, altiſſimum Deum, & cœli et terræ opificem, ipſum utique prophetarum Dominum, Deumque Abrahami, & avorum ejuſdem, poſt Salvatoris noſtri adventum, videat invocantes? et eos qui paulo antè à matribus, & filiabus libidine non abſtinebant; ſeque mutuo inter ſe corrumpebant, & omnis generis cruentationibus et cædibus inquinabant, qui nihil ab immanibus feris, victu ipſo differebant, nunc per Salvatoris noſtri divinam virtutem mutatos, et quaſi ex aliis alios factos, ſermones de virtute, modeſtiæque præcepta ut diſcant, in communes ſcholas aſſiduè convenientes? atque adeo quidem, ut tam fœminæ quàm viri, tam pauperes quàm divites, tam vulgares & ignari, quàm docti, etiam pueri, & mancipia non minus in agris, quam in urbibus, in loca certa conveniant, ut ſupremam illam philoſophiam ediſcant?* Et cum Theodoreto, (nam libenter admodum hæc Antiquos obſervantes referenteſque audimus) Serm. IX. *Perſicæ itaque nationes, quæ jam pridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, ſororum, filiarum connubiis ſuſque deque commixtæ, remque juſtiſſimam arbitrantes id quod erat facinus injuſtiſſimum; audita piſcatorum lege atque accepta, Zaradæ leges ut iniquitatem maximam conculcarunt, Euangelicamque temperantiam protenus amplexæ ſunt* &c. *Maſſagetæ vero, miſerrimos eſſe homines arbitrati qui alio mortis genere quam violenta nece decumberent, quique idcirco legem de mactandis ſenibus comedendiſque tulerunt; poſtquam piſcatorum leges ſutorumque acceperunt, abomina-*

minabiles illas dapes ac hoſtias pertæſi ſunt. Tibareni quoque ſoliti olim ſeniores abaltiſſimis rupibus dare præcipites, legem iniquiſſimam conſciderunt Euangelica lege accepta. etc. Atque ita quod Prophetæ noſtri vaticinio de Meſſiâ, ejuſque temporibus dictum, revera Chriſto noſtro, ejuſque doctrinæ, & & temporibus convenire atque tum luculenter adimpletum, oſtendimus.

Ieſu autem noſtro egregium, & ſupra Iudaicum attributum eloquium legitur apud Flavium Ioſephum, Antiquitat. *lib.* XVIII. *cap.* IV. quod quia dubiæ fidei habetur apud Chriſtianos ipſos, & Iudæi palam rejiciunt, ideo non attuli vel iſto loco, vel modo, quo tale ſiquidē eſſet ἀναμφισβήτητον mereretur. Alii tamen genuinum aſſerunt. Et propterea in diſputatione noſtra omnino, ſaltem hoc loco, omiſſum nolui. Satis verò oſtendo me aliis potius fidere argumentis, quam huic. Locus ita habet: γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ. *Eodem tempore fuit Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimoſque tam de Judæis, quam de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominus non diſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia dei vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa miranda prædixerunt: & uſque in hodiernum Chriſtian. genus ab hoc denominatum non deficit.* Citat pro Ioſephi illud teſtimonio, inter Veteres, Euſebius in *Hiſtoria Eccleſiaſtica, lib.* I. *cap.* XI. Atque, in *Demonſtratione Euangel. lib.* III *cap.* VII. Hieronymus, in *Catal. Script. Eccleſiaſt.* Suidas, in *Lexico, Tom.* I. *pag.* 12. 65. *voce* Ἰώσηπος. Hermias Sozomenus, in *Hiſt. Eccleſ. lib.* I. *cap.* I. Atq; Ioſepho illud vindicatum eunt, Baronius, *Annal. Tom.* I. *ad a.* 34 *num.* CCXXVI. Bellarminus, *de Scriptorib. Eccleſiaſticis, pag.* 26. Ant. Poſſevinus, in *Apparatu ſacro. Tom.* I. *pag.* 966. Atque ex Proteſtantibus, Sebaſtianus Lepuſculus inter Epiſtolas Philologicas Goldaſti, *Epiſt.* LXI. Wilhelmus Schikardus, in Serie Regum Perſicorum, ſeu *Tarich. pag.* 61. Ioh. Mullerus, in ſuo *Judaiſmo, part.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 1101. Ioh. Tobias Major, *Exegement. in Act. Apoſt.* II. 22. Magnus vir Gerardus Iohannes Voſſius, ſic de eo, *lib.* II. *de Hiſtor. Græcis. cap.* VIII. *Illuſtre apud eum de Chriſto teſtimonium habemus in duodevigeſimo Antiquitatum libro: unde illud etiam citat Hieronymus in Eccleſiaſticorum ſcriptorum Catalogo, item Suidas in* Ἰώσηπος. *Mirum verò non meminiſſe ejus Photium, in excerptis ſuis* cap. LXXVI. Ex adverſo alii diſputant, & locum cenſent ſuppoſititium: ex luxata & hiante

 (uti

(uti putant) connexione, quod totum eſt quod objiciunt. Neque enim ut multi multa in Veterum ſcriptis olim mutarint, addiderintque, ideo hujus apud Joſephum loci ſimilis res eſt & caſus. Neque eſt quod adeo mirum videatur teſtimonium à Joſepho Chriſto perhibitum, ſupra teſtimonium quod idem Scriptor de Johanne Baptiſtâ protulit. Niſi & hoc etiam, quia elegans & admirandum, propterea in dubium trahas, quod neſcio an ulli hactenus fecerint. Jam autem omnia fere contra hoc objicias, quæ contra illud. Unde annon illud quoque de ſermonis, qui videtur, interruptione & ἀνακολουθίᾳ, ſolvi poſſit, quæ an tanta revera ſit ac putatur, & annon paria ei exempla ubique dari poſſint, ego impræſens non diſputo. Qui vel proinde, quia non pro certo ab Eruditis nonnullis illud haberi ſciebam teſtimonium, ne aliorum certitudinem hac ratione ullatenus comminuerem, non præterire quidem, ſed nec urgere, volui, in hac gravi materiâ, ubi de fundamento & ſumma rei agitur, nempe de Meſſiâ, quis ille ſit. Quam noſtram diſputationem hoc contextam libro concludere nullo alio epiphonemate debemus, quam illo quo Philippus apoſtolus ad Nathanaelem uſus legitur, quodque libri hujus argumentum fuit,

Joann. I. verſ. 46.

Ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ Προφῆται, εὑρήκαμεν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ.

LIBER

LIBER QUARTUS.

DE

HOMINE.

CAPUT PRIMUM.

DE

CREATIONE.

ORdo libri. Solus Deus creator. Cætera omnia creata. Mundum hunc Cabaliſtæ docent ſecundum eſſe, non primùm. De Sephiroth, ſeu emanationibus Dei. Atque refellitur eorum ſententia de attributis Dei, ab eo diverſis. De Angelis, eorumque generibus, ſecundum Iudæos, tribus. De dæmonibus. Creatione animarum. De animâ cæli. Adamo bicorpore. Et, quo anni tempore mundus creatus ſit, diſputatum.

SEquaretur jam quidem, ut in incepto de Meſſiâ argumento progrederemur ad reliquas tum de perſonâ, tum officio ejus diſputationes; ſed quia etiam aliqua tractanda cum Adverſariis ſunt de homine, ejuſque ſtatu, quem ut reſtitueret redimeretque, Meſſias in mundum venire oportuit, de eo, antequam de officiis & beneficiis Meſſię, agendum exiſtimavimus. Quo magis pateat cauſa, ob quam Meſſias venit, & peregit ea paſſuſque fuit, quę pati debuiſſe, ſuo tum loco oſtendemus. Et ne ignoremus, quę ſuper illo etiam articulo Judæi nobiſcum diſputant. Duobus autem tota hæc abſolvitur diſputatio, &, quem huic diſputationi deſtinamus, liber, de homine *creato* primùm, tum *lapſo*. Ibi, præterquam hominis, etiam aliarum rerum creationem attingemus, prout ſingulares Iudæorum ſuper ſingulis obſervamus opiniones, vel errores.

Creatorem, ex primis legis verbis omnes ſcimus, eſſe ſolum Deum; reliqua ab eo facta. בראשית ברא אלהים, *in initio creavit Deus*. In rerum omnium initio, hoc primum fecit Deus, quod crearet. Atque ita principium operum, quoque principium eſt verborum Dei, & quod fecit

 Deus

Digitized by Google

Deus primum, item argumentum eſt ejus quod primum ſcripſit, aut ſcribi voluit. In principio creavit, idem eſt, quod primum fecit, inquit Philo. *Antequam mundus crearetur*, dicunt Hebræi, *erat ſolus Deus benedictus & nomen ejus*, עד שלא נברא העולם הקבה" היה ושמו בלבד, R. Eliezer, in Capitulis. Nomen Dei faciunt idem cum Deo, hinc illud, שמו הוא והוא שמו, *nomen ejus ipſe, et ipſe nomen ſuum*. Per nomen Dei deſignant Dei ſcientiam & infinitam potentiam, inquit Menaſſe, *Problem.* III. *de Creat.* Illud petitum exiſtimo ex Zach. XIX. 9. *In die illa erit Dominus unus, et nomen ejus unum.* Atque ſolum Deum creare poſſe, & creaſſe, aliàs non diffitentur. Menaſſe, Problem. *pag.* 55. *Quamobrem affirmamus cum iis qui melius hac de re ſentiunt, mundum univerſum à Deo conditum eſſe abſque ullo medio: uti conſtat ex primo Geneſios; In principio creavit Deus cœlum & terram. Unde efficitur Deum eſſe autorem univerſi, & aliud quid ſtatuere cauſſam univerſi, Scripturis repugnare. Atque ita antiqui ſapientes cenſuerunt: quare in Bereſſit Rabba dicunt ſolum Deum creaſſe univerſa, & ad illud comprobandum adducunt verſum Jeſaiæ: Ego Dominus feci omnia, ſolus extendi cœlos, terramque per me ipſum expandi.* Et pag. 99. *Præterea dici poteſt pluribus in locis quoque, per Elohim intelligendos eſſe angelos: ſed nimis abſurdum foret, attribuere creationem ulli alii rei, quam primæ cauſæ.* Quo configuntur aliorum expoſitiones quas adfert in Geneſ. I. 26. *faciamus hominem*, verba hæc exponentium de alloquio Dei ad cauſas ſecundas, intelligentias, elementa, vel animas, de creando ſecum homine. Quod ſuo loco plenius examinabimus. Quomodo verò cum illis concilient, quod R. Eliezer inquit, *cap.* III. ſeptem condita eſſe antequam mundus crearetur, vid. legem, gehennam ſeu infernum, Paradyſum, thronum gloriæ, ſanctuarium, reſipiſcentiam, & nomen Meſſiæ, ipſi viderint. Credo, ad allegoriam confugituros. Simile illud fere cum Theologiâ Muhammedis, quâ dicitur, quod Deus in principio propriis ſuis manibus fecerit calamum, quo conſcriberet omnia, quæ à mundi initio ad finem uſque fierent; Adamum; Thronum, Majeſtatis ſuæ ſedem; atque Paradyſum. Cæterùm Judæi aliàs omnia creata eſſe & ipſam quoque materiam, ex quâ reliqua educta, diſputant, atque etiam ex Scripturâ probant. Menaſſe, *Problem.* III, & IV. Et mundum adeo non eſſe æternum docent, ut inter articulos fidei fundamentales hoc recenſeant, atque contrarium aſſerentes habeant pro hæreticis: nempe juxta doctrinam de articulis fundamentalibus R. Maimonidis: nam, aliter illos à

R. Ioſe-

R. Joſepho Albo recenſeri, ſupra à nobis expoſitum. Contra negantes mundi creationem agit idem Maimonides, More *Nevochim*, *part.* II. *cap.* XIII. Philo, in initio *lib. de mundi opificio*, & Menaſſe, in Problematibus.

At multorum inter ipſos Cabaliſtarum ſententia eſt, hunc mundum non eſſe ordine primum, ſed ante eum ſaltem alium extitiſſe, eſſeque hunc ſecundum. Quod indagari & conficere ſe putant ex primâ legis, ſeu hiſtoriæ ſacræ literâ ב, in בראשית quę numeri eſt binarii. Argumentum certe futile ac ludicrum, uti ſolent eſſe Cabaliſtica. Atque iſtius ſententiæ multi fuerunt inter Veteres, ex recentioribns Abravanel. Menaſſe hæret. Problem. XII. *dici poſſit mundum hunc præſentem conditum eſſe ex nihilo, et ex totali privatione; mundum vero iſtum, qui hunc anteceſſit, plane deſolutum atque deſtructum fuiſſe. Quod fidei nequaquam repugnat. Præterea cum Cabaliſtæ velint mundum terreſtrem, quolibet anno Sabbatico, ſeu ſingulis ſeptem millibus annorum deſtrui, quis nobis certo indicabit an ſtemus in prima revolutione, et non in ſecunda aut tertia?*

Jam ad ipſas ſi deſcendamus creaturas, quæque hic controverſa, in ſupremo gradu conſtituunt intelligentias, de quibus Maimonides. More *part.* II. *cap.* XI. *omnia entia, quæ ſunt ſub creatione, in tres partes dividuntur, quorum prima ſunt intelligentiæ ſeparatæ. Secunda, corpora ſphærarum cæleſtium. Tertia, corpora generabilia, et corruptibilia.*

Sic quidem creata diſpartiuntur, ſed ſupra illa Cabaliſtæ ponunt אצילות *emanationes*, attributa, ſeu perfectiones Dei, quas nec faciunt idem cum Deo, nec ab eo diverſas creaturas, ſed emanationes, ad inſtar radiorum ſolarium à Deo diſtinctas, decem, quas appellant, ספירות ſeu *numerationes*, ſeu *luces*. Suntque hæ כתר הכמה בינה גרולה גבורה, תפארת נצח הור יכור מלכות *Corona, ſcientia, prudentia, magnificentia, fortitudo, pulchritudo, victoria, decor, fundamentum, regnum*. De quibus paſſim agunt Cabaliſtæ. Auctor Jezira. Reuchlinus, *de Cabalâ lib.* III. & alii. Suntque hæc fundamenta totius doctrinæ Cabaliſticæ, in quibus perſcrutandis, exponendis, combinandis tota ipſorum occupatur ſcientia, & ars. Nempe, præter Deum, totum hoc univerſum diſtribuunt in quatuor orbes, ut primus ſit אצילות *emanationis*. Secundus, בריאה *creationis*. Tertius, יצירה *formationis*. Quartus, עשיה *fabricæ*. Hæc complectitur, juxta ipſos, mundum corporeum, tam cœleſtem, quàm elementarem. Iſta orbem Angelorum, quos putant aliquam cum materiâ habere affinitatem. Illa Angelos planè immateriales, intelli-

 gentias

Digitized by Google

gentias à materia omni ſeparatas. Verùm primus ille emanationis orbis continet Sephiroth luces, proprietates divinas illas decem, quas convenire cum ideis Platonicis, ad quas illi res omnes referebant rerumque perfectiones, Menaſſe ſcribit, Problem. XXVII.

Dicimus inquit, *illas Sephirot, ſeu divinas perfectiones, aliud quid eſſe, quam eſſentiam Dei; neque etiam dicimus illas eſſe diſtinctas creaturas; ſed tantum emanationes quaſdam eſſentiæ conjunctas, perinde uti radii ſolares cum ſole, flamma cum prunis ardentibus: aut uti Plato ait, ultimum lineæ punctum cum linea conjunctum eſt.*

Reſp. I. Male divinas perfectiones, aliud quid eſſe dicis, à Deo. Nam Deus in, & per ſe, per eſſentiam ſuam eſt id quod eſt, habetque omnes perfectiones ſibi, ut Deo, debitas. Deus aut per ſe, aut per accidens Deus eſt. Neutiquam hoc, ergo illud. Deus per ſe perfectionem divinam dicit, vel non: ſi hoc, jam Deus non dicit Deum. Si illud, habet perfectionem divinam in eſſentiâ ſuâ. Illæ perfectiones, ſunt vel Deus, vel non: ſi non, quomodo Deum perficiunt? ſi ita, & ſunt aliud à Deo, jam plures Dii. Adeo multis & horrendis abſurditatibus ſcatet, quod de divinis perfectionibus hic dicis, aliis à Dei eſſentia. E contra, Deus per eſſentiam ſuam Deus eſt, & per ſe perfectus, id eſt, Deus, non per alia à ſe: atque perfectio Dei, eſt Deus ipſe, & Deus ſua perfectio, II. Nam ſic ipſe Menaſſe ſupra dixit, in expoſitione iſtius, quod ſolus Deus ante creationem fuit, & nomen ejus ſecum, nempe quod hoc ſit, Dei ſcientia, & potentia. Manifeſtius adhuc *Quæſt.* VI. *in Geneſ.* ubi ſtatim in initio inquit, quod *Deus ſit ſimpliciſſima unitas.* III. *Illas Sephiroth* Dei eſſe perfectiones, non capimus. Quid enim corona? quid fundamentum? quid inter pulchritudinem, & decorem diſcriminis? quomodo ſint alia à divina eſſentia, quæ mera videntur ſynonyma? IV. Sunt tibi perfectiones divinæ aliud à Dei eſſentia, & non tamen diſtinctæ creaturæ. Fateor, Deus non poteſt aliud eſſe, à ſuis perfectionibus, & eſſentia ejus non poteſt aut imperfecta, aut carens ſuis perfectionibus vel concipi, ſed quando dicis quid *aliud* à Deo, hoc aliud ens ſit oportet, & jam in Deo duo entia, vel aliud ens Deus, aliud à Deo ens, quod quoque Deus ſit, & magis Deus, utpote ſolum habens divinas perfectiones: ſed & hoc non poteſt aliud eſſe quàm creatura, ſi aliud ſit ens à Deo, quia nota & accepta omnibus eſt diviſio entis in creatorem & creaturam, vel increatum & creatum. V. Neque potes illas emanationes in Deo concipere ad modum radiorum ſolarium ex cor-

ex corpore ſolis emanantium, vel flammæ ex prunis ardentibus, quia Deus incorporeus, nihilque ei cum corpore commune eſt. Philo, explicaturus, quomodo homo dicatur conditus ad Dei imaginem, *hanc ſimilitudinem nemo*, inquit, *aſtimet figura corporis, nam neque Deus humana forma eſt conſpicuus, neque humanum corpus refert Dei ſpeciem.* vi. Flammę prunarum ardentium, radii corporis ſolaris effecta ſunt, ergo & emanationes illę divinæ ſeu perfectiones, Dei? Jam nullum Dei effectum eſt, niſi primum ex creatione. Unde ipſe Menaſſe diſputavit antea, materiam mundi non poſſe dici coæternam, ſed creatam, & quod omnia per creationem à Deo prodierunt. Tum, quomodo ab eſſentiâ Dei illæ perfectiones emanarunt, ſi ipſa eſſentia perfectiones illas in ſe non continet? Continet vero? ergo illę non ſunt aliud à Deo, & Dei eſſentiâ. Quod ſi eas non continet, edere vel profundere quoque non poteſt. Et ſi habet illas in ſe perfectiones Dei eſſentia, quorſum profluxus vel emanatio iſta, tamquam egrediens extra eſſentiam, & tamen iterum ad perficiendam eſſentiam, temere conficta? quæ quî fieri poteſt, vel factam credere par eſt? Denique ipſi Judæorum Rabbini aliàs docent, attributa in Deo non eſſe accidentia, non שני דברים duas, vel plures res, ſed Deum eſſe eſſentia ſimpliciſſimum, quemadmodum ex Judæis oſtendit, Joſephus de Voiſin *lib. I. de Theologiâ Judaorum, cap.* vi. & vii. Atque bene Maimonides, hac de re, lib. de fundament. fidei, cap. II. pag. 21, 22. *Sanctus Ben. intelligit veritatem ſuam, atque cognoſcit eam, uti reipſa eſt; neque intelligit notitiâ diſtinctâ à ſeipſo, uti nos cognoſcimus, quia nos & intellectus noſter non ſunt unum: ſed creator excelſus, ipſe, intellectus atque vita ejus ſunt unum omni modo, reſpectu atque ratione unitatis. Quòd ſi viveret per vitam, atque intelligeret per notitiam extra ſeipſum; eſſent in mundo multi Dii, ipſe & vita atque intellectus ejus: ſed nihil tale hîc locum habet; cum unus ſit ex omni parte, omni ratione ac modo unitatis. Itaque dicas, ipſe eſt & intelligens, & intelligibile atque ipſamet cognitio, omnia unum ſunt.*

Præter illas Sephiroth, habent etiam קליפות *Keliphoth*, ſed hi Angeli ſunt, at cujus ordinis, nunc exponendum. Trium generum faciunt Angelos. Primi à materia omni longiſſimè ſeparati, dicunturque circumſiſtere thronum Dei, quatuor nempe, Michael, Gabriel, Raphael, & Uriel: Michael à dextra, à ſiniſtra Gabriel, Uriel ab ante, atque à tergo Raphael. Deus benedictus ſedet in medio. R. Eliezer, *cap.* iv. Nullos iſtorum videri dicunt corporeâ ſpecie, aut oculo, ſolummodo in viſione

viſione propheticâ. Secundi ſunt *Angeli miniſterii* מלאכי השרת, qui regunt mundum, & ſæpe viſibiles aſſumunt ſpecies, atque Prophetis apparuerunt; qui, quia ſupra cœlorum orbes habitant, exercitus cœlorum appellentur. Atque illi ſunt Angeli boni. Tertii ſunt Dæmones, mali Angeli, ſpiritus ſublunares, atque miniſtri divinæ iræ & juſtitiæ. Hi מלאכי חבלה *Angeli damni* dicuntur, & *mortis* מות, & שטנים, *Satanæ* vel *Diaboli*. Hujus generis eſt Lilith, *nomen fœminei ſpiritus, quem quidam volunt fuiſſe primam Adami conjugem, antequam Evam in uxorem à Deo acceperat*, inquit Menaſſe. Vox occurrit *Jeſa.* XXXIV. 14. שם הרגיעה לילית, *illic quieſcet lilith*, non dæmonium eſt, ſed avis nocturna, ſtrix. Elias in Tiſbi, in voce Lilith, totam legendam ſic breviter recenſet. Invenitur porrò ſcriptum quod in centum & triginta annis, quibus Adam continuit ſe ab uxore ſua Havah, venerint ad eum dæmones & conceperint ab eo, ſicque genuerit dæmones & ſpiritus, Lamias & Lemures. Et in alio loco inveni. Quatuor eſſe matres dæmonum, Lilith, Naëmah, Ogereth, & Machalath. In libro quoque Ben Sira quæſtione 60. legitur, quod Nebucadnezar interrogaverit eum hunc in modum. Quam ob cauſam pueri octo dierum moriuntur? Cui reſpondit ille. Eo quod Lilith occidit eos. qua de re ibidem multa prolixe tractat, quæ huc adſcribere mihi faſtidio fuit, quandoquidem illis nullam adhibeo fidem. Veruntamen mos inolevit inter Judæos, præſertim Germanos, quod faciunt circulum per circuitum in parietibus cubiculi, in quo jacet puerpera, cum creta, aut carbone, ſcribuntque in ſingulis parietibus, Adam, Eva, foris eſto Lilith. Atque in oſtio cubiculi interiori ſcribunt nomina trium angelorum qui medicinæ ac curationi præſunt, Senoi, Sanſenoi, & Sanmangeloph, quemadmodum tradidit illis ipſa Lilith ea hora qua voluerunt eam ſuffocare in mari. Totum iſtud bene explicatum habetur in libro Ben Sirah, quem ipſum videre poteſt qui huic rei fidem habet. Fidem illius detrahere videtur Elias, meritoque: nil enim præter figmenta habent Magiæ. Quod & Menaſſe confirmat, pag. 88. *Et multi ſane reperiuntur, qui dæmonas iſtos adjurationibus ſuis advocant, & Necromantias ope mira admodum multa patrant. Quin & libris quibuſdam Cabaliſtarum, quales ſunt Pirque Ehalot, Raziel & aliorum, recenſentur eorum nomina, exorciſmi & incantationes.* Deque illis porro dæmonibus, ex quo melius ſententiam Judæorum ſciamus, quam ex ipſis? Menaſſe: *De hoc genere angelorum antiqui varia narrant: nimirum eos*

cibis

cibis veſci, generare, & mori inſtar hominum, alis præditos eſſe, & ex una parte mundi volare in aliam, quin & ſæpius etiam audire quæ futura ſunt. Et alibi ajunt, eos, cum apparent uni tantum homini, noxios eſſe & damnum inferre: cum duobus apparent, innoxios eſſe: tribus autem ſimul hominibus nunquam apparere. In admirabili autem libro Zoar varia dicuntur de illis, & in ſpecie quidem, quod alii ſint ſpiritus aëris, alii ignis; idque probant ex Pſalmiſtâ, fecit angelos ſuos ſpiritus, et miniſtros ſuos flammam ignis. Sed volunt nonnullos eorum eſſe aſtutos & callidos, nonnullos ſtolidos, & fatuos. Rabbinu Ay, & R. Moiſes Gerundenſis hanc de ſpiritibus opinionem confirmant. Denique veritas hujus opinionis liquet ex variis Scripturæ locis. Verùm ſi cibis veſcantur iſti Angeli, ſi generent, ſi moriantur inſtar hominum, & alis præditi ſint, jam non ſunt ſpiritus, ſed corpora. Atqui ſpiritus ipſe paſſim eos hic appellat. Et huc ex Pſalmiſtâ illud citat, *facit Angelos ſuos ſpiritus.* ψυχὰς ἀσωμάτους vocat Philo. lib. *de Confuſione linguarum.* Maimonides, de fundam. legis, cap. II. *Quidam habent formam abſque ullâ omnino materiâ, vid. Angeli: quia non ſunt corpora, ſed forma diſtincta à ſe invicem. Quidnam eſt illud, quod Prophetæ ajunt, ſe vidiſſe Angelum ignis et præditum alis? Hoc omne dicitur in viſione propheticâ & modo parabolico; ad indicandum illos non eſſe corpora, neque graves inſtar corporum gravium. Eodem modo dicitur, Dominus Deus ignis conſumens*, Deut. IV. 24. *Ipſe autem non eſt ignis, niſi metaphorice; ſic quoque dicitur, facit Angelos ſuos ventos.* Deinde meræ ſuperſtitionis eſt, proſperum omen vel adverſum ponere in apparitione dæmonum, ſi vel uni, vel duobus appareant. Uti & hoc perquam temerarium, alios facere aëris, alios ignis dæmonas, & quodcumque porro de Dæmonibus Judæi Angeliſque ἄτερ γραφῆς comminiſcuntur, & tradunt. In quem finem male & imperite Menaſſe (quod in Magiſtro Judæo valde mirandum) שדים, quod de Dæmonibus dictum occurrit *Deut.* XXXII. 17. a שדה *campo* derivat, *quia plerumque agunt in locis deſertis*, inquit, quum שדה punctum in ש habeat in ſiniſtro cornu שׂ. שרים vero in dextro שׁדים, & male in Problem. *pag.* 89. *et* 90. שׂדים ſcribit, aliter ac ubique, & in Bibliis à ſe impreſſis legitur שׁדים. Quod proinde melius deducas à שדד *perdidit, devaſtavit.* Illos dæmonas appellant Judæi קליפות *putamina*, propter eorum vilitatem. Menaſſe: *Illos vocant Cabaliſtæ* קליפות *putamina, et ajunt quemadmodum dantur nucis interiora, quæ ſunt fructus, itam dantur etia exteriora, quæ ſunt putamina.* Quod dicitur Geneſ. VI. 2. *viderunt filii Dei filias hominum eſſe pulchras, et acce-*

& acceperunt ex iis uxores , quas elegiſſent, Judæi de Dæmonibus illis accipiunt, quos cum mulieribus congreſſos, indeque gigantes natos, exiſtimant. Joſephus, Antiquit. lib. I. cap. IV. πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, *Multi Angeli Dei cum mulieribus congreſſi progeniem procreaverunt inſolentem, & fiducia roboris omne jus et fas contemnentem : quorum facinora non abſimilia his quæ de gigantibus Græci memorant, poſteritati ſunt tradita.* Philo, lib. de Gigantibus : *Viderunt Angeli Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, & acceperunt ſibi ex omnibus quas elegerant*] *Quod alii Philoſophi genios, Moſes ſolet vocare Angelos. Hi ſunt animæ volitantes per aërem. Nec eſt cur quiſquam hoc fabuloſum exiſtimet.* Poſtea : *Quemadmodum autem vulgus dicit, bonos maloſque genios, et ſimiliter animas, ſic etiam Angelos ; alios qui boni vocantur, legatos quoſdam ultro citroque commeantes inter Deum et homines, ſacroſanctos propter hoc inculpabile pulcherrimumque miniſterium : alios è diverſo profanos ac nefarios, quos & ipſe abominandos haud falſo dixeris.* Angelorum iſtorum, qui cum mulieribus coierunt, nomina Judæi etiam recenſent ſcilicet, Aza & Azael ; atque mulieris, ex Caini filiis præcipuæ, Noëmæ, videlicet ob pulchritudinem ita dictæ, cum quâ rem habuerint, & procrearint gigantes illos. Quorum quid ni integram legendam audiamus ex Rabbi Eliezere, capite vigeſimo ſecundo, ubi ſic refert : *Rabbi inquit : Viderunt angeli qui exciderant è cœlo loco ſuo ſancto ; filios Caini ambulantes in nuditate carnis (ſcortatione) et fucantes oculos ſuos inſtar ſcortorum, atque vagati ſunt poſt illos ; atque ſumpſerunt ex iis mulieres vel uxores, prout dicitur : Viderunt filii Dei filias hominum.* Gen. VI. 2. *R. Joſua filius Karcha ait : Angeli ſunt ignis flammarum, juxta illud : Qui facit miniſtros ſuos ignem flammantem.* Pſalm. CIV. 4. *Venit autem ex coitu ignis in carnem & ſanguinem, neque combuſſit corpus : Sed tempore illo, quo ceciderunt è cœlo loco ſanctitatis ſuæ, robur atque ſtatura eorum facta eſt inſtar hominum, et veſtimentum illorum fuit ramentum pulveris, ſicuti dicitur* Job. VII. 5. *Induit caro mea vermes, & ramenta pulveris. R. Tzadok ait : Ex iis nati Enakim ſeu Gigantes elatâ ſtaturâ incedentes, & manus ſuas in omnem rapinam, violentiam atque effuſionem ſanguinis immittentes uti ſcriptum eſt : Vidimus ibi Nephilim gigantes, &c.* Num. XIII. 33. *Et dicit : Gigantes erant in terra. Reſpondit R. Joſua filius Karcha, Iſraelitæ vocantur filii Dei, prout dicitur : Cum ſimul jubilarent ſtellæ matutinæ, & exultarent omnes filii Dei.* Job. XXXVIII. 7. *Quam diu autem ſunt in loco ſuo ſancto in cœlis vocantur filii Dei, juxta illud : Atque etiam poſtmodum venerunt filii Dei.*

Digitized by Google

Dei. Job. II. 1. *R. Levi inquit, Illi generarunt filios, creverunt ac multiplicati ſunt veluti genus majoris reptilis: ſex in quolibet partu. Illâ horâ quâ inſtabant pedibus ſuis loquebantur quoque linguâ ſanctâ, et ſaltabant coram illis, ſicuti dicitur: Ederunt greges infantium, eorumque parvuli ſaltitant.* Job. XXI. 11. *Dixit illis Noach: Convertimini à viis et operibus veſtris malis, ne veniat ſuper vos Diluvium, & exſcindat univerſum ſemen filiorum hominum. Reſponderunt illi: Abſtinemus nos a generatione, ne exhauriatur ſemen filiorum hominum. Quid fecerunt? Cum accederent ad uxores ſuas, perdebant ſcaturiginem ſeminis ſui ſuper terram, ne exhauriretur ſemen filiorum hominum, juxta illud: Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat. Dixerunt: Etiamſi veniat ſuper nos diluvium, tamen alti ſumus ſtaturâ, neque pertingent aquæ uſque ad cervices noſtras: Et licet aquæ abyſſi adſcenderent contra nos, tamen plantæ pedum noſtrorum erunt ad obſtruendum abyſſos. Quid egerunt? Extenderunt plantas pedum ſuorum, & obturarunt omnes abyſſos. Quid fecit Sanctus Ben? Fervefecit aquas abyſſi, et elixarunt carnem ſuam, cutemque de ſe exuerunt, juxta illud: Quo tempore incaleſcunt, delentur; dum incaleſcit* בחומו, *exſcinduntur è loco ſuo.* Job. VI. 17. *Ne legas* בחומו *dum caleſcit, ſed* בחמימו *dum calefaciebant.* Fabulæ, atque λῆροι λόγοι. Neque diffiteor, ad Chriſtianos etiam nonnullos illud de Angelorum cum mulieribus congreſſu defluxiſſe. Ne de Juſtino dicam, Clemente, Tertulliano, qui Angelos iſtos mulieres docuiſſe vanitates addit, & ornatum mulierum luxurioſum, *lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: et illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur*, lib. de habitu muliebri, in initio. Mitto etiam Lactantium. Sulpitius Severus, in initio hiſtoriæ ſuæ: *Qua tempeſtate*, inquit, *cum jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus cœlum ſedes erat, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt. Hi paulatim mores noxios conſerentes, humanam corrupere progeniem, ex quorum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur, cum diverſæ inter ſe naturæ permixtio monſtra gigneret.* Bene, *dicuntur*: ſed à Judæis primum, hinc ab aliis. Melius ii, qui illud de filiis Dei, exponunt, non de Angelis, ſed de piis, de progenie Sethi, apud quam Eccleſia & piorum cœtus reſidebat. Ut univerſalis notetur hominum corruptio, quæ generale diluvium anteceſſit, in ipſas quoque piorum familias adeo exu-

 berante

Digitized by Google

berante iniquitate & luxuria. Quemadmodum apud R. Eliezerum jam notavit R. Joſua, filius Karcha, Dei populum, & Iſraelitas vocari in Scripturâ, Dei filios. Targum Onkelos habet, בני רברביא *filii magnatum*. Quem Hiſpanica ſequitur Judæorum verſio, *hijos de los grandes.* Sic & Ezra, & Raſchi exponunt, *filios principum & judicum*, בני השרים והשופטים.

Jam quod ad varios Angelorum bonorum ordines ſpectat, faciunt Hebræi illos decem, differentes gradibus, dignitatis, cognitionis, & poteſtatis: atque appellant, חיות קודש *animalia ſanctitatis*, *Ophannim*, *Oralim*, *Chaſmalim*, *Seraphin*, *Angelos*, *Deos*, *Filii Deos*, *Cherubim*, & *Iſchim*. Supremos ponunt animalia ſanctitatis, quæ nimirum ſunt infra ſolium majeſtatis: infimos *Iſchim*, *viros*, qui cum hominibus converſantur, & iiſcum aliquando loquuntur. De quibus cum alibi, tum apud Maimonidem, *de fundamentis legis*, *cap.* 11. legere eſt. Et apud Scriptores Cabaliſticos, præſertim Archangelum de Burgo novo. Atque à Judæis ſimilia de Angelis fluxiſſe in Theologiam Platonicam; ex hac in Chriſtianam, non eſt dubium. Hinc illa de novem Angelorum ordinibus, de aſſiſtentibus Angelis, aliis miniſtrantibus, de infimi ordinis illis ad homines miſſis, non item ſupremi, atque iſtius commatis plura, de quibus compendio videri poteſt celeberrimi viri Giſberti Voetii Diſputatio *de Angelis.* Uno verbo ad omnia illa reſpondemus, quod temere ἐμβατεύουσιν ἃ μὴ ἑώρακεν. Quod nec in Scripturâ illa fundantur, nec ratione. Imo magiæ & ſuperſtitionis nefandæ fundamenta ſunt, atque initia.

Putidiſſimum verò eſt, quod Judæi de Creatione dæmonum comminiſcuntur. Menaſſe, Problem. XXIII:

Cæterum quod ad creationem eorum attinet, non abſimiliter à vero dici poteſt, eos ſimul cũ inferno creatos eſſe. In Bereſit Raba probatur hoc ex Pſalmiſtâ; qui contignat aquas in aquis ſuperiora ejus, qui ponit nubes currum ſuum, qui ambulat ſuper extremitates venti, qui facit angelos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem urentem. Ex quo perſpicimus eos non tantum creatos eſſe iſto tempore quo Deus dividebat aquas

Reſp. I. Quid autem magis à vero abſimile, quam creata dicere mala, & turpia, qualia Dæmones ſunt? A Deo bono aliud provenire, quam bonum poteſt? II. Annon exſerte ſcriptum, quæcumque Deus fecit, fuiſſe טוב מאד *bona valde*? Geneſ. I. ult. ישר Eccleſ. VII. 29. III. Maimonides, More Nevochim, part. III. cap. X. *liquet in rei veritate, quod de Deo Opt. Max.*

non

Digitized by Google

ab aquis, quod accidit die ſecundo: verum etiam corpora eorum compoſita eſſe ex duobus elementis ſubtiliſſimis, aëre ſcilicet et igne, uti ante à nobis dictum eſt. Multa paſſim apud antiquos de his ſcripta reperiuntur. Quæ ſuperſunt quæſtiones, quodque de lapſu Hazæ et Hazaelis Cabaliſtæ aſſerunt, id omne petendum ex tractu de angelis. Atque idem repetit, *libr.* III. *de Reſurrect. cap.* VI.

non poſſit abſolute dici, quod malum per ſe faciat, quod intentio ejus prima & principalis ſit, facere malum. Hoc inquam nullo modo dici poteſt: nam actiones ejus omnes ſunt optimæ. Adducitque eandem in ſententiam, ex Bereſchith rabba: *nulla res mala deſcendit à deſuper, hoc eſt, à cœlo.*

IV. Quanto melius illi ſentiunt, & docent, qui dicunt, Angelos omnes in principio bonos à Deo creatos, verùm ipſos tranſgreſſos Dei mandatum, & defeciſſe à ſuo, in quo collocati fuerant, ſtatu: quod non ſervarint τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Et ſic inter Judæos R. Joſua f. Karcha, apud Eliezerem, Angelos dixit è cœlo cecidiſſe, loco ſanctitatis ſuæ. Et Menaſſe, ex mente Cabaliſtarum, refert lapſum Hazæ, & Hazaelis, Angelorum.

V. Ex *Pſalm.* CIV. neutrum probatur, neque creatos Dæmones ſecundo die, neque corpora habere ex aëre & igne compoſita. Primò enim, non loquitur Propheta ibi de Dæmonibus, ſed Angelis. Nec ſequitur creatos eos die ſecundo, quia mentionem facit contignationis aquarum, magis quàm die primo, quia eodem in ſermone commemorat fundationem terræ, & creationem cœlorum, & lucem, qua ſe Deus inſtar indumenti amiciat, quæ omnia die primo prodierunt & facta ſunt, quo etiam creatos Angelos bonos, Menaſſe docet, *Problem.* XXVI. Deinde negatur ſequi, Angelos Deus facit רוחות *Spiritus*, & miniſtros ſuos, אש להט, *ignem flammantem*, ergo illi ſunt compoſiti ex aëre & igne. Nam illa eſt ſimilitudo, qua Angeli comparantur cum igne: & in effecto ſimili comparantur inter ſe, non in naturâ eadem: alioqui flammare & rutilare etiam Angeli deberent, & quid ni etiam urere ac ardere?

Bene dixit Menaſſe, pag. 88. *Quamvis autem nonnulli reperiantur, qui negant ejuſmodi ſpiritus eſſe, quos vulgo vocamus dæmones: certiſſimum tamen eſt, tales revera dari.* Atque illi ſunt Sadducæi, qui Angelos negant. Uti exſerte refertur in Actis Apoſtolorum, cap. XXIII. 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι μήτε πνεῦμα μήτε ἄγγελον. Quod, an ſuo, an aliorum nomine, non diſputo, (illud exiſtimat Theod. Hackſpan, in Notis ad Nizachon, *pag.* 242.) tacite perſtringit Menaſſe, lib. de

Reſurrect. cap. VI. *De eo quod dicuntur negaſſe ſpiritus;non diſputo. Sanè, ut multi putant, ſic ſequeretur eos negaſſe Legem Moſaicam, quæ variis in locis Angelorum mentionem facit; præterea certum eſt eos non negaſſe librorum propheticorum authoritatem, ut ex Talmude liquet.* Non magis ſequitur, ex errore circa Angelos, illos negaſſe authoritatem legis; ac ex opinione circa animas, vel authoritatem legis in dubium traxiſſe, vel Prophetarum, quia animarum immortalitas etiam ſatis clare in Scripturis his docetur. Uti ipſe Menaſſe hic agnoſcit. *Neque tamen*,inquit,*idcirco derogabant fidem Prophetis, & libris Hagiographis: ſed loca quæ leguntur tum apud Jeſaiam, vivent mortui tui, tum apud Iezechielem, ecce ego aperiam ſepulchra veſtra, item in Daniele, multi dormientes in terræ pulvere expergiſcentur. Et, tu ad finem pergito, & requieſces, ac reſuſcitaberis in cognatione, in extremo dierum: Loca, inquam, hæc omnia, ex quibus liquido conſtat mortuos reſurrecturos eſſe; in alium longe ſenſum interpretabantur.* Non ſequitur ergo, ſi negarunt Angelos, debuerunt negare legem, quia ea variis in locis Angelorum mentionem facit; haud magis, quam negando animarum immortalitatem, & hominum reſurrectionem negare Prophetas, quia ii ſatis clare utrumque doceant, ipſo hic teſte & judice Menaſſe. Scimus, quomodo pertinaciter errantes ad quæcunque, quantumvis manifeſta, ſoleant oculos occludere mentemque; & nec quid dicant attendere, neque quid dicendum ipſis convenienter ſit. Imo quid facilius, quàm negatâ animarum immortalitate & ſubſiſtentiâ propriâ, negare quoque Angelos? quæ propter ſimilitudinem naturæ & conditionis pariter aut admittuntur, aut tolluntur.

Hæc de Angelis. De cæteris quid etiam creaturis Judæi doceant, porro videamus, ac præſertim quid de *cælo*, & *homine*. Nugas & γραώδεις μύθους præterimus, quales in hac materia habent quàm plurimas, nemo copioſius, R. Eliezere, in Capitulis. De cœlo iſta Judæorum explodenda ſententia eſt, qua dicunt *animatum* eſſe, & quidem animâ rationali. Sic Philo, *lib.* de mundi opificio, *Aliæ res ſolâ virtute præditæ nihil omnino habent vitii, ut ſtellæ: nam hæ animalia eſſe dicuntur, & quidem intelligentiæ, vel potius mentes ſingulares totæ quantæ probæ, nec ullius capaces vitii.* Lib. de Gigantibus: *Cælum, item ſidera. Hæc enim in totum ſunt animæ immortales divinaque, & ideo moventur in orbem, qui motus mentis cognatus eſt. Horum enim ſingulorum mens eſt integerrima, proinde neceſſariò ſequitur, ut & aër ſit plenus ſuis animalibus. Hæc autem nobis ſunt inviſibilia, cum & ipſe non ſit ſenſui viſibilis. Non enim ideo quia non poſſumus*

Digitized by Google

poſſumus animarum figuras viſu aſſequi, aër eis eſt vacuus. Comprehendere autem eas intellectu neceſſe eſt, ut ſimile contemplemur per ſimile. Et lib de Somniis, explicans ſcalam Jacobi, & deſcendentes adſcendenteſque per eam angelos, *per totum id interſtitium aer extenditur, hoc eſt, animarum corpore carentium domicilium, quia opifici mundi omnes ejus partes animalibus implere placuit, ideo terreſtria terris attribuit, mari fluviiſque indidit aquatilia, cælo verò ſidera. Nam hæc ſingula non ſolum animalia dicuntur, ſed & mentes puriſſimæ. Itaque & in reliqua parte hujus univerſi, videlicet aëre, animalia creata ſunt, quæ ſi non patent ſenſibus, quid tum poſtea? nam et anima eſt inviſibilis, et veriſimile eſt aerem potius quam aquam alere animalia. Quamobrem? quia aquatilia quoque animantur aëre, fecit enim eum conditor ut ſit immobilibus corporibus habitus. Mobilibus vero natura inviſibilis, impetu autem imaginationeque utentibus, ut eſt anima. An non igitur abſurdum videtur elementum quo animantur omnia, animabus carere? ideo nemo optimam naturam animalium optimo in terris aeri adimat. Adeò enim non eſt deſertus ſolus ex reliquis partibus, ut inſtar populoſæ civitatis cives incorruptibiles immortaleſque habeat animas ſtellis pares numero. Harum aliæ deſcendunt illigandæ corporibus mortalibus, quotquot viciniores ſunt terræ amantioreſque corporum. Aliæ ſurſum redeunt ſeparatæ denuo poſt præfinitos à natura terminos. Et ex his aliæ tactæ vitæ deſiderio rurſum ad eam recurrunt. Aliæ pertæſæ hujus vanitatem corpus ſeu ſepulchrum aut carcerem fugiunt, & ſublimem ætherem petentes pennis levibus totum ævum ibi exigunt. Sunt item quædam puriſſimæ optimæque omnium, quæ altius diviniuſque ſapiunt, aſpernatæ iſta terreſtria & humilia, miniſtræ omnipotentis, tanquam magni regis aures et oculi, videntes audienteſque omnia Has genios Philoſophi, Angelos vocant ſacræ literæ nomine aptiſſimo. Sunt enim internunciæ, patris mandata perferentes ad filios, & ad illum viciſſim preces filiorum, ideo inducuntur aſcendere & deſcendere.* Ubique animalia locat, in aëre animas ac genios, & ſidera mentes cenſet eſſe rationales atque ſanctiſſimas. Maimonides, lib. de ſundamentis legis, cap. III. § XI. *Omnes ſtellæ atque orbes præditi ſunt animâ, notitiâ atque ſapientiâ; atque vitam agunt, permanentque, et cognoſcunt eum, cujus dicto factus eſt mundus, unaquæque pro ratione dignitatis atque excellentiæ ſuæ celebrat atque glorificat formatorem ſuum, uti angeli: Et uti cognoſcunt Deum, ſic etiam intelligunt ſemetipſos, atque apprehendunt angelos, qui ſunt ſupra illos; ſed cognitio ſtellarum & orbium eſt inferior notitiâ angelorum; major autem cognitione hominum.* Animam tribuit & orbibus, & ſtellis, eamque rationalem,

quà

Digitized by Google

quâ & ſeipſa cognoſcunt, & alia, præſertim Deum, cui & ſerviunt cum notitiâ & amore, & laudes paſſim dicunt. More Nevochim, *part.* II. *cap.* IV. ſtatim in initio: *cœlum animatum eſſe, palam eſt, ſi recte et accurate res expendatur.* Idem latè probare inſtituit *cap.* V. *ſeq.* orbes cæleſtes animalia eſſe intelligentia, & ratione prædita. Capit. VII. *Hæc omnia docent te, quod apprehendant opera ſua, quòdque voluntatem & electionem habeant in regimen illud quod eis datum eſt (hoc eſt in ea, quorum regimen & gubernatio illis conceſſa eſt), quemadmodum & nos voluntatem & electionem habemus in regimine illo, quod nobis datum eſt, illudque à momento nativitatis in poteſtate noſtra habemus. Hac tamen cum differentia; quòd noſtræ actiones ſint viliores, & quòd gubernationem ac operationem noſtram præcedat privatio; Intelligentiæ verò Sphæræ ſemper faciant bonum, & quòd apud eos nil ſit niſi bonum, (ſicut in ſequentibus capp. explicabimus), et quicquid habent, id in perfectione & actu ſemper eis inſit à primo eorum principio.* Intellectu ergo, & voluntate cœlum præditum, atque nil niſi bonum facit ſemper: ſic & ſphæræ cæleſtes, & ſtellæ. Menaſſe, Problem. XIII. explicans ſententiam Avicennæ, celebris inter Arabes Philoſophi, quod à Deo procedat intellectus primus, vel intelligentia prima, quæ ſit ſubſtantia abſtracta intellectiva dignior omnibus aliis ſubſtantiis ſeparatis, & proxima Deo. Quodque ab hoc intellectu procedant plura, & non unum tantum. Nimirum tria, intellectus ſecundus, ſeu intelligentia ſecunda, & anima, & ſuprema ſphæra. Et ab intellectu ſecundo procedat intellectus tertius, & anima cœli ſecundi, & ſphæra ejus. Et ab intelligentia tertia quarta, & anima tertii cœli, & ſubſtantia ipſius. Et quod ſic ſucceſſive deſcendatur uſque ad intellectum ſeu intelligentiam moventem orbem Lunæ, & uſque ad animam orbis lunæ & ſubſtantiam ipſius ſphæræ. Quæ intelligentia ab Avicenna vocatur intellectus agens, quia producit omnes res ſublunares. Ad hæc Menaſſe ſubjungit: *Quidam Philoſophi Hebræorum iſtam opinionem amplexi ſunt, & non defuerunt qui eam contineri voluerunt in Targum Hieroſolymitano.* Problem. XXV. manifeſte concedit in ſententiam R. Maimonidis, quæ cœlum ſtatuit animatum: *quod de intelligentiis tradunt, id vero mera fabula eſt: nam cæli, ſecundum Rabbi Moſem, & rei veritatem, habent animas proprias, rationali vitâ præditas, ſicuti alibi à me demonſtrabitur.*

Ergo Judæi ſtatuunt cœlum animatum, animâ propriâ, & rationali, & juſtâ ac ſanctâ. Faciuntque diſtinctam illam cœleſtem animam, atque alterius altioriſque ordinis à ſublunaribus. Maimonides, in More part. II.

part. II. cap. IV. *Cœlum animatum eſſe, palam eſt, ſi rectè et accuratè res expendatur. Qui verò hoc audiunt, difficile id nimis intellectu eſſe judicant, vel prorſus rejiciunt; eò quòd ſibi imaginantur, dum dicimus, Cœlum habere Animam, nos loqui de Anima aliqua, qualis eſt Hominum, Aſinorum, Boum, &c. At verò minimè hic eſt ſenſus ejus, quod dicimus: verùm hoc volumus; motum Cœli localem argumento eſſe, illud habere principium, per quod moveatur, & principium hoc indubitate eſſe animam.* Neque volunt totum mundum ideo animatum eſſe, quod aliis placuit, & Platonicis olim, atque propter philoſophiæ iſtius frequens ſtudium, aliis quam plurimis; ſed cœlum, & cœleſtia corpora, ſphæras, & ſtellas præditas intelligenti, beataque animâ.

Contra quod ſic *argumentamur*. *Primò*, Cujus animæ, vel animati corporis nullum certum veſtigium aut documentum, vel in Scripturâ, vel naturâ eſt, atque apparet, illud temere adſtruitur: atqui animæ illius cœleſtis nullum aut veſtigium, aut documentum. Scriptura quidem aliquando cœlos alloquitur, ſed & terram quoque, & videtur iis vim ſentiendi & obſervandi tribuere, & hortari ad laudes Dei, ſed per ſimilitudinem omnia & tropum; ut verò ipſa aliquâ in re rationis uſum adhibuerint vel oſtenderint, nuſpiam apparet: quod ſane Scriptura non ſiluiſſet, ſiquidem eſſent intelligentiâ prædita ſupra homines, & rationali ſanctoque opere jugiter occupata: quemadmodum de Angelis illud quidem ex Scripturæ teſtimonio ac narratione ſatis eſt manifeſtum. In naturâ nihil omnino animæ rationalis, quę in cœlis ſit, apparet. Unde ergo animam ineſſe illis, & præſtantem adeo, ſupra ſortem noſtram, Angelicâ paulo minorem, oſtendetur? Certe non proferes argumentum, quo cælum magis animatum probes, quam aerem, quam mare, quàm terram: & quemadmodum ſatis ſolide hic animam negamus, præſertim rationalem, ideo quod iſtius nullum indicium alicubi apparet vel effectum, neque ex Scripturâ, ratione, experientiâ: ita efficaciſſimè probamus, cœlos fruſtra animatos dici, & rationales, quia ipſorum animæ nullum poteſt proferri documentum, aut argumentum.

Secundò. Si cœlum eſt animatum animâ rationali, & ſphærę celeſtes, & ſtellę, quomodo illa habebunt animas proprias, & communem aut cœli, aut ſphærę? nam paſſim Judæi animam adſcribunt & ſtellis, & ſphæris, & cœlo. Quod ſi una cœli anima rationalis; non ergo diſtinctę & proprię ſuę ſunt ſtellis, ſphæriſque. Si diſtinctæ & propriæ, quomodo

modo ſtella, præter animam ſuam, habebitne inſuper communem ſphærę, & hæc aliam communem cœli? Quomodo ſi animam mundi quis ſtatuat, viventia quæcunque non tantum propriam dicenda erunt habere animam qua informentur, ſed & communi illâ animari, juxta cum reliquis univerſi mundi partibus. Sic quoque, ubi cœlum animatum ſtatuitur, & animâ quidem rationali, tum ſphæras, & ſtellas quoque, hæ neceſſario & propriam habebunt animam, & communem, niſi vel unam communem cœli animam ſtatuas, inſtar unius intellectus agentis Avicennę, quod Menaſſe tamen rejicit, vel animas non cœli, & ſphærarum, ſed ſtellarum duntaxat & aſtrorum.

Tertiò. Cœlum non eſt corpus unum organicum, ergo nec animatum: nam animata corpora functionibus animę exercendis habent diſtincta & proportionata organa, majora, plura & perfectiora, quo corpus & anima ſunt præſtantiora. Quum vero hæc cœli anima præferatur animalbus omnibus humanis, cæli corpus debebit etiam organa habere convenientia & inſtructiora, quam humanum ullum. Illius autem nullum oſtendi vel probari poteſt indicium ſeu argumentum.

Quarto De hominis creatione dicitur, quod eum Deus fecit paulo minorem Angelis, *Pſal.* VIII. 6. ותחסרהו מעט מאלהים. *βραχύ τι παρ' ἀγγέλους.* Græci. Targum, קליל מן מלאכיא, *parum ab Angelis*. Judæi Hiſpani, *poco de Angeles*. Ut omnino per אלהים hic ſint intelligendi Angeli. Antea dixerat, *quum aſpicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam, & ſtellas quas paraſti. Quid eſt homo, quod ejus memineris? aut filius hominis, quod eum viſitas? Minorem paulò feciſti eum Angelis: gloria & honore coronaſti eum*. In quibus hæc annotamus. I. quod in prædicandâ creaturarum, nominatim & ſtellarum excellentiâ, nihil de illorum dicit animâ, vel intelligentiâ: quod tamen hoc loco, ſiquidem verum, fuiſſet valde conveniens. II. Hominem autem cœlis illis ſtelliſque haud obſcurè facit majorem, ad quem contemplandum pergit à cœlorum conſpectu & ſtellarum. In quibus hominibus plus curæ Deus ponit & quaſi ſollicitudinis. Quos dicit coronatos à Deo gloria & honore: non ita cœlos. Atque quod rem planiſſimè evincit, homines dicit minores modo factos Angelis, non cœlis aut ſtellis. Secus ac Judæi hic philoſophantur, qui ajunt, homines animis cœleſtibus inferiores eſſe, has Angelis; ut inter homines Angeloſque media faciant animalia illa cœleſtia. Quare hominem non Angelis paulo, ſed multo minorem creatum, atque in locum ab Angelis proximum non homines conſtituendos, ſed cœlos

ſtellaſ-

ſtellaſque autumant. Secus ac Propheta hic facit & deprædicat hominum præ omnibus dignitatem atque excellentiam, ſolis Angelis parumper inferiorem.

Quinto. Cœlum fuit creatum primo die: ſphæræ cœleſtis firmamenti ſecundo: ſtellæ autem quarto die: quando jam, aut quales ſingulorum animæ? non ſimul creatæ, quemadmodum Angeli, & de hominum animabus omnibus una creatis Judæi fabulantur: & quales jam, an ejuſdem ſpeciei animæ? & quomodo, verb. grat. cum primo die fuerit indita anima cœlo? ſecundo die firmamento? quarto, in ſtellarum introductæ corpora, vel iiſcum creatæ?

Sexto. Quum, juxta Adverſarios Judæos, animæ illæ cœleſtes inferiores ſint Angelis, quomodo fuerint immutabiles & illabiles à ſtatu ſuo & erga Deum obſervantiâ, quum Angeli ab hoc non fuerunt immunes, ſed horum plurimi è cœlo, etiam ſecundùm Judæos, exciderunt?

Septimo. Quid fiet animabus illis cœleſtibus ultimo mundi die, quando omnia deſtruentur, ac interibunt, non quidem annihilatione totali, ſed mutatione in melius, ut quoque Judæi docent? Attamen quemadmodum humana corpora cum morte intereunt, & deinde iterum reſurgent: in univerſali illo excidio, quod etiam Menaſſe docet, *lib.* III. *de Reſurrect. cap.* IV, V, VI. quid corporibus, animiſque cœleſtibus fiet? an ſolventur, morientur, reſurgent &c? vel quomodo iſto rerum ſtatu ſubſiſtent? Hæc & alia incommoda atque abſurda ſententiam illam de animatione cœli, ſtellarumque ſequuntur.

Quanto ſatius autem, duo genera & ſpecies creaturarum ponere rationalium, quæ indubitatæ, quæque manifeſtę ſunt, videlicet, Angelos, & homines? non tertiam illis inſerere, mediamque aliam ſpeciem animarum cœleſtium, quod Judæi faciunt. Quorum etiam in hoc audienda nobis jam ſunt argumenta & refellenda. Quare prodeat Maimonides, eum diſputantem hac ſuper re audiemus, & perſequemur. Sic ille in More Nevochim, *part.* II. *cap.* V.

Quod Orbes cœleſtes ſint animalia intelligentia & ratione prædita, h. e. quòd apprehenſionem habeant, id veriſſimum & rectiſſimum eſt ſecundum Legem quoque noſtram; quòdque non ſint corpora mortua, ſicut Ignis & Terra, (uti fatui et imperiti

Reſp. I. Argumentum quod petit ex *Pſalm.* XIX. I. certe levius eſt, quam ut efficiat orbes cœleſtes eſſe animalia intelligentia, & Deum cognoſcentia, ac colentia. nam, cœlos enarrare Dei gloriam, per ſimilitudinem dicitur, & non

 pro-

Digitized by Google

arbitrantur) *ſed, ut Philoſophi loquuntur, animalia, quæ colunt, laudant et celebrant Dominum & Creatorem ſuum. Hinc dicit David,* Pſal. XIX. I. *Cœli enarrant gloriam Dei, etc. Procul enim abeſt à veritate, quòd quidam exiſtimant hic agi de re-ipsâ, (h. e. hic intelligi id, quod homines ex illis intelligunt:) quia Hebræi non tribuunt narrationem alicujus rei, niſi illis, quæ intellectum habent. Quòd verò hæc attineant et attribuantur ipſis Orbibus, non notitia hominum, quam ex illis capiunt, id firmiter demonſtratur ex eo, quod porrò ibi dicitur; Ibid.* V. 4. *Non eſt ſermo, neque verba ipſis, & ſine his auditur vox eorum. His enim verbis apertè explicat, ſe deſcribere ſubſtantiam illorum; quòd ſc. laudent Deum Opt. Max. & annuncient mirabilia ejus ſine verbis & ſermocinatione, id quod eſt veriſſimum. Nam qui verbis laudat, is narrat tantùm id, quod in mente ſua concepit et cogitavit, veraque laus conſiſtit in cogitatione & conceptione mentis; verba inſerviunt ſolùm ad docendum alios, aut ad oſtendendum de nobis quòd apprehenderimus, ſicut dicitur,* Pſal. IV. 5. *Dicite in corde veſtro, ſuper cubili veſtro, & ſilete, Selah, prout expoſuimus. Atque hæc eſt ratio è Lege petita, quam nemo, niſi imperitus vel perverſæ mentis homo, rejiciet.*

Quod verò ſententiam Sapientum proprie, id eſt, continere & offerre argumenta glorificandi Deum ita clara & copioſa, ut, ſi loqui poſſent, illa affatim prædicarent. Quæ loquendi ratio communis eſt & obvia. Neque cœlis duntaxat attributa, ſed & terræ, ac terreſtribus; quę non vivere & inanimata eſſe, clare ſatis hic teſtatur Maimonides. Deut. XXXII. *auſcultate cœli, & eloquar; atque audi terra verba oris mei.* Bene hinc concluderet aliquis animatam terram eſſe, animâ ſaltem ſenſitivâ, & audire verba noſtra poſſe? dicitur quippe, audi terra, & æque ac cœlum. Ut talia non magis proprie de cœlo, quam terrâ accipienda eſſe vel hinc liqueat. Similiter *Jeſa.* I. 2. Sic lapides dicuntur teſtari. Geneſ. XXXI. 48. 52. *teſtis ſit hic cumulus, et teſtis ſtatua hæc.* Sic terra, montes, colles exultare dicuntur, & gaudere, mare iraſci, taliaque innumera, ſumtâ ab animalibus ſimilitudine, non quod ipſa proinde animalia ſunt. II. Fatentem habemus Maimonidem ipſum, More, part. II. cap. XLVII. *Porro autem diligenter quoque conſideranda ſunt Metaphoræ, quæ occurrunt. Illarum quædam ſunt tam manifeſtæ et palàm, quæ neminem dubitare patiuntur; ut cùm dicitur;* Jeſa. LV. 12. *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem & omnes arbores agri plaudent manu.* Eſt

Digitized by Google

noſtrorum attinet, non video illam operoſâ declaratione aut probatione indigere. Manifeſta ſunt ea, quæ ordinaverunt in conſecratione Lunæ, quæ item in precationibus & prædicationibus ipſorum inveniuntur: ut, Nehem. IX. 6. *Et exercitus Cœlorum adorant te. Item* Job. XXXVIII. 7. *Cùm cantarent ſimul Stellæ matutinæ, & jubilarent omnes Filii Dei: & ſimilia alia multa. In Bereſchith rabbah dicunt*; Geneſ. I. *Cùm ait Deus Sanctus et Benedictus, Et terra erat tohu vabohu: ſenſus illius Tohu Vabohu eſt; lugebat & clamabat propter malam ſortem, quæ ipſi contigit; h.e. Terra dicebat, Ego & illi (Cœli videlicet) creati ſumus ſimul et unà, (Cœlum nempe et Terra:) & ſuperiora vivunt, inferiora verò ſunt mortua. His enim verbis apertè teſtatur, Orbes cœleſtes eſſe corpora viva, non corpora mortua, ſicut elementa.*

Atque ita expoſitum tibi eſt, id, quod Ariſtoteles ſcribit, Orbes cœleſtes apprehendere & cogitare, cum verbis Prophetarum et legis noſtræ Doctorum, Sapientum videlicet noſtrorum p. m., conſentire.

Præter hæc ſcias quoque, Philoſophos omnes in hoc unanimiter convenire, Regimen Mundi hujus inferioris perfici à virtutibus influentibus in illum à Cœlo, ſicut alibi commemoravimus, & Sphæras cœleſtes apprehendere ac ſcire id, quod regunt et gubernant. Id quod iterum ſcriptum repe- Eſt enim hîc manifeſta Metaphora. Non ergo quod alicui tribuitur cantare, laudare, annunciare, ſequitur proprie accipiendum & interpretandum eſſe. Et hoc tamen ſolo nititur argumentatio Maimonidis, ex hoc loco. Non magis proprie cœli dicuntur Deum laudare, quam montes, & arbores. III. Imo hoc omnibus & ſingulis Dei operibus attribuitur. Pſalm. CXLV. 10. *Omnia tua opera Domine te prædicabunt* יודוך. Et Pſal. CXLVIII. 2. *Laudent eum omnes Angeli ejus, laudent eum ſol, & luna, & omnes ſtellæ.* Neque hinc colligas, ergo animata ea, quia mox idem de aquis dicitur, ut Deum laudent, de cetis, & abyſſis, igne, grandine, nive, vapore, vento, montibus, collibus, arboribus quibuſcumque, feris, & omni beſtia, reptili, & volucri quacunque. Neque vel animata, vel ratione prædita omnia illa proinde dices. Sic *Pſalm.* CIII. 20, 21. dicitur quidem, *Benedicite Jehovæ Angeli ejus. Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus.* quem locum producit R. Joſeph Albo, *Ikkarim lib.* III. *cap.* V. ſed etiam verſu ult. additur, *Benedicite Jehovæ omnia opera ejus in omni loco dominii ejus.* Neque tamen hinc omnibus rebus animam attribues rationalem. IV. Nec ipſe illud enarrare & eloqui, quod in textu cœlis tribuitur, proprie accipies,

 quia

ritur in Lege noſtra, cùm dicitur; Deut. IV. 19. *Ne attollas oculos tuos in Cœlum, & videas Solem, Lunam, et Stellas, et omnem militiam Cœli, & impellaris, & incurves te eis, colaſque ea, quæ diſtribuit Dominus Deus tuus omnibus populis ſub toto Cœlo. Vult enim dicere. Poſuit illa Deus Mediatores, ad gubernandas creaturas; non ut colantur. Dicit enim expreſſè,* Gen I. 18. *Ut dominarentur diei ac nocti, ac dividerent lucem à tenebris; dominatio quippe conſiſtit in Gubernatione, quæ adjungitur Luci & Tenebris; quæ cauſſæ propinquæ ſunt generationis & corruptionis. Nam de Luce & Tenebris dictum eſt, Et ad diſtinguendum inter Lucem & Tenebras. Falſum autem eſt, Gubernatorem rei alicujus ignorare rem illam, quam gubernat, cùm ſcit veritatem regiminis. Verum de hac materia alibi adhuc fuſiùs agemus.*

quia non attribuis illis os & linguam, abſque quibus tamen, non poſſunt כפר eloqui. Atque ita exponis, quod verſ. 4. בלי נשמע קולם, *ſine his*, vid. ſermone & verbis, *auditur vox eorum*. Quinimo, quoniam animalia ſunt corporea, quomodo abſque ſermone & voce loquuntur? Tum, quibus unquam cœli loquuti fuere? quis audivit, quis retulit loquutos quocumque modo fuiſſe unquam? niſi, quemadmodum nos dicimus, loqui intelligantur, non propriè, ſed impropriè, materialiter & objectivè, præbendo materiam & argumentum meditandi & loquendi aliis, non formaliter.

Deinde, quod ad ſententiam & authoritatem Rabbinorum, ea nobis haud adeo magni pretii: contra veritatem quidem nulla, neque apud aliquos aliter fas ſit. Jam reſponſum ad hoc, quod exercitus cœlorum Deum dicuntur adorare. Quod de ſtellis, & filiis Dei, apud Jobum, de Angelis intelligendum: de quibus non eſt diſputatio. Vel ſi ſtellas proprie accipias, dictum jam eſt, quomodo iis adſcribatur laudatio. Niſi antiqui in Bereſchith rabba, in apologo illo terræ, intelligant terram de vita cœlorum, nempe Angelorum, conqueri, quando ipſa adhuc erat tohu, inane, ut quoque repleretur viventibus, quomodo cœlum, illorum dictum & authoritatem nullâ moleſtiâ rejicio.

Quod denique Philoſophos concernit, eorumque ſententiam, illi quidem multi ſtatuunt, regi orbes cœleſtes ab intelligentiis, & hinc inferiorem mundum; ſed nec omnes id ſtatuunt, neque qui intelligentias orbium rectrices conſtituunt, ideo putant, orbes ipſos intellectu præditos, & ſcire quod ita gubernantur ac reguntur. nedum ut hoc ſcriptum ſit in lege noſtra. Certe quidem dominantur orbi huic noſtro

cæleſtia

Digitized by Google

cæleſtia corpora, ſed non abſolute, at in ſuo genere, influxu naturali, non dominio rationali. Quomodo lux & tenebræ regunt diem, noctemque, & æther, venti &c. alia ſibi inferiora & naturaliter ſubjecta. non gubernatione proprie dictâ, vel intelligenti & voluntariâ, ſed neceſſariâ ac naturali.

Argumentum aliud ſuppeditat idem Maimonides, *cap.* ſuperiori quarto, ex motu cæleſti deſumptum, quod hic non à naturâ cæli veniat, ſed propriâ ejus animâ:

Falſum eſt, Motûs circularis Cœli eam eſſe rationem, quæ eſt motûs recti lapidis deorſum, vel quæ eſt motus ignis ſurſum; ita ſc., ut principium motûs illius ſit Natura, non Anima. Nam quod ejuſmodi motu naturali movetur, illud à principio ſuo, cùm extra locum ſuum eſt, movetur ad quærendum locum ſuum, & cùm ad locum ſuum pervenit, quieſcit. Hæc verò ſphæra, Cœlum videlicet, movetur circulariter in loco ſuo.

Reſp. 1. Negamus, quod natura non poſſit eſſe cauſa & principium motus circularis in aliquâ re, & perpetui. Quid ni? quod naturaliter movetur, inquis, illud movetur quidem ad locum, ſed in loco ſuo quieſcit. Diſſimile exemplum. in duobus: nam proponis rem moveri extra ſuum locum: atqui cælum movetur non niſi in loco ſuo. Deinde ſimile ſumis ab eo, cui naturale eſt quieſcere; quum cæli natura ſit, non quieſcere, ſed moveri jugiter, & rotari. Ergo, uti aliarum rerum illa natura eſt, ut, quando extra locum ſuum naturalem ſunt, moveantur ad locum ſuum, ut hic quieſcant: ita è contra cæli natura eſt, nunquam eſſe extra ſuum locum, atque in eo nunquam quieſcere. Quid ni enim Deus eam naturam cælo indere potuit, ad motum circularem, atque rebus aliis motum alium? Deinde, nihil eſt, quod ab anima oſtendat motum illum cæli circularem melius provenire ac derivari poſſe, quam à naturâ. Imo potius contrà, nullæ res magis certo, æquabili, determinato motu feruntur, quam quę à naturâ aguntur neceſſariâ, & non à voluntate libera. Ut hoc argumentum motus circularis continui & conſtantis inferat potius naturam ejus principium debere agnoſci, quam animam voluntate præditam. Atque hoc de anima cæli, & quidem rationali, dictum ſit.

Sequitur, de animâ *humanâ*. Omnes omnium hominum animas Judæi cenſent creatas eſſe unà, & primo quidem creationis die, cum luce. Neque hoc ſolùm, ſed etiam pares ſeu geminas, alteram viri, fæminę alte-

alteram, ut hinc ſcilicet fauſta oriantur & pacata conjugia, quando alicui in conjugem datur anima propria, ſive quę cum ſuâ creata fuit, ex adverſo infauſta conjugia, & in pœnam irrogata, quando alicui in matrimonium conjungitur imparis animę corpus. Quo cum conflictari quis neceſſe habeat, quouſque ſe emendet: deinde altero conjugio, & geminę ſuę animę meliori ſorte victurus & pace. Audin' unde inter conjuges aliquando non bene agi videmus? Diſpares coierunt animę, non quæ unà creatæ, junctæque in primâ ſui productione, ut poſtea conjugio unirentur. Ne dubites, ipſum noſtrum proferemus Menaſſem: neque enim hæc communia ſunt, ut Auctores proferre nihil neceſſe videri poſſit. Problem. xv. probare intendit, animas in principio mundi creatas eſſe, nec cum corpore ſimul fieri, vel fœtui in conceptione indi. Quod mox ad partes vocabimus. Et Problem. xvi. primo die creatas, ſatis extra dubium ponit. Quod etiam ſtatim examinabimus. In Conciliatore, ad Geneſ. quæſt. vi. pag. 12. *quemadmodum animæ jam primo die creatæ erant, (quod plerique Hebræorum ſentiunt.)* Lib. ii. de Reſurrect. cap. xix. *Quod ad Hebræos attinet, qui dicunt, animas omnes olim in principio rerum omnium creatarum creatas eſſe; ex eorum opinione certum eſt, quod quemadmodum aliquot centenis annis animæ iſtæ fœlices ac beatæ fuerunt in glorioſo iſto ſuo ſtatu, antequam informarent corpus: ita etiam poſt mortem tales eſſe poſſint.* Lib. iii. cap. ix *Sed tamen iis occurri poteſt commode, admiſſa opinione Cabaliſtarum in Zoar, quæ eſt, omnium animas ſpatio ſex dierum creationis pares ſive conjuges conditas eſſe, id eſt, animam maris, et fœminæ pariter, ac conjunctim.* Quæ attingit Idem iterum, in libello, de termino vitæ, ſect. viii. pag. 207. *Interim tamen ſciendum eſt, ex Cabaliſtarum opinione, in initio mundi paria animarum, id eſt, maris et fœminæ [uti in tractatu meo de Reſurrectione mortuorum videre eſt] à Deo condita eſſe: ac proinde aiunt connubium vel præmii, vel pœnæ vicem obtinere, pro ratione operum, quæ fecerit homo. Si enim homo meretur, et dignus judicatur, obtingit illi ſuum par, id eſt, ea perſona, qui cum creatus fuit, idque præmii loco. Sin minus, pœnæ loco, tali conjungitur perſonæ, quæ cum ejus moribus non convenit: ac proinde quicum ei in rixis, et contentionibus, et id genus aliis miſeriis, aſſidue fere vivendum eſt.*

Ut tria nobis hic veniant inquirenda. i. An omnes animæ humanæ creatæ ſint *olim*, tempore creationis primæ? ii. An primo *die*? iii. An pares, ſive *conjuges*? Singula breviter percurremus: neque enim ipſa, vel ipſorum tractatio longam requirunt, vel nimis ſeriam, nedum

dum ut operoſam dicam, diſputationem. Atque in omnibus Menaſſem habebimus exercitatorem. De illa quæſtione primùm, ſive de communi animarum omnium creatione, in hexaëmero: de quâ Menaſſe, Problem. xv.

Non ſolum communis opinio eſt omnium Hebræorum, animas humanas præceſſiſſe corpora, ſed eam opinionem etiam amplexi ſunt Hermes Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, & alii plures ex gentilibus: quæ certo ad illos ab Hebræis manavit. Sed his miſſis, illud etiam ex quibuſdam locis Sacræ Scripturæ poteſt comprobari optime. Deut. xxix. 14. *enim dicitur, Neque vobiſcum ſolis ego pango fœdus meum hoc cum adjuratione hac: ſed cum eo qui adſtat hic nobiſcum hodie coram Domino Deo noſtro, & cum illo qui non eſt hic nobiſcum hodie. Ad quæ verba veteres commentati ſunt.* כל הנשמות שהיו מן אדם הראשון ושיהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית נכלן בגן עדן וכלן היו במתן תורה שנאמר כיאת אשר ישנו פה עמנו עומד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום *(omnes animæ quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ ſunt, uſque ad finem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ ſex diebus creationis, omneſque in horto Edenis fuerunt, & interfuerunt. Sic enim dicitur, cum eo qui adſtat nobiſcum hodie, & cum eo qui non eſt hic nobiſcum hodie.) Quæ cum ita ſint, videmus veteres illo verſu uſos eſſe, ad comprobandum animas ante corpora exſtitiſſe ab ipſo mundi exordio. Enimvero quomodo Deus potuiſ-*

Reſp. Sententiam ſuam probare conatur Auctor triplici modo: ex Scriptura; authoritate Sapientum ſuorum; & ratione. Videamus ſingula. I. Dicit hic, opinionem illam communem eſſe *omnium* Hebræorum: at Concil. in *Geneſ. quæſt.* vi. dicit tantum, quod *pleríque* Hebræorum ita ſentiant. II. Undecumque eandem opinionem, vel ſimilem amplexi fuerint Gentiles Philoſophi, certe in Scripturis non eſt fundata, neque quodcumque in argumento de ſpiritibus vel animabus Philoſophi ſtatuerunt, quamvis ſimile videatur doctrinæ Cabaliſtarum, aliorumque inter Judæos, ideo ſemper ab his originem ſumſiſſe putandum eſt. Nam & illi ipſi graviter ſatis in ſuis λογισμοῖς ἐματαιώθησαν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. III. *Deut.* xxix. 14. dicit quidem Deus, ſe fœdus pangere & cum iis qui præſentes aderant, & qui abſentes, ואת אשר איננו פה עמנו היום, *& qui non eſt hic nobiſcum hodiè*; verùm per hos neutiquam intelliguntur animæ omnium hominum olim creatæ unà; ſed poſteri, qui non præſentes erant. Vultque Deus, ſe cum præſentibus, & poſteris fœdus inire, & legem ſuam non illis

 modo,

Digitized by Google

alteram, ut hinc ſcilicet fauſta oriantur & pacata conjugia, quando alicui in conjugem datur anima propria, ſive quę cum ſuâ creata fuit, ex adverſo infauſta conjugia,& in pœnam irrogata,quando alicui in matrimonium conjungitur imparis animę corpus. Quo cum conflictari quis neceſſe habeat, quouſque ſe emendet: deinde altero conjugio, & geminę ſuę animę meliori ſorte victurus & pace. Audin' unde inter conjuges aliquando non bene agi videmus? Diſpares coierunt animę, non quæ unà creatæ, junctæque in primâ ſui productione, ut poſtea conjugio unirentur. Ne dubites, ipſum noſtrum proferemus Menaſſem: neque enim hæc communia ſunt, ut Auctores proferre nihil neceſſe videri poſſit. Problem. XV. probare intendit, animas in principio mundi creatas eſſe, nec cum corpore ſimul fieri, vel fœtui in conceptione indi. Quod mox ad partes vocabimus. Et Problem. XVI. primo die creatas, ſatis extra dubium ponit. Quod etiam ſtatim examinabimus. In Conciliatore, ad Geneſ. quæſt. VI. pag. 12. *quemadmodum animæ jam primo die creatæ erant, (quod plerique Hebræorum ſentiunt.)* Lib. II. de Reſurrect. cap. XIX. *Quod ad Hebræos attinet, qui dicunt, animas omnes olim in principio rerum omnium creatarum creatas eſſe; ex eorum opinione certum eſt, quod quemadmodum aliquot centenis annis animæ iſtæ fœlices ac beatæ fuerunt in glorioſo iſto ſuo ſtatu, antequam informarent corpus: ita etiam poſt mortem tales eſſe poſſint.* Lib. III. cap. IX *Sed tamen iis occurri poteſt commode, admiſſa opinione Cabaliſtarum in Zoar, quæ eſt, omnium animas ſpatio ſex dierum creationis pares ſive conjuges conditas eſſe, id eſt, animam maris, et fœminæ pariter, ac conjunctim.* Quæ attingit Idem iterum, in libello, de termino vitæ, ſect. VIII. pag. 207. *Interim tamen ſciendum eſt, ex Cabaliſtarum opinione, in initio mundi paria animarum, id eſt, maris et fœminæ [uti in tractatu meo de Reſurrectione mortuorum videre eſt] à Deo condita eſſe: ac proinde aiunt connubium vel præmii, vel pœnæ vicem obtinere, pro ratione operum, quæ fecerit homo. Si enim homo meretur, et dignus judicatur, obtingit illi ſuum par, id eſt, ea perſona, qui cum creatus fuit, idque præmii loco. Sin minus, pœnæ loco, tali conjungitur perſonæ, quæ cum ejus moribus non convenit: ac proinde quicum ei in rixis, et contentionibus, et id genus aliis miſeriis, aſſidue fere vivendum eſt.*

Ut tria nobis hic veniant inquirenda. I. An omnes animæ humanæ creatæ ſint *olim*, tempore creationis primæ? II. An primo *die*? III. An pares, ſive *conjuges*? Singula breviter percurremus: neque enim ipſa, vel ipſorum tractatio longam requirunt, vel nimis ſeriam, nedum

Digitized by Google

dum ut operoſam dicam, diſputationem. Atque in omnibus Menaſſem habebimus exercitatorem. De illa quæſtione primùm, ſive de communi animarum omnium creatione, in hexaëmero: de quâ Menaſſe, Problem. xv.

Non ſolum communis opinio eſt omnium Hebræorum, animas humanas præceſſiſſe corpora, ſed eam opinionem etiam amplexi ſunt Hermes Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, & alii plures ex gentilibus: quæ certo ad illos ab Hebræis manavit. Sed his miſſis, illud etiam ex quibuſdam locis Sacræ Scripturæ poteſt comprobari optime. Deut. xxix. 14. *enim dicitur, Neque vobiſcum ſolis ego pango fœdus meum hoc cum adjuratione hac: ſed cum eo qui adſtat hic nobiſcum hodie coram Domino Deo noſtro, & cum illo qui non eſt hic nobiſcum hodie. Ad quæ verba veteres commentati ſunt.* כל הנשמות שהיו מן אדם הראשון ושיהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית נכלן בגן עדן וכלן היו במתן תורה שנאמר כי את אשר ישנו פה עמנו עומד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום *(omnes animæ quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ ſunt, uſque ad finem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ ſex diebus creationis, omneſque in horto Edenis fuerunt, & interfuerunt. Sic enim dicitur, cum eo qui adſtat nobiſcum hodie, & cum eo qui non eſt hic nobiſcum hodie.) Quæ cum ita ſint, videmus veteres illo verſu uſos eſſe, ad comprobandum animas ante corpora exſtitiſſe ab ipſo mundi exordio. Enimvero quomodo Deus potuiſ-*

Reſp. Sententiam ſuam probare conatur Auctor triplici modo: ex Scriptura; authoritate Sapientum ſuorum; & ratione. Videamus ſingula. I. Dicit hic, opinionem illam communem eſſe *omnium* Hebræorum: at Concil. in *Geneſ. quæſt.* vi. dicit tantum, quod *plerique* Hebræorum ita ſentiant. II. Undecumque eandem opinionem, vel ſimilem amplexi fuerint Gentiles Philoſophi, certe in Scripturis non eſt fundata, neque quodcumque in argumento de ſpiritibus vel animabus Philoſophi ſtatuerunt, quamvis ſimile videatur doctrinæ Cabaliſtarum, aliorumque inter Judæos, ideo ſemper ab his originem ſumſiſſe putandum eſt. Nam & illi ipſi graviter ſatis in ſuis λογισμοῖς ἐματαιώθησαν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. III. *Deut.* xxix. 14. dicit quidem Deus, ſe fœdus pangere & cum iis qui præſentes aderant, & qui abſentes, ואת אשר איננו פה עמנו היום, *& qui non eſt hic nobiſcum hodiè*; verùm per hos neutiquam intelliguntur animæ omnium hominum olim creatæ unà; ſed poſteri, qui non præſentes erant. Vultque Deus, ſe cum præſentibus, & poſteris fœdus inire, & legem ſuam non illis

 modo,

ſet paciſci fœduſque inire cum ijs, qui in rerum natura non exiſtunt? Ex his igitur ſequitur, omnes animas, quæ in lucem aliquando prodituræ ſunt, præſentes fuiße, cum Deus legem ferret, & cum omnibus fœdus pangeret: nam pariter allocutus eſt animas tam veſtitas corpore, quam eas, quæ nondum induerant corpus.

II. *Ad hæc Ieſaias ait: cap. 57. nam ſpiritus à conſpectu meo egredietur, & animas ego feci. Non dicit, facio, in tempore præſenti, ſed feci, in præterito, ad ſignificandum omnes in ipſo principio mundi conditas fuiſſe.*

III. *Præterea ex Ieremia idem maniſeſte poteſt probari: nam Deus eum alloquens dicit Iere. 1. 6. Antequam te formaſſem in ventre, indidi tibi ſapientiam, & antequam ex utero matris proſiliiſſes ſanctificavi te, Prophetam gentium conſtitui te: Ex quo verſu, multa deduci poſſunt, I. Deum formare et figurare infantem in utero matris, non autem virtutem quæ ineſt ſemini, neque calorem cœleſtem, quemadmodum nonnulli philoſophi arbitrati ſunt. Ideo enim dicit, antequam te formarem in utero. II. Animas non eſſe unius conditionis, quæ fuit opinio Alexandri Aphrodiſæi: neque creatas eße cum corporibus, uti alii putarunt: ſed omnes conditas eſſe ſex creationis diebus: nam eum in finem, inquit, antequam te in ventre fingerem, dedi tibi ſapientiam. Huic opinioni fidem faciunt Cabaliſtæ, &*

modo, ſed & iſtis ferre. Quare nihil hinc pro opinione ſua concludere Judæi poſſunt. IV. Etenim dicunt, animas omnes, utpote creatas jam olim, & exiſtentes nunc & viventes, præſentes adfuiſſe legiſlationi; Deus vero ait, præter Iſraëlitas adſtantes, alios non fuiſſe præſentes. Ergo id de animabus iſtis intelligi non poteſt. V. Nec præſentes erant, nec exiſtentes, non עמנו פה, *nobiſcum hic*; & איננו היום, *non* exiſtentes *hodie*. Quemadmodum illud ſumitur *Geneſ.* v. 24. ואיננו *& non extitit, quia aſſumſit eum Dominus*. Cap. XXXVII. 29. Ruben de fratre in ciſternâ non viſo, nec exiſtente, הילד איננו *puer non eſt*, & ego quò vadam? Cap. XLII. 13. והאחר איננו *& unus non eſt*, non exiſtit, ὐκ ἔτι. Similiter, verſ. 32. 36. Job. VIII. 22. *& tentorium improborum* איננו *non eſt*, vel nuſquam eſt. Quod idem de improbo dicit, iiſdem verbis David, *Pſalm.* XXXVII. 36. præteriit, & ecce איננו *non erat* amplius. *Jeſa.* XVII. 14. *antequam mane ſit*, איננו *nemo eſt*. Jerem. XXXI. 14. Rachel renuit conſolationem admittere ſuper filiis ſuis, כי איננו *quia nemo ſupereſt*. Atque ejuſmodi loca plura ſunt, ubi איננו ſignificat, non eſſe, non exiſtere. Sic in noſtro loco, non pango vobiſcum ſolis fœdus hoc, qui hic adeſtis; ſed & cum iis qui nondum ſunt, cum poſteris veſtris,

Plato de reminiſcentia. Et antequam prodiiſſes ex utero ſanctificavi te: hoc eſt, feci temperamentum & diſpoſitionem corporis tui proclivem ad virtutem & ſanctitatem, quemadmodum philoſophi dicunt animi affectus ſequi temperamentum corporis. Prophetam gentibus conſtitui te: id eſt, nihil eſt quod excuſes te per adoleſcentiam tuam. Neque enim deeſt tibi vel ſcientia vel ſanctitas. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt Deum ſanctificaſſe Jeremiam, eique ſapientiam indidiſſe, antequam eum finxiſſet in utero, reſpectu animæ ejus; alioqui neque cognoviſſet eum, neque ſanctificaſſet eum, quia non erat. Ex dictis etiam confirmari poſſe videtur opinio eorum, qui cenſent animam hominis totum eſſe, et corpus tantum eſſe inſtrumentum, quod animæ ſervit.

IV. *Salomon in Eccleſiaſte ait, Laudo magis mortuos, qui ſunt mortui, quam vivos, qui etiamnum vivunt, et præ utriſque eum, qui nondum natus eſt. Quo in loco Salomon notat tres ſtatus ſeu conditiones animæ eſſe: nam quatenus anima pura in corpore hoc tanquam in carcere aliquo concluſa detinetur, & ſub velo corporis mortalis quaſi abſcondita latet, inquit, ſe magis laudare defunctos quam vivos. Nempe ſtatus animæ melior eſt poſt mortem ſive defuncto corpore, quam dum adhuc eſt in corpore: Addit autem ſe præ duobus iſtis laudare eos, qui necdum fuerunt in la-*
veſtris, ut in eaſdem leges eant & pactum. VI. Et quamvis verba non oſtenderent, res ſatis ipſa argueret locum ſic explicari debere. Neque enim animabus, ſed hominibus poſita lex eſt, & data. VII. Si animę omnium jam tum in fœdus iere, & accepere legem, ergo virtuti & vitio, ſaluti ac damnationi obnoxiæ fuerunt. Quod quanta ſecum trahat abſurda, nemo eſt, qui non perſpiciat. VIII. Neque hoc impoſſibile, vel abſurdum, aut inſolens, ut cum abſentibus, & poſteris quoque non exiſtentibus contrahatur fœdus: nam, exceptis contractibus perſonalibus, in omnibus legibus & pactis hoc ſolenne eſt, ut non præſentes ſolum, ſed & abſentes, & nati natorum & qui naſcuntur ab iis, illis obſtringantur, & æque, ac majores ipſi. IX. Si, quando dixit Deus, vobiſcum pango fœdus, *et cum illo qui non eſt hic nobiſcum hodie*, eo animas intellexiſſet, clarius dixiſſet, & cum illis animabus, quæ hic quoque præſentes nobiſcum hodie; non, & cum illo, qui non eſt, hic nobiſcum. X. Veteres veſtri, qui docuerunt omnes animas in horto Edenis fuiſſe, quò, & quare ſtatuunt, abactas inde eas, cum Adamo? vel an ibi adhucdum degunt, quum locus non amplius ſuperſit? XI. Philo verò exiſtimat, animas in aëre verſari. Quem ſic loquentem audivimus, lib. de Somniis:

Digitized by Google

cem editi. Nempe hoc commate deſignatur ſtatus animæ felix antequam in hunc mundum compingitur, cum videlicet adhuc degit in patria ſua. Hoc alio ſenſu intelligendum non eſſe, inde liquet, quia Salomon non poterat laudare eos tanquam in meliore ſtatu poſitos, qui nullo modo adhuc erant in rerum natura.

V. *Denique ex Jobo non leve pondus huic ſententiæ accedit. Quando enim eum Dominus alloquitur, ſic ad eum infit. noveris te jam tum natum fuiſſe. Ubi per tum, intelligit principium mundi, ita ut ab illo tempore ſecundum animam natus fuerit.*

Accedit præter hæc Scripturæ teſtimonia, quod hæc ipſa opinio noſtra ſit recepta ab omni antiquitate, quæ in controverſiam nunquam vocata eſt, ſed omnium ſapientum conſenſu ac calculo comprobata eſt. In Bereſit-Rabba, ſuper illud, faciamus hominem, dicitur, Deum locutum eſſe cum animabus; quo innuere voluerunt ſapientes noſtri, Deum non præcipitare animas in corporis cuſtodiam, ſine earum conſenſu. In Guemara Haguiga refertur in cælo Empyreo eſſe domicilia vitæ, et pacis, et animarum juſtorum, & ſpirituum, atque etiam animarum iſtarum quæ in mundum venturæ ſunt; & aſſeritur Meſſiam venturum eſſe, cum omnes animæ, quæ creatæ ſunt, ſeſe corporibus humanis junxerint. Eandem opinionem ſunt ſecuti illi, qui ex magna Synagoga niis: *annon abſurdum videtur elementum* aëris, *quo animantur omnia, animabus carere? ideo nemo optimam naturam animalium optimo in terris aëri adimat. Adeo enim non eſt deſertus ſolus ex reliquis partibus, ut inſtar populoſæ civitatis cives incorruptibiles immortaleſque habeat animas ſtellis pares numero. Harum aliæ deſcendunt illigandæ corporibus mortalibus, quotquot viciniores ſunt terræ amantioreſque corporum. Aliæ ſurſum redeunt ſeparatæ denuo poſt præfinitos à natura terminos.* Ad *Jeſa.* LVII. 16. *& animas ego feci.* vel, quas ego feci. *Reſp.* I. Intelliguntur animę hominum qui exiſtunt & vivunt: non animæ ſeparatæ, & quæ factæ ſint à prima inde creatione. Senſus eſt, quod Deus vim iræ ſuæ declarans, dicat eam, niſi ſe contineret, homínique parceret, facile totum hominem, ejuſque ſpiritum & animam perdituram. II. Neque de animabus illis, ex mente Judæorum, intelligi poteſt: nam illis iraſci, propter peccata hominum, Deus non poteſt. III. Nulla foret in ſermone Dei connexio, aut ratio: non contendam in perpetuum cum peccatoribus iſtis, neque indeſinenter illos affligam, quia animas ego feci in creatione: quæ hic ſequela, quæ ratiocinatio? ex adverſo optima & manifeſta ea; non illos nimium puniam, quia non eſſent ferendo. Quemadmodum

Pſalm.

temporibus Ezra fuerunt , in oratiuncula quadam uſurpanda horis matutinis poſt levationem corporis de lecto , cujus verba hunc in modum habent. אלהי נשמה שנתת בי טהורה היא אתה בראת אתה יצרת אתה נפחת בי ואתה משמרה בקרבי ואתה עתיד ליטלה ממני ולהחזירה בי לעתיד לבא. *Mi Deus , anima quam mihi dediſti , munda eſt , illam tu creaſti , formaſti , eamque mihi inſpiraſti , nec non ſervas eam in me , hanc accepturus es cum ex me evolaverit , & redditurus mihi præſtituto ad id tempore. Noto ſapiens lector , quàm præclara nobis tradiderint divini noſtri Scriptores de animabus. Primum enim dicunt, anima quam mihi dediſti , pura eſt. Quo ſignificatum volunt , animam eſſe ſubſtantiam ſubtilem & ſpiritualem , ex pura & munda materia formatam. Tu illam creaſti ; id eſt , in principio creationis mundi , animæ omnes exſtiterunt , ut à nobis comprobatum eſt. Tu illam formaſti , id eſt , anima noſtra eſt corpus ſpirituale, natura cœleſti præditum , incomprehenſibile ſenſibus ; quod ſeſe conjungit et unit animæ , priuſquam in mundum veniat , & numquam eam deſerit ; ſed quamdiu anima terreno corpori juncta eſt , illi aſſociata manet , tandem vero poſt mortem corporis , redit ad ſodalitium ſuum. Hujus corporis meminit Plato, cum id appellat cœleſte vehiculum. Cabaliſtæ vero tradunt in illo corpore animam frui præmio*

Pſalm. CIII. 9. *non contendet ſemper neque in æternum ſervabit* iram. 14. *nam ipſe novit formationem noſtram , memor pulverem nos eſſe.* Targum , hoc loco , *nam ſpiritus mortuorum ego vivificaturus ſum* , ונשמתא אנא עברת , *& Spiritus ego feci.*

Nihil iſtorum , quæ Menaſſe ſtatuit, ex loco *Jerem.* I. 5. concludi poteſt. I. Non legendum , quemadmodum ille facit , *antequam te formaßem in ventre , indidi tibi ſapientiam*. Sed , *antequam te formarem in utero , novi te.* בטרם אצורך בבטן ידעתיך. II. Nec dicit Deus , ſe formare fœtum in utero immediate, & non mediante naturâ, ac vi prolificâ. Quorſum enim naturam פריה ורביה conſtituiſſet ? Neque quod Deus in naturalibus dicitur facere , ſignificat eum facere immediatè , prætéritâ naturâ , ejuſque facultate & vi. III. Nec ſequitur, animas ex creatione, & naturaliter non eſſe unius conditionis, & pares eſſentiâ, quamvis non ſint in actione , cæteteriſque accidentibus pares. IV. Minime omnium , quem tamen in finem præcipue locum iſtum adduxit Menaſſe , animas omnes conditas eſſe ſex creationis diebus. ידעתיך enim , non eſt , *ſapientiam indidi* : neque Hiphil eſt , ſed Kal. ſignificatque , *cognovi te.* Græci , ἐπίσταμαί σε. Targum , אתקנתך , *præparavi te.* Hiſpanica , *te cognoſci.* V. Quid hoc eſſet , dedi tibi ſapientiam , ante-

Digitized by Google

operum ſuorum in paradiſo, & è contrario, in inferno pœnis affici. Tu illam mihi inſpiraſti: quando videlicet eam in mundum hunc deſcendere, et in corpus ſuum feciſti influere, idque immediate nulla interveniente motione aut actione cœleſtium corporum, qualis intervenit cum formantur cæteræ animæ, vegetativa videlicet & ſenſitiva. Tu illam cuſtodi in me. Id eſt, præſta tutelam & auxilium divinum, quod animæ percipiunt, quando & quatenus unitæ ſunt corpori. Tu hanc accepturus es a me. quo tempus mortis notant, & ſignificant ſimul animam eſſe immortalem, quia animæ poſt deſtructum hominem recipi non poſſunt à Deo, ſi revera non exiſtunt. Et redditurus es eam mihi præſtituto tempore. Id eſt, in die reſurrectionis mortuorum, quum animæ ſecunda vice redibunt ad informandum ſuum corpus. In Midras a-Nebelam, dicit etiam R. Johanan, duas ſedes & domicilia eſſe, unum iſtarum animarum, quæ nondum in mundum deſcenderunt, alterum earum, quæ ex mundo hoc jam exceſſerunt, & defuncto corpore rurſus ad fontem & originem ſuam ſunt reverſæ. Hoc ipſum non minus etiam ratione poteſt comprobari: cum enim poſt ſex dies creationis, Deus non condiderit quicquam ex nihilo, ſed aliud ex alio, neceſſe utique eſt ut credamus omnes animas, quæ aut ex aliis rebus aut ex ſe invicem produci quam te formarem? Intelliges enim, ſapientiam propheticam. At quorſum illam dediſſet nondum Prophetæ? & quomodo? an ergo animæ in illo ſtatu non modo ſciunt, ſed & prophetant? Jam ergo etiam ſtatim in formatione ſui Propheta actualem rerum habuit ſcientiam, quod contra naturam eſt. VI. Ingenue Auctor noſter ſubjungit: *Huic opinioni fidem faciunt Cabaliſtæ, & Plato de reminiſcentia.* Sed fidem non ſatis veram, & certam. Atque auctoritate illorum qui ſtat, ſinat ſe in errorem duci, non alios. Non etiam Scripturam in opinionis hujus confirmationem vexet & trahat. Platonis iſta ſententia cordatis riſum debet, atque à multis ſæculis exploſa fuit: ut eam nunc reducere velle, in Cabaliſtarum gratiam, nihil ſit quam nugas nugis addere, & ſe omni ex parte proſtituere. VII. Sed tua ſententia pergit ulterius quam Platonica. Hæc dicebat, homines reminiſci quæ antea cognoverant: Tu neceſſe habes dicere non reminiſci modo, & repetere res antea notas, ſed & ad ſanctitatem ac virtutes, prophetiam etiam, quâ animæ, antequam ad corpora tanquam ergaſtula detruſæ, imbutæ fuerunt, reverti, & redire ad vetera, non primùm hac in vitâ ſanctificari. VIII. Sanctificare autem, exponere, quod nihil aliud ſit, quam *tempe-*

Digitized by Google

nequeunt, (etſi contra quidam ex philoſophis perperam ſtatuerunt) omnes inquam ſimul ac ſemel in principio mundi conditas eſſe. Hoc igitur ita eſſe, non tantum ex authoritate divinarum literarum, & veterum ſapientum conſenſu, ſed etiam ex ratione certiſſimum eſſe conſtat.

temperamentum et diſpoſitionem corporis facere proclivem ad virtutem & ſanctitatem, quemadmodum philoſophi dicunt animi affectus ſequi temperamentum corporis, hoc ex philoſophiâ petitum ſit, certe non ex Scripturâ: imo nec ex philoſophiâ, quia hæc de ſanctificatione nihil tradit, utpote ſupra ſe, ſibique ignotâ. Turpius quid dici potuit, ex Ethnicorum ſenſu, non Iſraelitarum, quàm ſanctificationem hærere in temperamento corporis? quaſi hoc ejus ſubjectum ſit, & non ſpiritualis anima. formam ejus conſtituere in diſpoſitione temperamenti? non in mutatione, converſione, rectificatione animi ad obedientiam præceptorum Dei. Ex temperamento eam derivare? & non à ſpiritu Dei. Quaſi ſanctitas ſita ſit, vel ſe comprobet in proclivitate corporis naturali ad virtutem, & non in ſupranaturali ſpiritualis vitæ novo principio, ex quo ſupra corruptæ naturæ conditionem aſſurgat homo, & Deo in ſpiritu atque veritate colendo ſtudeat? IX. Manifeſta eſt ἀνακολουθία, Deum Jeremiæ ſapientiam indidiſſe, antequam eum finxiſſet in utero; quia alioqui non cognoviſſet eum. Quid, an Deus non cognovit res, vel homines, niſi exiſtant? Niſi natus, & factus à Deo Jeremias, Deus eum non cognovit? Sic tu coarctabis Dei ſcientiam, & reſtringes ad unam rerum ſortem, eamque minimam? Nam præſentia tantum noſſe, etiam aliorum eſt. Deus, antequam Jeremiam formaſſet in utero, vel produxiſſet in lucem, norat, deſtinarat, & ſegregarat, id eſt, ſanctiſicarat hominem, ad officium iſtud propheticum. Unde Chaldæus hoc loco habet אתקנתך, *præparavit te*, ubi in textu eſt ידעתיך: & ומנתך, *paravit te*, loco הקדשתיך. X. Neque etiam ex dictis confirmari poteſt opinio eorum, qui cenſent animam hominis totum eſſe, & corpus tantum eſſe inſtrumentum. Nam non modo inſtrumentum, quod animæ ſervit, corpus eſt, ſed totius, id eſt, hominis pars eſſentialis. Quod ex primâ ejus creatione ſatis manifeſte liquet.

IV. *Eccleſ.* IV. 2. præ viventibus prædicat Auctor mortuos; utriſque autem præfert nondum natos, quod non probat, I. homines, antequam nati, exiſtere. II. neque poſſunt dici exiſtere, qui non fuerunt unquam homines: etenim anima ſola non eſt homo: præſertim quæ nunquam informarit corpus, hominiſque fuerit pars. III. neque dicere Eccleſiaſtes.

ſtes voluit, homines non natos felices eſſe, vel feliciores aliis; ſed non fuiſſe infelices. Etenim non hominis felicitatem conſiderat Propheta, ſed infelicitatem, eamque deplorat, maxime viventis hominis, atque à potentioribus oppreſſi, *verſ.* I. præ quibus mortuos ponit, ut liberatos & immunes ab iſtis malis: ante omnes verò hos qui nondum lucem adſpexerunt, & ſic neque miſeriam: quam ipſam rationem adjungit, *qui non vidit factum peſſimum quod fit ſub ſole.* IV. Juxta vos, an nullum malum animas illas tangere poteſt, ante hominum ortum? quomodo non, ſi virtuti ac vitio obnoxiæ? & hæ, præ aliis ſanctificentur? & illarum ſtatus cum Angelis æquetur? Quomodocunque, inique videbitur agi cum animabus, ſi tantam felicitatem expertæ in iſta conditione, & tamdiu; denique nullo ſuo merito in infeliciſſima mundi ergaſtula detrudantur, atque compingantur. Ipſe etenim Menaſſe, de ſtatu animarum in hac vitâ, ſic quoque loquitur, animas in corpore hoc tanquam ergaſtulo aliquo concluſas detineri.

Quod Job. XXXVIII. 21. *noveris te jam tum natum fuiſſe*, per ironiam dicitur, & non affirmative, ſed negative accipiendum. Quemadmodum verſu ſeq. *perveniſti ne ad theſauros nivis?* nempe, non perveniſti. Patet, ex ſermonis hujus exordio, verſ. 3. 4. *Accinge nunc ut vir lumbos tuos; et quod interrogabo te, notum fac mihi. Ubi nam eras, quum fundarem terram?* Nimirum, ſi vera eſt ſententia Judæorum, potuiſſet ad hoc Jobus reſpondere, imo ſe tum etiam extitiſſe, & adfuiſſe creationi. Quod tamen exſerte Deus hic negat. & removet, Similis oratio Dei, ad Jobum, occurrit cap. XL. 6. 7. 8. 9. *Diſperge indignationes iræ tuæ, et adſpice quicquid eſt excellens, ac dejice illud* &c. *et contunde improbos loco ſuo* &c. *Tunc etiam ego celebrabo te, quod ſervet te dextra tua.* Locutio ironica.

Alterum adfert Menaſſe ſententiæ ſuæ argumentum, ex conſenſu antiquitatis Judaicæ. Verùm quod hic dicit omnem antiquitatem, omniumque ſapientum conſenſum, adeo late atque univerſaliter; alibi ipſe tollit, ubi inquit, *pleroſque* Hebræorum ita ſentire, *Conciliat. in Geneſ. quæſt.* VI. Plerique, non ſunt omnes. Neque, quantuſcunque conſenſus ille ſit, præjudicare vel minimum poteſt veritati, hac unâ deſtitutus. II. Iſtud Gen. I. 26. *faciamus hominem*, aliter, quam hic fit, à Judæis quoque exponi; & exponendum eſſe, ſuo loco videbimus. III. Quod Meſſias venturus dicitur, cum omnes animæ, quæ creatę ſunt, ſeſe corporibus humanis junxerint, confirmat ea quæ antea diximus de levi Meſſiæ apud

Digitized by Google

ſic apud Judæos pretio & æſtimatione, quod valde frigidè eum exſpectant, vel potius non exſpectant, cujus adventum in ultimum mundi finem rejiciunt, quando nulli amplius generandi homines, primum ultimumque Meſſiæ adventum confundentes, in ſolum ſecundum, poſtquam primum contemſerunt, incurſuri. IV. In explicandâ precatiunculâ illâ nec mentem ſervas ejus, nec veritatem. Non hoc, quia animam dicens illa טהורה *puram*, non vult, eam ex materiâ, utcumque mundâ & purâ creatam, vel habere corpus. Tum tibi ipſe contradicis, ſpiritualem eam appellans: non ergo eſt corpus. Spiritus enim non eſt corpus: uti nec corpus ſpiritus. Spiritus materiam, carnem & oſſa non habet. Neque, quum precatio dicit, quod Deus animam ברא *creavit*, mens neceſſario eſt, creatam initio creationis. Creat Deus animam, tum quando eam induit corpori, בקרבו *in medio ejus*, uti dicit Zacharias *cap.* XII. I. Verum nos de ſententiâ & authoritate Judæorum parùm laboramus. Ad rationem ergo, quam tertio loco adducit Menaſſe, pergimus.

Deus, inquit, omnia creavit ſex diebus creationis, nihil poſtea creat, ergo animas, quæ non generantur ex aliâ materiâ, vel traduce, ſed creantur, omnes tum conditas fuiſſe neceſſe eſt. *Reſp.* I. Deus omnes tum creavit ſpecies, nec novas poſt illud tempus creat ullas; ſed ad illarum conſervationem nihil pugnat ut in individuorum producendâ formâ intercedat creatio. Quomodo in hominis generatione creatur anima. Non nova aliqua ſpecies ab iis, quæ primâ creatione prodiere. II. Nec repugnat primæ creationi, quod & poſtea Deus creat, quia ſic nec ullum deberet edere proprie dictum miraculum: quia in omni eo intercedit ſemper aliqua creatio, & productio rei ex nihilo, ſive ex materiâ ad tale edendum effectum inhabili atque inidoneâ.

Denique contra vanum Menaſſis ad totam hanc diſputationem epilogum, opponimus hoc unum argumentum. Cujus nullum indicium atque veſtigium in Scripturâ, ratione, & ſenſu vel experientiâ, id fruſtra aſſeritur: ſed animarum omnium in principio mundi creatarum nullum in Scripturâ, ratione, & ſenſu vel experientiâ indicium: ergo. Duo illa hactenus vidimus, eſſe nulla. Scriptura enim, hoc ſi verum, retuliſſet in hiſtoriâ creationis, atque ita aperte, uti hominis creatio, ut de eo dubitare ultra nemo poſſet. Ratio nullam iſtius videt, aut neceſſitatem, aut uſum. Quin contraria multa, quæ ſecum, & cum rerum ordine haud bene conciliari queunt. Quid enim attinuit tanto ante tem-

Digitized by Google

pore creare ſubſtantias præcipuas extra ſuum uſum, exiſtentes, & formas vanas. Quæ vel nihil egerunt longiſſimo tempore, vel, quodcunque egerunt, nullo ſuo fine, aut hominis bono fuit. Melius atque convenientius eſt, ut animæ tum creentur, quando formarum uſum habiturę ſuum ſunt, & ainmaturę corpus. Poſtremum de ſenſu contrario adeo manifeſtum eſt, ut vel ſolùm coarguere opinionem illam vanitatis poſſit. Quis enim animam penitiſſimè introſpiciens, aliquid vel minimum ibi obſervat, exiſtentiæ, aut vitæ per annorum tot millia continuatæ? Quis aliquid ſpecierum priſtinarum & cœleſtium? Cogeris ponere Platonicam & ſubitaneam omnium, cum nativitate, λήθλω atque oblivionem profundam: quodque alibi videris tamen rejicere, infantem in lucem prodeuntem ab Angelo obſervari, & ei os occludi, ut ſtatim omnium obliviſcatur quæ antea ſcivit. lib. II. de reſurrectione cap. VII. *Inquiunt antiqui, infanti, quam diu in utero matris eſt, candelam ſupra caput poſitam eſſe, quæ perluſtrat ac videt omnia, quæ ſita ſunt inter utrumque mundi cardinem: cum autem naſcitur, angelus occludens infantis os, ſeu potius impediens linguæ uſum, extinguit lumen: cumque vi erumpit ex utero infans, eorum omnium obliviſcitur, quæ ante perſpecta habuit, ideo ortum ac natalem ſuum irrigat lachrymis. Quorum verborum non alia mens eſt, quam animas hominum ante partum ſapientiſſimas eſſe, omniumque rerum cognitione imbutas: ſed eos ſcientia iſta privari, quando corpori induntur, non aliter quam ii qui ex perturbato cerebro in phreneſin incidunt, ac proinde ſcientiam omnem, quam diſcendo iterum acquirunt, non eſſe niſi eorum quæ ante ſciverunt reminiſcentiam. Quæ Platonis ſententia quoque fuit, plane contraria opinioni Ariſtotelis.* Illud, vel ſimile quid aſſumere neceſſe habes, ut exponas, unde mentes tanta præſtantiſſimarum rerum capiat oblivio, adeo ut etiam, ſe fuiſſe antea, ignorent. Jam nihil peto, quam ut id, quodcumque hic dicturus ſis, vel Scripturâ, vel ratione aliquâ comprobes. Quod nullus dubito quin nunquam non modo præſtiturus, ſed ne conaturus quidem ſis. Quare pergimus ad ſecundum, quod de creatarum dicis animarum tempore, examinandum, nempe creatas eſſe omnes, *procul omni dubio*, primo die.

Problem. XVI. *Quo die animæ humanæ ſint conditæ?*

Hominum animæ, procul omni dubio, primo die cum luce ſunt creatæ. Ut hoc intelligatur, obſervandum eſt, quinquies in textu iſto ſacro vocabu- Reſp. I. Proba, quod quinquies uſurpata vox lucis in ſacro textu contineat myſterium. II. Et hoc, quod tu opinaris. Ego nego, nec tu pro-

Digitized by Google

lum lucis occurrere, videlicet, ſit lux, & fuit lux, & vidit Deus lucem eſſe bonam, & diſtinxit inter lucem & tenebras; & appellavit Deus lucem, diem, &c. Quod non caret myſterio, et quantum ad me attinet, ibi omnes luces, ſive creaturas ſpirituales comprehenſas eſſe exiſtimo, quæ primo die creatæ ſunt. Ut autem illud per gradus oſtendam, incipiam à ſummo et in imo deſinam. Dico itaque primam lucem fuiſſe decem ſuperiores luces, quas Cabaliſtæ vocant ſephirot, et eas in mundo, quem nominant אצילות *emanationis, collocant. Secunda lux fuerunt intelligentiæ à materia ſeparatæ, quæ ponuntur in mundo* בריאה *creationis: ideo enim dicit Daniel, claritas illi cohabitat. Tertia lux ſunt animæ, quæ eundem locum obtinent, & dictæ ſunt etiam luces, uti ex Sapientis verbis conſtat, lux juſtorum lætificabit.* Prov. XVI. 9. *Quarta lux ſunt angeli, qui habent aliquam affinitatem cum materia corporum cœleſtium, & obeunt legationes in terram, poſitaque ſunt in mundo* יצירה *formationis; propter naturam autem ſpiritualem, quæ ſunt prædita, convenit illis nomen lucis. Quinta lux denique fuit in mundo* עשיה *fabricæ; hæc ea eſt, quæ illuſtravit terram tribus primis diebus. Non lux Solis, quia tum Sol nondum erat conditus, ſed lux ſplendida atque ingens præbuit, ut ejus homines non eſſent capaces.*

tu probas. Dicis quidem quid ſentias, ſed nullo confirmas argumento verum, & ſacris conſonum eſſe, quod mero tuo fingis ingenio, & arbitrio. III. Exiſtimas, ibi omnes luces, ſive creaturas ſpirituales comprehenſas eſſe: atqui ultimo loco ponis lucem, quæ terram illuſtravit tribus primis diebus: hæc autem non ſpiritualis lux fuit, ſed corporalis. IV. Decem ſephiroth, ſeu attributa Dei hic dicis creaturas. Quam enormis, & intolerandus, in Doctore præſertim, error! Cui & hoc ipſo in libro tute merito atque aperte contradicis. *Problem.* XXVII. *nam dicimus illas Sephiroth, ſeu divinas perfectiones, aliud quid eſſe, quam eſſentiam Dei; neque etiam dicimus illas eſſe diſtinctas creaturas?* V. Quomodo res tam diverſæ notatę fuerint unicâ voce lucis? perfectiones Dei, intelligentiæ, animæ, Angeli, & lux diei? VI. Animas dicis eundem locum occupare cum intelligentiis, id eſt, cœleſtem: Philo autem eas collocat in aere. VII. *Lux juſtorum* apud Salomonem non ſignificat juſtorum animas. VIII. Quâ vero ratione animas collocas ante Angelos? X. Jam audimus te quidem dicentem, animas primo die cum reliquis lucibus eſſe conditas; ſed hoc probantem necdum audimus.

Neque aliquid huc facit Davidis locus, *Pſalm.* CXXXIX. 5. ubi dicit,

אחור,

Hanc ſapientes dicunt Deum ſervare repoſitam juſtis in futuro ſeculo. Vel, ſi ita velimus, ipſa lux ſolis fuit. Dico itaque animas primo die cum reliquis lucibus eſſe conditas. In eandem ſententiam ſapientes noſtri in Bereſit Rabba explicant textum Davidis, poſt et ante me formaſti, Pſal. CXXXIX. 5. *Intelligunt enim iſthic ſignificari aliter hominem quam alias creaturas condere, & quidem duabus vicibus: primo, quando eum creavit ante omnes res, ſcilicet quo ad animam, primo* die: deinde, quando eum creavit poſt omnes res, quo ad corpus, ſexto die. Hoc ipſum etiam poteſt ex Jobo probari, apud quem dominus exaggerans excellentiam creatæ lucis primi diei, dicit ſequentibus verbis, an ſcis tunc te natum fuiſſe?*

Cæterum ne te ſeducat, & decipiat, quod R. Elhazar ait in Ber. Ra., animam Adami ſexto die cum reliquarum animantium animabus eſſe creatam: nam eo loco non agit de anima intellectuali Adami, quæ à Deo creata eſt: dicitur enim, & ſufflavit in nares ejus animam vitæ: ſed agit de נפש חיה *anima vitali, & ſignificat eam, quà talem, paris fuiſſe conditionis cum animabus cæterorum omnium; quanquam multi huic opinioni* contradicant.*

Plures aliæ quæſtiones circa animam poſſunt ventilari: ſed hic non eſt mihi aliud propoſitum, quam אחור וקדם צרתני, non uti Menaſſe exponit, *poſt & ante me formaſti*, nedum ut hinc exſculpatur duplex illa unius hominis formatio, ſed, *retro et ante obſediſti me*, id eſt, ab omni parte me tenes & circumtegis. צרתני, à צור *obſedit*: non à יצר *formavit*. Illud cum contextu magis convenit, verſ. 3. *Iter meum & accubitum meum circumplecteris, et omnium viarum mearum peritus es.* 5. *Retro et ante obſides me, et imponis mihi manum tuam.* Vel etiam ſit, *formaſti me*. Non loquitur David de Adamo, minus quod is partim primo, & ſexto die creatus ſit: ſed de ſe. Age & de Adamo intelligatur, ut liberaliter cum adverſario agamus: ſed ante & retro, vel poſt & ante, qua ratione ſignificat diverſos dies? primum, & ſextum? illo creatam animam, hoc corpus? Quare non potius, omni ex parte hominem à Deo creatum formatumque, antrorſum, & undiquaque Dei opus eſſe ac fabricam? Senſus hic magis planus, & conveniens. Ad locum Jobi antehac reſponſum eſt. Quando R. Eliezer ait, animam Adami, ſexto die, cum reliquorum animantium animabus eſſe creatam, ad ſenſitivam, excepta rationali, reſtringi non poteſt, quia una hominis anima, non duæ, vel tres, tantummodò diverſæ ejus facultates ſunt & operationes.

Ter-

Digitized by Google

generaliter agere de creatione: in libro autem, quem de anima conſcripſi, prolixius & ſubtilius de variis quæſtionibus diſſeretur. Atque hæc quidem hactenus.

Tertium, de naturâ & creatione animarum inquirendum fuit, an pares creatæ ſeu *conjuges*: quamvis hoc jam ex prioribus ſatis tollatur & evaneſcat. Nam ſi non creatæ antè animæ; ergo neque conjuges. Et ſcire velim, num binæ unà & quaſi geminæ creatæ animæ, an quædam trinę & plures ſimul? prout quis uno, vel pluribus conjugiis implicatur & uxoribus? Annon & aliquorum animæ ſolitariæ, eorum nempe qui cælibem vitam degunt? Menaſſe, *lib.* III. de reſurr. *cap* IX. qui & hæc tractat *lib.* II. *de animâ cap.* 8.

Iis occurri poteſt commode, admiſſa opinione Cabaliſtarum in Zoar, quæ eſt, omnium animas ſpatio ſex dierum creationis pares ſive conjuges conditas eſſe, id eſt, animam maris, & & feminæ pariter, ac conjunctim. Deinde hominem, ſi mereatur & dignum ſe præſtet, jungi matrimonio cum ſuo pari: ſi demereatur aut indignum ſe præſtet, jungi alii, quæ illi vice pœnæ, ac tormenti eſt, & à qua non niſi per mortem liberatur; aut ſi fœmina iſta mereatur, conjungi tandem ſuo pari: ſi id non continget, eum ſemper hic à propria, ac naturali ſocia ſejunctum ac ſeparatum vivere. Atque hoc innui ajunt Pſal LXVIII. 7. *Deus fecit habitare unos in domo, educit vinctos in compedibus: ſed rebelles habitant in ſicco. Unos inquit, id eſt, quorum animæ unitæ fuerunt in principio creationis, illos Deus jungit ac copulat matrimonio, faciendo ex illis domum. Qui ob peccata veluti vinculis conſtricti ſunt, eos, morte atque obitu alterius, ex carcere iſto Deus eripit, ſi pœnitentiam factorum*

Reſp. I. ita omnes animę creatæ, & non in hiſtoriâ creationis, neque S. Scripturâ totâ ulla iſtius, & clara mentio? II. Quis probavit argumenti iſtius ἀπόδειξιν, ex felici vel infauſto conjugio judicare de alicujus vitâ & virtute? Quaſi non pii & optimi etiam, quemadmodum reliquis in mundo afflictionibus, ita & hoc malorum genere, præ aliis quandoque exerceri poſſint: atque è contra improbi frui conjugio magis pacato, proſperoque? III. Continget quandoque, ut, poſt primum matrimonium feliciter pieque ab utraque parte tranſactum, ſuccedat aliud priori valde diſpar, & infælicius: quæ hujus tum, ſecundum illa, cauſa erit? IV. Nimis & hoc peremptoriè aſſeritur, ab inquietâ & rixoſâ muliere non poſſe quem *niſi per mortem* liberari: quare non emendari mores illius poterunt, vel Spiritu Dei, aut afflictione aliquâ, præter mortem, corrigi? V. Quomodo ergo, quod ſæpe videmus, contingit, ut

pars

egerint; ſed qui ſunt rebelles, & in malo pervicaces, ſine liberis, ſine voluptate, ſteriles, & triſtes vitam finiunt. Itaque cum anima matris, & femina in principio creationis copulata, ac ſociata fuerint, directa via unica cuique conjux propria, ac naturalis eſt, indirecta via alia omnes propter peccata impropria ſunt. Hinc fit, inquiunt illi theologi, ut illi, qui in diverſis urbibus, ac regionibus habitant, hac vel illa occaſione ad ſe mutuo accedentes, connubio jungantur. Hinc etiam fit, ut quis pacifice, ac quiete vivat cum deformi conjuge, & contra cum formoſa plenam contentionis, & rixarum triſtemque vitam tranſigat. Idcirco ajunt, vera, ac propria matrimonia contrahi ſingulari ratione, per manum Dei; reliqua vero conſilio, atque induſtria humana; uti in Talmude videre eſt, in quo legimus, quod percunctanti cuidam matronæ, quid Deus egerit, agatque poſt creationem mundi? R. Joſeph bar Halpeta reſponderit, matrimonio homines jungit. Quod illa riſu excipiens, inquit, idem ego etiam præſtare poſſim, ac ſtatim connubiis junxit ſervos, ſervaſque, quos domi ſuæ alebat. Sed haud ita multo poſt comperit, quantum diſtaret opus Dei ab opere humano: nam quos conjuges fecerat, ii rixis & contentionibus inter ſe mutuo decertabant, et divellebantur a ſe invicem, uti in omnibus infauſtis connubiis fieri ſolet.

pars innocens & proba ipſa, tædio vitæ infelicis, in coniugio iſto primo moriatur, neque ad ſecundum & proprium quod dicis, aut ſupervivat, aut, ſi ſuperſtes etiam ſit, tamen non perveniat? VI. Qui ſemper hic à propriâ & naturali ſociâ, propter vitam malam, ſejunctus vivit, non ſibi ſoli, ſed & ſociæ iſti malum creat, quod hæc ſeparari ſemper à conjugio, vel cum impari conjungi cogatur. Quodnam remedium vel ſolamen huic dabis? VII. Quinimo videtur hoc pacto Deus iſtis diſparibus conjunctionibus adulterium aliquod ſpirituale inferre & committere. VIII. Eſt is temerarius Scripturæ abuſus, & indigna adulteratio eam ſic exponere, uti Menaſſe hîc locum *Pſal.* LXVIII. 7. יחידים non eſt, unos junctos, ſed ſolitarios, hos Deus facit habitare unà, & domum ſeu familiam ædificare. Quis *vinctos in compedibus* exponat, vinctos peccatis, & conjugio, atque pœnitentiam agentes? *educere*, liberare alterius morte? *in ſicco*, carere voluptate, ac prole? Quum contrà evenire ſæpe obſervemus, ut peſſimi maximis gaudeant voluptatibus, & prole magis numeroſâ, quam alii etiam pientiores. IX. Dirum axioma, unicum conjugium proprium & verum eſſe, cætera propter peccata eſſe & impropria. Unde ſequitur, non licere

licere alicui poſt primum conjugium, in quo bene vixerit cum propriâ ſua conjuge (quod ſcire utique poteſt ex vitæ ratione tranquillâ & fœlici) ad ſecundum forte & tertium, & fieri digamum aut trigamum. Neque enim illa res peccato careret, imo nec adulterio. Nam ſi unica conjux cuique propria, directa & naturalis, ſequentes, quamvis legitimo conjugio, erunt impropriæ, non rectæ & præter naturam, indirectâ *viâ aliæ omnes propter peccata, impropriæ ſunt*, inquit Menaſſe. Illa appellat *vera ac propria matrimonia*: reliqua ergo ſecus ſe habent. x. Tamen & videmus, ſecundum æque ac primum eſſe fortunatum, nec magis dici poſſe unum quam alterum initum inter animas proprias. xi. Non debent opponi ſimpliciter conjugia quæ Deus, & quæ homines jungunt, niſi quæ homines, ſine Deo, ineunt & tractant. Alioqui in Domino etiam conjunguntur, qui ad hoc quoque conſilium adhibent & induſtriam humanam.

Hæc de animabus. De *corpore* Adami ſentiunt Judæi, conjunctum uno corpore creatum fuiſſe Adamum, & Evam, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva, & utrumque corpus ad ſcapulas quaſi pice agglutinatum fuerit. Fabulam audire te putes, & figmentum aliquod poëticum, quemadmodum & hinc illud ſtabiliunt Judæi; non verò dogma Theologicum. Adamum & Evam non bicorpores, ſed concorpores fuiſſe: corpus ex utroque ſexu coalitum: humeris agglutinatum, biforme, ex mare & fœminâ conſtans, quemadmodum iis verbis ſententiam hic ſuam explicat Menaſſe. Verùm (quamvis quidem rideri potius atque explodi mereatur opinio iſta, quam refutari, curſim tamen hæc breviter annnotamus) i. Sic revera monſtrum homo creatus fuiſſet, & prodigium. ii. Species alia, quam quæ nunc eſt, & quę interiiſſet. Contra perfectionem hominis illud; hoc, mundi. Quemadmodum Plato, quem Menaſſe pro ſua ſententia adfert, polliceturque ſcripturum ſe, *Platonem Moſaicum*, (moneo tantum, ne nimio Platonis, ſuorumque cum Gentilibus ſimilium placitorum ſtudio ſacra legis, contra Gentis ſuæ morem & decus, admodum contaminet) Plato, inquam, iſte exſerte tertium genus appellat, quod ipſum interiit, at cujus ſolum nomen infame androgynorum reliquum manſerit. Tertiam ſpeciem Menaſſe quoque appellat. Atqui illa contra perfectionem creationis ſunt, quam ipſe hic deprædicat, & ex quâ videtur argumentari, ajens, hanc ſapientum conſtantem eſſe doctrinam, omnia opera Bereſith perfecta creata eſſe. Maimonides in More, part. ii. cap. xxx. *Scitu porro tibi neceſſarium in hoc negotio eſt illud*

quoque

Digitized by Google

quoque quod Rabbini noſtri inquiunt, omnia opera creationis creata ſunt בקמתו *in ſtatura ſua, creata ſunt* בדעתו *in ſcientia ſua, creata ſunt* בצביונם *in decore ſuo: quo innuere volunt, quod univerſa & ſingula, quæ Deus creavit, in perfectiſſima ſua quantitate, in perfectiſſima ſua forma, & in elegantiſſimis ſuis accidentibus creata ſint; hoc enim ſibi volunt, quando ajunt,* בצביונם *bezevjonam in decore ſuo creata ſunt, ex illo,* צבי *zevi decor vel ornamentum eſt omnibus terris.* Jezech.xx. 6. Et porro: *Omnes autem Sapientes noſtri unanimi conſenſu affirmant, cuncta die ſexto fuiſſe, & nihil quicquam poſt ſex creationis dies immutatum eſſe.* III. Neque explicabit, uter in bicorporeo homine antrorſum ierit. Nam dicere, naturali motu inceſſiſſe, rem non explicat. Plato aperte, incedebant, inquit, primi homines recti, in utram vellent partem; & quoties celerius ire contenderent, inſtar eorum qui prono capite crura ſurſum circumferentes circularem choream exercent, octo membris innixi celeri circulo ferebantur. IV. Repugnat iſti opinioni manifeſtè, quod in ſacrâ dicitur Hiſtoriâ, Adamum fuiſſe creatum ſolum, & ex illa ſolitudine ſumptam occaſionem & cauſam faciendæ, atque adjungendæ ei fœminæ. Ergo non jam ſtatim ab initio fuere ambo creati uno in corpore. Inſulſa eſt Menaſſis ad hæc gloſſa & interpretatio: *Non eſt bonum hominem unicum eſſe, id eſt ſolum corpore ex utroque ſexu coalito differre à cæteris animantibus. Unde poſtea adiutorium coram eo ſtatuit; hoc eſt à fronte: adeo ut corpus illud, quod antè humeris adglutinatum hærebat, deinceps in ejus conſpectu eſſet. Aut velit fortaſſis S. Scriptura: Bonum non eſt eſſe Adamum; id eſt, maſculum & feminam, ſolis humeris connexos, averſo alterum ab altero viſu; eoque præſtat mulierem ſeparari, et ubi disjuncta erit coram virum intueri, eique ſubſidio eſſe.* Quarum expoſitionum altera ſe fundat in voce *ſolum* eſſe; altera, in *hominem*, אדם; neutra proba eſt. Quia illud ponit, ac per manifeſtam vim verbis obtrudit, quod illis evidenter tollitur. Non enim *homo* אדם dicit marem & fœminam concorporem, ſed marem ſive fœminam. Solum לבד, ſignificat hic ſolitarium eſſe, & deſtitutum ab auxilio muliebri, non ſolam eſſe & prodigioſam ſpeciem, corpore ex utroque ſexu coalito differentem à cæteris animantibus. Quid tali expoſitione magis durum, inſolens, ac pudendum proferri poteſt? Denique huic repugnat, quod hoc modo non magis fœmina ex viro, quam hic ex illa; non ex coſta viri illa, neque ex latere dici potuerit facta, quæ toto corpore cum viro, ab initio iuncta, ab illo divulſa poſtea fuerit & abſciſſa.

Neque

Neque tamen etiam iſtiuſmodi fabulam pudet eos è Scripturis arceſſere, quin & rationes pro eâ comminiſci. Quare & audiendi hac ſuper re nobis ſunt. Menaſſe, Conciliat. in *Geneſ. qu.* VIII.

Inter veteres Hebræos, qui ſubtilius hanc rem examinarunt, duæ erant opiniones circa creationem hominis, quæ in Bereſit Raba commemorantur: quarum alteram amplexus R. Semuel, Adamum coſtâ unâ abundaſſe, indeque formatam Evam putabat. At R. Semuel Bar Nahman mulierem conjunctim cum Adamo creatam, & quaſi pice agglutinatam ſcapulis ejus exiſtimabat, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva eſſet. Priorem opinionem probarunt R. Moſeh in Directore ſuo, Arama, Abravanel, Ben Sueb, Sem tob, Alſchech, aliique in gloſſis ſuis: qui verba, marem et feminam creavit eos, ita intelligenda ajunt, ut mulier non actu, ſed potentiâ creata ſit cum homine: videlicet in coſtâ illâ, ex quâ poſtea Deus Evam formavit. Nec alteri opinioni ſui deſunt fautores, quorum in numero eſt R. Selomo, Aben Ezra, Rabenu Bahye, R. Eliezer Germanus, et Iſhacus Karus in gloſſis ſuis. Qui uno ore ajunt, hunc Scripturæ locum magis ſecundum verba ipſa accipi debere: eoque Adamum et Evam primò non bicorpores, ſed concorpores fuiſſe, & corpus hoc vocatum Adam, quæ vox marem & feminam ſimul denotet, propriaque ſignificatione ambos contineat: idque apertè conſtare ex loco Numer. 31. 35. ונפש אדם מן הנשים, *Et anima humana*

Reſp. 1. Ex duabus propoſitis opinionibus, ſuper formatione Evæ, alterâ ſtatuente eam ex coſtâ in Adamo abundante factam, alterâ ex Adami corpore diſſecatam, Menaſſe hanc accipit, certe inſulſam valde ineptamque, fabulis, quam Scripturæ, propiorem, ex homine facere ridiculum androgynum. Probat, quia *Geneſ.* 1. 27. dicitur, *& creavit Deus* את האדם *ſecundum ſimilitudinem ſuam, ſecundum ſimilitudinem Dei creavit eum, marem & fæminam creavit eos.* Vox אדם *marem et fæminam ſimul denotat*, inquit, *propriaque ſignificatione ambos continet*, & probat ex *Num.* XXXI. 35. Vox אדם ſignificat *hominem*, eſtque aliquando appellativa, aliquando propria: in locis allegatis, & ſæpiſſimè appellativa, denotans, non marem & fæminam ſimul, ſed æque, non exiſtentes ſimul uno in corpore, nam certe id nolint ubique verum, nec *Num.* XXXI. 35. ubi inter prædam à Midianitis captam recenſentur *animæ* אדם *humanæ ex fœminis quæ non cognoverant concubitum maris, omnes animæ trigeſies bis mille.* אדם indefinitè hominem ſignificat, ſive marem, ſive fæminam, & tam huic aptatur, quam iſti. Ut ſenſus ſit *Geneſ.* 1. 27. Deus creavit homi-

Digitized by Google

ex mulieribus. Juxta hanc opinionem, illa, quæ poſt ſequuntur, et ſumſit Deus unam ex coſtis ejus, vertere oportet, Exod. 26.20 *unum ex lateribus ejus, quia vocabulum* צלע *Selah etiam denotat latus, ut videmus ſumi in fabrica Tabernaculi* ולצלע המשכן *et latus Tabernaculi. Igitur cum interpretamur, unum ex lateribus ejus, vult Scriptura diſcidiſſe & diſſecaſſe Deum illud corpus, et alterum ab altero diviſiſſe. Quia verò partes illa plena erant ſanguine, eò dicitur ſubſtituit carnem in locum ejus. Præterea quoniam nulla hic nova creatio, ſed Eva potentia ſolum in Adamo erat, eò non uſurpatur vox* ברא *bara, vel* יצר *Iaſſar, quæ creationem vel formationem denotant. Quamvis autem Scriptura dicat:. Non eſt bonum hominem ſolum eſſe, faciam ei auxilium, quaſi coram eo: unde aliquis colligere poſſit, ad tempus eum ſine uxore fuiſſe, magis tamen hæc verba juvant opinionem alteram: quia exponere ea ſic licet: Non eſt bonum hominem unicum eſſe, id eſt ſolum corpore ex utroque ſexu coalito differre à cæteris animantibus. Unde poſtea adjutorium coram eo ſtatuit; hoc eſt à fronte: adeo ut corpus illud, quod antè humeris adglutinatum hærebat, deinceps in ejus conſpectu eſſet. Aut velit fortaſſis S. Scriptura:. Bonum non eſt eſſe Adamum; id eſt, maſculum & feminam, ſolos humeris connexos, averſo alterum ab altero viſu; eoque prænem*, eumque marem, & fæminam, non conjunctim, ſed diviſim, & modo, quem poſtea *cap.* II. plenius exponit. Ita *verſ.* 26. dictum fuerat, faciamus אדם *hominem*: in genere, & indefinite: ad quod mox ſequitur; &c. *fecit Deus hominem* &c. II. An verò, ubicunque ad mentionem hominis jungitur vir & fæmina, androgynos tibi imaginaberis? III. Neque quando in textu dicitur, *marem & feminam creavit eos*, intelligo, mulierem non actu, ſed potentia creatam ſignificari cum homine: minime, ſed refertur actualis ejus creatio, quamvis ex coſtâ paulo poſt Adamum facta ſit. IV. Græci interpretes non transferunt, uti Menaſſe hic dicit, *creavit eum*, *in ſingulari*, ſed in plurali, *eos*, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς, *marem & feminam fecit eos*. V. Et quamvis in ſingulari dixiſſent, *eum* αὐτόν, non tamen hinc ſequeretur, eos non aliud ſenſiſſe, quam concorpores creatos, nam iſtud commode, & abſque illo ſenſu, referretur ad antecedens, appellativum commune ἄνθρωπον. Sic enim locus integer habet, καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. Dicere ut omnino potuiſſent αὐτόν, nec tamen idem ſenſiſſe cum Menaſſe, biforme Adami corpus fuiſſe, & revera androgynum. VI. De ſenſu loci *Pſalm.*

CXXXIX.

ſtat mulierem ſeparari, & ubi disjuncta erit coram virum intueri, eique ſubſidio eſſe. Secunda hæc opinio etiam noſtro, quamvis tenui, judicio, magis videtur probabilis. Movet quod Rex Pſalmographus creationem Adami reſpiciens dicat, Pſalm. cxxxix. 5. *Retrò & ante formaſti me. Nimirum innuit biforme illud corpus. Ipſaque, ut videtur, ratio hoc dictat. Quod ita probamus: Adamus, cum primitus crearetur, vel ſolum habuit coſtas ſibi neceſſarias, vel iis acceſſerat alia, unde Eva ſumpta eſt. Quæ ſi ſupervacua fuit, imperfectus natus eſt. Verùm id magnopere adverſatur doctrinæ noſtrorum ſapientum, qui volunt omnia opera Bereſith perfecta creata eſſe. Sin neceſſarias ſolùm coſtas habuit cum produceretur, ablatâ earum unâ ſequitur mutilum, imo et claudum relictum. Nam eo pacto magis inclinaſſet in latus alterum. Præterea quotquot ab eo deſcenderunt, ſimiles hâc parte primo parenti, vitioſi naſcituri erant; quod longè aliter eveniſſe experientia docet. Adde, quod S. Scriptura non memorat, Deum Evæ animam inſpiraſſe. Quæ quæſtio deciditur, ſi ſtatuamus, eam humeris Adami prius conjunctam fuiſſe. Quando verò Scriptura ait Dominum Adamo animam infudiſſe, per Adamum intelligere convenit corpus illud ex mare & femina conſtans, quia, ut ante demonſtravimus, nomen* אדם *utrique com-* cxxx. ix. 5. אחור וקדם *retro et ante*, quod in eundem quoque ſenſum adſertur in Talmude, Sanhedrin, Cap. *dine mammonoth* modò vidimus. Atq; ibi illud explicuit Menaſſe de duplici Adami creatione, unâ ſecundum animam, die primo; alterâ, ſecundum corpus, ſexto die: jam verò exponit de duplici formâ corporis: ut quam inconſtans, & contrarius ſibi ſit Judæus, in commentis ſuis aſtruendis, quamque miſere philoſophetur, & hinc maniſeſte liqueat.

Jam & ejus audiamus *rationem*. Coſta Adami, ex quâ formata Eva fuit, vel fuit una ex neceſſariis, vel abundans. Si hoc, ergo ſuperfluum aliquid fuit in Adamo primùm creato: Sin illud, ergo poſt ablatam coſtam neceſſariam homo imperfectus & mancus fuit, atque ſic conſequenter ejus etiam poſteri. *Reſp.* I. Peccat ignoratione elenchi, neque concludit quod coucludendum erat, ergo Adam creatus fuit bicorporeus. Difficultas illa eſt in explicandâ creatione Evæ, quæque paſſim ab Eruditis, aliiſque movetur; ſed nil ad ſententiam hoc Iudæorum adſtruendam, de Adamo androgyno. II. Imo contra. Si enim integrum Deus ab Adamo corpus Evæ ſumſit. & diſſecuit quaſi, quomodo coſtam ſumſiſſe dicitur? β. & formaſſe demùm eam, ויבן in mulierem? γ. & loco ejus תחתנה ſubjeciſſe carnem? ſiquidem non ex ali-

petit. Nec ſcrupulum injicere debent ii, qui quærunt uter ex duobus antrorſum inceſſerit. Etenim brevi illo tempore Adami corpus, quippe robuſtius, naturali motu inceſſerit, uti dicitur in Gemara Hirubin. Ne ſeptuaginta quidem interpretes aliud ſenſiſſe videntur, quam in uno corpore utrumque creatum; nam, marem & feminam creavit eos, verterunt, creavit eum in ſingulari. Plato in Sympoſio, ex Ariſtophane, quaſi per fabulam ait, principio humani generis, exſtitiſſe & tertiam hominis ſpeciem, non virum, aut mulierem, ſed quæ Androgynos vocaretur, et ex mare ac femina ſimul conſtaret, quis brachia quatuor & totidem manus, crura & pedes quaterni, cæteraque eundem ad modum membra geminata forent; adeo ut ferè formâ eſſent circulari. Unde eveniſſe addit, ut Androgynos virium fiducia elatus certamen adverſus Deos ſuſciperet. Sed Jovem, ira accenſum, imperaſſe Apollini, ut ſpeciem hanc ex duabus connexam diſpararet, & ex una duas faceret. Videmus clare hanc fabulam antiquiorem autorem, quam Græcos, habere. Scilicet deſumpta eſt ex hiſtoriâ Moſaicâ, de creatione primorum parentum Adamo & Eva, tametſi Plato more Græcorum fabula eam involucro texerit. Eodem tamen et S. Scriptura, & ille tetendit: uti alio tractatu, quo Platonem Moſaicum deſcribere ſtatui, de-

ex aliquo corporis loco, ejus partem aliquam accepit, & inde formavit Evam, ſed formatum hominē integrum avulſit. δ. Quare magis coſtam hanc formaſſe Deus dicitur in mulierem, quam partem alteram in virum? ε. & magis in locum hujus, quam illius carnem ſubſtituiſſe; Siquidem utrumque corpus pari modo coalitum fuerit? ζ. Certe illâ ratione Adamus de Eva dixiſſet, non hoc os de oſſibus meis, ſed corpus de corpore meo. η. Imo nec magis hoc Adamo de Evâ dicere licuiſſet, ac huic de illo. III. Ad objectionem de coſtâ in Adamo, ſive abundante prius, ſive poſtmodùm deficiente, reſpondeo, utrum velis, res ſalva eſt. Si ſupra neceſſarias & ordinarias coſtas illam fuiſſe, non ideo imperfectus natus Adamus, vel factus. Quippe cui nihil defuit. Et coſta illa abundans non ad rationem vel perfectionem individui ſpectabat in genere, ſed iſtius, quod caput & fons erat ſpeciei à ſe progerminandæ, ut non qua homo particularis, ſed qua ſtirps naturæ conſideratus, hac ratione unam ſupra alios coſtam habuerit Adamus, quæ nullam ei intulerit deformitatem, vel defectum, ſpectato ut caput erat totius naturæ. Quemadmodum ſemen in homine, non qua homine, ſed generante, perfectionem dicit, non ad conſtitutionem naturæ adeo, quam

monſtrabo, & ſimul utriuſque narrationis ſignificationem. Sufficit in præſens oſtendiſſe, Platonem quoque putaſſe, eâ quâ diximus formâ, hominem fuiſſe creatum. quam ad generationem, & ſpeciei conſervationem, ad פריה ורביה neceſſarium. Sin contra malis, coſtam illam non abundantem & ſupernumerariam fuiſſe, ſed ex neceſſariis aliquam, ſolutio etiam in promtu eſt, ſublatam nempe eam quidem à Deo ad formationem Evæ; ſed, quemadmodum ablatâ coſtâ intelligimus etiam carnem unam ſublatam, dixit enim Adam, hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, ita in reductione & reſtitutione carnis, qua locus occluſus, redditam quoque coſtam fuiſſe aliam, ut ſic ante, & pòſt pares cum aliis hominibus coſtas habuerit Adamus, neque plures, neque pauciores. Quod à Judæis quidem nullo premi incommodo poteſt, qui ſententiam tenent de Adamo bicorpore, quique צלע *coſtam* explicant de latere Adamo ablato, quemadmodum צלע *latus* denotare etiam, hic inferunt. Nec tamen Judæis hinc quid accedit, qui non latus ab Adamo ſumtum, ſed corpus; neque illud in corpus formatum à Deo, ſed corpus integrum fuiſſe, affirmant.

Quod S. Scriptura non memorat, Deum Evæ animam inſpiraſſe, ſatis intelligere tamen iſto loco ſinit. Neque hoc ideo non memorat, ut velit Adami corpus ex mare & fæmina conſtitiſſe. Et nomen אדם utrique quidem competit, ſed diviſim, communis generis, non conjunctim in unum corpus coalitis. Nam quia anima ſpiritualis eſt ſubſtantiæ, (quemadmodum Menaſſe ipſe probat *lib* II. *de animâ cap.* IX.) & ἀμερὴς, non hæc ſecari potuit, ſi vel corpus potuiſſet. Ut non aliunde quam ex creatione, & ſingulari ſpiratione Evæ animam ortam dicere queas.

Tandem ex Platone, & Ariſtophane, ex Ethnicorum fabulis ſuam opinionem confirmat Menaſſe, quarum auctorem temere facit Græcis antiquiorem, & ipſam Moſaicam hiſtoriam. Omnino imprudenter. Nam apud Platonem hoc dicitur, vel fingitur, in Sermone vel diſputatione de amore, ut oſtendatur quomodo omnia initio juncta fuerint, homines vero hinc ſuperbiêntes & ferocientes in duos ſecatos fuiſſe, inſtar eorum qui ova dividunt, inquit, ut ſale condiant, vel qui capillis ova ſecant. Homines inſuper minatus Jupiter dicitur, ut ſi nec ita deſiſterent, iterum illos divideret, ut unico duntaxat crure nixi, claudorum inſtar, ſaltare cogerentur. Neque unum, vel primum hominem

Digitized by Google

ita inceſſiſſe, ſed paſſim omnes iſto tempore, aſſeritur. Eant Judæi, atque ejuſmodi fabulis & nugamentis Theologiam ſuam condiant, tandem nobis hoc pacto vel Theogoniam, vel Metamorphoſin quandam Moſaico-Ethnicam procuſuri. Quanto melius juxta cum aliis Rabbinis Selomo Jarchi, cujus ſententiam approbat quoque Menaſſe, ut difficultatibus carentem: *R. Selomoh*, inquit, *poſtquam in gloſſis ſuis ſuper Pentateuchum expoſuit jam allatam opinionem, ait, ſatis convenienter ipſis verbis, quando dicitur, marem et feminam creavit eos, nequaquam illud ſignificari, Evam potentiâ creatam fuiſſe in Adamo, multo minus ejus humeris affixam fuiſſe naturali, quem dixi, modo; ſed ſimpliciter id velle Scripturam, Deum ſexto die marem & feminam creaviſſe: cæterum quâ ratione id fecerit, poſtea accuratiùs exponere. Nec profectò illa ſententia difficultatis quidquam relinquit.* Adde, ſi placet, ad hanc quæſtionem, Martini Raymundi *Pugionem fidei, part.* III. *diſt.* II. *cap.* III.

Denique de tempore creati mundi diſceptant inter ſe Magiſtri, in Talmude tractatu *Roſch haſcana*. Alii vere; autumno alii creatum mundum dicunt. Illud R. Jehoſua, & menſe Niſan, ſive Martio factum autumat. Hoc R. Eliezer, ſtatuitque mundum menſe Tiſri conditum, ſive Septembri. Tam hi, quam illi in æquinoctio mundum originem cœpiſſe, ajunt. Quod Buxtorfius in Lexico, voce תשרי, contrarium oſtendit, & in ipſo novilunio, æquinoctio proximo, figendum docet. Sententiam R. Eliezeris, mundum autumno creatum aſſerentis, ſequitur cum Judæorum pleriſque Menaſſe, atque rationibus, quæ pro eâ dari ſolent, confirmat, *Problemata* IX. Idem, *Conciliat. in Geneſ. quæſt.* XXV. & Tractatu Hiſpanico, *Theſauro dos dinim*, pag. 430. Eandemque ſententiam tenet Scaliger, *lib.* V. *de Emendat. temporis* (ad cujus argumenta reſpondet Thomas Lydyat, in Tractatu *de variis annorum formis*, cap. II.) Druſius, *Obſervat. lib.* I. *cap.* XIII. Toſtatus. Pererius, in Geneſ. I. Torniellus, in Annalibus. Bodinus, *lib.* VI. *de Republ. cap.* II. Petavius, in *Rationario temporum part.* II. *lib.* I. *cap.* I. Neque ignoramus, valde plures ſtare in ſententiâ aliâ, & dicere, mundum vere creatum. Quos vide apud Salianum, in *Apparatu ad Annales Veter. Teſtam. cap.* IV. Torniellum, in *Annalib. pag.* 45. quibus & plures poſſem adjungere, ſiquidem neceſſe eſſet: de ipſâ verò quæſtione ſic cenſeo. I. In genere propoſitam, & utcunque determinatam quæſtionem valde ineptam eſſe, quia mundo condito, uno loco ver, alio autumnus fuit, vel æſtas, & hiems. Quod ex figurâ orbiculari, & perennis

ennis revolutionis conſtantiâ clarum eſt. II. Ad particularem autem locum applicatâ quæſtione, nempe hortum paradyſi, & ubi primi Parentes degerant; vel ad Judæam; uti hi loci non ſunt uni iidemque, ita vulgarem committunt Auctores in argumentatione ſuâ μετάβασιν de loco hoc in illum. III. Incertum judico, determinare ad hanc vel illam mundi plagam, quæ anni tempeſtas ibi fuerit. IV. Neque tanti uſus iſta quæſtio, vel ejus deciſio: nam quem in chronologica forte haberet, is tollitur, quum annus in ſerie chronologica non figatur ad hanc vel illam mundi plagam, ſed ejus ætatem, quæ omnibus mundi plagis in ratione durationis eſt eadem.

Cap. II.

De

PECCATO.

De Peccato originali. Sententia Iudæorum. Noſtra Argumenta. Adamus caput communis naturæ, & generis humani. Loca Pſalm. LI. 7. Geneſ, VIII. 21. *De jetzer harang Iudæorum dicta, & dogmata. Mors peccati pœna, etiam juxta Judæos. Circumciſio arguit immunditiam peccati. Dicta Iudæorum, pro nobis. Ad objectiones reſponſio. Nullum peccatum non mortale.*

AD creationem, non ex eâ, ſed ſolâ hominis petulantiâ, ac pravitate, ſequutus lapſus fuit, & tranſgreſſio non ſimplex, ſed quæ uti omnium Dei mandatorum contemtum continuit, ita totum involvit humanum genus. Neque enim ſibi ſolis, uti ſtabant, ita cadebant, primi homines non magis, quam omnium capita & ſtirpes. Hoc quidquid ſit, percurrendum nobis eſt, antequam de Meſſiæ officiis, & partâ noſtri liberatione agamus. Ut conſtare de miſeria, & morbo, vel captivitate debet, priuſquam de curatione ejus & redemtione diſpiciatur. Hoc videndum, an lapſus primorum hominum ad nos, ad omnes ſpectet? an inde peccatum & pravitas quædam ab ortu nobis inhæreat, quæ vulgato Theologis nomine *peccatum originale* appellatur? Nempe, à prima omnium cauſata origine, & quibuſcumque à ſua inde origine adnata. Affirmamus nos; negant Judæi. Conſideramus hic tria. I. *Peccatum* primorum hominum, quale id fuerit; videlicet non ſingulare aut

Digitized by Google

aut perſonale tantùm, ſed commune & univerſale naturæ. Spectatâ in perſonis illis magis naturâ communi, quam in naturâ illis. II. Iſtius peccati juſtam in omnes *imputationem*. III. Atque hinc inhærens עִמּוֹ omnibus peccatum, ſeu deformitatem & *corruptionem* à nativitate; privatis nempe illo decore, juſtitia & gloria, qua creati primi homines fuerant.

Judæi peccatum originis negant. Auctor Nizachon, apud Munſterum, in Euangelium Matthæi, *pag.* 125. & ex eo Coſterus, *lib.* de fide Judæorum, cap. VI. *interroga hæreticum*, Chriſtianum nempe, *quomodo adſcendit ſuper cor veſtrum, quod venerit Dominus cum tanta ſeveritate contra primum hominem, ut illum vinctum teneret propter rem exiguam, nempe propter morſum pomi unius, illumque perderet in hoc ſæculo atque in futuro, & non ipſum tantum ſed & omnes poſteros ejus?* Quid; ignoras tu, in peccato non conſiderandam materiam adeo in qua, ac præceptum, & authoritatem Legiſlatoris, contra quæ peccatur? Fuerit res levis, eo gravius delictum & tranſgreſſio. Deus facultatem & copiam fecerat homini arborum omnium, hac excepta, qua ei interdixerat, ſub gravi comminatione, in quo explorare voluit hominis obedientiam, eamque eo ſeverius caſtigare, quo in præcepto levi contra infinitam Majeſtatem, & immenſa Dei in ſe beneficia, Diabolo, quam Deo, magis obediens, delinquebat. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. XII. pag. 191. *infantes ob innocentiam ſuam & immunitatem ab omni peccato*, inquit. & paulo etiam poſt: *R. Aquibah vero ſentit contrarium; quia infantes iſti nihil mali commiſerunt neque peccatores ſunt. Atque hæc ſententia longe veriſimilior eſt.* Siquidem de peccato actuali, vel actualiter peccantibus intelligat, concedimus: ſin de omni, & peccato etiam originali, improbamus. Judæus, in Amica Diſput. pag. 26. Quæſt. *An Judæi agnoſcant peccatum originis, cum quo omnes naſcimur?* Reſpondet: *Judæi peccatum originis negant.*

Pro doctrinâ autem & ſententiâ noſtrâ ita *argumentamur*.

Primùm, ex conditione & *ſtatu* Adami. Qui ſtetit, non ſibi ſolùm, ſed quoque poſteris, ita ut tota natura in eo conſiderata & conſummata fuit tamquam in capite, ejus uti ſtatus omnis, ita quoque peccatum communis naturæ haberi debet. Atqui Adamus ita ſtetit, & talis habitus fuit. Ergo. Probatur minor, ex omnibus, quæ Adamo obtigerunt. Creatus ad imaginem Dei fuit: in eo & omnes. Imperium in creaturas ei datum, non ut ſingulari perſonæ, ſed toti naturæ humanæ. Quæ benedictio matrimonialis ei, omnibus in eo, totique ſpeciei data intelligitur: *creſcite & multiplicamini*. Etiam quod dixit Deus, non bonum eſt homini

Digitized by Google

homini ſolum eſſe, parabo ei auxilium, ad omnes ſpectat. Sic ut Adamus in toto illo ſuo ſtatu obſervari debeat ut perſona non privata, ſed publica, ſed communis, & totius naturæ parens atque confæderatum caput. Neque id Menaſſe diffiteri poteſt. libro de fragilit. p. 33. *ſummus ille opifex res omnes in principio perfectiſſimas creavit, non ut ſolum tales eſſent; ſed ut inde ceu principio, in illo temporis curſu optima quæque ducerentur*. pag. 34. *Cum itaque eſſet Adam futurus caput et principium humanæ naturæ, neceſſe erat illi à Deo conferri omnem perfectionem et ſapientiam.* De termino vitæ, pag. 198. *Aben Ezra inquit, nominibus propriis in S. Scriptura non præfigi* הא הידיעה *he demonſtrativum, quod tamen in voce Adam fit*, Geneſ. III. 22. *ratio eſt, quia in Adamo notantur omnes ejus poſteri & univerſa ſpecies humana deſignatur.* Uti ergo natura in Adamo creata, ita & propaganda erat: labente verò eo, tota natura præceps acta cecidit à primævâ, quam in illo ſuo capite & origine habuit, perfectione atque dignitate.

Secundo. Quemadmodum Adami ſtatus ante lapſum ſatis clare indicavit, communem illum fuiſſe naturæ totius, ita poſt lapſum, *pœnæ* eum conſecutæ, communes & univerſales omnium, idem declararunt: ut de lapſu ipſo, quaſi intermedio, dubitari non poſſit, quin itidem communis naturæ omniumque pariter hominum fuerit. Peccati conſcientia, & nuditatis, ſive eam intelligas fuiſſe privationem pulchritudinis, aut ſplendoris alicujus corpus circumfuſi, uti Menaſſe: qui eum per peccatum ablatum, & loco אור *or lucis*, datas homini primo tunicas pelliceas עור *hor*, ſcribit, *lib.* III. de reſurrect. *cap.* VI. *Ajunt Rabbini, corpus ejus fuiſſe lucidum, & proceræ admodum ſtaturæ, cæterum peccato ejus lucem ſimul ac ſtaturam iſtam imminutam aut deperditam eſſe.* ſive ſimpliciter nuditatem, quam cum pudore poſt lapſum, non ita antea intuitus fuit. Certe hoc non Adamum magis, quam nos omnes ſpectat, & naturam. Quod mulieri dictum, Geneſ. cap. 3. 16. *multiplicabo dolorem tuum, & conceptus tui in dolore paries liberos.* Quod Adamo, ibidē verſ. 17. 19. 23. *cum dolore comedito proventum terræ omnibus diebus vitæ tuæ. In ſudore vultus tui veſcitor cibo. Emiſit eum Jehova ad colendam terram:* non Evæ, non Adamo magis impoſitū, quam reliquis poſteris, & impoſitum in pœnam: ſi ergo catalogus pœnarum recenſitarum *Geneſ.* III. & inflictarum hominibus primis propter ipſorum peccatum illud ad omnes omnino pertineat homines, quomodo reatus tranſibit abſque culpâ, & immunes à culpâ non tamen immunes erunt à pœna? Indignum hoc quod Deo tribueretur, Abrahamo viſum, quare

Digitized by Google

dixit Geneſ. XVIII. 25. *abſit tibi ut facias tale quippiam, morti tradendo juſtum cum injuſto, ut ita ſit juſto, ſicut injuſto: abſit tibi, an judex totius terræ non exerceret jus?* Quæ terræ incubuit à primo peccato maledictio, *maledicta terra, ſpinam et carduum proferet.* Geneſ. III. 17. 18. Adamo magis, an cæteris nocuit hominibus? Quod ejectus ex paradiſo, quod mortem incurrit, & in pulverem reverti corpus ejus à morte debuit, juxta illud, *quo die comederis de eo, morte morieris.* cap. II. 17. & III. 19. *pulvis es, & in pulverem reverteris*, omnia illa communia ſunt Adamo cum poſteris, nullo uſpiam diſcrimine. Atque uti dixit Judæus, in Amicâ Diſput. quæſt. V. manent adhuc omnes illæ pœnæ, *quæ per & propter hoc* Adami *peccatum mundum ingreſſa ſunt.* Aperte R. Joſeph Albo, *lib.* I. *Ikkarim, cap.* XI. ולזה היו כל העונשים שנזכרו באדם וחוה כוללים כל מין, *ac proinde omnes pœnæ, quæ de Adamo & Eva referuntur, communes ſunt toti ſpeciei.* Quare ex illis quæ Adamo contigerunt & ante, & poſt lapſum, fœlicitate nempe ſtatus primi, & reatu lapſum ſequuto, quia communia, & in communi perſonâ univerſam ſpectarunt ſpeciem, negari nequit, Adamum in omnibus illis communem ſuſtinuiſſe perſonam, & quod hactenus egit vel commiſit, non ſuum proprium fuiſſe, ſed generis totius.

Tertio. Peccati iſtius communis & originalis ratione David dixit, Pſalm. LI. 7. *ecce, in iniquitate genitus ſum, & in peccato fovit me mater mea.* Ubi egregie Aben Ezra, הן, בעבור התאוה הנטועה בלב אדם. *ecce*] *propter concupiſcentiam innatam cordi humano dicitur, in iniquitate genitus ſum, atque ſenſus eſt, quod à nativitate implantatum ſit cordi humano* jetzer harang *figmentum malum. Quod vero dicit, & in peccato fovit me mater mea*] *eſt modus loquendi peregrinus, quaſi, calefacta eſt ex me. Et ſunt, qui dicunt, quod hoc indicet, Evam non peperiſſe, niſi poſtquam peccaſſet,* & verſ. 12. *Cor purum crea mihi Deus* בעבור שהזכיר *quia dixerat ſe in iniquitate genitum, id eſt, quod concupiſcentia inhærens ad peccatum ipſum pertraxiſſet, precatur Deum, ut eum juvet contra concupiſcentiam ſuam* יזרו *ne iterum ita peccet, atque hoc eſt cor purum.* Rabbi Selomo Jarchi, ib. *quomodo non peccem? origo mea corrupta eſt, atque hinc ea peccata. Aliter, origo mea eſt à viro & fœminâ, qui iniquitate pleni ſunt.* Menaſſe ben Iſrael, de Fragil. pag. 2. *En, in iniquitate formatus ſum, & in peccato fovit me mater mea. Sive autem hoc intelligatur de matre communi, quæ fuit Eva; ſive de ſua ſolùm David hoc dixerit; ſignificare voluit, eſſe peccatum quaſi naturale, & inſeparabile in hac vita. Ideo et poſt commiſſum delictum Eva conce-*

Digitized by Google

concepit, & quotquot poſtea geniti ſunt, non juxta regulam, recta rationi conformem, ſed affectus perturbatos, & libidinoſos producti ſunt. Advertens igitur unus antiquorum noſtrorum ſapientum R. Abá, quod illa vox Pſalmiſtæ בעוון *cum delicto, uno* ו *vau abundaret, inde infert: Davidem ſignificare voluiſſe, etiam piis, & virtute excellentibus, impoſſibile eſſe, nunquam in aliquod peccatum incurriſſe; quod ipſum nos probare volumus.* Quæ habet quoque in Conciliatore Hiſpanico, in Pſalmos, *pag.* 66, 67. additque, non ſolum Davidem, *ſed quod plus eſt, omnem humanam ſpeciem, poſt peccatum in mundum introductum, ab origine ſua peccare.*

Job. XIV. 4. *Quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem.* Aben Ezra, ענינו כענין הן בעון חוללתי כי האדם נברא מדבר טמא *ſenſus eſt ſicuti ejus, in iniquitate genitus ſum, quia homo fit ex re immunda.* Imperitè Judæi peccatum ex ſemine, quaſi ex materiâ terrenâ & impurâ, arceſſunt. Menaſſe, lib. de Fragilitat. human. *pag.* 5. R. Joſephum Jahiam, ſic dicentem introducit, *Potuitne hoc fieri, Domine, quod in judicium, & ad rationes tecum conferendas vocaveris, ideo quod tibi non ſervierim ſemper prompto animo, & debita perfectione? hoc* נמנע לאנוש החומרי *impoſſibile eſt homini terreno; quoniam non eſt juſtus in terra, qui non peccet. Quis poſſet dare, aut facere aliquid, quod eſſet ab omni parte purum, velut Angeli, cum ſit impurus per ſe, & materialis? Ne quidem unus. Hoc eſt dicere, non invenies unum ex genere humano, qui ſit velut Angelus Dei, & qui non peccet per errorem, aut ſponte. Hoc ipſum fere dicit R. Moſeh Gerundenſis, dicens, quod ex ſemine, re adeo impura, non poſſit prodire, ne unus quidem, qui totus ſit mundus. Huic ſimilia quoque affert Abraham Phriſol: Noſti Domine ſtructuram hominis, ſcis* היותו נמנע בהגעת השלמות לסבת החומר המחטיאו *impoſſibile eſſe, hunc perfectionem conſequi, ob materiam, quæ ipſum peccare facit: Et quare hunc ſemper affligis? poteſt aliquis prodire purus, aut mundus, ex re aliqua immunda? certè non eſt ex hac claſſe aliquis, quoniam non eſt homo juſtus, qui non peccet. Adſtruit hoc etiam R. Simhon bar Semah in ſuo Oeb Miſpat, cum ita concludit* נמנע הוא שלא יחטא האדם *impoſſibile eſt ut non peccet homo. Eundem ob finem R. Hobadiah Sphormo in ſuo Miſpat Zedek, & R. Mehir Arama in Mehir Hiob etiam affirmant, impoſſibile eſſe invenire aliquem, natum de ventre mulieris, & ex quatuor elementis compoſitum, qui non impingat in dictam immunditiam.* Similiter, apud Munſterum, in Evangelium Matthæi *pag.* 126. dicunt: חטא הגוף *peccatum corporis hinc eſt, quod eſt compoſitum corpus ex terrâ, nam per materiam ejus corporeum pecca-*

Digitized by Google

tum eſt. Male. Neque enim peccatum ens aliquod corporale eſt; vel in corpore hæret, ut ſubjecto οἰκείῳ, ſed animâ. Præſertim, quum Menaſſen, *præc. cap.* dicentem audiverimus, animam eſſe hominem; & corpus, ejus non partem adeo, quam inſtrumentum, quod confirmatum it *lib* II. *de Immortalitate animæ, cap.* XIV· probatumque, ex Cabaliſtis, Platone, Jamblicho, & aliis. Atque Judæus, in *Amicâ Diſput. pag.* 16. contra peccatum originale agens, inquit, *locus peccati in animo ſolum conſiſtit. Peccatum in anima conſiſtere patet, eſt enim illud vitium ſeu delictum per animam vel intellectum perpetratum.*

Quarto. Scriptura, ratio, & experientia teſtantur, hominem à natura nunc eſſe depravatum, & in peccata pronum. Unde ad ſenſum, originale in nobis peccatum adſtruitur, & confirmatur. Scriptura quîdem, præter jam dicta loca, quæ huc etiam faciunt, Geneſ. VI. 5. *Et vidit Jehova quod augeret malitia hominis ſuper terram, et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum eſset omni die.* & cap. VIII. 21. *quoniam figmentum cordis humani malum à pueritia ejus.* Jarchi: כשנער לצאת כמ׳ני אמו נתן בו יצר הרע, ſtatim *ac excuſſus eſt egrediendo ex viſceribus matris ſuæ, poſuit in eo figmentum malum*. Nimis improprie atque male Judæi Deum hujus figmenti mali cauſam paſſim dicunt. Talmudiſtæ עלובה עיסה *peſſima maſſa eſt, quam ipſe piſtor fatetur corruptam eſſe.* Menaſſe de fragilit. hum. pag. 114. *caro et appetitus malus ſemper inclinant ad partem deteriorem. Ita ipſe loquitur Deus, Appetitus hominis malus eſt à juventute ejus. Ad quæ Talmudiſtæ annotarunt,* עלובה עיסה שהנחתום מעיר עליה שהיא רעה *Peſſima maſſa eſt, quam ipſe piſtor fatetur corruptam eſſe. Memorant antiqui in tractatu Berachot* cap. 1. *Rabbi Alexandrum in more habuiſſe, finitâ ſuâ oratione, illa ſemper verba dicere*; רבון כל העלמים גלוי וידוע לפניך שרצוני לעשות רצוניך ומי מעכב שאור שבעיסה *Totius Univerſi Domine, manifeſtum eſt tibi, et notum, quod mea voluntas ſit, facere voluntatem tuam: at quis impedit iſtud, niſi maſſa fermentum? Nempe animadvertit, voluntatem hominis, licet valde prompta ſit ad exequendum voluntatem Dei; ſæpe tamen non exſequi illam: quandoquidem fermentum, quod eſt appetitus, aut concupiſcentia, corrumpit maſſam, et rationi, cui parêre debebat, imperat.* Idemque, pag. 129. Geneſ. VIII. 20. *Non maledicam ultra terræ propter hominem, nam appetitus hominis malus eſt à juventute ejus; hoc eſt, ab eo tempore, quo prodit è ventre ſuæ matris. Nam ſimul ac ubera ſugit, concupiſcentiam ſuam ſequitur, & adhuc infans, occupatur ab ira, invidia, odio, ac cæteris vitiis, quibus tenera illa ætas eſt obnoxia.*

Prov.

Digitized by Google

Prov. xxii. 15. *Stultitia alligata eſt animo pueri.* Ralbag, ſeu R. Levi ben Gerſom, in iſtum locum, inquit, בתחלה *in principio* jam ipſa ſtultitia puero quaſi adnata eſt. Unde apud Jobum, cap. xi. 12. *quamvis homo ut pullus onagri natus ſit.* R. Levi iterum, נכשל כבהמות בעת הולדו, *aſſimilatur beſtiis, cum naſcitur.*

Jam, quemadmodum Menaſſe dicit, *Conciliat. in Exod. quæſt.* vi. argumenta quæcunque peti ab authoritate, vel rationibus, aut denique experientiâ, ita id quod nunc ex Scripturâ, ratione etiam comprobamus, & experientia. Nam quum homines ita ſtatim proclives ſint ad malum, ante rationis diſcretionem, ut ab imitatione vel ingenio mala iſta proclivitas & concupiſcentia derivari non poſſit, nihil ſupereſt quam ut eam naturæ adſcribamus, non qualis hæc creata à Deo, ſed vitiata & corrupta fuit ab Adamo. Eſtque ea in nobis, antequam vel quid peccatum ſit, ſciamus, vel peccare ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ poſſimus.

Videamus, prout nunc naſcuntur homines, atque à nativitate ſunt, & hic illorum ſtatus comparetur cum primo creationis, quis ignorat maximam inter utrumque eſſe diſcrepantiam & diſparitatem? Indicat illam & Scriptura, quando dicit, Adamum liberos genuiſſe, ſecundum ſimilitudinem ſuam, בדמותו כצלמו Geneſ. v. 3. non ad ſimilitudinem Dei, juxta quam creatus ipſe fuerat: ſimiles jam ſibi, non Deo, utpote qui nec Deo amplius ſimilis exiſtebat. Hæc verò diſſimilitudo, & primordialis bonitatis privatio quo pacto in nobis locum habere poſſet, niſi ex conſortio communis naturæ, in primo parente omnibus æque defloratę ac corruptę? cujus quia participes, vitio, & conditione pari implicamur. Appellant illam naturę noſtrę ad malum pronitatem, nam eam Judæi etiam agnoſcunt, יצר, propter *Geneſ.* viii. 21. ubi hominis יצר *figmentum* cordis dicitur malum à pueritia ejus. Deque illo יצר Judæi varia habent, valde conſona ſententiæ noſtræ, & huic quod nunc urgemus argumento. Elias in Tiſbi, voce *jetzer*, יצר הוא לשון מחשבה ותאות הלב, *jetzer vocabulum cogitationem, & concupiſcentiam cordis ſignificat, & plerumque in malam partem accipitur. Semel tamen eſt, ubi in bonam partem accipiatur, ut* יצר סמוך Jeſa. xxvi. *& videtur mihi quod non amplius inveniatur. Cæterum apud Rabbinos legitur, concupiſcentia bona, & concupiſcentia mala. Item in Targum, quod eſt ſuper Pſalmos, et ſuper Eccleſiaſten ſæpe legitur* יצרא טבא & יצרא בישא *id eſt, affectus bonus, affectus malus, vide in Targum.* Potiſſimum ſumitur in malam partem, pro concupiſcentia mala: quam nos, cum Apoſtolo, ἐπιθυμίαν appellamus. Ponunt in homine Judæi,

Digitized by Google

dæi, יצר הרע appetitum *malum*, & הטוב *bonum*. Hunc dicunt, in homine demum locum habere, ab anno ætatis decimo tertio, quando incipit fieri filius præcepti, id eſt, ſe dat præceptorum omnium obſervantiæ. Concupiſcentiam vero malam homini ineſſe ſtatuunt ab utero. Iſtum in modum de hoc loquuntur, uti nos de peccato originali. Buxtorfius, in Lexico Talmudico, voce *jetzer*, ſeptem nomina refert, quibus Talmudici *jetzer harang figmentum*, *concupiſcentiam malam* in ſacris Scripturis denotari dicunt. Deus appellavit רע *malum*. Geneſ. VIII. 21. II. ערלה *præputium*. Deut. X. 16. III. טמא *immundum*. Pſalm. LI. 12. IV. שונא *oſorem* Prov. XXV. 21. V. מכשול *offendiculum*. Jeſa. LVII. 14. VI. אבן *lapidem* Jezech. XXXVI. 26. VII. צפוני *abſconditum*. Joel. II. 20. Menaſſe de fragilitate *pag.* 35. addit tria alia nomina, הלך *peregrini*. אורח *hoſpitis*. איש *viri*. & pag. 29. הוא שטן הוא יצר הרע הוא מלאך המות *idem eſt Dæmonum*, *idem appetitus malus*, *idem angelus mortis*. In Talmude Sanhedrin cap XI. quærit Antoninus Imper. ex Rabbi, is eſt R. Jehuda hakkadoſch. יצר הרע מאימתי שולט בו באדם, *concupiſcentia ex quo tempore dominatur homini*, *utrum à momento abſolutæ formationis*, *an à nativitate? Reſp. à formatione* &c. Targum, Eccleſ. IX. 15. ויצרא בישא *& concupiſcentia mala*, *quæ commoratur ad portas cordis inſtar muſcæ*. In Pſalm. CIV. 14. *quia ille novit appetitum noſtrum malum*. דמחטי יתנא *qui nos in peccatum illicit*. Tres dicunt Rabbini, ſubegerunt יצרם *concupiſcentiam ſuam*, Joſeph, Geneſ. XXXIX. 12. Boaz, Ruth. III. 8. Palti, I. Sam. XXV. 44. & II. Sam. III. 14. Menaſſe, in præf. lib. de Fragil. *hæc verò vitioſitas ex primorum parentum profecta crimine*, *contagioque*, *invaſit utramque animæ rationalis facultatem*, *qua apprehendimus*, *et voluntatem*, *qua appetimus*. & ante: *habes hic naturalem hominis ad malum proclivitatem*. Nihil, vel parum admodum video hæc differre à ſententia noſtra. Vitioſitas in anima, & utrâque ejus facultate; vitioſitas moralis, ad peccatum proclivis; quod ipſum peccatum eſt. Proclivitas naturalis, hoc eſt, peccatum naturale, ſeu originale; ex primorum parentum profecta crimine, contagioque. Iſta ipſam peccati originalis formam continent, prout à Chriſtianis explicari, imo & iiſdem verbis ſolet. In Midraſch Koheleth, ſive Commentario ad Eccleſ. cap. IV. 13. (prout hoc citatur Martino Raymundo, *Pugio fidei*, *part*. III. *diſt*. II. *cap*. VI. & Hackſpanno, ad Nizachon, *cap*. III. *pag*. 472.) quod dicitur, *melior eſt puer egenus et ſapiens rege ſene & ſtulto*, exponunt illud de יצר figmento, ſeu concupiſcentiâ bonâ; hoc, malâ. *At quare*, dicunt, *regem vocant? quia omnia membra obediunt ei. Cur*

ſenem?

Digitized by Google

ſenem? quia adhæret filio hominis ab infantia ad ipſam uſque ſenectam. Apud Hackſpan. in Hebræo etiam additum, *atque hoc eſt quod ſcriptum*, Gen. VIII. 21. *quia figmentum cordis humani malum eſt ab infantia ejus: hoc eſt, eo tempore, quo excuſſus eſt ex utero matris ſuæ.* Quæ Raymundus ad totam illam ſententiam adducit, ſed citatam iterum ex Midraſch Tillim, in *Pſalm.* IX. Ut hæc duobus locis in Judæorum commentariis occurrant. Videatur iſte Raymundus, atque ex eo Galatinus, *lib.* VI. *cap.* V. & VI. Conformiter admodum doctrinæ noſtræ de originali concupiſcentiâ (& hæc peccatum iſtud originale eſt, de quo diſputamus) loquuntur Judæi de ſuo יצר. Nam etiam in religione noſtra illud appellatur *παλαιὸς ἄνθρωπος, concupiſcentia, vetus homo, corpus peccati, membra terrena* &c. Ex Bereſchit Rabba, in Geneſ. XXI. 22. Raymundus iterum, *figmentum malum creſcit cum homine, vel nutritur à pueritia ejus uſque ad ſenectutem.* Ex Midraſch Tillim in Pſalm. XXXIV. 23. *figmentum malum natum eſt cum homine, et crevit cum eo omnibus diebus ejus, ſicut dictum eſt, quoniam figmentum cordis hominis malum eſt à pueritiâ ejus.* Hunc locum ſemper adducunt, ubi hac de re verba faciunt, eſtque fundamentum totius negotii. Unde & Kimchi in Jeſa. XLIII. 26. הנה אביך *ecce pater tuus primus peccavit, et is eſt primus Adam. Nam hominis naturæ infixum eſt* כי האדם מוטבע בחטא *peccatum, eo quod figmentum cordis ejus malum eſt ab infantiâ.*

Quinto. Omnes homines, etiam infantes ſtatim nati moriuntur, vel morti ſaltem ſunt obnoxii, atque moriendum illis aliquando eſt: ergo etiam peccarunt. Non peccarunt verò in ſe, vel actualiter infantes, atque in infantiâ morientes: ergo in origine, Adamo. Etenim quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pervaſit, quatenus omnes in illo homines peccaverunt. Mors quippe ſtipendium peccati eſt. Quare nec mortem comminatus Deus fuit niſi propter peccatum infligendam: & apud Jezechielem dicitur, *anima quæ peccaverit ipſa morietur.* Cap. XVIII. 4. Primùm oportet peccaſſe hominem, antequam mulctetur à Deo morte. Hinc Rabbinorum iſtud dictum: אין *non eſt mors ſine peccato, neque caſtigationes ſine iniquitate.* Maimonides, More Nevoch. pag. 381. Et bene Menaſſe, lib. de fragilitate, pag. 10. *ergo ubi eſt pœna, ibi præſupponitur culpa.* Et lib. III. de Reſurrect. ſub finem, pag. 343. *Itaque ſi illo ſeculo nemo peccaverit, nemo etiam morietur. Nam juxta veterum ſententiam,* אין מיתה בלא חטא (*Non eſt mors abſque peccato,*

neque

neque pœna abſque delicto.) Et R. Hanina occidens calce porcum ſylveſtrem, qui multos læſerat & dilaniaverat, hanc ſententiam pertulit אין ערוד ממית אלא החטא' ממית *(porcus montis non occidit, ſed peccatum occidit.)* Atque ita Judæi ſtatuunt, propter Adami peccatum mortem in omnes perveniſſe; & qui forte, juxta ipſos, ob proprium peccatum non fuiſſent morte condemnati, debuiſſe tamen mori propter culpam Adami, & conſilium (dicunt) quod Evæ ſerpens dederat. Sic Paraphraſis Chaldæa in Ruth. 4. verſ. ult. *Et Obed genuit Iſai* דמתקרי נחש *qui cognominatus eſt* נחש *ſerpens, , propterea quod non eſt inventa in eo cauſa ulla cur traderetur in manus Angeli mortis, qui tolleret animam ejus ab eo, & vivit dies multos, uſque dum commemoratum eſt coram Deo conſilium quod ſerpens Evæ dedit, de comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali.* ועל ההוא עיטא אתחיבו מותא כל דירי ארעא *& per iſtud conſilium conſtituti ſunt rei mortis omnes incolæ terræ; eaque de cauſa mortuus eſt Iſai qui genuit Davidem regem Iſraëlis.* Nimirum tradunt Judæi, Cod. *Schabbath*. cap. 5. quatuor homines mortuos eſſe ex ſolo illo conſilio ſerpentis, Benjaminum filium Patriarchæ Jacobi, Hamramum patrem Moſis, Iſai patrem Davidis, & Chilhabum filium Davidis: ſcilicet ſine ullo peccato proprio. Verùm hæc ſententia, ſive fabula, ſi velit eos ab omni peccato immunes fuiſſe, rejicitur etiam à Menaſſe Ben Iſrael, lib. *de Fragilitate humanâ* pag. 109. qui eo libro contra hominis perfectionem operosè diſputat; atque ad illud de quatuor illis viris perfectis reſponſionem adfert ex Samuele Arcovolte: *Etiamſi peccaviſſent in aliquo, non id tamen peccatum ad mortem duceret. Quippe dicere voluit, quatuor iſtos mortuos eſſe, non propter peccatum mortale, quod morti eos addiceret; ſed per legem aliquam univerſalem, & communem, quam conſilium illud ſerpentis in mundum introduxit.* Legem univerſalem & communem moriendi ſequutam ait primum primorum hominum peccatum. Bene hoc. Paraphraſtes Chaldæus, Eccleſ. VII. verſ. ult. גרמו *effecerunt, ut invaderet eum* (Adamum) *dies mortis & omnes mundi incolas.* S. Iarchi ad Gemaram Cod. Schabbath. fol, 142. pag. 2. והא' *& hæc non tantum ad peccatores referenda eſt: quia in omnibus maledictionibus primi hominis omnes ejus generationes conveniunt*, apud Cl. l'Empereur in *Jeſa*. LIII. pag. 17. Et Joſephus Gorionides, *lib. 1. cap. XIV. Adamum denique omnium habitatorum terræ patrem ſeduxit uxor ejus ut tranſgrederetur præceptum Dei ſui* ועליו נגזרת המות עם צאצאיו אחריו *quare ipſi et poſteris ejus poſt eum mors incumbit.* Menaſſe ben Iſrael, in præfatione libri *de Fragilitate Humanâ: oſtendere erat animus, quo pacto primus omnium parens,*

Digitized by Google

parens, amiſsâ, quam ante habuerat, juſtitia, poſteritatem in ſui generaret conſortium ſupplicii, &c. Ex Jalkut refert Menaſſe de *Fragilitate humanâ* pag. 60. fabulam animarum hinc ad alterum mundum emigratarum, & cum Adamo graviter conquerentium, quod ille ipſis cauſa omnis mali fuerit: *fuiſti noſtri damni cauſa.* Atque, de reſurrect. lib. III. pag. 300. *Deus creavit plantas: hæ maledictæ fuerunt ob peccatum Adami.* Munſterus, ad Euangel. Matth. ex lib. Faſcic. Myrrhæ adducit, pag. 126. אמר ה' *Dixit Dominus benedictus homini primo cum malediceret ei: ſpinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri: Vult id, quod propter peccatum ejus omnes nati ab eo fiunt impii et dura fronte, ſimiles ſpinis & tribulis, juxta verbum illud domini, loquentis ad prophetam, ſpina et irritatores tecum ſunt, & cum ſcorpionibus habitas. Et totum iſtud eſt à ſerpente, qui fuit diabolus Samaël, qui emiſit venenum mortiferum & corruptivum in Evam, cauſamque præſtitit mortis ipſi Adam, dum comederet fructum.* Denique Archangelus de Burgo novo, in Comment. ad Dogmata Cabaliſtarum, & hoc dogma Cabaliſtice probat: *peccatum Adæ fuit truncatio regni à cæteris plantis.* Vim peccati primi, & reatum agnoſcunt non ad ſolum pertigiſſe Adamum, ſed & poſteros ejus omnes, quinimo univerſam pervolaſſe naturam. Non ergo particulare & perſonale modò illud peccatum fuit. Ex Menaſſe ſic argumentor: ubi eſt pœna, ibi præſupponitur culpa. Hæc ipſa ejus verba ſunt. Atqui hæc eſt omnium hominum pœna, mors. Nam, præterquam quod ipſa id teſtetur res, mortem peccati pœnam eſſe; Menaſſe etiam dixit, Adamum poſteritatem pertraxiſſe in *conſortium ſupplicii.* Si dicas, alia etiam præter hominem multis ſubjecta malis fuiſſe, ex illo peccato, non tamen de eo ideo communicare. Alia res eſt cum irrationalibus; alia cum rationalibus: ibi improprie, hic proprie dicta pœna eſt, & ſubjectum, cui peccatum imputetur, non ibi: & inquo illa obſerventur, quæ formaliter peccatum dicunt, ut privatio juſtitiæ primo homini conceſſæ, irrectitudo moralis, vitioſitas, proclivitas ad malum, quæ ipſi Judæi hic ponunt.

Denique ex ratione *circumciſionis* ita argumentor. Quod ſacramentum erat in confirmationem ablatæ impuritatis moralis, illud eam ſignificavit adeſſe; nam circumciſio externa & corporalis ſpiritualem & internam ſignificabat, & obſignabat, notabatque auferendum præputium cordis, & erat ſigillum juſtitię fidei, nam poſtquam credidit Abraham, circumciſionis ſacramentum accepit: quare ante circumciſionem, id eſt,

Digitized by Google

ſtatim à nativitate eſſe in homine malum aliquod, quod auferre oporteat, ſignificat. Illudque eſt peccatum, quod dicimus, originale. Hinc in libro præceptorum, quod edidit Munſterus, præcepto affirmativo XXVIII. dicunt Judæi circumciſionem datam ad infringendam vim immunditiæ per ſerpentem ingeſtæ, להחליש כח חטו מאת של נחש.

Neque oportet Judæos adeo nobis hac in parte refragari, ſi quæ ipſi de יצר הרע, figmento, ſeu appetitu, & concupiſcentiâ malâ omnibus ab ortu innatâ, & perpêtuo adhærente dicunt, debitè perpendant. Atque ne in fundamentum & cauſam ejus impingant, non datur ejus alia aſſignanda origo, quam peccatum primorum parentum omnibus commune & imputatum. Egregius hanc in rem locus eſt, quem adfert Joſephus de Voiſin, in Martinum Raymundum, *pag.* 471. magiſtri Menachem Rakanatenſis, *ſect.* Bereſchit, ex Midraſch Tehillim, ואין &c. *non eſt mirum cur peccatum Adami et Evæ exaratum ſit, & ſit ſignatum annulo regis ad generationes ſequentes propagandum: quia, quo die creatus eſt Adam, abſoluta ſunt omnia; ita ut ipſe extiterit perfectio, & complementum totius mundani opificii; ſic quando ille peccavit, totus mundus peccavit, cujus peccatum nos portamus & patimur. Quod non ita ſe habet in peccatis poſteritatis ejus*, וכאשר חטא הוא כל העולם כלו חטא ועונותיו סבלנו כמה שאין כן בחטא ורעו אחריו. Nihil clarius, atque ad doctrinam noſtram apertius dici potuit. Cum Adamo peccaſſe omnes, id eſt, in eo, potentialiter, ſeminaliter, originaliter, nam actu alii non exiſtebant. Inque iſto diſcrimen agnoſcere peccati Adami, & reliquorum: id eſt, originalis primi, & actualium reliquorum. Quodque nos iniquitatem iſtam portamus omnes. Idem etiam, ex libro Neve Schalom, adfert pag. 470. *obſervatione præceptorum ſanctificatur homo ab immunditia ſua, & mundatur ab inquinamento ſerpentis antiqui*, מזוהמת נחש הקדמוני. Nos dicimus, τοῦ ὄφεως τοῦ ἀρχαίου. *Apoc.* XII. 9. & XX. 2.

Quo facilius nobis eſt reſpondere ad contraria alia Judæorum quorundam adverſus nos argumenta. *Primum* ſic *objicit* Auctor Nizachon, apud Munſterum, in Euangelium Matthæi, *pag.* 125.

Interroga למין *hæreticum; nunquid vos creditis, quod dominus impertit miſericordias omnibus creaturis ſuis, et omnes proprietates ejus ſunt pietas & veritas erga creaturas ſuas? In fiducia harum proprietatum accedimus*

Reſp. Argumentum petit ex Dei miſericordiâ, ex qua concludit, non videri quod Deus tam ſeverè ulciſci voluerit peccatum primum in auctoribus ejus, & poſteris omnibus. Ad hoc multa accumulat ut Dei

Digitized by Google

quotidie ante conſpectum ejus, quemadmodum ait David: Miſerere mei Deus ſecundum pietatem tuam: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates meas. Præterea dicit Dominus: quoniam non deſidero mortem morientis, ſed ut convertatur à viis ſuis & vivat: & vos quoque creditis quod in magnitudine miſerationum ſuarum ſit extenſa manus ejus ut ſuſcipiat pœnitentes. Id ſi ita eſt, quomodo aſcendit ſuper cor veſtrum, quòd venerit dominus cum tanta ſeveritate contra primum hominem, ut illum vinctum teneret propter rem exiguam, nempe propter morſum pomi unius, illumque perderet in hoc ſeculo atque in futuro, & non ipſum tantum, ſed & omnes poſteros ejus: qui tamen errans hoc fecit, cum non fuerit adhuc in eo cognitio, ſicut dicitur: Et aperti ſunt oculi amborum & cognoverunt quod nudi eſſent. Hæc autem apertio fuit in oculo ſapientiæ. Quin in acciſione Habel, fuit tranſgreſſio illa mille partibus major quam iſta, & tamen non annectitur illi pœna tanta.

ut Dei miſericordiam probet, quod nihil neceſſe eſt, neque enim minor ſyllogiſmi à quopiam negari poteſt, Deum miſericordem eſſe; ſed conſequentia Majoris negatur; quod iſta Dei miſericordia non ſinat ut illo modo cum Adamo agat, ejuſque poſteris, propter illud primum peccatum. II. Severa ultio, ideo non eſt injuſta, Quin nihil juſtius, quam ut Deus pro ratione peccati pœnas attemperet, oſtendatque longe aliud eſſe, peccare contra homines, vel contra Deum 1. *Sam.* II. 25. III. Negas ergo omnes illas pœnas juſtas fuiſſe, iſtique peccato debitas, quæ *Geneſ.* III. exponuntur, & irrogantur tum Adamo, tum Evę, quæque toti rerum univerſitati poſteriſque communes ſunt? gravem dicas pœnam, injuſtam neutiquam. IV. Ipſi Judæi, uti copioſe audivimus, pœnas peccati primi communes ſtatuunt Adamo & poſteris: neque ſuper hoc tanta eſt inter nos diſcrepantia. Facilius pœnas admittunt Judæi, quam peccatum commune. Judæus, in Amicâ Diſputatione dicit, *omne genus humanum naſci obnoxium pœnis peccato Adami debitis:* V. Si Adamus conſtitutus fuit caput generis humani, ut in eo omnes conſummati fuerint & confœderati, conſequens eſt ut ejus quoque lapſu omnes comprehenſi fuerint atque involuti. VI. Non vult Deus mortem peccatoris, quaſi in hoc ſibi placeat, quod creaturæ ſuę male ſit, præſertim immerenti & innoxię, uti hoc, in loco *Jezech.* XVIII. pervicaces Judæi Deo exprobrabant; ſed huic non repugnat, ut tanquam judex velit gloriæ & juſtitiæ manifeſtationem in punitione peccatoris juſtâ. VII. Non eſt peccatum, ejuſque gravitas æſtimanda ex qua-

Digitized by Google

qualitate vel quantitate materiæ, in quâ peccatur, ſed ex præcepto & majeſtate legiſlatoris, quæ læditur; nec propter eſum pomi, aut fructus (quiſcunque is fuerit) Deus hominem puniit, ſed propter vetiti tranſgreſſionem, & crimen majeſtatis, eo gravius, quo majori petulantiâ, & ambitione, contra tot ac tanta Dei benificia, committebatur.

Inſtantia. Atqui errans hoc fecit. Nempe ut non fuerit (ſicuti hic dicitur) in eo cognitio, negatur. Atque hoc contra ipſas Iudæorum hypotheſes eſt, qui dicunt, Adamum perfectum creatum. Sed, aperti fuerunt poſtmodum illorum oculi. Nempe, quod non neſcis, minime quaſi antea clauſi fuiſſent. Nec quaſi ignoraſſent, ſe non veſtitos fuiſſe antehac: ſed, quod jam cum pudore ſuam cernerent nuditatem. Ablatam, diceret Menaſſe, lucem ac ſplendorem corporis præcedentem.

II. *Inſt.* Occiſio Abelis peccatum fuit gravius: & tamen non iſto vindicatum rigore. *Reſp.* Alia ratio fuit Abelis; Adami alia. Iſte perſona ſingularis, hic communis naturę princeps & caput. Nihil illud Abelis ad nos ſpectavit, Adami omnino. Unde & longe graviſſimũ hujus peccatum fuit, non contra homines, ſed Deũ immediate: imo & contra homines, & filios ſuos, atque omnes, non unum, quos ſuo ſecum involvit excidio, morteque.

Aliud argumentum movet Iudæus, in Amicâ Diſputatione, pag. 26.

Judæi peccatum originis negant, idque graviſſimis de cauſis. Nam locus peccati in animo ſolum conſiſtit, omneſque animæ originem ſuam ducunt non ex Adamo, ſed ex Deo creatore, unde ſequitur animas poſterorum Adami non potuiſſe peccare. Peccatum in anima conſiſtere patet. etenim illud vitium ſeu delictum per animam vel intellectum perpetratum. Et ſcriptura apertè dicit, Anima iſta excindetur & peccatum ejus in ea. Hinc jam perſpici poteſt peccatum in anima conſiſtere. Animas ſimiliter à Deo creari abſque ullo medio, teſtatur Eſaias: Spiritus a me illigatur, & animas ego feci. Idem Ezechiel confirmat dicens. Omnes animæ meæ ſunt, tam anima

Reſp. Objectio vulgaris eſt, cui & aliàs abunde reſpondimus, *lib.* III. *Sociniani ſmi Confutati cap. ult.* Verùm eſt, animæ creantur à Deo, immediatè: & ſubjectum peccati ἐγγύς eſt quidem anima; at integrum homo, ex animâ conſtans & corpore. Jam non eſt indagandum ſeorſim, in animâ, vel corpore quomodo peccatum ſit, ſed in toto compoſito. Nempe homo quando filius Adami eſt, hoc eſt ubi conjungitur anima cum corpore, iſtaque in hoc producitur & exiſtit, quia jam Adami filius, ejus quoque conditionis & peccati particeps ſit, illudque ei imputatur. Unde jam Deus non faciens hominem,

Digitized by Google

patris quam filii, meæ ſunt. Anima quæ peccavit morietur. Hinc ergo conſequentia certa eſt ac evidens, animas poſterorum Adami in ipſo non potuiſſe peccare; omne genus humanum naſci obnoxium pœnis peccato Adami debitis, quæ cum omnes corporales exiſtant, ad omnes etiam liberos ejus ſecundum corpus attinent, quatenus corporales ejus liberi ſunt. Quemadmodum ſi quis in ſervitutem mancipetur, omnes illius liberi ſervi fiunt, ut pote ex patre ſervo prognati.

nem, qualem initio formavit ad ſimilitudinem omnino ſuam, non addit ei iſtam juſtitiam, & gloriam, quacum creatus initio fuit homo: quæ negatio, Dei reſpectu, juſtæ pœnę rationem habet; reſpectu hominis, privatio eſt defectuoſa ejus quod ei adeſſe debebat, & ſic hujus ratione, quia id, quod habere debebat, non habet, peccatum eſt, non ratione Dei, qui ſolùm id non reddit, quod reddere non tenetur. Atque inde in homine originis peccatum exiſtit. II. omne genus humanum naſcitur obnoxium pœnis peccato Adami debitis. Non ergo hoc injuſtum eſt apud Deum, peccatum illud iſtâ, quamvis gravi pœna, mulctare. Atque juſtitiæ ejus conveniens eſt, ut, qui pœnæ iſtius participes ſunt homines, cenſeantur quoque communicare de peccato. III. Nec pœnæ illæ omnes ſunt corporales, non certe talis amiſſio juſtitiæ, quam & Adami & omnes ejus inde poſteri incurrerunt, atque vitioſitas illa, ſeu proclivitas ad malum, *ex primorum parentum profecta crimine contagioque*, uti Menaſſe dixit. IV. Longe alia ratio eſt cum poſteris Adami, ejus reatum ferentibus & pœnas, ac cum hominibus ex patre ſervo natis: quia ſervitus modò ſtatus alicujus externam dicit relationem & mutationem; pœnæ verò illæ Adami realem, intrinſecam punitionem, & dignitatis non ſolum privationem longè graviorem, ſed & miſeriam omnem, tum corporalem, tum ſpiritualem conjunctam habent, tantam quidem, ac ſuo peccato homines incurrere poſſunt. Ut citra peccati participationem non poſſint illâ tantâ pœna puniri inſontes.

Supereſt quæſtio, ad hoc argumentum de peccato, cum Judæis alia, nimirum, ſitne peccatum ullum ex ſe & naturâ ſuâ *non mortale*, ſive veniale? Ita quidem Menaſſe, lib. de fragil. pag. 105. *Quando vero R. Nehamia in Vaikra Raba* cap. XXVII. *dicit, Eliam non oppetiiſſe mortem, ideo, quod non peccaverit: neceſſario id, non de peccato mortali, quod obligat ad mortem, ſed veniali eſt intelligendum, quomodo et ipſum hæc intellexiſſe arbitramur.* De Henocho idem habet, pag. 108. *Non tamen, ut hoc credamus, inde poteſt colligi, non peccaſſe Henochum, etiamſi de nullo*

Digitized by Google

qualitate vel quantitate materiæ, in quâ peccatur, ſed ex præcepto & majeſtate legiſlatoris, quæ læditur; nec propter eſum pomi, aut fructus (quiſcunque is fuerit) Deus hominem puniit, ſed propter vetiti tranſgreſſionem, & crimen majeſtatis, eo gravius, quo majori petulantiâ, & ambitione, contra tot ac tanta Dei benificia, committebatur.

Inſtantia. Atqui errans hoc fecit. Nempe ut non fuerit (ſicuti hic dicitur) in eo cognitio, negatur. Atque hoc contra ipſas Iudæorum hypotheſes eſt, qui dicunt, Adamum perfectum creatum. Sed, aperti fuerunt poſtmodum illorum oculi. Nempe, quod non neſcis, minime quaſi antea clauſi fuiſſent. Nec quaſi ignoraſſent, ſe non veſtitos fuiſſe antehac: ſed, quod jam cum pudore ſuam cernerent nuditatem. Ablatam, diceret Menaſſe, lucem ac ſplendorem corporis præcedentem.

II. *Inſt.* Occiſio Abelis peccatum fuit gravius: & tamen non iſto vindicatum rigore. *Reſp.* Alia ratio fuit Abelis; Adami alia. Iſte perſona ſingularis, hic communis naturę princeps & caput. Nihil illud Abelis ad nos ſpectavit, Adami omnino. Unde & longe graviſſimũ hujus peccatum fuit, non contra homines, ſed Deũ immediate: imo & contra homines, & filios ſuos, atque omnes, non unum, quos ſuo ſecum involvit excidio, morteque.

Aliud argumentum movet Iudæus, in Amicâ Diſputatione, pag. 26.

Judæi peccatum originis negant, idque graviſſimis de cauſis. Nam locus peccati in animo ſolum conſiſtit, omneſque animæ originem ſuam ducunt non ex Adamo, ſed ex Deo creatore, unde ſequitur animas poſterorum Adami non potuiſſe peccare. Peccatum in anima conſiſtere patet. etenim illud vitium ſeu delictum per animam vel intellectum perpetratum. Et ſcriptura apertè dicit, Anima iſta excindetur & peccatum ejus in ea. Hinc jam perſpici poteſt peccatum in anima conſiſtere. Animas ſimiliter à Deo creari abſque ullo medio, teſtatur Eſaias: Spiritus a me illigatur, & animas ego feci. Idem Ezechiel confirmat dicens. Omnes animæ meæ ſunt, tam anima

Reſp. Objectio vulgaris eſt, cui & aliàs abunde reſpondimus, *lib.* III. *Socinianiſmi Confutati cap. ult.* Verùm eſt, animæ creantur à Deo, immediatè: & ſubjectum peccati οἰκεῖον eſt quidem anima; at integrum homo, ex animâ conſtans & corpore. Jam non eſt indagandum ſeorſim, in animâ, vel corpore quomodo peccatum ſit, ſed in toto compoſito. Nempe homo quando filius Adami eſt, hoc eſt ubi conjungitur anima cum corpore, iſtaque in hoc producitur & exiſtit, quia jam Adami filius, ejus quoque conditionis & peccati particeps fit, illudque ei imputatur. Unde jam Deus non faciens hominem,

Digitized by Google

patris quam filii, mea ſunt. Anima quæ peccavit morietur. Hinc ergo conſequentia certa eſt ac evidens, animas poſterorum Adami in ipſo non potuiſſe peccare; omne genus humanum naſci obnoxium pœnis peccato Adami debitis, quæ cum omnes corporales exiſtant, ad omnes etiam liberos ejus ſecundum corpus attinent, quatenus corporales ejus liberi ſunt. Quemadmodum ſi quis in ſervitutem mancipetur, omnes illius liberi ſervi fiunt, ut pote ex patre ſervo prognati. nem, qualem initio formavit ad ſimilitudinem omnino ſuam, non addit ei iſtam juſtitiam, & gloriam, quacum creatus initio fuit homo: quæ negatio, Dei reſpectu, juſtæ pœnæ rationem habet; reſpectu hominis, privatio eſt defectuoſa ejus quod ei adeſſe debebat, & ſic hujus ratione, quia id, quod habere debebat, non habet, peccatum eſt, non ratione Dei, qui ſolùm id non reddit, quod reddere non tenetur. Atque inde in homine originis peccatum exiſtit. II. omne genus humanum naſcitur obnoxium pœnis peccato Adami debitis. Non ergo hoc injuſtum eſt apud Deum, peccatum illud iſtâ, quamvis gravi pœna, mulctare. Atque juſtitiæ ejus conveniens eſt, ut, qui pœnæ iſtius participes ſunt homines, cenſeantur quoque communicare de peccato. III. Nec pœnæ illæ omnes ſunt corporales, non certe talis amiſſio juſtitiæ, quam & Adami & omnes ejus inde poſteri incurrerunt, atque vitioſitas illa, ſeu proclivitas ad malum, *ex primorum parentum profecta crimine contagioque*, uti Menaſſe dixit. IV. Longe alia ratio eſt cum poſteris Adami, ejus reatum ferentibus & pœnas, ac cum hominibus ex patre ſervo natis: quia ſervitus modò ſtatus alicujus externam dicit relationem & mutationem; pœnæ verò illæ Adami realem, intrinſecam punitionem, & dignitatis non ſolum privationem longè graviorem, ſed & miſeriam omnem, tum corporalem, tum ſpiritualem conjunctam habent, tantam quidem, ac ſuo peccato homines incurrere poſſunt. Ut citra peccati participationem non poſſint illâ tantâ pœna puniri inſontes.

Supereſt quæſtio, ad hoc argumentum de peccato, cum Judæis alia, nimirum, ſitne peccatum ullum ex ſe & naturâ ſuâ *non mortale*, ſive veniale? Ita quidem Menaſſe, lib. de fragil. pag. 105. *Quando vero R. Nehamia in Vaikra Raba* cap. XXVII. *dicit, Eliam non oppetiiſſe mortem, ideo, quod non peccaverit: neceſſario id, non de peccato mortali, quod obligat ad mortem, ſed veniali eſt intelligendum, quomodo et ipſum hæc intellexiſſe arbitramur.* De Henocho idem habet, pag. 108. *Non tamen, ut hoc credamus, inde poteſt colligi, non peccaſſe Henochum, etiamſi de nullo*

 ejus

Digitized by Google

ejus peccato ſtat mentio: *potuit enim deliquiſſe in re adeo exigui momenti*, *ut non videatur mortem ob id fuiße commeritus.* Et de quatuor illis viris, quos in Talmude, Cod. Scabbat, dicunt mortem oppetiiſſe, propter conſilium ſerpentis, Benjamino, Amramo, Iſai, & Chilhabo, Davidis filio idem pronunciat, pag. III. *Igitur concedo, quatuor iſtos homines propter conſilium ſerpentis eſſe mortuos; idque eò magis, quod animadverterit valde doctus R. Semuel Arcovolte, in nobiliſſimo ſuo libro, qui inſcribitur Hiduſe Agadot.* גם שישבו קצת חטא אינו ראוי למות כאותו חטא. *Etiamſi peccaviſſent in aliquo, non id tamen peccatum ad mortem duceret; Quippe dicere volunt, quatuor iſtos mortuos eſſe, non propter peccatum mortale, quod morti eos addiceret; ſed per legem aliquam univerſalem, & communem, quam conſilium illud ſerpentis in mundum introduxit.* At verò nullum peccatum eſt, quod mortem non mereatur, eamque non inferat, niſi ea per ſupervenientem vel intervenientem Dei gratiam avertatur & cedat in bonum, vid. in portam ſalutis atque æternæ felicitatis: quod non eſt per ſe, ſed per accidens divinæ gratiæ.

Nam I. peccati pœnam comminatus Deus mortem fuit: *quocunque die comederis, morte morieris.* Geneſ. II. 17. Et Jezech. XVIII. 4. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Deut. XXVII. 26. *maledictus qui non præſtiterit verba legis hujus faciendo ea.* In genere tranſgreſſio verborum legis meretur maledictionem, meretur mortem. II. Non dicit lex, neque uſpiam exponitur, tale vel tale peccatum tantam aut tantam mereatur maledictionem aut mortem. Non qui tanta peccaverit, ſed qui peccaverit, morietur. Ut ſi contra aliqua ex hac lege peccata excipere coneris, oſtendendum ſit, quæ & qualia iſtâ pœnâ digna erunt, quę minus. Quod an fas tibi ſit, de Dei lege & judicio diſponere, videris. III. Ratio etiam oſtendit, nulla non peccata eſſe mortalia, quia nempe committantur contra ſupremum & infinitum Deum, ut, quamvis tum in re, tum in modo gradus peccatorum dentur, aliaque aliis quidem graviora ſint, nulla autem levia proprie, vel עבירות קלות, uti Judæi loquuntur: reſpectu perſonę tamen, contra quam peccamus, quum excelſius nil dari poſſit, ſequitur propter crimen Majeſtatis, quod omni peccato incurritur, mortem ejus debitam pœnam recte & juſte conſtitutam eſſe.

LIBER

Digitized by Google

Liber Quintus.

De
Messia Deo-Homine;
Et Personarum in Deo Trinitate.

Caput Primum.

De
Deitate Messiæ.

O*Rdo libri. De Deitate Meſſiæ : tum Trinitate Perſonarum, in Deo.* Pſalm. II. 7. *vindicatur, contra reſponſiones R. Davidis Kimhi. Similiter*, Pſalm. XLV. 8. *&* Pſalm. CX. 2. Malach. III. 1. *Loca quædam Novi Teſtamenti. Ex officio Meſſiæ, ejuſdem quoque probatur Deitas.* Jerem. XXIII. 6. *&* XXXIII. 15. *defenditur contra Iudæorum exceptiones. Loca Scripturæ, pro θεανθρώπῳ. Reſponſio ad Objectiones.*

REgredimur ad intermiſſam, de Meſſiâ, materiam: quam nunc proſequi & pertractare ordine, res eflagitat. Cumque quatuor nobis hoc in negotio conſideranda, Meſſiæ *adventus*; perſona, *quis*; perſonæ *qualitas*; & *officia*: atque de prioribus duobus actum ſit, ſequitur ut de poſterioribus inſtitutæ diſputationis filum pertexamus, atque abſolvamus.

Chriſtiana fides Meſſiam credit & colit θεάνθρωπον Deum-hominem: talis perſonâ eſt; officio, *ſalvator*, qui æterna nos redemptione beat, ac ſalute. Eſt ergo *Deus*, eſt *homo*, eſt in una perſona *Deus-homo*. Magnum quidem fidei & pietatis myſterium, certum tamen, & venerandum. Quippe ſupra naturalem Theologiam aut philoſophiam evecta fides noſtra, myſteriis occupatur, rationi & ſenſibus ἀνεξερευνήτοις, adorandis, non rimandis. Qualia hæc duo ſunt præcipua, credere duas naturas in unâ perſonâ; iterum, tres perſonas, in unâ naturâ: hoc in Deo; illud, in Chriſto. Quæ certe, non ingenio hominis inveſtigata ſunt, aut conficta: quid enim in hanc nos inducere opinionem poſſet? ſed ex

Dei

Digitized by Google

Dei verbo petita ; & credita, quia revelata. Offendit utrumque Judæos, atque hinc ſcandala fruſtra capiunt & præjudicia contra ſanctiſſimam religionem. Quare utrumque illis hoc libro demonſtrandum : illud quidem hoc capite ; ſequenti, iſtud.

Meſſiam *hominem* eſſe, probare nihil attinet, utpote ἐξαγώνιον dumtaxat, an *Deus* ſit, quæritur : ex quo tum ſponte ſequitur, quia unus Meſſias, ſeu perſona una, quod fuerit *Deus homo*, in eadem perſonâ : quamvis & loca quoque Scripturæ allaturi ſimus, quæ utrumque una de Meſſiâ teſtantur.

Pro illo ergo, duum generum occurrunt argumenta, unum inartificiale (uti dici ſolet) ex Scripturæ locis, Meſſiam Deum docentibus ; alterùm ex ratione officii ejus, quod tale, ut divinam requiſierit naturam, neque à mero homine præſtari potuerit. Tanti quippe eſt, homines ab æternâ redimere miſeriâ, & beare cœlo.

Argumentum primum, ex Pſalmo ſecundo : quo de Meſſiâ agi, ſaniorum & antiquiorum Judæorum eſt ſententia, probaturque ex textu ipſo I. ex *verſ.* 1, 2, 10. neque enim contra alium quem gentes omnes, nationes, Reges ac proceres terræ inſurrexiſſe, communi atque univerſali oppreſſione, & odio, exiſtimandi, quam contra Meſſiam. II. Et cujus jugum, ſervitutem, ac obedientiam excutere voluerint, *verſu* 3. III. quique *verſu* 6. ſingulari ratione dicatur à Deo conſtitutus Rex Zionis. *Zach.* IX. 9. *Jeſa.* LII. *verſ.* 7. IV. Cui totus mundus, & univerſale in eum dominium ſit conceſſum : *Pſalm.* LXXII. *Jeſa.* XIX. 6. V. quique poſſit omnes confringere vi ſua. Nullus (dico) alius quam Meſſias eſt. Inter Judæos, Rabbi Selomo Jarchi, רבותנו דרשו את הענין על מלך המשיח inquit : *Rabbini noſtri explicarunt contextum hunc myſticè de Rege Meſſiâ.* Aben Ezra : *videtur quod aliquis cantorum Pſalmum hunc compoſuerit de Davide die unctionis ſua, quare ſcriptum hodiè genui te :* או על המשיח *ſive de Meſſiâ.* Sic & Targum. Adde Kimchi, Saadia Gaon in *Dan.* VII. 13. & quos in eandem ſententiam collegit Cl. l'Empereur. præſ. ad *halichot Olam.* & Hackſpan ad Nizachon *cap.* II. *pag.* 344. Tribus dictum memorant Judæi, *pete* : Salomoni, Achazo, & Meſſię. Huic, hoc loco. *Pſalm.* II. 8. Menaſſe, *lib.* III. de Reſurrect. *cap.* V. *pag.* 293. *David Pſalmo ſecundo meminit belli hujus, cum ait : Omnes gentes, et nationes congregabunt ſe adverſus Deum & Meſſiam, ad excutiendum ejus jugum : Nempe quando Meſſias omnes gentes in poteſtatem ſuam redegerit, tum rebelles tumultuabuntur, & bello aggredientur Hieroſolyma, eaque et ter-*

Digitized by Google

obſidione undique cingent. Et Dominus (inquit David) ridebit illos, & perturbabit rebelles aſtu ira ſua, ob regem ſuum Meſſiam: qui enarrabit decretum Domini, quo videlicet ipſum in filium ſibi elegit, eique dedit poſſidendos populos omnes, quos confringet virga ferrea. Hac de cauſa monet prudentiores ex populo, quique non loquuntur inane, ut ſubmittant ſe Deo, eumque cum reverentia, ac tremore colant, & filii ſui Davidis manus oſculentur, & agnoſcant eum protectorem ac defenſorem ſuum eſſe, ſeu electum (nam vocabulum (בר) ita etiam reddi poteſt, ne cum cæteris pereant. Hoc, dico, Pſalmo Meſſias Deus probatur. Etenim dictum verſ. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & verſ. 12. *oſculamini filium, ut non iraſcatur, & pereatis in viâ, quum exarſerit vel minimum ira ejus: beati omnes qui confidunt in eo.* Hæc autem nemo non videt cultus divini eſſe & religioſi, nulli niſi vero Deo adſcribendi. Nam alioqui maledictus habetur, qui confidit in homine. *Jerem.* XVII. 5. Rabbi David Kimhi, qui ſingulatim, ad argumenta Chriſtianorum reſpondit, quæ ex Pſalmis petuntur, pro deitate Meſſię, ita ad hoc excipit: ex verſione Genebrardi:

Nazareni exponunt de illo homine. Verſus autem quem ad ſua ſentententia confirmationem adducunt & quo nituntur præcipuè eſt, dixit Dominus ad me, filius meus es tu. Non enim inquiunt, pronunciare licet, filium Dei purum eſſe hominem, cum præſertim filius ejuſdem ſit ſpeciei, atque pater. Improbe enim equum Reubenis, filium dixeris. Quo fit ut eum, cui dixit Deus filius meus es tu, ejuſdem cum ipſo eſſentia, Deumque pariter eſſe, neceſſarium ſit. Præterea ego (inquit) hodie genui te, oportet autem genitum eſſe de ſpecie, & natura gignentis. Tu vero reſponde, divinitati nec patris nec filii nomen convenire. Divinitas enim ſive Deitas non dividitur, nam non eſt corpus ut dividatur, ſed eſt unum aliquid omnibus unitatis modis atque rationi-

Reſp. I. Neque nos Deitati formaliter nomen Patris aut Filii attribuimus; ſed Perſonis, in Deitate. II. Nec propter Perſonas dividitur Deitas, nulla ratione; ſed una, eadem, indiviſibilis Deitas eſt in tribus perſonis. Non hic partes ullæ ſunt, nulla vel diviſio, vel multiplicatio. III. Pater filium tempore antecedit, in mundanis, ubi temporis menſura reperitur: at apud Deum, qui ſupra tempus omne, & mundum eſt, non tempus, nedum temporis leges ullæ ſunt, ſed pura & ſimplex æternitas; carens omni ratione temporis & menſurâ, non habens initium, nec finem, neque etiam ſucceſſionem, ſed eâdem immutabili forma ſemper conſiſtens & permanens. Non eſt ergo hic, neque in Perſonis divinis

Digitized by Google

bus. Non multiplicatur, non diminuitur, partitioni obnoxia non eſt. Deinde objice illis patris ac filii leges. Pater filium tempore antecedit; atque de patris poteſtate educitur filius. Et quanquam alter ſine altero non cohæreat quoad rationem nominum; quoniam non ante aliquis appellatur pater, quam habeat filium; aut prius filius, quam habeat patrem, tamen ille qui vocatur pater, tempore citra controverſiam antiquior eſt filio, quem procreavit. Itaque Divinitatis, quam dicitis & vocatis patrem, filium, & Sp. S. pars, quam patris nomine cenſetis, partem alteram quam nuncupatis filium, præceſſiſſe neceſſe fuit. Si enim tempore quolibet uterque ſimul erat, vocari debuerunt fratres gemini, non pater & filius, non genitor genitus, Genitor enim ſine dubio antecedit genitum. Ei autem qui contendit abſurdum eſſe filium Dei appellari rem eam, quæ non ſit de natura Dei, dicito, nos non poſſe de Deo loqui niſi metaphoricè, ut cum illi os, oculos, aures, & his ſimilia tribuimus, quæ non niſi allegoricè enuntiari certum eſt. Talis eſt locutio, filius Dei, filii Dei etc. Illum enim qui perinde juſſa mandataque ſua exequitur, atque filius paternam voluntatem, filium appellat. Unde et ſtellæ filii Dei appellantur Job. XXXVIII. *jubilabant omnes filii Dei. Similiter hominem, propter Sp. cœleſtem, qui in eo inhabitat, cum agit præcepta*

vinis, aut generatione Filii prius & poſterius, ante & poſt, ſed mera æternitas: neque ex noſtrâ, vel terrenâ & corporali generatione divina & ſupracœleſtis illa commenſurari aut definiri debet. IV. Non etiam ex potentiâ Patris eductus vel procreatus Filius fuit; quia in Deo non eſt talis potentia, quæ in actum educatur, ſed Deus purus ſimplex ac formaliſſimus actus eſt. V. Quo verò modo Filius à Patre generatus ſit, nobis eſt ἀνεκδιήγητον. Scimus ſpiritualem eſſe generationem, & plane divinam, corporeo conceptu vel modulo non finiendam. Sufficit nobis τὸ ὅτι, & quod res ſit, eamque devota fide ſuſcipere & complecti: neque in arcana & imperſcrutabilia involare fas ſit, aut religio. VI. Metaphoricè & per ſimilitudinem nos vocamur Dei filii: Meſſias autem in Pſalmo hoc, propriè. Neque enim ullum unquam ita alloquutus Deus fuit. Tum addita filiationis mox explicatio, quia ego genui te, propriam indicat locutionem. Nec unquam juſſi homines fuerunt, ſpem fiduciamque in ullum filium Dei metaphoricum collocare, & vereri ejus iram & perditionem. Quæ omnia quia ſingularia ſunt & plane divina, oſtendunt, haud poſſe illud de Meſſia Dei filio vulgariter exponi, vel aliter quam de Meſſiâ Deo. VII. Pete à me & dabo tibi gentes

in

Digitized by Google

Domini, ratione mentis Sapientiâ prædita quæ eum docet, Script. vocat *filium. Proinde enim, ait, filius meus es tu, & ego genui te: & alio loco filius meus, primogenitus meus Iſrael*, Exod. IV. *Et filii eſtis Domini veſtri.* Deut. XVII. *Et, an non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te?* Deut. XXXII. *Et, ego ero illi pater & ipſe mihi erit filius.* II. Sam. VII. *Præterea roga, num Deus ſit cui veſtra quidem opinione, pater ait, poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam? Et quonam igitur modo rogat patrem filius, nunquid non ipſe Deus eſt, quemadmodum et pater, illique eſt poteſtas in gentes et terrarum fines perinde atque patri? Rurſum, nonne jam ante poſtulationem poſſeſſio ejus erant gentes? alioqui enim tum primum contracta eſſet Domini poteſtas, poſtea cumulatio facta eſſe dicenda eſt, quod in Deo non conceditur. Reſpondebunt fortaſſe hæc ad humanitatem referri, ex quo Deus carnem aſſumpſit, quaſi pater polliceatur, ſe humanitati filii, ubi poſtulaverit, daturum gentes in hæreditatem: Atqui nihil tale contigit. Illi enim ſecundum carnem nullum fuit regnum, nullus, in aliquam nationem, principatus. Cæterum ſi eo ſe verterint, ut pſalmum dicant loqui de fide quam gentes receptura erant, oppone majorem orbis partem tum Judæos tum Iſmaelitas qui fidem ipſius minimè ſuſceperunt. Te equidem do-* in hæreditatem tuam Filio à Patre dictum, non ut eo negetur, Deum illum eſſe, ſed ut ſignificetur ad ſingulare opus à Deo deſtinatum, nempe opus mediatorium & redemtorium, ad ſalvandos homines & regendos: cujus ratione officii ei data eſt poteſtas in cœlum, & in terram, conſtitutuſque hæres omnium. Cum Patre ei eſt poteſtas *eſſentialis* æqua in omnia; à Patre, qua Mediator eſt, habet poteſtatem ſibi ratione ſingularis officii delegatam, peculiari deſtinatione & *oeconomiâ*. Non quod differentia ſit inp oteſtate Filii majori aut minori, jam vel tunc; ſed in ejus diſpenſatione diverſâ, vel prout Deus eſt, vel prout à Patre conſtitutus Mediator.

VIII. Non quidem accepit Chriſtus regnum terrenum & mundanum, quod externa pompa περιφανείᾳ, aut gubernatione conſtet; ſed ſpirituale & cœleſte, ſic ut, quamvis res mundi mundano more non regat, omnes tamen illas ſibi ſubjectas habeat, atque in bonum & uſum regni ſui cœleſtis dirigat.

IX. Non ignoramus, magnam orbis partem adhuc infidelem eſſe; ſed per totum tamen orbem prædicata doctrina Chriſti fuit, accepta etiam, licet non à ſingulis, generatim autem per quaſcumque mundi nationes: unde ubique ſuos habuit Chriſtus, habetque, quos ſuo regno complectitur, & gubernat.

 x. Bene

Digitized by Google

cui, quid illis ad hunc Pſalm. reſpondeas, cætera autem per te ſecundum iſta adjicies. Quod ſi à te flagitaverint ejus expoſitionem, interpretare uno modorum, quem è duobus elegeris, vel de Davide, vel de Meſſia, prout expoſui.

Addit Lipman, in Nizachon, vocem ילדתיך fœminæ propriam eſſe, & ſiguificare, peperi te; ſed mari aut patri convenire hiphil הולדתיך; quare non poſſit verti, *genui te.*

x. Bene eſt, quod tamen etiam de Meſſiâ Pſalmum accipiendum exponendumque concedat. XI. ילד in Kal, *gignere*, *parere* ſignificat, & tam de fœmina, quam mare dicitur. *Jerem.* XVII. II. Atque hoc certe loco non poteſt alteri tribui, quam Deo, quicumque etiam filius intelligatur: *dixit Dominus ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Alter pro Meſſiæ Deitate locus, etiam in Pſalmis, eſt *Pſalm.* XLV. quem quoque de Meſſiâ loqui, tum ex argumento ejus conſtat, tum Magiſtrorum conſenſu. I. verſ. 4, 5. *accinge gladium tuum ſuper femur, ô robuſtiſſimè, gladium gloriæ & decoris tui. Et decore tuo proſperè equita in verbo veritatis* &c. II. ex verſ. 6. *ſagittis tuis acutis populi ſub te procident inimici Regis.* III. ex verſ. 7. *ſolium tuum in ſæculum, & ſempiternum.* cum verſ. 18. *memorabo nomen tuum in unaquaque ætate, idcirco populi celebrabunt te in ſæculum & ſempiternum.* Aben Ezra, וזה המזמור נאמר על דויד או על המשיח בנו *Pſalmus hic de Davide loquitur, vel de Meſſiâ filio ejus.* Targum verſ. 3. שופרך מלכא משיחא עדיף מבני נשא *pulchritudo tua Rex Meſſia præſtantior eſt filiis hominum.* Jam hoc Pſalmo Meſſiam Deum dici patet I. quia ſupra omnes conſtituitur homines. verſ. 3. *multo pulchrior es filiis hominum.* quod non de genere fæminino, ut putat R. Lipman, ſed omnino maſculino interpretamur. II. Deus exſertè dicitur verſ. 7. *Solium tuum Deus* אלהים, *in ſæculum & ſempiternum. Propterea* & *Deus, Deus tuus unxit te* משחך *oleo lætitiæ ſupra conſortes tuos.* Meſſias, unctus ille, Deus non modo bis dicitur; ſed & regnum ei attribuitur æternum. Atque etiam hic Davidem Kimchi audiamus, quid contra excipiat.

De Jeſu Nazareno Chriſtiani Pſalmum iſtum interpretantur, exponuntque filias regum allegoricè nationes, quæ ad ipſorum legem perducta ſunt. Nituntur autem verba illorum eo, quod dicitur, Thronus tuus Deus in ſæculum & æternitatem, ubi ipſum regem & Deum vocant. Abunda-

Reſp. I. Nec Chriſtiani ſoli, ſed & Judæi de Meſſiâ Pſalmum interpretantur: & quia de Meſſiâ, quem probamus Jeſum eſſe Nazarenum, quare non huic illum applicemus? II. Verba, *Thronus tuus ô Deus*, non ſunt apoſtrophe ad Deum, ſed quemadmodum totus Pſalmi ſermo dire-

mus quidem adverſum eos reſponſionibus, ut etiam iſtud plane ſuo loco declaravimus, verum ut eis aliquid largiamur, & ſit Thronus tuus Deus, per apoſtrophen, compellatio Dei; non tamen obtinebunt, quin ſententia ſit hujuſmodi: Deum *(ſiquidem Deus fuerit vocativi caſus) ita per deprecationem alloquetur David, ô Deus Thronus tuus ſit in ſeculum et æternitatem. Thronus autem Dei thronus eſt regis, ut in Paralipomenis, seditque Salomon ſuper throno Domini in regem* 1. Paral. XXIX. *Porro retorque in illos & quærito, qua ratione de Deo dicat, oleum exultationis præ ſociis tuis, cum Deus non habeat ſocios, nec pronuncietur de eo, aſtitit conjux dextera tua, ne allegorice quidem. Vox enim Hebraica ſchegal importat, uti in noſtris commentariis docuimus, coitum fœminæ, quod Deo minime accommodatum eſt. Præterea quonam pacto dicitur, pro patribus nati ſunt tibi filii. Si reſpondent Deo filios eße eos, qui in ipſum credunt, juxta illud, filii eſtis Domini veſtri, dicito concedi quidem filios eſſe Deo, non tamen Patres. Ac jam refutavimus Pſalmo ſecundo, quod ei Patrem aſſignent, cum nominant in Divinitate Patrem, Filium & Spirit. Sanct. Eſt aliud reſponſum, nam ut tribuatur ei pater, non tamen, ut ipſis quodque placet, conſentaneum eſt dicere, Patres plurali numero.*

Similia fere habet R. Lipman in directus ad regem, Meſſiam nempe, qui argumentum Pſalmi eſt. Verſ. 2. *Dicturus ſum poëmata mea de rege.* 3. *Multo pulchrior es filiis hominum.* 4. *Accinge gladium tuum.* 5. *Et decore tuo proſpere equita.* 6. *Sagittis tuis acutis populi ſub te procident. Solium tuum Deus, in ſæculum & ſempiternum.* 8. *dilexiſti juſtitiam, & odiſti improbitatem, ideo unxit te Deus, Deus tuus oleo gaudii ſupra conſortes tuos.* 9. *Myrrha* &c. *omnia veſtimenta tua* &c. apparet, omnia ad eundem directa, & totum ſermonem eſſe προσφώνημα ad regem Meſſiam. Neque enim ullibi interrumpitur, ſed continuus eſt in ſecundâ perſonâ ad eundem. Solium æternum ei attribuitur, eſtque nota Meſſiæ, ut quod additur etiam, quod Deus eum unxit. Atque hic dicitur אלהים, *Deus*. III. Socii Meſſię dicuntur fideles, quemadmodum amici Dei. Atque illud eo magis, quo naturæ humanæ reſpectu hactenus ſimilis factus eſt Meſſias nobis, ejuſdemque naturę particeps. Unde & fratres quoque non dedignatur nos appellare. IV. Conjux Meſſiæ adſcribitur per metaphoram, & ſignificat Eccleſiam ſuam, cœtum fidelium & piorum. Ut in שגל quamvis à radice veniat, quæ coire ſignificat, nihil tamen ſpectare ultra neceſſe ſit quam conjunctam matrimonio, uti ſpirituali ratione Deus quidem

 dicitur

Digitized by Google

ſuo Nizachon, ad hunc Pſalmum; ſed male impingit Chriſtianis in genere, quod Pſalmum de matre Chriſti interpretentur.

dicitur ſibi deſponſare homines. *Hoſ.* II. 19. Quemadmodum & R. Lipman inquit: *Totus Pſalmus loquitur de Synagoga Iſraelis, quæ vocatur filia: & ſic conſuetudo eſt, vocare populum integrum. Ut filia Zion* &c. V. Quod verſu penult. dicitur, *loco patrum tuorum erunt filii tui*, deſignat jugem & perpetuam fidelium in Eccleſiâ acceſſionem, & aliorum in locum priorum generationem ſpiritualem. Ut hæc nulla ratione ad patrem Meſſiæ, & Filii Dei ſpectent: neque etiam eo à Chriſtianis trahuntur.

Tertius locus, itidem in Pſalmis, eſt *Pſalm.* CX quem de Meſſia loqui, ſuperius à nobis expoſitum: atqui is hic appellatur Dominus Davidis. verſ. I. *Dixit Dominus Domino meo.* Meſſias qui filius Davidis, quomodo ejus etiam vocari Dominus poteſt, niſi reſpectu alterius naturæ, id eſt, divinæ? Kimhi iterum:

De Jeſu Pſal. hic a Chriſtianis accipitur. Ideo ajunt primo verſu demonſtrari Patrem & filium, quod legant dictionem לארוני *(Domino) per Camets ſub nun. quomodo igitur inquiunt, dixit Dominus Domino, niſi quia duæ ſunt perſonæ, & Spir. Sanct. tertia? alio præterea errore in* עמך נרבורת *legunt* עמך *per chiric ſub Ain, & exponunt in ſplendoribus Sancti, de Sancto qui ex utero natus eſt. Tu autem oſtendito, lectionem eorum eſſe erroneum. Hieronymus enim illorum interpres hallucinatus eſt cum in* לארני *(Domino meo) ſit chirick ſub Nun, & ſignificetur David, quemadmodum expoſuimus. Quanam autem ratione potuerunt lapſum unius adverſus multorum judicium retinere? ab ortu namque ſolis ad ejus occaſum, quam longe orbis patet, noſtra lectio per chirick, & ſecundo loco* עמך *per patach,*

Reſp. I. Atque nos etiam in לארני legimus chirik ſub נ, לארני; & in עמך, pathach ſub ע, עמך; & æque negamus, hac voce Spiritum Sanctum; ac illâ, Davidem notari. II. Hoc, quia ipſius Davidis Pſalmus eſt, לדויד מזמור: qui proinde non ſcripſiſſet, dixit Dominus Domino meo; ſed, dixit Dominus mihi. III. Nec magis de Abrahamo dicta exponi poſſunt, quia, ut bene in contrarium obſervat Ezra, Zionis fit mentio verſ. 2. præter alia, quæ ſupra vidimus. IV. Neque perſona Deitatis indiget aliâ. Dicitur autem ad dextram Dei poſitus & exaltatus Meſſias, non quà Deus, ſed quà homo, & mediator. V. Imo Meſſias à primordio fuit ſacerdos & dux, diverſaſque muneris utriuſque partes diverſis modis exequutus eſt & vicibus. VI. Quod contra

Digitized by Google

omnibus in libris reperitur. Certe ipſi fatentur legem noſtram teſtimonium ſibi eſſe, credant igitur iſti. Quod vero pertinet ad ipſorum errorem, ſic adverſus eos ratiocinaberis. Si Pater & Filius ſunt divina eſſentia, unus eorum altero non egebit. Nam is Deus non eſt appellandus, qui alterius indiget. Qui ergo dicet Pater Filio, ſede à dextris meis donec ponam inimicos. ac illi quidem neceſſaria eſt dextra alterius, atque auxilium qui imbecillitate affectus eſt.. Deo non item, qui nec imbecillis eſt, nec poteſtatis expers. Cæterum, quo pacto inquit illi, Tu es Sacerdos in æternum, cum à primordio non fuerit Sacerdos & dux? ſi reſpondent Sacerdotem accipi in vulgata ſignificatione, aſſeverantque ab eo die deinceps futurum in re alia Sacerdotium, non quod alioqui offerant carnem & ſanguinem, uti ad illum diem uſque fecerant panem & vinum ad ſpeciem & normam Melchiſedec, de quo ſcriptum eſt, & Melchiſedec Rex Salem protulit panem et vinum, & ipſe erat Sacerdos Dei excelſi, require ab eis cuinam dicat: Tu es Sacerdos. Si filium adquem locutus fuerat à principio Pſalmi adhunc uſque verſum, deinceps ad Pſalmi extremum alloqui pergit, quam id, quæſo videri poteſt conſentaneum, cum Sacerdos ſit miniſter qui offert, Deus vero minime offerat, ſed ei potius ſacrificetur? Cæterum, ut id dicat homini alicui in mundo, non habetur ex ratio-

contra ſacrificium Miſſaticum dicit, nos & Chriſti religionem non ferit, quum illud ſit error Chriſtianorum quorundam contra Chriſti doctrinam, à nobis quoque improbatus. VII. Meſſiæ dicitur, tu es ſacerdos, atque hic offert: non qua Deus, ſed qua mediator & homo. Idem, ſecundum aliam & aliam rationem eſt Dei filius, & Davidis Dominus; atque Davidis filius, & pro nobis ſacerdos, qui nempe ſeipſum dedit in ſacrificium & victimam pro peccatis noſtris. Illa non pugnant, quandoquidem vera oppoſitio debet eſſe ad idem, ſecundum idem, quod hic non eſt. *Tu es ſacerdos*, non ſpectat, neque dicitur ad aliquem ex hominibus. Neque ulli hodie veri & proprie dicti ſacerdotes, omni ſacerdotio dudum cum familia & ſacerdotibus Aaronicis expuncto, & tranſlato in unum, præcipuum, & ſacerdotem magnum Jeſum Chriſtum. Quare illa, quæ hic dicit Auctor, ſive de verſione verborum alienâ, ſive ſacrificio, & ſacerdotibus in Eccleſiâ Romanâ, nos non tangunt, vel ullum fidei & veritati creant præjudicium. VIII. Quod in genere addit, de legis cæremonialis perpetuâ obſervantiâ, ſuo poſtea loco ex profeſſo refutabimus. Uti, quod de Eliæ adventu annectit, in antecedentibus profligavimus. Quod Malachias juſſit, legem.

Digitized by Google

ne Pſalmi, quis ille ſit. Quia nec eſt apud eos ad Sacerdotium gerendum certa ulla familia, quolibet ſe ad illud promovente. Ad quem igitur refertur, jurabit dominus et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum? Præterea cur tandem voluntatem ſuam mutavit, ut cum primum præcepiſſet ſacrificare carnem & ſanguinem, jubeat deinde panem et vinum offerre? qui etiam fit ut dicat, non pœnitebit eum, cum jam illum pœnituerit? Nec vero lex ad tempus data eſt, nam Mlachias qui Prophetas claudit, Malach. IV. *Memento, inquit, legis Moyſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Jſrael, præcepta & judicia. Qui et ſubdit, Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam. Atqui Elius nondum venit, ſed nec aderit ante dierum Chriſti tempus. Jubet autem, ut recordentur Legis Moſis, ſervando eam prout ſanxerat in Sinai, non prout præceperit Jeſus. Unde vides nunquam mutatum iri legem, ſed ea prorſus forma perſeveraturam quæ Moſi tradita eſt.*

Inſuper quid ſibi vult, confodit in ira ſua Reges? At ubinam prælia quæ geſſit Jeſus, ubi etiam Reges, quos ſuperavit? Quod vero ait, judicabit in nationibus, his repugnat quæ ipſi tradunt, non niſi veniſſe judicatum animas eaſque conſervatum. Sic, propterea exaltabit caput, pugnat cum eventu. Ad hunc enim diem nondum caput ſuum extulit. Aperite ô cæci oculos veſtros gem omnem Moſis, & præcepta & judicia ſervari, bene fuit illo tempore, uſque ad καιροῦ διορθώσεως πάντων, neque enim Chriſtus adhuc venerat, umbrarum cæremonialium corpus & complementum.

VIII. Non tam imperite hæc interrogaſſet Rabbi, quid ſibi velit, quod reges dicitur confoſſurus Meſſias, & quæ ſequuntur cætera, ſi Chriſtianorum conſulere & audire dignatus fuiſſet expoſitiones. Confodit in irâ ſuâ Reges Chriſtus, nempe qui ſe veritati & Eccleſię ſuę temere oppoſuerunt, quos oſtendit in vanum tumultuatos, conatoſque nomen ejus perdere, & contra quorum vanos furores Eccleſiam ſuam & doctrinam ſemper tutatus fuit, extulitque. Errat Judæus, qui Meſſiam, & res ejus, ac prælia, corporalia omnia imaginatur, quę nos contrà ſe habere, in præcedentibus oſtendimus. Atque hac ratione etiam judicium exercuit in gentes Meſſias, alias exſcindendo, quamvis non inſtructâ ad id ſub ſuo ductu & vexillo corporali acie, ſed multiplici vi ſua & robore divino; alias adducit in fidem & religionem ſuam. Et hæc qui peragit, annon dicendus eſt caput extollere victorioſum? Nec hoc tibi viſus eſt egiſſe Chriſtus, quando nomen & doctrinam, & Eccleſiam ſuam à faucibus perſequentium Judæorum & Gentilium, ſolâ armatam veritate

et majores veſtros mendacium hereditarium habuiße profiteamini.

Idem ſere habet Auctor Nizachon, tum apud Munſter. *pag.* 316. *in Euang. Matth.* tum Hackſpann. *pag.* 160. ad hunc Pſalmum, niſi quod hic de Abrahamo exponat, quod ille de Davide.

tate & patientia, in tuto collocavit, & omnibus ſuis hoſtibus ſuperiorem fecit atque inſuperabilem? Quando ipſos ſæpe perſequutores coëgit, depoſito odio & malitia, vim ipſius fateri, & doctrinæ ſuæ? Quod à tempore Chriſti in terris nomen aliud fuit, per inermes ſimpliceſque homines prædicatum, adverſus omnes mundi vanitates & voluptates, carnis delicias adverſantium furorem, quod ita vi ſuâ emerſit, & hominum, nationumque per mundum quarumlibet occupavit, ſubjecit, ſanctificavit animos, ac illud Chriſti, quod abunde uſque in hodiernum tempus caput extulit, & (velis nolis fateri) ſe venerandum præbuit omnibus, formidandumque? Non interim excurram in commendationem religionis Chriſti, & ut tum ipſum, tum religionem ipſius vobis comprobem, vel quæ ante à nobis dicta repetam; iſta modò ſeriò & diligenter perpendite, certum eſt, niſi oculos claudere manifeſtæ veritati obſtinato animo pergatis, agnituros vos, quod & ipſi, & majores veſtri hactenus mendacium poſſederunt, & ſequuti fuere.

Aliud argumentum ſuppeditat Malachias propheta, quando is de adventu Meſſiæ verba faciens, eum dicit venturum ad templum ſuum, cap. III. verſ. I. *Et celeriter veniet ad templum ſuum Dominus ille.* Nemo autem templi Dominus dici vel haberi poteſt, niſi qui Deus, אלהי משפט, *Deus judicii*, inquit Raſchi. *Dominus ille*] *hic eſt Meſſias.* ait Kimhi.

In Euangelio autem, ubi res Meſſię clarius panduntur, quæ ſive perſonam, ſive officia ejus concernunt, plurima & manifeſtiſſima loca ſunt Meſſiæ (nam jam ante probatum, Jeſum eſſe Meſſiam) Deitatem teſtantia. *Ego credidi quod tu es Chriſtus ille Filius Dei, qui in mundum venturus erat*, dicitur Joann. XI. 27. eſtque hæc vox ſumma Euangelii, & fidei noſtræ. Atque hoc Deus de cœlò palam teſtatus fuit בת קל, voce cœleſti: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi beneplacet.* Matth. III. 16, 17. Joann. I. I. de Chriſto, *in principio* בראשית *erat verbum, et verbum erat apud Deum, & verbum erat Deus.* 14. *Et verbum caro factum eſt, & habitavit inter nos (et ſpectavimus gloriam ejus, gloriam unigeniti à Patre.)* Joann. V. 26, 27. *Quemadmodum enim Pater vitam habet in ſeipſo, ita dedit et Filio vitam habere in ſeipſo. Atqui dedit ei poteſtatem et judicium faciendi, quoniam filius hominis eſt.* Rom. I. 3, 4. Euangelium *de*

Digitized by Google

Filio ejus (*facti ex ſemine Davidis quoad carnem: declarato Filio Dei potenter* &c. Rom. IX. 4. *ex quibus* Patribus eſt *Chriſtus quoad carnem, qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula.* Phil. II. 6. 7. 8. *qui in formâ Dei exiſtens* &c. I. Tim. III. 16. *Deus manifeſtatus in carne.* Tit. II. 13. *magni Dei & Salvatoris noſtri Chriſti.* I. Joan. V. 20. *Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* &c.

Arg. ſecundum pro Deitate Meſſiæ ſumitur ab ejus officio, quod tale tantumque, ut à mero homine peragi non potuerit, quare eum poſtulavit, qui ſimul verus eſſet Deus. Nempe, ut tum mereri, tum conferre nobis poſſet Dei gratiam, & gloriam cœleſtem. Nam, quia primò opus hic fuit ſponſore & vade, qui noſtri loco ſubiret pœnas nobis debitas, eaſque perferret & exſolveret, juxta vaticinium vel Euangelium *Jeſa.* LIII. id homo aliquis, & qui peccator ipſe, præſtare non potuit: nemo pro ſe ferre & perferre pœnas peccatis debitas, nedum unus pro aliis. *Pſalm.* XLIX. 8. 9. nemo aliis mereri ſalutem, minus conferre & applicare, niſi qui etiam Deus. Atque hinc Jerem. XXIII. verſ. 5. dictum, *ecce dies venturi ſunt, dictum Jehova, quibus excitabo Davidi germen juſtum etc. 6. hoc nomen ejus eſt, quo vocabitur, Jehova juſtitia noſtra.* יהוה צדקנו, Meſſias intelligitur. I. dicitur *germen* צמח, proprio Meſſiæ nomine. II. Rex, verſ. 5. qui eo tempore non alius promittebatur, vel exſpectabatur, quam Rex Meſſias. III. verſ. 6. *diebus ejus ſervabitur Jehuda, et Iſrael habitabit ſecurè*, quæ promiſſio eſt dierum Meſſiæ. *Jeſa.* XI. 13. & alibi ſæpiùs. Chaldæus ואקים לדויד משיחא *et excitabo Davidi Meſſiam.* Sic etiam Kimchi; & uterque loco parallelo *Jerem.* XXXIII. 15. Saadia Gaon, in *Dan.* VII. 13. Dicitur ergò Meſsias Jehova, atque ideò Jehova, quod ſit juſtitia noſtra, id eſt, cujus juſtitiâ coram Deo juſtificamur. וה של בימיו אותנו מצדיק " *ejus diebus Deus nos juſtificat*, inquit Jarchi. Apertiſsime Joſeph Albo, Ikkarim, *lib.* II. *cap.* XXVIII. ויקרא הכתוב שם המשיח " צדקנו, *& vocat Scriptura nomen Meſſiæ Jehova juſtitia noſtra.*

Excipiunt Judæi, *primò*: non Meſſiam ſic vocandum dici his locis, ſed Jeruſalemum, quum in poſteriore loco expreſſe habeatur לה affixum fœminini generis, *& hoc quod dicitur ei*, וזה אשר יקרא לה *Jehova Juſtitia noſtra* antecedit: *diebus illis ſervabitur Jehuda, et Jeruſalem habitabit ſecure, et ſic dicetur ei, Jehova juſtitia noſtra. Reſp.* לה fateor fœminini generis, & referendum eſſe ad Judam, & Jeruſalemum; ſed non quod ipſa ſic diceretur, vel nomine hoc propriè vocaretur, Jehova juſtitia noſtra:

Digitized by Google

ſtra: verùm quod hoc nomen eſſet germinis iſtis temporibus ſuſcitandi, de quo in verſu antecedente, nempe quod hic eam vocaturus eſſet, & adducturus nimirum ad pacem illam & ſecuritatem, id eſt, vocaturus eccleſiam (ſub Judâ & Jeruſalemo, uti alias, ſignificatam) ad pacem & ſalutem ſpiritualem. Patet ex loco parallelo; ubi hæc plenius exponuntur. Nam *cap.* XXIII. 6. quod alio illo loco *cap.* XXXIII. 15. breviter & conciſe dictum, וזה אשר יקרא; hic inter וזה & אשר poſitum שמו, nomen ejus viri ſc. non שמה in fœminino, וזה שמו אשר יקראו, *et hoc nomen ejus, quo vocabunt eum, Jehova juſtitia noſtra.* II. Demus, in loco poſteriore innui, quod ipſa Jeruſalem ſic vocaretur, vel ei hoc diceretur, Jehova juſtitia noſtra, non tamen concludit, vel non Meſſiæ hoc tribui in loco priori, vel pari ratione idem utrique adſcribi, quia differentia videtur in ipſo textu expreſſa, nempe quod hoc futurum eſſet nomen Meſſię, non item urbis, ſed de hac ſolummodo diceretur, quemadmodum alibi, Jezech. ult. *Jehova ibi.* Quod inde non fit nomen urbis, ſed ſymboli loco de urbe, id eſt, Eccleſiâ dicendum ac prædicandum. Nam *cap.* XXXIII. 6. expreſſe hoc dicitur eſſe שמו *nomen ejus* Meſſiæ, in altero, *cap.* XXXIII. 15. non fore urbis nomen, ſed ei hoc attribuendum, Jehova juſtitia noſtra. Deinde & hoc diſſimile, quod ubi de Jeruſalemo, dicitur לה dicendum, Jehova juſtitia noſtra; ubi vero de Meſſia, non לו, ſed יקרא *dicetur ei*, ut nomen proprium, non tamquam de eo. Atque elogium illud de Eccleſiâ prædicare eo tutius forte, quia hoc ab ipſo Meſſia derivatur, & propter eum, ejuſque in Eccleſiam beneficia, (nominatim juſtitiam, qua Eccleſia ita Chriſto redditur ſeu Meſſiæ, ut & ipſe Eccleſiæ, & Eccleſia ipſius ſit; quemadmodum in Cantico, alibi dicitur, dilectus meus mihi, & ego ejus) eccleſia hoc modo compellari poſſe videatur, Jehova juſtitia noſtra; non ut ei nomen Jehovæ proprium, ſed ſententia cum illo nomine attribuatur. IV. Nec aliter ſalvarint Iudæi ipſi, quod aliàs tradunt de nomine hoc Dei proprio & ſubſtantiali: de quo ſeq. cap. videbimus. V. Imo dicamus, hoc nomine appellandam civitatem, uti dicitur Jezech. ult. nomen urbis fore, Iehova ibi: res autem ipſa loquitur, aliter hoc ſumi & explicari debere, quando nomen perſonæ tribuitur, tum nempe proprie; aliter, quando rei, & tum improprie. Ut nomen hoc Meſſiæ tributum, propriè omnimode intelligi debeat: Jeruſalemo adſcriptum, ſymbolice, in ſententiâ, & impropriè.

Exceptio II. יקרא activum eſt, non paſſivum: non *vocabitur*, ſed *vocabit*,

bit. Reſp. Notum, apud Hæbræos verba activa ſæpe imperſonaliter ſumi. Et in hac ipſa voce, *Geneſ.* XXI. 31. *&* XXV. 26. 30. *&* XXVI. 33. & alias perſæpe. Vide Buxtorfium, *Theſaur. Grammat. lib.* II. *cap.* X. *pag.* 394. II. Iudæi ipſi paſſivè exponunt. Uti vidimus in loco poſteriore. III. Sumant denique active, vel in numero ſingulari; vel uti Chaldæus, plurali, nobis perinde: vid. vocabit Iſrael, aut vocabunt nomen ejus, Iehova juſtitia noſtra. Sic Hiſpanica verſio, *y eſte ſu nombre que llamaran, A. nueſtro juſto.* Melius, *cap.* XXXIII. 15. *A.* (id eſt, Adonai) *nueſtra juſticia.* Confer Ioſephi de Voiſin, *Theolog. Judæorum, lib.* I. *cap.* V. *pag.* 37. &c. Et Hadrianum Finum Ferrarienſem, *Flagello contra Iudæos, lib.* I. *cap.* XXXI. Quando *Jeſa.* XXVIII. 5. dicitur, *in die illa erit Dominus exercituum* יהוה צבאות *in coronam gloriæ:* Chaldæus Paraphraſtes transfert, Meſſiam, *in tempore illo erit* משיחא דיי צבאות *Meſſias Domini exercituum in coronam gaudii* &c.

Ex dictis jam ſponte liquet ſuâ, Meſſiam eſſe θεάνθρωπον, Deum & hominem: nam de humanâ ejus naturâ nulla quidem eſt controverſia. Et hinc in variis Scripturæ locis utrumque jungi videas. Jeſa. VI. verſ. 5. *Nam puer natus eſt nobis, & dominatus eſt ſupra ejus humerum, & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis.* Jeſa. VII. 14. *ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel.* Hic Immanuel Deus eſt, nam ejus dicitur terra, cap. VIII. 1. *implebunt latitudinem terræ tuæ Immanuel.* illa etenim de Meſſiâ accipienda eſſe omnia, jam ante ſuo loco probavimus. Uti & Micheæ V. 1. *ex te Bethlehem mihi prodibit futurus Dominator, cujus exortus inde à principio, diebus ſæculi* מקדם ab *ante, cum nondum creatus erat mundus,* inquit R. Eliezer, *cap.* III. & de Meſſia exponit. Zach. XII. 10. *intuebuntur me, quem transfixerunt,* inquit Deus. Locum de Meſſiâ, filio Joſephi, Judæi communiter exponunt. Vide Kimchi, & Menaſſem *de reſurrect. lib.* III. *pag.* 309. ut tutò nobis liceat illum de Meſſiâ accipere, ejuſque crucifixione, uti fit *Joann.* XIX. 37. dicitur ibidem intuendus, & crucifigendus, ac ſimul Deus. Zach. XIII. 7. *gladio evigila contra paſtorem meum, & contra virum ſocium meum.* Rabbi David Kimchi R. Abrahamum citat, qui intelligit de bellis futuris per univerſam rerram diebus Meſſiæ, filii Joſephi; & quod per paſtorem intelligendus ſit quilibet gentilium Rex, qui dominatum exercebit, quique ideo dicatur vir ſocius, quia ſe Deum putabit. Menaſſe de reſurrect. lib. III. pag. 090. *qui ſe putat Deo proximum & æqualem eſſe.* Quare non

non qui revera Deo proximus & ſocius eſt? neque enim eum Deus appellaret paſtorem ſuum, unico ita halitu & ſermone, niſi eundem intelligeret, Meſſiam. de quo quia locus intelligendus, ejuſque percuſſione, benè dicimus, ſocium à Deo ſuum dici, quia revera is talis ſit. Atque ita reſponſum Judæo, quærenti in Amica Diſput. pag. 27. qu. VI. *quibus argumentis probari poteſt Meſſiam Deum ſimul ac hominem eſſe debuiſſe?*

Objicit primo, idem Auctor, Quæſt. IV.

Primùm propheta Ezechiel ait, Ezech. XXXV. 24, 27. *Eruntque mihi in populum, & ego illis in Deum, & ſervus meus David rex eorum. Hìc ſtatim apparet differentia inter Deum & ſervum ipſius Davidem. Nam unus Deus erit, alter rex populi: non verò dicitur Davidem fore Deum. Secundo Eſaias de Meſſia ſic loquitur*; Eſ. II. 2. *ad futurum ei timorem Domini. In prima quæſtione ſimplicem Dei unitatem adſtruximus; at ſi Meſſias Deus ſimul ac homo exiſteret, jam neceſſe eſſet eundem Deum illum unum eſſe, nec tum convenienter de eo diceretur quod ſemetipſum timeret. Atque hæc pro reſponſo ad præſentem quæſtionem ſufficiant: præterquam quod hinc ſolidè demonſtretur: ſi talis nobis expectandus fuiſſet Meſſias, ſacram Scripturam innumeris locis hoc debuiſſe teſtari ac docere. quod quia non facit, ſequitur rem aliter ſe habere.*

Reſp. Meſſias, non qua Meſsias, eſt Deus; ſed, qui Meſſias. Id eſt, Deus, Dei filius, ſecunda Deitatis perſona, in Meſſiam uncta & miſſa fuit. Iam alia ſunt, quæ eidem, ut Meſſiæ; alia, ut Deo, competunt. Quatenus Meſſias, ſervus Dei dicitur: ſed & idem, alia quoque ratione, Deus. Non ergo pugnant hæc, quia de eodem quidem dicuntur; at non ad idem, ſecundum idem. Uti, ut in hoc Meſſiæ exemplo maneamus, Meſſias ſervus quidem, at quoque rex dicitur: nec tamen hæc, utcunque inter ſe in abſtracto, in Meſsià pugnant, ut utrumque de eo prædicetur, quia ſecundum aliud, & aliud, rex, & ſervus appellatur, utrumque veriſſime. Atque ita quoq; nihil pugnat, ut idem Deus ſit, & rex populi, & hac ratione dicatur, ברוך מכל per ſimilitudinem, David. II. Eodemque modo, idem qui Meſsias, Deum timebit, nam is alterâ ſui ratione homo eſt. III. Quod & S. Scriptura ſatis teſtetur, Meſsiam Deum eſſe, nunc probavimus: non neſcii præterea omnia de Meſsià capita & articulos præ vaticiniis clarius exponendos fuiſſe eo exhibito, in Euangelio.

Obj. II. Siquidem Meſsias noſter Deus, quomodo homo fuit, & edit,

edit, bibit; videri potuit, ac denique eſt mortuus? Ita Iudæus, in Diſputatione illâ, quæ eſt inter Calvini epiſtolas CCCLVIII. & poſt Buxtorfii Synag. Iudaicam, in Colloquio Iudæo-Chriſtiano: atque à Genebrardo edita, a: CIↃ IↃ LXVI. Tum apud Munſterum, in Euang. Matth. *pag.* 110. citatur objectio illa Hebraicè.

Si Deus eſt, cur ſeipſum Filium hominis appellat? Cum tamen multis S. Scripturæ locis lex admoneat nos, *videamus, ne Deum homini ſimilem faciamus: ut cum ſcriptum eſt* Num. XXXIII. 19. *non eſt homo Deus, ut mentiatur; & filius hominis, ut pœniteat eum. Tum dicit etiam David* Pſalm. CXLVI. 3. *ne fidatis principibus, filio hominis in quo non eſt ſalus. Alibi quoque ſcriptum eſt* Ierem. XVII. 5. *maledictus vir, qui fidit homini, & ponit carnem brachium ſuum, et à Jehova recedit cor ejus. &c. Totum verò hoc ipſum in Jeſu deprehenſum eſt; qui filius hominis vocatus eſt.*

Apud Munſterum, pag. 267. *Interroga hæreticum. Scriptum eſt in lege Moſis: non videbit me homo, et vivet.* Exod. 33. *quomodo ergo viderunt Jeſum omnes homines illius ætatis, & ſupervixerunt?* In Sepher Emana, Pauli Fagii, pag. 44. *Si Chriſtus Deus, cur ſuſpenſus fuit, & ſuſtinuit omnis generis afflictiones?* &c. Eademque ex R. Iſaac Ben Abraham Chiſſuk haemuna libris contra Nov. Teſtamentum; & R. Luſitani Colloquio Mittelburgenſi, cum Theologo Chriſtiano, Abrahamo, adfert Iohannes Mullerus, *Judaiſmi part.* 1. *cap.* XVIII. *&* XXV.

Reſp. I. Chriſtus quia non Deus ſolum, ſed & homo, ideo ſe quoque, qualis fuit, filium hominis appellat. II. Neque hinc homini Deum ſimilem facimus, nulla ratione: non enim Deum in hominem transformamus, aut confundimus, ſed diſtinctis eſſentiis, & proprietatibus ἀτρέπτοις, & ἀσυγχύτοις Deum homini, vel humanæ naturæ perſonaliter unitum dicimus. III. Fiduciam, quam in Chriſto collocamus, fundatur in ejus Deitate: namque, non in homine fidendum, ſatis edocti quoque ex Scripturâ ſumus. Non ergo in Chriſto, quatenus filius hominis, ſed qua Deus, fidem, ſpem, & ſalutem noſtram ponimus omnem. IV. Viderunt homines Ieſum: non viderunt autem ejus Deitatem, quæ humanâ naturâ, quam induerat, veluti velo obumbrata erat & obtecta. V. Non paſſus Chriſtus eſt quà Deus, vel in Deitate ſuâ, ſed humanitate, quam ſuſtentare Deitas debuit, ut perferre poſſet & ſatisfacere. Perpetuus Iudæorum eſt paralogiſmus, à divinâ ad humanam naturam, & utramque confundere: quum ita Chriſtus ſit θεάνθρωπος, ut ſuæ manſerint utrique naturæ proprietates diſtin-

igitized by Google

Atque illa ſpectari à Iudæis in articulo fidei ipſorum tertio, prout eos ponit Iudæus in Amicâ Diſput. pag. 14. vix dubito, quando dicunt, Deum *non eſſe corpus, nec formam aliquam corpus conformantem, nec ulli accidenti corporeo ſubjectum*.

diſtinctæ, & non ex eo negetur homo, quia Deus eſt; neque reciproce homo, quia Deus. VI. Quare etiam conſtanter dicimus, Deum non eſſe corpus, nec formam corpus informantem, velulli accidenti corporeo ſubjectum.

CAP. II.

DE

PERSONARUM IN DEO TRINITATE.

DE *Perſonarum in Deo Trinitate. Convenientia ejus cum ſummâ Dei unitate. Veritas illius non ex naturâ vel ratione petitur, ſed Scripturâ. Neque ad naturam, nedum falſas ratiocinationes examinanda. Myſteria in religione. Eaque pro variâ temporum ratione parcius pleniuſve, aliter ante, vel poſt Meſſiam, expoſita & revelata. Probatur ex Scripturâ Perſonarum pluralitas primùm, tum Trinitas. Explicatur & vindicatur* Geneſ. 1. 26. *contra ſex Menaſſis ad iſtum locum exceptiones. De voce* אלהים. Geneſ. III. 22. & XI. 7. Jeſa. VI. 8. Geneſ. XIX. 24. Dan. IX. 17. Zach III. 1. *De nomine Iehovâ incommunicabili. Et Angelo Iehovâ, ſeu Deo. De Trinitate, ſive tribus in Deo perſonis, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, Scripturæ loca. Hodiernorum Iudæorum de Spiritu S. opinio. Ad Objectiones contra Trinitatem reſpondetur.*

ILlorum, quæ hactenus diximus, diſputavimuſque de Meſsiæ Deitate, fundamentum ſitum eſt in fide & doctrina de *Perſonarum in* Deo *Trinitate*: ad cujus jam examen & probationem illa occaſione, præterquam quod ipſum controverſiam inter Nos ac Iudæos faciat haud minimam, devenimus. Meſsias quippe ſecunda creditur in Deitate perſona, quæ ex merâ gratiâ ſuâ & benevolentiâ in mundum venit, carnem aſſumſit, pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ, uti æquum erat, ſatisfecit, nos plene perfecteque redemit, & vindicavit Deo ac beatitudini, per nos quidem amiſſæ, ipſum vero recuperatæ redditæque. Ergo Deus eſt, atque eum in finem Deum eſſe oportuit. Sed docendum ad hæc, veram hac etiam in parte Chriſtianorum fidem eſſe, de Perſonarum in Deo Trinitate.

Quod ut cum fructu & ſolide faciamus, præmittendum. 1. non aliam

nos

nos ſtatuere & credere in Deo Perſonarum pluralitatem, niſi quæ non modo nihil officiat veræ Dei unitati, ſed cum eadem ſummè conſpiret & conveniat. Ut quod Iudæi crebro in ore habent, & quotidiana recitant cantilenâ ſuum *Kri-ſchma*, Deut. VI. 4. *Audi Iſrael, Deus tuus Deus unus eſt*, nos haud minus credamus urgeamuſque, quam ipſi יחוד שמיה, *unitas nomen ejus*, inquit Targum benè, *Cant.* VIII 9. Nobis niſi Deus unus, non eſt Deus. Ut deſinant nos arguere Iudæi, vel præjudicium hinc capere contra veritatem, quaſi unitati divinæ intercederet dogma de Trinitate. II. Non ex natura vel ratione naturali doctrina vel fides noſtra petitur aut dijudicatur, utpote quæ non quidem contra, ſed ſupra illam eſt, & ſolo Dei verbo nititur, atque ſupranaturali revelatione in eo facta. Quare enim aliàs Deum unum crederemus in tribus Perſonis, niſi ſic ipſum nos doceret ejus verbum? Non enim, quemadmodum Gentiles, ex falſa ſua ratione induxerunt πολυθεότητα, ex eodem fonte ſimilis nobis error naſci potuit, qui hac tota in re ex fide pendemus, non ratione, & Dei verbum præferimus, non naturam, ut, niſi illud ſic doceat, nos nullibi fundamentum ejus aliquod conſtituamus. Solo Dei verbo aut ſtare parati, aut cadere. Quare, quum ex ratione non arceſſamus myſterium hoc, neque ex eâ inveſtigandum aut definiendum dicamus, iniquum eſt falſis ratiocinationibus, & ἀντιθέσεσι τῆς ψευδωνύμου γνώσεως illud velle impetere, vel deſtruere. Quod perpetuum & πρῶτον ψεῦδος hic committunt Adverſarii infideles. R. Ioſeph Albo, Hiſpanus, in libro *Ikkarim*, *ſerm.* III. *cap.* XXV. (ex interpretatione Genebrardi, qui illud caput tranſtulit, edideritque anno CIↃ IↃ LXVI.) ſic de ſententiâ noſtrâ: *in divinitate autem tres eſſe res ſeparatas, quarum ſingulæ per ſe conſtent, ſintque actu diſtinctæ, aut perſonæ, ut ipſi loquuntur, & quæ ſint unum, fieri nullo pacto poteſt, niſi contradicentia duo ſimul concedantur, quod pugnat cum notionibus primis & communibus. Exiſtentiam enim ejus ratio, ſive mens imaginari prorſum nequit.* Apud ipſum Auctorem edit. Venet. fol. 60. a. eſt שיהיו בו שלשה דברים נבדלים נמצאים כל אחד עומד בעצמו כמו שהם אומרים דיסטינטוש. או פירסונש *quod in eo reperiantur tres res diverſæ, unaquæque per ſe ſubſiſtens, ſicut ipſi loquuntur diſtinctæ, vel perſonæ.* Tres non ſeparatas res aut entia, ſed diſtinctos ſubſiſtendi modos cum una eſſentia conciliare, nec abſurdum, nec impoſſibile eſt. Contradicentia accipi non poſſunt niſi ſecundum idem, ad idem: atqui eſſentia hic, & ſubſiſtentia non ad idem capiuntur: hoc enim modum eſſendi dicit, τρόποι ὑπάρξεως; illud eſſentiam ipſam, cum quâ tres ſubſiſtendi modi bene conveniunt in eadem

dem ſimpliciſſimâ Dei unitate. Neque aliter utrumque defendimus, quam ut cum ſummâ eſſentiæ divinæ ſimplicitate unitateque omni ratione conveniat. Imo nos Dei unitatem, cum Perſonarum Trinitate, purius ampliuſque tuemur, & docemus, quam Judæi, qui certè talia de attributis & perfectionibus Dei tradunt, quas Sephiroth appellant, quæ unitati divinæ eſſentiæ, ejuſque ſimplicitati, & perfectioni vehementer contradicunt. III. Agnoſcere oportet, in verâ Dei religione myſteria contineri, quæ captum & rationem noſtram longe exſuperant. Quin religionis commendat divinitatem, quod & talia complectatur, ad quæ hominis ſtupet ingenium & animus, quæque admirari ſatius ſit & venerari, quam ſcrutari temere velle, atque noſtræ mentis decempedâ definire. Ut inſulſa ſit Judæi interrogatio, & nequidquam religioſa, in Amicâ Diſp. Quæſt. ult. *qui fit, ut Chriſtiani omnia fidei ſuæ fundamenta ſuperſtruant rebus impoſſibilibus, captum omnem exſuperantibus, & rationi adverſis, uti ſunt unus & tres, Deus & homo, virgo & puerpera?* Nos illa nec ponimus, neque ſuperſtruimus iis alia, aut fidem noſtram, ſed Deus, ejuſque verbum, & fidem noſtram huic tradimus abſolute, & addicimus. Non noſtros λογισμοὺς extollimus κατὰ τ͂ γνώσεως τῦ θεῦ, ſed πᾶν νόημα in ejus ὑπακοὴν αἰχμαλωτίζομεν. Quæque captum noſtrum quantumvis ſuperant, non ſunt ideo Deo impoſſibilia: vel quæ ſupra rationem, idcirco contraria rationi. Nihil iſtorum, quæ hic dicit Judæus, quæque nos Chriſtiani religioſâ fide amplectimur, impoſſibile, vel rationi adverſum, Scripturæ nihil, nihil Deo. IV. Myſteria fidei pro ratione temporum variis modis diſpenſata, atque Eccleſiæ uſui à Deo attemperata fuere. Multa videmus non adeo clarè primis mundi atque Eccleſiæ temporibus revelata, ac quidem ſequentibus ſæculis. Ita & notitia de Deo major ac major indies alluxit. Ut non mirum ſit, hunc quoque de Trinitate articulum, utpote altiſſimum pandentem myſterium, ſemper quidem in Eccleſiâ traditum, maxime verò cum adventu & tempore Meſſiæ uberius explicatum fuiſſe, & pluribus illuſtratum documentis, adeoque ex Novo Teſtamento, cujus jam ante adſtructa authoritas eſt, illius veritatem copioſius confirmari. Nam inter alia, cum Meſſiâ pleniorem rerum divinarum cognitionem conferri oportuiſſe, cum res, tum vaticinia oſtendebant. *Jeſa.* LIV. 13. *Jerem.* XXXI. 34. *Joel.* II. 28. quem locum ad tempora Meſſiæ, & uberiorem tum prophetiæ vim etiam applicat Menaſſe, *lib. de termino vitæ*, *pag.* 169.

Cæterùm ex V. Teſt. veritatem fidei noſtræ de Trinitate confirmamus

 modo

modo duplici. Primùm locis Scripturæ illis, quæ docent in Deo Perſonarum *pluralitatem*, non determinando quot, vel quæ Perſonæ ſint. II. Illis, quæ *tres*, Patrem, Filium, ac Spiritum S. docent perſonas divinas eſſe. Illud magis in Veteri; hoc, in N. Teſtamento, declaratum: ſed tamen & hoc, & illud, ſuo modo, in utroque. In V. Teſtamento plura occurrunt, quæ docent plures perſonas Deum eſſe; in Novo, expreſſius, ſæpiuſque de tribus, nominatim de Filio docetur. Sed videamus, ut ſemper in verbo ſuo Deus, id eſt, & Veteri, & Novo Teſtamento tum pluralitatem docuerit Perſonarum, tum Trinitatem.

Primum genus, ſeu claſſis argumentorum comprehendit duûm generum Scripturæ loca, tum ea, quæ plures *in Deo* dicunt Perſonas; tum, quæ *de pluribus* Perſonis Deum ſingulariter prædicant. Illa ſunt, *Geneſ.* I. 26. ויאמר אלהים, *& dixit Deus*, נעשה *faciamus hominem*, בצלמנו כדמותנו *ſecundum imaginem noſtram*, *ſecundum ſimilitudinem noſtram*. Tria in hoc textu ſunt, quæ in Deo notant pluralitatem: nomen plurale אלהים, de Deo uſurpatum: נעשה, *faciamus*: בצלמנו ad ſimilitudinem *noſtram*. Certe illa pluralitatem ſignificant, & perſonarum: quæ niſi in Deo revera eſſet, haud iſtum in modum loquutus ipſe fuiſſet de ſe, in verbi divini exordio. Nam quod Elohim attinet, & contrarium ſentientes dicunt, ex plurali numero argumentari nos haud poſſe, quoniam conſueta apud Hebræos eſt numeri enallage, & ut plurale conſtruatur cum ſingulari. Reſpondemus, iſtud quidem nos haud ignorare, ſed non communem eſſe hujus nominis rationem, ideoque nec ex vulgari regulâ interpretandam. Nam I. nomen *Dei* eſt: in cujus uſu major cura, & regularitas merito obſervetur, quam aliorum. II. Eſt Dei nomen, cujus *ſingulare* extat, & in uſu eſt, אלוה. Ut non ſine causâ ejus plurale videatur uſurpare ipſe Dei ſermo. III. non in nudâ conſtructione pluralis cum ſingulari hæremus, vel fundamus noſtrum argumentum, ſed in admirandâ eâ cum affixo ſingularis numeri, ut אלהיך quod eſt ad verbum, *Domini tuus*. Cujus ſimile exemplum non datur. Statim in lege, Exod. XX. 2: אני יהוה אלהיך, *ego Jehova Domini tuus.* non, אלהיכם. IV. conſtruitur cum verbo jam pluralis, jam ſingularis numeri. II. Sam. VII. 23. *ad quam gentem redimendam ſibi in populum iverint Elohim*, הלכו אלהים לו. Quod idem, I. *Paral.* XVII. 21. eſt in ſingulari הלך האלהים. Joſ. XXIV. 9. אלהים קדשים הוא *Dominus ſancti ipſe*. Vel, *Elohim ſancti ipſe*. Deut. V. 25. קול אלהים חיים מדבר, *Vox Elohim viventium loquentis*. Jerm. X. 10. הוא אלהים חיים, *ipſe Domini viventes*. Geneſ. XX. 13. Pſalm. LVIII. 12. &c. Deni-

Denique Judæi, pluralitatem connotari, haud negant, ſed dicunt, proprietatum divinarum, aut Dominii, aut operationum, & influentiarum Dei: quam verò realem inter ipſas Dei proprietates faciant differentiam, ſupra vidimus. R. Bechai, in *Geneſ.* I. I. inquit, quod juxta Kabalam אלהים ſunt duo vocabula, אל הם, *ipſi Deus*. Et R. Huna (citante ex Bereſchit Ketanna, ſeu minori in Geneſim Commentario, Martino Raymundi in Pugione fidei, *pag*. 388.) dixit, niſi extaret ille ſermo, quod ita Deus fuiſſet loquutus de ſe ipſo, *Domini creavit*, אלהים ברא, nemini ita loqui fas fore. Rarum aliquod & reconditum loquutione iſta ſubeſſe judicantes.

Deinde, non ait Deus, אעשה *faciam*; ſed, *faciamus* נעשה. Denique, non בצלמי כדמי; ſed בצלמנו כדמותנו, *ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram*. Quæ omnia in plurali numero, quum æque in ſingulari potuiſſet, non dixiſſet Deus, non in principio verbi ſui, antequam de ſe, ſuâ naturâ, alia docuerat, niſi pluralitatem in ſe aliquam ſignificare animus fuiſſet. Res etenim periculo plena erat, quum Deus omnino unus ſit, ſtatim in initio ita de ſe pluraliter loqui, niſi revera pluralitas ſubfuiſſet aliqua. Nulla autem ea alia intelligi poteſt, quam perſonarum, quia pluralis perſonæ omnia ſunt, & verba, atque res perſonas innuunt. Iudæi ipſi difficultatem vident. Quare narrant, ſive hiſtoriæ, ſive apologi loco, quod ad iſtam quam agimus cauſam perinde eſt, Moſem iſta ſcripturum retraxiſſe manum, atque intuliſſe, cur ſic eum juberet Deus ſcribere, quum hinc homines exiſtimaturi eſſent plures Deos eſſe, ſaltem anſam accepturi, pluralitatem Deo adſcribendi; atque reſponſi loco retuliſſe, ſcriberet, Deum difficultati iſti occurſurum primo in lege præcepto, ne haberent alios coram ſe Deos. Tale etiam eſt, quod referunt, Græcos Bibliorum interpretes, inter illa loca, quæ in gratiam Ptolomæi regis mutarunt, vel tranſtulerunt aliter ac in Hebræo ſonant, etiam hunc locum eſſe, & ſequentem *Geneſ*. XI. 7. quodque pro *faciamus*, poſuerint *faciam*, שלא ישמע כמי שכתיינן עם אחרים, *ne videatur, quaſi hic conſultatio inſtitueretur cum aliis*. Similiter, Geneſ. XI. 7. pro *deſcendamus*, legerunt *deſcendam*: שלא יראה כלשון רבים, *ne videretur ſermo eſſe de pluribus*. In Talmude, cod. Megilla, *cap*. I. & in Maſſechoth Sopherim, atque alibi hæc narrantur. Adeo ipſi Iudæi illis in verbis pluralitatem obſervarunt, & quidem perſonarum; ut non mirum ipſis videri nunc debeat, nos hinc argumentari, & cauſæ noſtræ, alias ſatis manifeſtæ, petere etiam confirmationem. Philo, lib. de Profug.

Digitized by Google

Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram, per hoc verbum faciamus multitudinem ſignificans. Atque lib. de mundi opificio, ex textu noſtro iſtam ſibi format objectionem : *an, cum cœlum faceret, terram et maria, nullo egebat cooperatore? hominem vero tam parvum animal ac fragile facturus, non poterat abſque alieno adjutorio ſuiſmet ipſe viribus effingere?* Menaſſe, Conciliat. in Geneſ. quæſt. VI. *quomodo dicit, faciamus, qua voce denotat multitudinem in divinâ ſuâ eſſentiâ?* Sic revera iſta voce & locutione multitudo notatur, non autem Dei, quid ergo? Perſonarum, ſalvâ per omnia Dei maximè unica unitate.

Exceptiones Iudæorum ad hunc locum, apud Menaſſem habemus, in Conciliatore: quem ideo perſequemur.

R. Semuel bar Nahman, verbis R. Ionatan in Bereſit Raba ait, Moſem, cum in ſcribenda lege ad hunc locum, faciamus hominem, perveniſſet, dixiſſe, Domine mundi, quare occaſionem hominibus prabes errandi in ſimpliciſſima tua unitate? Eique reſpondiſſe Dominum, tu modò Moſeh ſcribe, & qui errare cupiet, erret. Sane veriſimiliter vaticinabatur Moyſes verſum hunc daturum erroris occaſionem hominibus nonnullis, cum multiplicem facturi eſſent cauſſam primam, quæ unica & perfectiſſima eſt: quam opinionem nonnulli habuere, quibus videbatur, ex uno agente non poſſe (ut Avicenna ait) duos contrarios effectus procedere, quales quia bonum & malum ſunt, crediderunt duas eſſe cauſſas aut principia, ex quorum uno bonum proveniret, ex altero malum, ut notavit R. Levi ben Gerſon ad X. cap. Exodi, R. Ioſeph Albus, R. Abraham Salom, et alii complures. Ideoque fingit Moſem, timentem ne hic verſus errorem eorum

Reſp. ad I. Ergo ſaltem verba nobis favent, in probandâ ex iis aliquâ in Deo pluralitate. II. Qui verò multiplicem ex illis fecerunt cauſam primam, neſcio an ulli fuerint. Certe quidem multi plures finxerunt Deos, ſed non ex hoc loco. Qui Scripturam habent & ſequuntur, in hunc non incident errorem. III. Neque hoc loco abuti poſſunt qui duo ponunt principia contraria; nam quomodo hæc inter ſe conſultaſſent, aut conveniſſent de creando homine? Quomodo hæc eandem poterint dici habere ſimilitudinem, ad quam hominem creaſſent? IV. Sequens quidem verſus demonſtrat, unum eſſe Deum creatorem; at non, quod in præcedenti haud notentur plures perſonę.

Jam quod non bene (aliter ac Menaſſe cenſet) reſponderit ad locum hunc R. Jehoſ. Deum ſc. cum fabricâ cæli & terrę conſultaviſſe, ſic oſtendimus. Alia eſt ratio Regis in conſilium ſubditos vocantis, qui eo eget,

firmaret, retinuiſſe ad tempus manum à ſcriptione: ſed poſtea reputaſſe, nihil eſſe cur metueret, quod ſoli, qui errare vellent, hinc colorem ſuo errori quaſituri eſſent, ut rectè ſenſit R. Yoel ben Sueb in opere ſuo Olat Sabat, & R. Semuel Yapheh, in Yephe Toar ſupra idem dictum. Nec ratio ejus rei obſcura eſt: nam ſequens verſus demonſtrat, unum modò & ſolum creatorem eſſe, cùm dicitur, Et creavit D. Deus Adam, ubi in ſingulari dicitur, & creavit, non in plurium numero, & crearunt. Super cauſſa autem verborum, & faciamus, variè diſſeruerunt ſapientes noſtri. R. Ieoſuah ſub nomine R. Levi in Bereſit Raba ait, Faciamus hominem: quicum Deus conſultavit? cum fabrica cœli et terræ. Sane bene reſpondit. Etenim quomodo Rex, tametſi ſupremam poteſtatem & imperium habeat, ſæpe ſubditorum ſe conſiliis ſubjicit, oſtendens hâc re caritatem ſuam in miniſtros & clientes ſuos: ita & Rex Regum, ad creationem nobiliſſimæ hujus creaturæ, convocavit ad conſilium omnes mundos, quos creaverat. Eandem ſententiam amplexus R. Selomoh, dicit porrò, Deum his verbis humilitatem nobis commendare, tanquam principem omnium virtutum, eoque ſæpius ſic loqui, quaſi accipiat conſilium ab inferioribus. Etiam R. Semuel bar Nahman ait, Deum conſultaviſſe cum opere cujuſque diei: quo innuere vult, omnes quodammodo creaturas eget, alia Dei, qui, uti eo non eget, ita nec illud. Quin indignatur Deus, ſi quis ei attribuatur conſiliarius. Jeſa. XL. 12, 13, 14. *quis menſus eſt pugillo ſuo aquas, & cœlos ſpithama expandit, aut complexus eſt trientali pulverem terræ? & ponderavit ſtaterâ montes, & colles lancibus? quis extendit Spiritum Jehova? ut vir à conſiliis docuit eum? cum quo communicavit conſilium ut inſtrueret ſe, doceretque ſe iter judicii; doceret, inquam, ſe ſcientiam, & viam ſummæ prudentiæ notam faceret ſibi.* Vide, ut diſtinctè in opere creationis Deus removeat à ſe omne conſilium & conſiliarium. Maimonid. *More nevuch. part.* II. *cap.* VI. poſt citatum hunc locum Geneſ. I. 26. ait: *horum dictorum omnium mens & ſententia non eſt, ac ſi Deus loqueretur, cogitaret, conſilium, et conſiderationem aliorum peteret, vel ſententiâ alicujus juvaretur; nam quomodo adjuvari poſſet Creator à creaturâ ſuâ?* II. Non in conſilium Deus hic vocat, ſed operis ſocietatem; non dicit, quid faciam? ſed *faciamus*: & quum neminem agnoſcat in opere creationis ſocium, haud magis quam conſiliarium, patet eum non alloqui mundos, aliaque extra ſe, quæ non concrearunt cum Deo. Creatio ſemper ſoli Deo vendicatur, eâque ſe diſtinctum vult ab aliis. Jeſa. XLII. 5. *Sic ait ille fortis Jehova, creator cœlorum,*

 & qui

Digitized by Google

concurriſſe in creatione hominis. Divini Theologi Cabaliſtæ in ſacro opere Zoar, ſubtilius verba S. Scripturæ accipientes, dicunt, Ecce, in cunctis reliquis operibus et creaturis S. Scriptura in ſingulari loquitur, ut, ſit lux; producat terra etc. ſed quando de homine agit, ait, faciamus in plurium numero, ſignificans (quæ etiam Platonis ſententia erat) Deum loqui cum ſecundis cauſſis, quibus dicta, Ecce, ſupereſt ut animal creem, quod nomine cum immortalibus conveniat. Verum id ſi immediate à me procederet, totum divinum eſſet: proinde vos corpus date, ego, quæ reſtat, animam dabo. Huic ſententiæ quoque favet R. Moſſeh Alſchech ad hunc locum, & in libro ſuo Soſanat à-Amaquim, atque ita ait, Deum locutum cum quatuor mundis, quos ponunt Cabaliſtæ: idque quia homo conſtans corpore, et triplici animâ, congruit mundo fabricæ, formationis, creationis, & emanationis: ideoque dixit in plurali, faciamus, quia unuſquiſque ſuam contulit portionem: & quemadmodum R. Iſhac Arama, in gloſſ. ad Pentateuchum ait, quia coaluerunt mundi tum contrarii, neceſſarium erat, medium aliquod exiſtere, quod particeps omnium, eos inter ſe colligaret. Adeò ut omnes iſti autores exiſtiment, Deum, qui unicus et ſolus eſt, hic ſecundas cauſſas in plurali numero allocutum eſſe.

II. *Doctus ille Aben Ezra D. Be-* & *qui extendit eos, qui expandit terram, et res prognatas ex ea, qui indit animam populo agenti in ea, et Spiritum ambulantibus in ea.* & XLIV. 19. *ego Iehova facio omnia, extendo cœlos ſolus, expando terram per me ipſum.* & XLV. 18. & XVIII. 13. III. Maximè creatio hominis, creaturæ præcipuæ, Deo ſoli attribuitur. Geneſ. V. I. Jeſa. LIV. 5. Malach. II. 10. 15. *Gloriam meam alteri non dabo.* Jeſa. XLII. 8. IV. Quod Cabaliſtæ de quatuor dicunt mundis, rejicimus. V. Proferat, quid, & quouſque cauſæ ſecundæ, mundi, & opera cujuſque diei ad creationem hominis contulerint. VI. Non ſanè illa corpus dederunt, quod ipſe Deus dicitur formaſſe ex pulvere terræ, *Geneſ.* II. 7. 19, & etiam Evæ, ex Adamo *cap.* II. 21. 23. *cap.* I. 27. VII. Neque metus fuerit, corpus, ſi a Deo immediatè proveniret, totum divinum eſſe; non magis quam anima, vel corporalia reliqua à Deo immediatè creata. VIII. Quod ſi Deus illis hic injunxiſſet, ut corpus darent, potius dixiſſet, *facitote*, quam *faciamus*. IX. Et ſic diſtinctius, facitote vos corpus, ego animam, quam uno verbo ſe cum illis immiſcere & dicere, faciamus. X. Homo non eſt creatus ad illorum imaginem; ſed ſolius Dei. *Geneſ.* V. I. & IX. 6. XI. Et quod ſi, non tamen poſſet illorum imago cum illâ Dei conjungi in unâ

Digitized by Google

nedictum cum ſolis intelligentiis locutum arbitratur, in hanc quaſi ſententiam; Hactenus imperavi aquis & terræ, ut animalia producerent; ſed nunc creaturam hanc, cæteris perfectiorem, ſimul ego et vos faciemus: ut ſic homo æquali loco cum intelligentiis ponatur. Quoniam & illæ qualem qualem affinitatē cum materiâ habent, quatenus deſpicientes occupantur movendis orbibus, & nihilominus ſpirituales ſunt, quod ſuſpicientes propter finem magis ſublimem, Deum nempe, orbes moveant, ut Ariſtoteles docet. Sic etiam, juxta R. Semuel bar Nahman, homo fuit creatus ד פרצופין *duabus figuris, quæ cum animam et corpus ſignificent, contrariæ ſunt: quia corpore deorſum ſpectat, at anima ſurſum ſe erigit: quam ſententiam ſequitur R. Levy ben Gerſon, & Iſhac Abravanel in gloſſis ſuis ad hunc locum. R. Jehuda Levita dicit quoque Deum angelos allocutum, quos Prophetæ intelligebant in figura humana: et quemadmodum nobiles ac præcellentes hæ creaturæ, propiores ſunt primæ cauſæ; ſic homo terreſtris, qui illis ſimilis eſt, ratione quadam factus ad imaginem et ſimilitudinem Dei. Idem ſenſiſſe Abrahamum B. David diſcimus ex autore Igarot.*

III. *R. Moſeh Gerundenſis, verbis R. Joſeph Quimhy, ait, Deum locutum cum terrâ atque elementis; adducitque pro ſe quod eodem ſexto die terram producere animalia juſſerat* in unâ oratione, *ad imaginem noſtram*; XII. Denique aliter Bereſchit rabba: *Scriptum eſt* (inquit) Jeſa. XLIV. 24. *quis mecum in creatione fuit? nam* Pſalm. LXXXVI. *ſcriptum eſt, tu Deus facis mirabilia ſolus. In humanis quidem rebus conſuetudo eſt, ut Rex una cum Proceribus laudem reportet adminiſtratæ reipub. quia ipſi adjuvant in ſuſtinendo onere. Verum non ita Deus Sanctus bened. ſed ipſe ſolus creavit mundum, ipſe ſolus iſtam gloriam habet, ipſe ſolus celebrandus eſt per mundum ſuum. Dixit R. Tanchuma, Tu Deus ſolus creaſti mundum.* Sed & Menaſſe ipſe, Problem. XIII. de Creatione pag. 55. *Sapientes ex eo inferunt* (inquit) *in vocibus his contineri admirandum hunc articulum, quod ſolus Deus omnia per ſe ipſum creaverit, quaſi legeretur Deum dixiſſe* מי היה שותף עמי בברייתו של עולם, *id eſt, quis fuit adjunctus mihi in creatione mundi? Ex quibus verbis concludimus non eſſe contra rationem, ab uno Deo emanaſſe totam rerum multitudinem, ſive unum Deum res multas creaſſe.*

Ad *ſecundam* exceptionem, quę eſt Aben Ezræ, quamque ſequitur Menaſſe *in Exod. quæſt.* VI. reſpondemus, præter ea, quæ dicta ſunt. I. Simul Deus, & intelligentiæ non crearunt hominem. Probet Judæus contrarium: ſimpliciter affirmare, non ſufficit. Nos ex adverſo oſtendimus, gloriam creationis ſoli Deo deberi.

Deus, cum quâ nunc quoque ſermonem habens dicat, faciamus in plurali. Et ſic terram limum ac pulverem dediſſe, unde corpus Adami creatum eſt, cui Deus animam inſpiraverit.

IV. *R. Jeoſſuah de Sabnin ait, Deum conſultaviſſe cum animis. Videtur mihi id dicere voluiſſe, quemadmodum animæ jam primo die creatæ erant (quod plerique Hebræorum ſentiunt) noluiſſe Deum per vim & invitas illas indere latenti materiæ, ſed volentes, ideoque dixiſſe faciamus, nempe in hanc mentem, formate humana corpora.*

V. *R. Sehadiah a Gaon exiſtimat, uſitatum hunc in Scriptura loquendi morem eſſe, ut rex dicat, Nos Rex, tametſi præter eum nemo alius loquatur. Et pro hâc ſententia (ut tradit Aben Ezra ad hunc locum, et ad nomen* אלהים*) duo loca adducit. Eandemque ob cauſſam dicit R. Amè, Deum cum corde ſuo conſultaviſſe, ut ſignificet non cum ulla creatura, ſed ſecum tantummodo locutum.*

VI. *Aut dicemus, plerumque id, quod majoris momenti videtur, majori quoque ſtudio & deliberatione nos aggredi: ideoque Scripturam in creatione hominis peculiari modo loqui in plurali, faciamus: quod verbum videtur imperantis ſibi ipſi, & ad ſuſcipiendum ac faciendum aliquid incitantis: eaque re oſtendere Dominus vult, omnes reliquas creaturas ſuo beneficio* deberi. Neque intelligentiæ unquam agnoſcuntur, ut hominis creatrices, vel gratię hinc iis, aut cultus aliquis ab hominibus rependitur: ad quod tamen teneremur. II. Neque homo æquali loco cum intelligentiis ponendus. *Minorem feciſti eum pauliſper Angelis*, Pſalm. VIII. 6. III. Nedum, quod Judæi aliàs faciunt, ut eum, ſaltem quod ad animam, Angelis faciamus ſuperiorem. IV. Non habent Angeli qualem qualem affinitatē cum materiâ, quod Menaſſe latius proſequitur problem. de creation. XXII. & XXIII. V. Neque homo ad illorum imaginem creatus dici poteſt.

Ad *tertiam* expoſitionem R. Moſis Gerundenſis. *Reſpond.* I. Non Deus hic ita loquitur, ut quum terræ juſſit animalia proferre, & aliis rebus alia. II. Quomodo cum terrâ atque elementis ſermonem habere ad faciendum opus aliquod Deo conveniet? quum ne nos quidem materiam aliquam, quamvis præſtantem, ita ſimus alloquuturi, *faciamus*. III. Terra limum, ac pulverem dederit, non tamen fecit hominem. IV. Nec homo factus ad imaginem terræ; non ſenſu eo, quo illud hic dicitur. V. Neque ſi vel id verum eſſet, adeo diverſæ ſimilitudines Dei, & terræ, unâ locutione comprehendi potuiſſent, neque id oportuiſſet.

Ad *quartam* exceptionem R. Jeoſ-

Digitized by Google

creatas. Sed ſive cum omnibus ſecundis cauſſis loquatur Deus, ſive cum intelligentiis tantum, ſive cum elementis, ſive cum animis, ſive regio more hæc dicat, ſeu denique incitet ſemetipſum, ſibique imperet, conciliatione ejuſmodi tota tollitur controverſia. Etenim non quia faciamus dicitur, inde ſequitur multiplicatio aliqua primæ cauſſæ, quæ ſimpliciſſima eſt & unica. Moſes verò cauſſam, cur ita ſcriberet, juſtam habuit, quia clariſſimè paſſim docet unicum Numen eſſe; eoque ſolus is, qui ſciens volens errat, his verbis errorem ſuum defenſurus eſt. Quanquam ad evitandum hunc LXXII. *interpretes tranſtulerint, faciam hominem in ſingulari &c. R. Joſeph Albus in Icarim quoque eandem materiam tractat: & in Tecunim mirabilia adferuntur, quæ omitto, quia non omnes ſublimis adeo myſterii ſint capaces.*

Jeoſſuah de Sahnin, *Reſp.* I. Negamus, animas primo die creatas; de quo jam diximus. & *plerique* ſolùm Hebræorum, non omnes ita ſentiunt. II. Scilicet non aliter volentes corpora ſubiiſſent animæ, niſi iis primum ita adblandiiſſet Deus, & demulſiſſet, ne invite & per vim corpori inderentur. III. Animæ fecerunt corpora? ſingulæ ſua? ubi? quomodo? Certe non Adamus corpus formavit; non Eva ſuum, nedum alii, vel animæ aliæ ſua. IV. Sic homo creatus erit ad imaginem propriam; corpus ad ſimilitudinem animæ. V. Et quum Deus, cap. III. 22. *ecce homo eſt ſicut unus ex nobis*, alloquatur, quos hic, dicens, *faciamus*; quo modo illud interpretabuntur, ſiquidem animas hic fuerit alloquutus?

Ad *quintam* except. R. Saadiah a-Gaon, *Reſp.* I. Non eſt ille uſitatus in Scripturâ mos loquendi, ut quis in primâ perſonâ de ſe pluraliter loquatur, ſicuti hic, *faciamus ad noſtram* &c. II. Ne quidem quando Reges loquuntur. *Geneſ.* XIV. 21. & XLI. 15. *Dan.* II. 8, 9, 26. & V. 14, 16. & VI. 27. II. *Chronic.* XXXVI. 23. *Ezr.* I, 2. II. *Sam.* XIV. 4. III. Et ſi vel ſemel aut iterum ita quempiam locutum probaretur, non ſequitur inde loquendi illum modum eſſe uſitatum. IV. Aben Ezra ad hunc locum quidem teſtimonia citat pro illâ explicatione, ſed addendum quoque, Aben Ezram ad ea loca reſpondere, & ſententiam illam rejicere, atque habere pro vana. Sic ergo ille: ואמ׳ במלת נעשה ואם היא לשון רבים שכן מנהג המלכים לדבר וכמוהו ונתנ׳ לך גם את זאת נאמ׳ קדם מלכא אולי אוכל נכה בו ואלה העדים עדי שקר. *Et* inquit *verbo faciamus, numquid plurale eſt pro more Regum ſic loquentium? ſicuti: & dabimus tibi etiam hanc*, Geneſ. XXIX. 26. *loquemur coram Rege*, Dan. II. 3. 6. *Forte prævalens percutiemus eum*, Num. XXII. 6. *At teſtimonia illa vana ſunt.* &c. Profert ergo Aben

Ezra hic tria loca, at in hanc ſententiam prolata rejicit, & ad ſingula reſpondet. Rabbi David Kimchi in Michlol *pag.* 6. pro hac ſententia producit quatuor Script. loca, quidem etiam *Dan.* II. 36. ſed & *Job.* XVIII. 3. II. *Sam.* XVI. 20. *Cant.* I. 4. Videamus ſingula.

Geneſ. XXIX. 27. inquit Laban Jacobo: *comple ſeptimanam hujus, tum dabimus* ונתנה *tibi etiam illam pro ſervitute.* *Reſp.* I. Aben Ezra explicat ſenſu paſſivo in Niphal, *et dabitur tibi*: atque citat eò *Jerem.* XXXVIII. 18. והעיר נתנ', *utique tradetur civitas hæc.* II. explicamus nos, *dabimus*, nim. ego, uxor, & amici, pro more, elocabimus eam. Chaldæus, ונתן לך אף־ית־דא, *& dabimus tibi etiam hanc.*

Num. XXII. 6. Balak Bilhamo: maledic populo huic, אולי אוכל נכה־בו *fortaſſe prævalebo, percutiemus eum.* Reſpondemus cum Aben Ezra, *ipſe et exercitus ejus*, הו' ומחנהו. Sic Jarchi ad illum locum, *percutiemus eum*, אני ועמי נכה בהם, *ego et populus meus percutiemus eos.* II. Per Piel infinitivum Ezra etiam explicat, quaſi, *forte potero percutere eum.* Quò citat *Jerem.* XXX. 11. ונקה לא אנקך, *& innocentem te habendo etc.* infinitiv id eſt *non prorſus impunem te relinquam.*

II. *Sam.* XVI. 20. Abſalom Achitopheli: הבו לכם עצה מה נעשה, *date conſilium, quid faciemus?* Reſp. alloquitur Abſolom Achitophelem, & qui cum ipſo ſtabant. Sic R. David Kimchi, אתה והחכמים אשר אתך, *tu, & ſapientes tui tecum.* ut, quid Abſalomo ac ſuis hoc rerum ſtatu agendum eſſet, conſulerent. Adde *Cap.* XVII. 4, 6, 11, 12, 13, 14. *Job.* XVIII. 3. Bildad Jobo: *quare reputamur ut jumenta? ſordemus in oculis veſtris?* נטמינו בעיניכם. adde *cap.* V. 27. *Reſp.* Intelligit ſe ac reliquos amicos à Jobo coram omnibus contemni. Sic omnes conjunctim notat, *Cap.* XVI. 20. & XVII. 20. & XVII. 1, 3. & XIX. 21. Cant. I. 4. *Trahe me poſt te, curremus,* נרוצה *Reſp.* intelligit, ego & ſociæ. Sic verſ. 2. *oſculetur me oſculo oris ſui.* & verſ. 3. *idcirco puellæ diligunt te.* verſ. 4. quum introduxerit *me* rex ipſe in conclavia ſua, *exultabimus, et lætabimur in te, commemorabimus amores tuos meliores vino; et quicunque rectiſſime diligunt te.* Chaldæus de populo Iſraëlis ex Ægypto proficiſcente [illegible], עמא דבית ישראל.

Dan. II. 36. *Hoc eſt ſomnium illud, cujus interpretationem dicemus* נאמר *coram Rege.* Reſp. Ego, & ſocii mei mecum, meis verbis. verſ. 17. *tunc Daniel domum ſuam profectus eſt, & Chananiæ, Miſchaeli, et Hazariæ ſociis ſuis verbum notum fecit.* cum verſ. 23, 30. II. quia ipſe non ex ſe; at per revelationem divinam ſomnium & explicationem norat, non in ſingulari, ſed bene in plurali inquit, *dicemus. verſ.* 28, 29, 30, 45, 47.

Sic

Digitized by Google

Sic vidimus ut nullum ſubſidium in Sacris habeant, qui dicunt, uſitatum illum loquendi morem fuiſſe, ut quis de ſe in plurali loquatur, ſicuti hoc loco, Deus *faciamus hominem*. v. Quamvis poſtea aliquando in uſum venerit, ut quis de ſe pluraliter loqueretur; non hinc tamen ſequitur ſermonem Dei exponendum: vel illud adeo antiquum fuiſſe, ac Dei iſte ſermo: vel Deum id imitari voluiſſe. VI. Neque in nomine proprio tum plurale adhibetur, ſed vel in verbo, vel pronomine; uti, Nos Ferdinandus jubemus, non, Ferdinandi: hic ſecus eſt, Domini tuus אלהיך jubet. Neque aliquis, ſe ſolum intuens, dixerit, *faciamus*: ſemper hoc alios connotat, aut reſpicit. VII. Modus de ſe loquendi pluraliter, ortus vel ex conſcientia propriæ imperfectionis, ideoque neceſſarii auxilii divini, aut humani; vel ex ſuperbiâ, & ambitione: illâ ratione quiſque de ſe dicit, facimus, fecimus, faciemus hoc illudve, indicans neceſſarium ad omnia à Deo, hominibuſque auxilium. Sed hac notione de Deo phraſis illa uſurpari non poteſt: minime vero, quatenus ex ambitione profluxit, vel arrogantiâ. VIII. Non pro majeſtate ita loquutus dici Deus debet, quia alias eum vel continuo, vel pluries loquendi modum adhibuiſſet, ſaltem quando legem dabat, neque tamen tum dixit, Nos eduximus te; ſed, *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terrâ Ægypti*. IX. Hæc exceptio ſi tam facilis eſſet, & plana, atque uſitato in ſacris loquendi more niteretur; non tam ſolliciti ſemper fuiſſent magiſtri ad indagandam potius aliam quamcunque interpretationem, quâ Deus alloquatur cœlum, Angelos, terram, etiam viliſſima; quam hanc.

Sexta exceptio in locum hunc *Geneſ.* I. 26. vel idem dicit, quod aliæ dixerunt; vel nihil. Non eſſe phraſim ſeipſum alloquentis, probatum jam, etiam ex ipſis Judæis; multo minus ſeipſum excitantis: quomodo enim, an ex torpore aliquo Deus ſe excitavit, vel ſibi imperavit? neque ſolùm exprimitur, præſtantius opus quaſi ſingulari ſtudio Deum aggreſſum fuiſſe. Plus enim indicatur, & myſterium magnum ſubeſt, quando Deus opus aggreſſus, dixit: *faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Eoque etiam aliud indicat, quam *omnes reliquas creaturas ſuo beneficio creatas*. Neque ergò cum ſecundis cauſis loquutus Deus dici debet, vel cum intelligentiis, vel elementis, vel animis, aut regio more illud dixiſſe, ſeu incitans ſemetipſum, ſibique imperans: neque ulla ejuſmodi conciliatione controverſia tollitur; vel argumentum noſtrum, quod exinde pro pluralitate perſonarum in Deo petimus, enervatur. Nec tamen etiam hinc multiplicatio aliqua cauſæ primæ ſequitur, quæ ſimpliciſſima eſt, & unica. Moſes

 verò

Digitized by Google

verò cauſam, cur ita ſcriberet, juſtiſſimam habuit, ut nempe Trinitatem, in hiſtoriâ creationis, ad creationem nobiliſſimæ creaturæ dilucidius manifeſtaret, qui paſſim alias docet, unicum Numen eſſe; eoque ſolus is, qui ſciens volens erret, errorem ſuum contra hæc verba defenſurus eſt. Quidquid ſit de Authoribus Græcę verſionis, & quomodo hæc verba acceperint, hodie in Græcis Codicibus non in ſingulari legitur, ſed plurali, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν, *faciamus hominem ad imaginem noſtram, & ſimilitudinem.* Targum Jeroſolymitanum in verſ. ſeq. ויברא *et creavit*, ſic habet: וברא מימרא דיי ית אדם בדמותיה בדמות כן קדם יי ברא יתיה דכר ונוקבה ברא יתהון. *& verbum Jehovæ creavit hominem ad imaginem ejus, ad imaginem de coram Jehovâ creavit eum, marem & fœminam creavit eos.* Verbum Jehovæ, uti in Euangelio dicitur, *Joann.* I. 1, 2, 3. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Illud in principio erat apud Deum. Omnia per illud facta ſunt: et ſine eo nihil factum quod factum.* Hoc Verbum Dei, quod Chaldæus Deum, & Filium Dei paſſim exprimit, creavit hominem, ad imaginem ſuam, & cum eo Deus hic loquutus fuit, atque Spiritu ſuo, quum diceret, *faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Patrem habemus; & Filium verbum; Spiritum Sanctum indicat verſ. 2. ורוח אלהים, *& ſpiritus Domini ferebatur ſupra aquas.* Bereſchit rabba, ſive commentarius magnus in *Geneſ.* in init. ad hunc locum, זו רוחו של מלך המשיח, *hic eſt ſpiritus Regis Meſſiæ, ſicut; dictum* Jeſa. XI. 1. *& requieſcit ſuper eum ſpiritus Domini.* Hactenus de loco *Geneſ.* I. 26. ad cujus vindicationem, præter alios, videre etiam licet Mulleri *Judaiſmum, libr.* II. *cap.* III. Ad alia ejuſdem claſſis loca progredimur.

Geneſ. III. 22. *Et dixit Jehova Deus, ecce homo eſt ſicut unus ex nobis, cognoſcens bonum et malum,* כאחד ממנו. In Deo eſt unus, & plures; neque enim aliàs poſſet de ſe dicere, *unus ex nobis;* uti ſupra, *ad imaginem noſtram, faciamus:* eſt quidem eſſentiâ unus Deus; ſed in eâ unâ eſſentiâ plures eſſe perſonas eſt neceſſe, ut queat dicere, *unus ex nobis.* Neque enim cum aliis à ſe loquutus, uti in ſuperiori arg. vidimus; non cum Angelis, ut Aben Ezra hic vult. וזה דבור השם עם המלאכים. I. Non enim Deus ſe cum Angelis conjungit, ut unus dicatur cum iis. II. Neque ſuam ſcientiam cum cognitione Angelicâ, ut de utraque ſimul dici poſſit, *cognoſcens bonum & malum,* ſicut unus ex nobis. Nimium ubivis diſcri-

diſcrimen, quam ut ita, & in ſermone Dei coëant. III. Tum nec ſenſus ſecundum hæc commodè aliquis dari poteſt. Quomodo enim, *homo factus ſicut unus ex nobis?* an dictum vult, ſicut ego, an ſicut aliquis veſtrum? Simul enim jungi, & confundi nequeunt. Si prius; quorſum, ſicut *unus?* ſicut unus *ex nobis?* Si poſterius; nunquid potius dixiſſet Deus, ſicut unus veſtrum jam factus eſt homo? IV. Non aſpiravit homo ad ſimilitudinem, vel æqualitatem Angelicam, ſed divinam. V. ex verſ. 6. petenda eſt explicatio, ubi ſerpens mulieri: *verùm novit Deus, quo die comederitis ex eâ oculos veſtros apertum iri, & ſimiles Deo futuros, noſcentes bonum & malum.* Ad æqualitatem Dei incitabat eos Diabolus, ad Dei ſimilitudinem jam creatos, idem peccatum quo ipſe corruerat. Non inſtigabat hominem ut Angelus fieret, qualis Diabolus ante fuerat, & hominem ſtatuunt Judæi Angelis non adeo inferiorem creatum; ſed ut divinitatem affectaret, præſertim in cognitione boni malique. Atque iſtud Deus jam homini exprobrat: ecce ut homo factus eſt nobis ſimilis, atque in cognitione? Quemadmodum, quum Diabolus diceret, *novit Deus, quum ederitis de eâ, quod ſimiles Deo eritis, cognoſcentes bonum et malum*, Deum indicabat, non Angelos; illius, non horum cognitionem: ita jam illud iis objicit Deus, quam benè Diabolo Deum calumnianti, ac falſa promittenti crediderint, & obtemperarint. Factus eſt homo, ſicut unus ex nobis, cognoſcens bonum, & malum. VI. Multo minus hic locus ad illa referri poteſt, quibuſcum Judæi fruſtra dixerunt Deum loquutum *Geneſ.* I. 26. I. ad quorum ſimilitudinem homo non adſpiravit. II. quibus neque ſimilis factus eſt. III. in cognitione boni, malique, quâ illa carent. VII. Hoc autem ab Ezrâ accipimus, יפ״ כמנו לשון רבים *ex nobis, pluraliter explicandum.* & pòſt per ſimiles locos exponit, כמו נעשה אדם כצלמנו הבה נרדה, *ſicuti faciamus hominem ad imaginem noſtram,* Geneſ. I. 26. *veni deſcendamus, Geneſ.* XI. 7. Rabbi Selomo Jarchi, *ſicut unus ex nobis,* הרי הוא יחיד בתחתוני' כמו שאני יחיד בעליוני' ומה היא יחידתו לדעת טוב ורע מה שאין כן בבהמה וחיה, *Ita ille ſolus in inferioribus, ſicut ego in ſuperioribus. Quæ illa ſingularitas? quod cognoſcat bonum & malum, non ita beſtiæ & animantia.* Juxta Targum Jeroſol. ואמר כמרא דיי אלהים הא אדם דברית יתיה יחידי בנו עלמי היך מה דאנא יחידי בשמי מרימא. *Et dixit verbum Jehovæ Elohim, ecce homo, quem feci, unicus in mundo, ſicuti ego unicus in cœlo supernè.* Verbum Jehovæ Elohim, hominem ſibi ſimilem dicit. Græci, ἰδοὺ ἀδὰμ γέγονεν ὡς ἕις ἐξ ἡμῶν.

Pro divinarum Perſonarum pluralitate proferimus etiam locum,

quem in commentario ad priorem adduxit quoque Aben Ezra, Geneſ. XI. 7. הבה נרדה ונבלה שם שפתם *veni, deſcendamus, & confundamus ibi labia eorum, ut non audiat vir labium proximi ſui.* Deſcendamus, confundamus, cui dictum? aut quibus? quis deſcendit? adde Geneſ. XVIII. 21. *deſcendam nunc & videbo.* quis confudit illorum linguas? Deus, atque illi ſoli hoc poteſt tribui. verſ. 6. 8. 9. *Job.* XII. 20. II. *Chron.* VI. 30. Et tamen in plurali Deus, *deſcendamus, confundamus*: plures ergò in Deo. Sic etiam Chaldæus, הבו נתגלי ונבלבל תמן לישנהון *venite, revelabimus nos, & confundemus ibi linguam eorum.* Græci (illos enim citare licet, quos, ut putabat, pro ſe, in *Geneſ.* I. 26. allegabat Menaſſe; & hic Aben Ezra) *δεῦτε, καὶ καταβάντες συγχέωμεν ἐκεῖ τὰς γλώσσας αὐτῶν. Venite, & deſcendentes confundamus ibi linguas eorum.* Quod Jarchi hic, de domo judicii; & Ezra de Angelis, Deum illos allocutum, ſuperius ſatis refutatum. Hoc autem ex obſervationibus Salomonis Jarchi accipimus, in הבה נרדה *veni, deſcendamus*, poſſe alluſionem eſſe ad verſ. 4. *& dixerunt* הבה נבנה *veni, ædificemus*, ubi allocutio unius ad alterum: ſic Aben Ezra, poſtquam rejeciſſet illos, qui ונבלה paſſivè interpretantur, inquit, ונבלה כמו ונעשה *et confundemus, ſicuti, & faciemus.* verſ. 4. Illud etiam obſerva, quod verſ. 8. & 9. cum ternâ Jehovæ repetitione, idem opus confuſionis ter Jehovæ adſcribitur: *Sic diſperſit illos Jehova, propterea vocavit quiſque nomen illius Babel, quod ibi confudiſſet Jehova; & inde diſperſit Jehova eos* &c. Saltem Cabaliſtæ hoc non facilè expedient.

Jeſa. VI. 8. *Deinde audivi vocem Domini dicentis* את־מי אשלח ומי ילך־לנו *quem mittam, & quis ibit nobis?* loquitur Deus de ſe ſingulariter, atque etiam pluraliter, id eſt, unus eſt Deus, ſed plures in uno perſonæ. Chaldæus, ושמעית ית קל מימרא דיי דאמרית מן אשלח *& audivi verbum Jehovæ dicens, quem mittam?* Jehova, & verbum ejus hic loquuntur. Iterum Aben Ezra, & R. David Kimchi, ואמר לנו לשון רבים באלו היה מדבר עם השרפים ונמלך עמהם בזה הדבר וכן הבה נרדה *dixit nobis, pluraliter, loquitur cum Seraphim quibuſcum in hoc negotio conſulit, uti age, deſcendamus,* Gen. XI. 7. Ritè ſaltem hæc loca conjungimus, quæ ipſi Rabbini de loco in locum nobis commonſtrant. Neutiquam vero, ut etiam in prioribus docuimus, Angelos ſermo Dei alloquitur I. eos Deus non conſulit. II. Illi non mittunt Prophetas, neque hi agnoſcunt ſe ab Angelis mitti. III. De Deo explicatur verſ. ſeq. *& dixit, i.* Non, & dixerunt. verſ. II. *quouſque Domine?*

Secundò, alia Scripturæ loca Deum *pluribus perſonis* attribuunt. Qualia Geneſ. XIX. 24. *Et pluit Jehova ſuper Sodom & Gomorrham ſulphur*

Digitized by Google

ſulphur & ignem à Jehovâ è cœlis. Jehova pluit, à Jehova. Scimus quidem non plures eſſe Jehovas; ſed verba tamen illa non poſſunt intelligi niſi plures ſint Jehova. Plus enim dicit, quam Jehova pluit à ſe. Quo pacto locum explicatum; ſed enervatum eunt Adverſarii. Nam, illud ſi voluiſſet, ſic fuiſſet loquutus: jam aliter, & tali modo, ut non poſſis non duas intelligere perſonas, niſi de textus ἐνεργείᾳ & vi remittas. Chaldæus, וי״י אמטר מִן־קדם י״י. *Et Jehova pluit de coram Jehovâ.* Targum Jonathanis Uſielidis, quod dicitur, ומימרא דיי אחית מיטרין, *et verbum Jehova pluit* &c. & pòſt, ואשא כן קדם מימרא דיי, *& ignem de coram verbo Jehova.* Selomo Jarchi, ויי המטיר׳ כל מקום שנ׳ ויי׳ הוא ובית דינו, *& Jehova pluit, ubicunque occurrit et Iehova, intellige ipſum, et domum judicii ejus.*

Excipiunt Aben Ezra, & Selomo Jarchi, *de Iehovâ* eſſe idem ac מאתו, *de ſe.* Atque eò citat Jarchi Geneſ. IV. 23. נשי לכך *uxores Lamechi*, non eſt נשי *uxores meæ.* I. Reg. I. 33. inquit David, קחו עמכם מעברי ארוניכם, *ſumite vobiſcum de ſervis Domini veſtri*; non inquit, מעברי *de ſervis meis.* Eſth. VIII. 8. Ahaſuerus, ſcribite בשם המלך *in nomine Regis.* Non, in nomine Ahaſueri. Sic *Geneſ.* XLIX. 2. Atque ita hic, מאת י״י *à Domino*; non dici, מאתו *à ſe.* *Reſp.* Diverſam planè eſſe locutionem. In omnibus enim nihil inuſitati: communis eſt loquendi modus: at hic *Geneſ.* XIX. 24. pluit Jehova de Jehovâ, contrarium eſt. II. *Geneſ.* IV. 23. præmittitur, *& dixit Lamech uxoribus ſuis.* Atque ad hoc dicit, vos, quæ eſtis uxores Lamechi, audite: ad majorem ſc. emphaſim, & attentionem. Ut, ſi dicam, loquitur Deus populo ſuo: jam vos, qui populus Dei eſtis, &c. quid hic inuſitati? at longè hoc aliud eſt, quam ſi dicam, loquitur Deus populo ſuo à Deo. Ibi fit prioris perſonæ ſignificantior modò repetitio, per inſtitutam ſermocinationem: hic non. Neque enim poſſes hic repetere, uti in priori, loquitur Deus populo à Deo, populo, qui Dei eſt; ita enim ſenſum non tangeres: ſed alterius rei, & perſonæ illo modo fit expreſſio. III. Et ſic ad reliqua reſponſum. I. *Reg.* I. 33. ſumite vobiſcum de ſervis, qui Domini veſtri ſunt, ejus ſcilicet ſervos. Cogita verò, annon longè quid aliud ſonaret: ſumſit, miſit Dominus ſervos de Domino? Annon hic alia & alia tum perſona agnoſcenda foret? *Eſth.* VIII. 8. ſcribite vos in nomine Regis, reſpicit magis illorum inſtitutum & officium, quam de ſe loquentis modum. Ut ſi Deus dixerit, facite in nomine Dei. Quæ præſens noſtrum haud tangunt argumentum. & ſic Gen. XLIX. 2. *Audite, Filii Jacobi*, qui Jacobi nempe filii eſtis. Omnes longe diſſimiles locutiones, Fac, ſcriptum; dixit Jacob, de Iacobo, annon tum aliam & aliam

& aliam cogeris intelligere perſonam? Sic jam exponamus, pluit Dominus à Domino, id eſt, ab eo, qui Dominus: redit difficultas, ſubindicari videl. ſecundam perſonam: IV. verſu hoc bis eſt מן *à*, מן השמים *a cælo*; מאת ײ *à Domino*: jam, quemadmodum in priori indicatur diſtinctio, ita in poſteriori, id eſt, Deus pluit, unde? à cœlo: & à quo, ut concauſa? Deo etiam. Sic diſtinctio hic etiam alterius, nempe perſonæ. Senſus loci elumbis erit, ſi dixeris, à Jehova, id eſt, à ſemet ipſo. Quorſum enim hoc additum? numquid non omnia Deus à ſemet ipſo agit, qui ſocium extra ſe non habet vel ſuperiorem? quis quæſo hujus ſenſus eſſet! Deus creavit à Deo? ſi non alius, quam Deus creavit, à ſemetipſo? & non ut ſecunda quoque indicaretur perſona. Denique Judæi alii huic reclamant expoſitioni, qui ejuſmodi loquutione ſignificari Deum cum domo judicii ſermocinatum contendunt. Similia iſti loca. Exod. XXXIII. 19. *ego faciam tranſire omnem benignitatem coram facie tua, & clamabo in nomine Iehova ante te.* cap. XXXIV. 5, 6. *Et deſcendit Iehova in nube, & ſtatuit ſe cum Moſe ibi, & clamavit in nomine Iehova. Et tranſivit Iehova ante faciem ejus, et clamavit Iehova Iehova, Deus miſericors & gratioſus, longanimis, & multus benignitate ac veritate.* Iehova promittit ſe clamaturum; quare deſcendit & ſiſtit ſe, ac clamat bis, Iehova, Jehova. וזה דבר עמק מאד, *& hæc res maximè ardua*, inquit Aben Ezra. Chaldæus, ואעבר ײ שכנתיה על־אפוהי וקרא ײ ײ אלהא, *& tranſire fecit Dominus majeſtatem ſuam ante faciem ejus, clamavitque Dominus Dominus Deus.* Dan. IX. 17. *Et nunc audi Deus noſter precationem ſervi tui, & deprecationes ejus, fac faciem tuam ſplendere ſupra ſanctuarium tuum devaſtatum.* למע ארני *propter Dominum.* Quis hic Dominus alius, & ſimul unus Deus? id eſt perſona alia, quæ etiam Deus. verſ. 18, 19. *non propter juſtitias noſtras, ſed propter multas tuas miſericordias. Domine audi, Domine remitte, Domine attende, fac, ne differ, propter te ipſum Deus meus.* Aben Ezra, וטעם למען ײ למען זה השם שאנחנו מזכירין ור משה אמר למענך ײ *ſenſus, propter Iehovam, intelligit, propter nomen illud quod recordamur, et R. Moſes explicat propter te Iehova.* Ita etiam R. Selomo Iarchi.

R. Saadiah-Gaon, & explicatio alia apud Ezram, per ארני *Dominum* intelligit Abrahamum, quia is primus omnium Deum de nomine ארני compellavit. Geneſ. XV. 8.

Reſp. Futilis ratio. Quaſi hoc quem Deum faciat, quod Deum, vel de nomine aliquo prior, ſive alias ſingulatim appellet. VI. Vide quid Daniel petat, videbis nullius

ac dixit אדני *Domine Deus quomodo cognoſcam me hæreditarium.*

lius ea nomine peti potuiſſe, quam Dei. Quippe petit liberationem ex captivitate, fœlicem in terram reductionem, & peccatorum (quæ obſtabant) omnium condonationem. Hæc petere licet nomine alicujus creaturæ, vel Abrahami? III. In ejuſmodi precibus Abraham, etiam Iſrael excluduntur, Ieſa. LXIII. 26. *quia tu pater noſter es, nam Abraham non novit nos, et Iſrael non cognoſcit nos, tu Jehova Pater noſter es, redemptor, ab æterno nomen tuum.* Chaldæus ibi: *at tu ille es, cujus miſericordia ſupra nos multa, ſicuti patris ſupra filios, non autem Abraham nos eduxit ex Ægypto, neque Iſrael nobis præſtitit miracula in deſerto, tu ille Iehova es, et miſericordia tua ſupra nos plurima, ſicut Patris ſupra filios, ſalus nomen tuum ab æterno eſt.* Similiter Iarchi. Rabbi David Kimchi in hunc loc. כי אך על פי שאברהם אבינו הנה כמה דורות שמת ואב בשר ודם לא ידע בנו או בן בנו אלא בחייו אלא אתה אבינו חי וקיים מעולם ועד עולם ואין לנו לצעוק אלא אליך, *etiam quamvis Abraham pater noſter, at ſicut reliquæ generationes intereunt, etiam pater, caro et ſanguis non cognoſcit filium vel nepotem niſi in vita; verum tu pater noſter vivis & exiſtis à ſæculo in æternum, neque eſt nobis quem invocemus, præter te.* Hoſ. I. 7. *Et domus Jehudæ miſerebor, & ſalvos faciam eos* ביהוה *in Iehova.* Verſ. 4. Iehova loquitur, & promittit ſe ſervaturum eos in Iehova. במימרא דיי, inquit Chaldæus, *in verbo Jehovæ.* Non *in arcu & gladio, & bello, equis, & equitibus.* Zach. III. 1, 2. *Et oſtendit mihi Iehoſuam Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Iehova, & Satanam ſtantem ad dextram ejus ut accuſaret eum. Et dixit Iehova Satanæ, increpet te Iehova Satan, atque increpet te Iehova Satan.* Angelus Iehovæ Iehova dicitur, atque eſt; & de alio loquitur etiam Iehova; ac quidem terna Iehovæ fit mentio. Uti Num. VI. 23. in ſolemni illa benedictione, verſ. 24. *Benedicat tibi Iehova, et faciat Iehova lucere faciem ſuam tibi.* 26. *attollat Iehova faciem ſuam erga te.* Ieſa. VI. 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Iehova exercituum.* Ieſa. VXXIII. 22. *Iehova vindex noſter, Iehova legiſlator noſter, Iehova Rex noſter, ipſe ſervabit nos.* Ioſ. XXII. 22. *El Elohim Iehova, El Elohim Iehova.* Dan. IX. 19. *Domine exaudi, Domine condona, Domine attende, & effice.* Hagg. II. 5. *dictum Iehovæ, & perficite, dictum Iehovæ exercituum.* Ieſa. LXIII. 9, 10. *In omni anguſtiâ eorum, non affecit eos* Deus *anguſtiâ; ſed Angelus faciei ejus ſervavit eos, ipſis dolore afficientibus Spiritum Sanctitatis ejus.* Tres hic perſonæ, quibus diſtincta attribuuntur opera. Confer *Deut.* XXXII. 12. *Pſalm.* LXXVIII. *verſ.* 17, 31.

Vu Duo

Digitized by Google

Duo hic notanda. 1. Nomen *Iehova* eſſe incommunicabile creaturis, & ſoli Deo proprium, שם העצם, המיוחד dicunt Hebræi. Quare etiam Deus hoc ſuum nomen vocat. Exod. VI. 2. *at nomine meo Iehova non fui cognitus illis. 6. ego Iehova.* Ieſa. XLII. *Ego ſum Iehova, illud eſt nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo.* Ubi R. David Kimchi, הוא שמי המיוחד לי *hoc nomen meum proprium*, vel *mihi uni debetur.* Ierem. XVI. 21. *ut cognoſcant nomen meum eſſe Iehovam.* Ubi itidem Kimchi, כי הוא שמו ושמו הוא, *quia hoc nomen ejus, & ipſe eſt nomen ejus.* Amos v. 8. *Iehova nomen ejus.* Exod. XV. 3. Ierm. XLIV. 26. Hoſ. XII. 5. *Iehova memoriale ejus.* Ubi Kimchi: ובשם אל ואלהים הוא משתתף עמהם אבל בזה השם אינו משתתף עם זולתו, *et in nomine El et Elohim communicat cum illis; at in hoc nomine non communicat cum alio à ſe.* 1. Reg. XVIII. 21. *ſi Iehova Deus ille, ſequimini illum, ſeu autem iſtorum Baal, ſequimini eum.* 36. *ô Iehova Deus Abrahami, &c. dixerunt, Iehova ipſe Deus eſt, Iehova ipſe Deus eſt.* Ita hoc nomine verus Deus, diſtinctus ab aliis, denotatur, ſibi proprio. Exod. III. 15. *Iehova Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Iacobi miſit me ad vos, hoc nomen meum in perpetuum, & hoc memoriale meum de generatione in generationem.* Et verſ. præc. ratio ejus nominis ſimul datur etymologica, אהיה אשר אהיה, *ero qui ero, et dixit, ſic reſpondebis filiis Iſrael, ero miſit me ad vos.* Ubi videndus Aben Ezra latè de hoc nomine agens, vocatque שם העצם *nomen Deo proprium.* Uti & Iudæorum alii. Exod. XXXIII. 21. Pſalm. LXXXIII. 19. *& cognoſcant quod tu, cui ſoli nomen eſt Iehova, excelſus ſis ſupra omnem terram.* Chaldæus שמך יי בלחוד. Ieſa. XLV. 14. 16. Maimonides, *More nebuch.* part. 1. cap. LXI. *ſed illud nomen, cujus litteræ ſunt jod he vau he, non habet etymologiam notam, neque communicatur alteri. Magnificentia hujus nominis, & prohibitio lectionis ejus inde provenit, quia docet de ſubſtantiâ Dei, quo reſpectu vel in qua ſignificatione nulli creaturæ communicatur, ſicut de eo Rabbini noſtri dicunt, nomen meum proprium mihi.* Vide integrum caput, & ſequent. LXII. LVIII de hoc ipſo nomine. Deinde Angelum Scriptura alium nobis proponit creatum, alium increatum: eſt Angelus Dei, etiam Angelus Deus. Nempe ſecunda in Trinitate perſona: Dei filius, qui poſtmodum factus homo, & Meſſias, ſub Vet. Teſt. aliquando Patribus apparuit ſub ſpecie Angeli, ſeque omni modo demonſtravit non vulgarem Angelum eſſe, ſed Deum, qui divina opera ſibi arrogabat, & cultum. Angelus fœderis dicitur, Malac. III. 1. *Et celeriter veniet ad templum ſuum, Dominus ille quem quæritis, & Angelus fœderis, quem deſide-*

Digitized by Google

deſideratis. הוא מלך המשיח והוא מלאך הברית *hic eſt Rex Meſſias, & idem angelus fœderis*, inquit Kimchi, optimè. Ezra: *Dominus ille* הוא הכבוד הוא מלאך הברית כי הטעם כפול, *ille Deus glorioſus, ille angelus fœderis, duplex enim eſt ſenſus.* Angelus ille fœderis eſt ſecunda Trinitatis in Deitate perſona, in quo fœdus gratiæ nobiſcum Deus iniit, per eum redimendis, & ſalvandis. Ille, de quo Exod. XXIII. 20, 21, 22. *Ecce mitto Angelum ante faciem tuam, qui te cuſtodiat in viâ, & qui te perducat in locum, quem paravi. Cave à facie ejus, & audi vocem ejus, ne exacerbes eum, neque enim feret defectionem veſtram, quia nomen meum eſt in eo. Sed ſi audiendo audieris vocem ejus, et facies quod præcepero, inimicus ero inimicorum tuorum, & affligam affligentes vos. Nam præcedet angelus meus ante te, et introducet te in terram Emoræi, & Chittæi* &c. Quis per hunc Angelum intelligendus ſit, quæritur. Aben Ezra refert, aliquos per Angelum intelligere librum legis; alios, arcam fæderis; at ipſe explicat de Angelo Michaele, qui magnus & præſtantior reliquis ſit. *Reſp.* Si Michaelem myſtice intelligit Angelum Deum מי כאל *quis ſicut Deus?* agnoſcimus: ſed ſi ex creatis aliquem, probamus, hoc loco talem non poſſe intelligi, quia ea, quæ huic attribuuntur, de creaturâ dici nequeunt, ſed de ſolo Deo. *Cave à facie ejus, audi vocem ejus*: & quæ ſequuntur. Quare quod *Exod.* XIV. 19. de Angelo, *& proficiſcebatur Angelus Dei, qui ibat ante exercitum Iſraelis, ivit à tergo eorum. Et profecta columna illa nubis à conſpectu eorum, ſtabat à tergo eorum*, de Iehovâ dictum cap. XIII. 21. *Iehova verò antecedebat eos interdiu in columna nubis.* &c. Ieſa. LXIII. 9. *In omni anguſtiâ eorum non affecit eos anguſtiâ, ſed Angelus faciei ejus ſervavit eos.* Ioſ. V. 13, 14, 15. *princeps militiæ Iehovæ.* quem Iarchi, & Ezra dicunt Michaelem fuiſſe. Probavit autem ſe Deum, quia *verſ.* 15. jubet, quemadmodum Deus Moſi, Exod. III. 5. *Extrahe calceamentum tuum à pedibus tuis, nam locus, in quo ſtas, ſanctus eſt.* II. cap. VI. 2. Iehova exſerte appellatur, *dixit autem Iehova Ioſuæ.*

Neque ullâ ratione ſubſiſtit, quod Ezra, & R. Schimeon ben Lakiſch apud eundem, Kimhi in *Zach.* III. 2. dicunt, Angelum inſigniri nomine Iehovæ; quodque eo adferunt, ex hiſtoria Gideonis. Nam angelus Gideoni factus obviam, *Iudic.* VI. 11. angelus Deus fuit. I. nominatur Iehova verſ. 14. *tum reſpiciens ad eum Iehova, dixit.* Iarchi, הק"בה בעצמו *Deus benedictus in propriâ perſonâ*, verſ. 16. *Et dixit ei Iehova.* II. quia mittit Gideonem, *vade, nunquid miſi te?* quod ſolius Dei eſt. *Iudic.* IV. 6. III. ſuâ eum confirmat potentiâ, *vade in hoc tuo robore &*

ſervabis Iſraelem, numquid ego miſi te? verſ. 16. *ero tecum, & percuties Midianitas ſicuti virum unum.* Chald. ואמר ליה יי ארי יהי מימרי בסעדך *& dixit ei Iehova, verbum meum tibi erit auxilio.* Kimchi, *et reſpexit ad eum Iehova,* פנה אליו והלבישהו גבורה *reſpexit ad eum, & induit fortitudine.*

De Angelo Deo res maximè patet *Geneſ.* XVIII. & *Exod.* III. *Geneſ.* XVIII 2. videt Abraham tres viros, duo fuerunt Angeli in formâ humaná, virili, *verſ.* 16. 2. & *Geneſ.* XIX. 1. at tertius fuit Deus in formâ ſimili. quod probatur. I. Quia ſæpius Iehova dicitur, *verſ.* 1. 13, 14, 17, 19, 20, 22, 26, 33. ad minimum octies. II. ex iis, quæ ei tribuuntur, quæ non niſi Deo propria. verſ. 19. 21. *deſcendam nunc, & videbo, an ſecundum clamorem iſtum qui pervenit ad me, fecerint.* 28. *Abſit tibi, ut facias tale quippiam, morti tradendo juſtum cum injuſto: abſit tibi; an judex totius terræ non exerceret jus?* 26. *parcerem etiam univerſo illi loco propter eos* quinquaginta juſtos, 27. & ſeqq.

Exc. Aben Ezra: *Interpretes dicunt, quod Deus apparuerit ei in viſione propheticâ, & quod poſtea oculos ſuſtollens tres Angelos viderit; unus ivit nuncius, ad Saram; duo Sedomum; unus ille perditum urbem, et duo ſervatum Lot. Reſp.* Non in viſione prophetica Deus apparuit Abrahamo, ſed humanâ, corporali, atque fuit tertius ille, ita enim dicitur, Jehova, &, quæ Iehovæ ſunt, agit. formâ autem viſibili apparuiſſe patet. I. ex adventu ſub formâ trium virorum. II. ſermocinatione habitâ cum Abrahamo. III. diſceſſu. *verſu ult.* Prætero *Geneſ.* XVI. 7, Angelus Iehovæ apparet Hagaræ, qui *verſ.* 10. promittit, multiplicaturum ſe ei ſemen, quod ſolus Deus poteſt. *Pſalm.* CXIII. 9. & LXVIII. 7. *Geneſ.* XIII. 14, 15, 16. II. *verſ.* 13. Jehova videns appellatur. *Geneſ.* XXXI. 11. dicit Jacob, ſibi apparuiſſe Angelum Domini, & verſ. 5. Deum, *tum Deus patris mei fuit apud me.* quique dixit, verſ. 13. *Ego ſum Deus ille Bethelis, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum.* cap. XXVIII. 13. dicit: *ego ſum Iehova Deus Abrahami patris tui, Deus Iſaaci, hanc ipſam terram, in quâ tu cubas, dabo tibi, & ſemini tuo. Geneſ.* XVII. 24. Jacob luctatur cum Angelo, qui Deus erat, *verſ.* 28, 39. El, Elohim. Et nomen Jacobo mutat, quod Dei eſt, *Geneſ.* XVII. 5. Targum: *non Jacob dicetur amplius nomen tuum, ſed Iſrael:* ארי רב את קדם יי *quoniam magnus es tu cum Jehovâ & hominibus, ac prævaluiſti. Hebr.* שרית עם אלהים & verſ. 30. Hebraicè, *& vidi Elohim de facie ad faciem.* Targum, מלאכא דיי *Angelum Iehova.* Hoſ. XII. 3. 4. *In utero ſupplantavit fratrem ſuum, & fortitudine ſuâ prævaluit* אלהים *Deo. Et prævaluit* אל מלאך *angelo.*

Digitized by Google

angelo &c. *Exod.* III. 2. *Et apparuit ei* Moſi *Angelus Jehovæ in flammâ ignis.* Angelus Deus erat. Uti & R. Eliezer exponit, *Cap.* XL. Nam. 1. Jehova, verſ. 4. *videns Jehova* &c. 6. *dixit, ego ſum Deus patris tui Abrahami, Iſaaci* &c. (*Geneſ.* XXVIII. 13.) *verſ.* 7, 11, 13, 14, 15, 16, 18. *cap.* IV. 1, 2, 4, 5, 6, 10, 11, 13, 14. quibus omnibus locis Deus & Iehova dicitur II. adſcribuntur huic non niſi Deo propria. *Cap.* III. 5, 7. *vidi afflictionem populi mei in Ægypto,* 8. *ideo deſcendi, ut liberem eum.* 9, 10. *mittam te ad Pharaonem.* 12. *ero tecum, & hoc erit ſignum, quod ego miſerim te.* 16, 17, 20. *quum extendens manum meam percuſſero Ægyptum omnibus mirabilibus meis, quæ facturus ſum.* Pſalm. CV. 27. & ſeq. 11, 12, 15. Et ſic refutata eſt communis exceptio, quam Judæi habent, de angelo creato, qui nomine Dei hic appelletur. Quod & eo tollitur, quod Judæi dicunt Moſem prophetam in hoc reliquos ſuperaſſe, vel eminentiorem fuiſſe, quod ei ſine interventu Angeli Deus locutus ſit, non ita reliquis. Maimonides, *fundam. legis cap.* VII. §. 7. Abravanel de *capite fid. cap.* 1. Num. XXII. Angelus Jehovæ obviam fit Bilhamo proficiſcenti *verſ.* 22. *& verſ.* 28. *Jehova dicitur.* Zach. 1. 19. Angelus apparet Prophetæ, atque etiam Jehova dicitur, *verſ.* 20. *et cap.* II. 3, 4, 5.

Alterum pro Trinitate *argumentum* ſuppeditant illa Scripturæ loca, in quibus de Patre, de Filio, & Spiritu S. ut tribus in Deitate Perſonis manifeſta ſatis fit mentio. De Patre, & Filio, Pſalm, II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Prov. VIII. 22. *Iehova poſſidebat me principio viæ ſuæ, ante ullum tempus.* &c. verſ. 23. חוללתי *genita ſum.* Chald. אתילידית verſ. 24. Chald. איתבנית *filia facta ſum.* Prov. XXX. 4. *Quod eſt nomen ejus, & quod nomen filii ejus?* De Spiritu S. in ſcripturis pluries, eaque appellatio Iudæis haud infrequens. Geneſ. 1. 2. *ſpiritus Dei incubabat aquis.* In Bereſchit rabba, ſive comment. magno in Geneſ. ad hunc locum. זו רוחו של מלך המשיח *hic eſt ſpiritus Regis Meſſiæ, ſicut dictum* Jeſ. XI. verſ. 1. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Dei.* Selomo Iarchi כסא כבוד עומד באויר ומרחף על פני המים ברוח פיו של הקב"ה ובמאמרו כיונה המרחפת על הקן *Solium gloriæ conſiſtens ſupra aquas, incubabat aquis ſpiritu oris Dei, & verbo λόγῳ ejus, ſicuti columba ſupra nidum cubat.* Non intelligit per *Spiritum*, aërem; uti Maimonides *More Neb.* part. 1. cap. XL. Sed, quid ſolium Dei? Spiritus Dei? incubans? non explicarit certè, niſi divinitatem Spiritus Sancti agnoſcat. Atque illud benè, quod etiam Verbi partes hic agnovit: nempe ita in creatione Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus concurrunt. Jeſa, XL. 14. *quis depoſuit ſpiritum Domini, ut vir à conſiliis*

Digitized by Google

filiis docuit eum? cum quo conſultarit &c.? verſ. 13. *quis menſus eſt pugillo ſuo aquas?* Spiritum ſanctum perſonam vides. II. non indigam alicujus conſilio aut ope. III. in creatione. pręterea Jeſa. XLVIII. 16. *Nunc enim Dominus Jehovi mittit me, & Spiritus ejus.* juxta Jehovam Spiritus agnoſcitur, & quidem in mittendis Prophetis: ergò idem Deus. Chald. יי אלהים שלחני ומימריה *Jehova Deus miſit me, et verbum ejus.* Melius quam Kimchi, qui *& Spiritus ejus* explicat, מלאכו *angelus ejus.* Neque enim Angelus eſt Spiritus Dei; Prophetas mittens. Jeſa. LXIII. II. 14. & LXI. I. (quem locum de Meſſia exponit etiam R. Saadiah à Gaon, in lib. *Haemunoth*, apud Joſephum de Voiſin, in Raymundi Pugionem, *pag.* 129.) *Spiritus Jehovæ ſuper me.* Jeſa. XI. 2. Judic. XIII. 25. *cepit autem ſpiritus Jehovæ agere eum in caſtra Danis.* II Sam. XXIII. 2. *Spiritus Jehovæ loquutus eſt in me & ſermo ejus per linguam meam.* 3. *dixit Deus Iſraelis, mihi loquutus eſt rupes Iſraelis.*

De Spiritu S. omnino male philoſophantur Judæi, quum inter gradus & ſpecies divinarum revelationum, & prophetiarum, quibus ſe ſuamque voluntatem Deus manifeſtat (quas Maimonides undecim facit, *More Nevoch. part.* III. *cap.* XLV. Joſeph Albo, quatuor, lib. *Ikkarim, ſerm.* III. *cap.* X.) omnium infimum ſtatuunt gradum prophetiæ, qui contingit per Spiritum S. quando, inquiunt, aliquis à Deo ſingulariter movetur & excitatur ad eximium aliquid ſeu præſtandum, ſeu dicendum: quo pacto multi olim dicuntur à Spiritu Dei correpti fuiſſe, inter Judices populi, alioſque, *Judic.* II. 18. *et* XI. 29. & XIV. 19. I. *Sam.* XI. 6. *et* I. *Chron.* XII. 18. *Jeſa.* XI. 2. atque hujuſmodi Prophetas conſtituunt auctores Hagiographorum, quos inter Scripturæ libros ultimo ponunt loco. De quo in Prolegomenis etiam diximus. Atque ita illa explicant, *Num.* XI. 25. & XXIII. 5. II. *Sam.* XXIII. 2. II. *Chron.* XX. 14, 15. Superiores autem Prophetiæ gradus habent, qui dicuntur facti per ſomnium, aut viſionem, Angelum &c. De quibus Maimonides, loco indicato; & lib. de *fundamentis legis, cap.* VII. Kimhi, *Præfatione in Pſalmos.* aliique paſſim. Bene quidem illa dicuntur fieri per Spiritum ſanctum, ſed nequaquam cum excluſione aliorum prophetiæ modorum, quaſi hi abſque illo Spiritu contingerent. Namque omnium & quarumcumque tum revelationum, tum donorum auctor eſt Dei Spiritus, qui variis modis ſua diſpenſat, & quamvis alia ratione hi vel illi eo corripiantur, afficiantur, inſpirentur, omnium tamen χαρισμάτων cauſa eſt & œconomus. Quod ex illis ipſis modò adductis locis, quę Iudęi hac in re citare ſolent, quando operationem Spiri-

Digitized by Google

Spiritus S. explicare conantur, probare unicuique haud difficile. Certe Meſſias, quem nulla in re oportet Prophetis aliis, non Moſe ipſo inferiorem conſtitui, *Deut.* XVIII. 18. Spiritum S in ſe habiturus dicitur. *Jeſa.* XI. 2. & LXVI. 1. non quod vel minor ideo dignitas, aut revelatio, & communio donorum ei obtingeret, ſed quod hæc prima omnium cauſa ſit, & ex gratiâ ſeu communicatione Spiritus cætera dependeant. Unde male Judæi, nec omnium effectuum Propheticorum Spiritum S. cauſam agnoſcunt; neque ex effectis adſcendunt ad veram omnium cauſam, id eſt, Spiritum S. Deum. Deus quippe ſolus eſt, atque eſſe poteſt tot illuſtrium operationum bonorumque cauſa, & fons. Atque hic tertia in Trinitate eſt perſona. Cæterum præſentia divinæ majeſtatis quam שכינה appellant, & רוח הקדש Spiritus Sanctus, ſæpe non modo conjunguntur apud Hebræos, ſed & pro eodem ponuntur. Ut nihil infra divinam majeſtatem ſtatuere vel concipere debeamus, ubi de Spiritu S. agitur. Ita Chaldæus Paraphraſtes trinam de Deo adhibet appellationem, יהוה, & מימרא די, Verbum Dei, λόγος τοῦ θεοῦ, & שכינא, *divinam habitationem*, ſeu præſentiam Spiritus. Videſis *Cant.* I. 15. & IV. 8. & V. 8. *et* VI. 3. 12. *et* VII. 8, 9. *Mich.* VII. 7. *Zach.* X. 5, 9. & XI. 8. *et* XII. 5. *Amoſ.* IV. 11. *Pſalm.* CX. 1. &c.

Ne dicam, quę Alii pro adſtruendâ Trinitatis apud antiquiores Judęos, & Cabaliſtas fide, vel indicatione ſaltem aliquâ, adferunt: ex libro Iezirah (quem Abrahamo Patriarchæ temerè adſcribunt) quod de *Coronâ ſummâ* ibi dicitur, & *ſapientia primordiali*, Coronæ ſummæ per omnia æquali & coæternâ; deque *Intelligentia*: apud Rittangelium, qui librum Iezirah, cum Notis, edidit, *pag.* 3. & 36. quodque ibidem citat, ex Imre binah: *qui unus eſt intelligente, intellectu, & intellecto. Tria ſunt primaria, vel primordialia capita, et coæterna, idque teſtatur ſplendor eorum: Numerationeſque intellectuales in æternum teſtantur Trinitatem Regis.* Vel quæ citat ex Moſe Botril: *duo Spiritus ex Spiritu, hoc eſt, Spiritus de Spiritu.* Ex R. Saadiah à Gaon, *unus eſt Spiritus Elohim viventium, Vox, et Spiritus, & Verbum.* Ex R. Iehuda Levi: *numerans, numerus, numeratum.* Hæc apud illum videri Cabaliſtica poſſunt. Alia, in eundem finem*, è Iudæis allata, apud Martinum Raymundi; lib. *Pugio fidei, part.* III. *diſt.* I. *cap.* III. &c. & in Annotationibus, à Ioſepho de Voiſin. Apud Galatinum, *de Arcanis Cathol. verit. lib.* II. *cap.* VII. X. XI. XII. Hadrianum Finum Ferrarienſem, *Flagello contra Judæos lib.* III. Phil. Mornæum, *Paraneſi ad Judæos, part.* III. & lib. *de Veritate Relig. Chriſtianæ*,

cap. VI.

cap. VI. Iulium Conradum Ottonem, *Galirazia*, ſeu *Occultorum detectio lib.* I. *cap.* I.

Quod denique ſpectat Iudæorum *objectiones* contra veritatem & fidem noſtram, illæ diſtinctę ab *exceptionibus*, quas ad argumenta noſtra movent, paucæ vel nullę ſunt. Quippe ſecernenda illa ſunt, quæ ad explicationem ſententiæ moves dubia, vel contra eam argumenta. Hæc objectiones propriè ſunt, illa exceptiones, quamvis ſæpe valde inter ſe implexa & involuta. Omnis objectio contra Trinitatem, petitur ex Dei unitate, tum ex familiari illo *Scriptura* loco, *ptw* Deut. VI. 4. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt.* tum ex additâ *ratiunculâ*, quod tres nequeant eſſe unus. Huc omnis quorumvis Adverſariorum redit contra fidem argumentatio. Sic Iudæus, in Amicâ Diſput. quæſt. I.

Ex magna argumentorum copia, quæ ſimpliciſſimam Dei unitatem confirmant, brevitatis cauſa unum duntaxat alterumve adferemus, partim ex S. literis, partim ex naturali ratione. Primum erit hoc. Videmus Deum nec apud dilectum ſuum populum, nec charos Prophetas, nec apud electos ſuos ſacerdotes mentionem ullam feciſſe hujus doctrinæ, imo potius diſertis verbis eos admonuit à tali doctrina ſibi caverent, dicens, Deut. VI. 4. *Audi Iſrael: dominus Deus noſter unus eſt. Et alio loco.* Deut. XXXII. 39. *Ecce ego ſum et nullus eſt alius Deus mecum. loquitur propterea per Eſaiam Prophetam in hunc modum.* Eſai. XLIII. 9. *Vos teſtes mei eſtis, dicit Dominus et ſervus meus quem elegi ut cognoſceretis & crederetis in me et intelligeretis ante me Deum nullum extitiſſe, nec poſt me extiturum. Propheta Zachar. prædicens confeſſionem totius mundi de ſimplicitate eſſentiæ, ſic loquitur.* Zach. XIV. 8. *Et do-*

Reſp. I. Apparet, verè nos dixiſſe, ex capite de unitate Dei argumentari Adverſarios, contra Perſonarum Trinitatem; vix aliunde. Jam quod probant Dei unitatem, idque multis ſæpe argumentis, ſupervacaneum, quia à nemine negatur: ſed an inde negari poſſit Perſonarum Trinitas, vel refutari, hoc demonſtrandum erat. Quod tamen nullâ inſtituunt oſtendere conſequentiâ, aut argumentatione. Ergo non diffitemur, ſummam & ſimpliciſſimam Dei unitatem. Eamque iiſdem Scripturæ teſtimoniis confirmamus, quibus Iudæi. Neque aut res, aut probatio rei aliquid contra nos eſt. Ut ſuperſedere hoc opere tutò Judæi poſſint, quo in egregie convenimus. Verùm, ut illis, de Dei unitate teſtimoniis, Scriptura nos admonuerit contra Trinitatis doctrinam, nullâ evincunt ratione: unum quidem, & non eſſe tres Deos; ſed non, ut ne ſint in uno Deo tres perſo-

minus pro Deo agnoſcetur per univerſum terrarũ orbem. In illis diebus Deus unus erit, et nomen ejus unum. Perinde ac ſi diceret, unus erit eſſentia & unus nomine. Idem compluribus aliis locis docetur, ut Scripturarũ periti norunt.

Hac ſimpliciſſima Dei unitas demonſtratur quoque manifeſtis rationibus, quarum etſi multa ſint numero, tres tantum adferemus.

I. Si in divina eſſentia diverſitas perſonarum exiſteret, ſuppoſitum aliquod eſſe oporteret quod eas diſtingueret, idque neceſſario in una perſona reperiri deberet, in alia non. Jam alterutrum neceſſarium eſt, ut ſuppoſitum hoc perfectionem in ſe habeat vel imperfectionem. Si perfectionem, tum perſonæ quæ illo carent ſunt imperfectæ. Si imperfectionem, ea ubi reperitur imperfecta eſt perſona. Verùm in Deo nulla poteſt eſſe imperfectio. Ergo nec diverſitas perſonarum.

II. Aut qualibet perſonarum quas in eſſentia divina eſſe aſſerunt, habet omnipotentiam ex ſe ipſa, ita ut non indigeat aliarum auxilio, aut non poteſt omnia abſq; aliarum auxilio et opera. Si primum ſtatuas, nempe quod qualibet perſona ſit omnipotens, jam duæ aliæ perſonæ non neceſſariæ ſunt et ſupervacuæ. Si ſecundum, quod qualibet perſona auxilio aliarum indigeat, inde ſequitur nullam iſtarum ex ſeſe infinitam & omnipotentem eſſe, cum tamen divina eſſentia non poſſit eſſe ſupervacua: ſed re ipſa infinito ac omni-

perſonæ. Scimus, Deus unus eſt eſſentia, & unus nomine; ſed ab eſſentia diſtinguuntur Perſonæ, eſtque una illa & eadem in tribus Perſonis, quæ niſi cum Dei unitate ſummè conveniant, nec accipitur articulus, nec docetur. Diſtinguuntur ab eſſentia perſonæ, non ut aliȩ res vel entia, ſed perſonalitate, ceu modo ſubſiſtendi, τρόπῳ ὑπάρξεως, ſalva eſſentiæ invariabili unitate atque identitate.

Ad 1. *rat. Reſp*: Diſtinguuntur ſuppoſitis, ſeu perſonalitatibus tres in Deo perſonȩ, aliamque habet Pater, aliam Filius, & Spiritus ſanctus: verum illud neque perfectionem dicit, neque imperfectionem. Perfectum enim, vel imperfectum attributa ſunt eſſentiæ, eaque in Deo perfectiſſima; non perſonalitatis, aut perſonæ, ut ſic. Atque ita nullum eſt, quod nobis hinc intorquet argumentum Iudæus. Negamus majorem iſtam, *neceſſarium eſt, ut ſuppoſitum perfectionem in ſe habeat, vel imperfectionem*. Neutrum, neque perfectionem, neque imperfectionem. 11. Vel ſi velis, perfectionem illud dicere, reſpondebo, ita dicere perfectionem, ut ejus negatio tamen non includat imperfectionem: quemadmodum ſtare v. g. perfectionem dicit, & currere, loqui, &c. ſunt enim actus: & omnis actus de ſe dicit aliquam perfectionem, non tamen contraria

Digitized by

potens eſſe debeat. Non ergo eſt in ea diverſitas perſonarum.

III. Quicquid actu eſt infinitum, ei nequit dari menſura, qua menſurari poſſit. Deus eſt actu infinitus. Nequit ergo ei dari menſura quâ menſuretur. At ſi diverſa eſſent perſonæ in eſſentia divina, jam una eſſet menſura aliarum, & ſic nulla earum eſſet infinita.

ideo notant imperfectionem. III. Neque hac ratione deerit tertia reſponſio, vid. quod quam perfectionem dicit in Patre paternitas; eam in Filio dicat Filiatio; & in Spiritu S. procedere vel ſpirari à Patre, Filioque. Præciſe vero ſpectatas perſonalitates, nos dicimus nec perfectionem ex ſe notare, aut continere, nec imperfectionem. Nam perfectio eſt eſſentiæ. Unde nec tres in Deo perfectiones, aut perfecta ſubſtantivè; quamvis quidem tres perfecti queant dici, adjectivè.

Ad *rat.* II. *Reſpondeo* ſimiliter. Perſonæ ſingulæ ſunt omnipotentes, eâdem omnipotentia, quia eadem eſſentia, cujus eſt omnipotentia. Sunt quidem tres omnipotentes, adjectivè loquendo, non tria omnipotentia. Potentia attributum & proprietas eſt eſſentiæ, quemadmodum perfectio. Et perſona quælibet, quia habet Deitatem, ſeu eſſentiam divinam eam, quæ à ſe eſt, habet quoque ſimilem omnipotentiam, quę à ſe, ſuntque omnes αὐτόθεος. Per ſe ſubſiſtunt perſonæ, & ſingulæ ſunt Deus, neque indigentes ullius rei, aut auxilii, per illam αὐτοῦσαν & αὐτάρκην Deitatis eſſentiam; unde non poſſunt dici cæteræ perſonæ eſſe ſupervacaneæ, magisquam prima, quia omnes eandem habent eſſentiam, per quam ſunt omniſufficientes & omnipotentes. Argumentum procedit quidem ab unitate eſſentiæ, & omnipotentię, contra alias omnipotentias, aut eſſentias: non à perſonâ una, ad aliam, habentes eandem eſſentiam omnipotentem. Sequitur quidem, ergo non eſt diverſitas eſſentiarum, vel omnipotentiarum, ſed non, ergo non eſt in Deo diverſitas vel diſtinctio perſonarum.

Ad *rat.* III. Conceditur, quidquid actu eſt infinitum, ei nequit dari menſura, quâ menſurari poſſit. Etiam, quod Deus eſt actu infinitus. Uti & concluſio: ergo Deo dari menſura nequit, quâ menſuretur. Conceditur totum: neque n. aliquid contra nos. At hinc inferre, ſi diverſę perſonæ in eſſentia divinâ, jam una eſſet menſura aliarum, & ſic nulla earum infinita, negatur, & nulla ratione ex priori ſequitur. Nulla perſona alterius menſura eſt, neque adeo menſurari poteſt. Nulla quæ non ſit infinita. Nempe hoc, propter eſſentiam eandem divinam infinitam atque immenſam, & nuſpiam menſurabilem. Omnes Iudæorum, aliorum-

que

Digitized by Google

que infidelium; contra hanc de Trinitate Perſonarum in Deo doctrinam noſtram objectiones & cavillationes ſolvi facile poſſunt, obſervata Perſonarum in Deo, cum unâ eſſentia reali identitate, & diſtinctione ab eâ duntaxat modali, ſeu perſonali. Alias Iudæorum, adverſus Trinitatem objectiones vel exceptiones refutatas vide apud Mullerum, in ſuo *Iudaiſmo, part. I. lib. II. cap. ult.*

LIBER SEXTUS,

DE

OFFICIIS MESSIÆ,

ET

BENEFICIIS.

CAPUT PRIMUM.

DE

MESSIÆ PASSIONIBUS.

AD officium Meſſiæ ſacerdotale ſpectavit, offerre, & ſacrificare. Sed ſeipſum, ſuis paſſionibus & morte, Deo. Quod ita oportuiſſe, probatur ex prædictionibus Prophetarum. Nempe duo, & pati debuiſſe, & ſatisfacere. Illud, ex Jeſa. LIII. *quod probatur, de Meſſiâ loqui. Item ex* Pſalm. XXII. *qui vindicatur contra Davidem Kimhi. aliiſque locis. &* Pſalm. XVI. 10. *atque* LXIX. 22. *Satisfactio Chriſti oſtenditur, ex naturâ pœnarum, quas paſſus. Scripturâ, quæ ſatisfactionem docet. Et rei tum neceſſitate, tum congruentiâ, ut à Meſſiâ præſtaretur. Quod variis poſitionibus oſtenditur. Reſpondetur ad objectiones.*

TRiplex S. litteras officium Meſſiæ aſſignare, ſupra oſtendimus, Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Illud, præſertim ex *Deut.* XVIII. 18. Iſtud, ex *Pſalm.* CX. 4. Hoc, ex *Pſalm.* II. 16. Sacerdotis eſt *offerre*, tum *ſacrificia* pro populo, tum *preces*, atque ἐντεύξεις. Atque ſacerdotem dicimus Meſſiam, & ſacerdotium ſuſtinuiſſe omnibus antiquius & præcellentius, quod inde etiam æternum dicitur. Niſi verò ſtatueremus, legis cæremonialis, atque cæremoniarum & rituum legalium,

Digitized by Google

quare & ſacrificiorum, cum Meſſiâ abolitionem & abrogationem plenam, forte haud adeo difficiles hac in parte haberemus Adverſarios, qui ſacerdotium & ſacrificia Meſſiæ facile concederent, pro authoritate legis ſuæ, legalia; ſed quia & legis ſacerdotium, & omnia quæ huc ſpectant, cum Meſſiâ ceſſare dicimus, eo ferventiores quærunt, in quo demùm & ſacerdotium, & ſacrificium Meſſiæ tum conſtituamus. In promptu autem reſponſio eſt, quia uti ſpiritualia omnia & ſalutaria in Meſſiâ ponimus, non terrena aut corporalia, tale ejus haberi nobis & regnum, & ſacerdotium quoque. Quare non obtulit animalia, vel eorum ſanguinem, aut alia à ſe, ſed ſeipſum, cæterorum ſacrificiorum corpus & implementum. Sanguinem & mortem propriam, ut quod ſacrificia omnia præſtare nequiverunt; animas expiaret & redimeret. Mortem non levem aut vulgarem, ſed maledictam, crucis, & quæ morte ſignificantur mala quævis. Seipſum noſtri loco victimam fecit Deo, & Patri, juxta illa in Pſalmo XL. 7. 8. *ſacrificio & munere non delectaris, aures perfodiſti mihi: holocauſtum & oblationem pro peccato non expetiviſti. Tum dixi, ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me.* Eo dignior hoſtia & perfectior, quo Filii Dei, & qui, ut noſtri loco ſatisfacere divinæ juſtitiæ poſſet, erat θεάνθρωπος. Neque enim ψιλὸς ἄνθρωπος exantlare & exſolvere pœnas peccatorum, nedum aliorum, & ſalvandorum omnium, potis erat: ſed tum ad perferendas pœnas, & perficiendam ſatisfactionem atque redemptionem noſtram requirebatur vis, & dignitas immenſa. Uti enim clementiæ fuit admirabilis, ſe vadem ſiſtere ac Mediatorem hominum, ita graviſſimum onus, in ſe ſumere reatum noſtrum, eumque plene exſolvere. Satisfaciendum quippe juſtitiæ divinæ prius erat, ut gratiæ ejus & beatitudinis reddi poſſemus participes. Non enim benignus ſolùm Deus, ſed & juſtus pater, at judex quoque qui vult juſtitiæ ſuæ ſatisfieri non minus, quam ut miſericordiam homines conſequantur. Maledictionem decreverat homini non manenti in legis officiis omnibus, neque ea obſervanti: illa ferenda prius, & legi faciendum fuit ſatis, ut benedictionem non promeritam peccatores adipiſcerentur. Hoc autem Meſſiæ ſervabatur opus, tanto ei convenientius, quo præter eum poſſibile erat nemini. Longe certe præſtantius, quam ut eum cum Judæis ſtatuamus regulum aut imperatorem aliquem mundanum, qui homines ad bella & cędes ſit convocaturus, & proſtratis atque exciſis plurimis nationibus regimen obtenturus, nec magnum adeo, nec diuturnum. Quid obſecro illa ad famam & exſpectationem Meſſiæ, quam de eo omni-

omnibus retro temporibus homines habuerunt, & habere juſſi ſunt? Imo quid fælicitatis hoc aut plurimis potiſſimiſque ante tempus illud (demus Meſſiæ iſti imaginarium etiam ſæculum) mortuis, aut alibi terrarum ſatis commodè agentibus? E contra quando credimus, uti credere debemus, Meſſiam non propter terrena, ſed cœleſtia, non ſibi, ſed nobis venire debuiſſe, ut animas ſervaret, non deſtrueret, & reconciliaret nos Deo, unde pax & gaudium conſcientiis, & ſalus denique æterna, facit, ut tum de promiſſionibus, tum de adventu ejus dignas habeamus cogitationes, fidemque: Menaſſe, in Conciliatore Hiſpanico, ad Zachar. quæſt. xi. dicit aliquos introducere duplicem Meſſię adventum (ad conciliandum ſc. *Zach.* ix. 9. ubi Meſſias proponitur pauper, inſidens aſino; cum *Dan.* vii. 13. ubi in nubibus cœli apparet valde glorioſus) primum temporalem, & in forma humili; alterum ſpiritualem, *eſpiritual, con grande mageſtad y faſto*. Ille vero unicum ſe dicit propugnare illum temporalem. Verum rite ſi caperet, quid ſpirituale dicat, quam faſtidiret reſpueretque terrenas illas cogitationes? Beati nos & fœlices ſupra modum, qui mundanis illis miſſis, ſpiritualia in ſpirituali Meſſia, atque Redemptore (nam & Redemptorem hîc quoque Meſſiam appellat ille) videmus, habemuſque. Et redemit nos, non auro vel argento, ſed pretioſo ſuo immaculatoque ſanguine. Neque aliâ viâ poterat. Nam ſatisfaciendum legi erat, vel ejus perfectæ obſervantiæ, ut mercedem legis, vitam ſcilicet, reportaſſemus; dictum enim, homo qui fecerit ea, vivet in eis: vel eo deſtituti, nam peccavimus omnes, & præcludimur hinc gloriâ & ſalute Dei, pœnæ à lege conſtitutæ luendę fuerunt, & juſtitiæ Legiſlatoris hac in parte faciendum ſatis, uti primum à maledictione meritâ liberari, inde vita & ſalute donari, poſſemus. Jam ferre debitas illas pænas & maledictionem, noſtrum non erat, non pro nobis, nedum aliis, quare alium venire oportuit, noſtri loco vadimonium obiturus, & de ſuo ſoluturus, quod nobis imputaretur in juſtitiam. Pſalm. lxix. 5. *quod non rapui, rependere cogor*. Duo ergo nobis hoc loco oſtendenda ſunt. Primum, Meſſiam *pati* debuiſſe. Alterum, & paſſione iſtâ ſuâ *ſatisfacere* pro nobis & peccatis noſtris.

Quando *paſſiones* ejus dicimus, intelligimus eas, i. cujuſvis *generis* (non ſpecierum) afflictiones, quas paſſus, vel pati debuit. ii. tam in *animâ*, quam *corpore*, anguſtias omnes atque dolores. iii. toto *vitæ* tempore, ab ortu inde uſque ad *mortem*. iv. omni genere, non pœnarum ſo-

rum ſolum, & ſubjecti, ſed & hominum à quibus pati potuit, à Judæis, à Gentilibus, à ſuis quoque diſcipulis. v. ubique non levia, ſed *graviſſima* quæque, pœnas & maledictionem. VI. *voluntarie*; non invitus aut coactus. Jeſa. LIII. 12. *effudit in mortem animam ſuam.* VII. ad mortem *crucis.* VIII. *Pro nobis* omnia. Id eſt, ut Deo, ejuſque juſtitiæ pro peccatorum noſtrorum debitis verè ac pleniſſimè per illa *ſatisfaceret.*

Illud autem *primo* argumento demonſtramus ex evidentiſſimo capite *Jeſa.* LIII. per totum. *Aſſurgit ut tenera planta coram illo, contemtus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus,* &c. *Veruntamen morbos noſtros ipſe pertulit, et dolores ipſos noſtros bajulavit. Nam ipſe dolore afficitur à defectionibus noſtris, atteritur ab iniquitatibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, et livore ejus fit curatio nobis,* &c. Paſſionem ibi denunciari ejus, de quocumque agatur, Judæis etiam, omnibuſque locum legentibus manifeſtum, In quæſtione vertitur, quo de loquatur Propheta, an de Meſſiâ? Iudæi aliqui, de Abrahamo: alii de Moſe, R. Alſchech, ad *verſ.* 9. de Ioſiâ, Abrabaniel: de Ieremiâ, R. Saadiah à Gaon: alii, de Angelis miniſterii: paſſim de populo Iudaico inter gentes variis modis vexato locum exponunt; ſic R. Selomo Iarchi, Ioſeph & David Kimhi, etiam Abrabanel hanc alteram expoſitionem adjungit; & Iudæus in *Amicâ Diſput. quæſt.* IX. Verum quidquid etiam recentiores Iudæi contrà nitantur, certum, ex inſpectione capitis, & conſenſu Antiquorum, de Meſſiâ ſermonem eſſe, & de nullo alio. Inſtituatur juxta ſingulos verſus collatio & examen (prolixius enim, quam ut illud hîc agamus, & à quovis facile fieri poteſt: etiam ab aliis Scriptoribus diligenter jam hoc præſtitum) apparebit I. non de populo, ſeu pluribus loqui Prophetam; ſed de aliquo ſingulari. II. nemini ex recenſitis illis, non Abrahamo, Moſi, Ioſiæ, aut Ieremiæ, nedum Angelis applicari poſſe, quæ hîc dicuntur. III. etiam ſe mutuo refellere varias, & duntaxat ad aufugiendam loci vim excogitatas diverſas illas expoſitiones. Cujus periculum fecit Abrabanel, id quod primo loco de populo expoſuerat; poſtea de Ioſiâ Rege explicans. Nihilque neceſſe, ut Iudæorum prementes veſtigia, integrum caput à perverſis illorum expoſitionibus iterum vindicemus, quia abunde & nervoſe illud ſatis præſtitum à doctiſſimis viris, Conſtantino l'Empereur, peculiari in iſtud caput libro, *contra Don Iſaacum Abrabanielem, & R. Moſem Alſchechum*; atque Antonio Hulſio, *Theolog. Judaica lib.* I. *part.* II. *à pag.* 318. *ad* 496. Adde Marſilium Ficinum, de *Religione Chriſtianâ*, cap. XXVII.

Veteres

Veteres atque præſtantiores Judæi caput illud de Meſſiâ interpretati ſunt. Chaldæa Paraphraſis in *Jeſa.* LII. 13. à quo περικοπὴ illa incipit, *ecce proſperabitur ſervus meus*, הא יצלח עברי משיחא, *ecce proſperabitur ſervus meus Meſſias.* Tanchuma: זה מלך המשיח, *hic eſt Rex Meſſias.* R. Alſchech, in eundem locum: הנה רז״ל פה אחד קימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר, *ecce Rabbini noſtri p. m. uno ore ſtatuunt, & à majoribus acceperunt, de Rege Meſſiâ ſermonem eſſe.* Abrabanel: ואמנם יונתן בן עוזיאל תרגמה על משיח העתיד לבוא וזהו גם כן דעת חכמים ז״ל בהרבה מדרשותיהם, *et certè Jonathan Uzielides interpretatur de futuro Meſſiâ, atque etiam eſt ſententia ſapientum p. m. in variis illorum expoſitionibus*, adducitque ibidem Maimonidis commentarium, qui locum non aliter exponit. Maimonides in Epiſtolâ, de Auſtrali regione, hoc Jeſa. LIII. 2. *& adſcendet tanquam tenera planta coram illo*, &c. de Meſſia interpretatur. Auctor *Avkath Rochel*, R. Machir, part. II. ex libro Peſikta adfert: כשברא הקב״ה, *quando crearet Deus mundum ſuum, extendit manum ſuam ſub ſolio gloriæ, & produxit animam Meſſiæ, ejuſque catervam, dixitque ipſi, viſne tu ſanare & redimere filios meos poſt ſex millia annorum? Reſpondit ipſi, volo. Dixit ipſi, an etiam ſuſtinebis caſtigationes ad abſtergendum iniquitates eorum, juxta illud quod ſcriptum eſt: certe morbos noſtros ipſe tulit.* Jeſ. LIII. 4. *Reſpondit, ſuſtinebo illas cum gaudio.* Benè hæc notanda: nam veritatem continent egregiam, quamvis fabulis involutam. Ex communi Judæorum ſententiâ, de animabus omnibus initio creatis eſt, quod dicunt de animâ Meſſiæ, ejuſque cohorte. Sed vide ejus officium, quodque ipſi delatum & impoſitum munus ajunt: videlicet, non regnare in ſpecie terreni dominatoris; verum, quod ab eo longe diſtat, affligi & pati caſtigationes, ſed noſtras, & morbos noſtros. Atque hoc quorſum? ad ſanandos, redimendos filios ſuos, & abſtergendas ipſorum iniquitates. optime, atque ad mentem noſtram, quæ cum antiquioribus Iudæis hîc eadem, non ita cum recentioribus, veritati & ſuis æquè pertinaciter obluctantibus. Denique in Talmude, Cod. Sanhedrin, *cap.* XI. ubi anquirunt in nomen Meſſiæ, inter alia dicitur nomen ejus futurum חוורא *leproſus*, quia dicitur Jeſa. LIII. 4. *certe morbos noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros bajulavit, at nos reputavimus ipſum plagâ affectum.* Gloſſa Talmudica, in hoc *cap.* XI. והוא המשיח נמי מנוגע דכתיב והוא מחולל מפשעינו דכתיב חליינו הוא נשא, *atque is Meſſias plagis afficietur, juxta quod ſcriptum, et ipſe vulneratus eſt propter tranſgreſſiones noſtras; & quod ſcriptum, dolores noſtros pertulit.* Atque ipſe etiam Menaſſe noſter, in Conciliatore Hiſpanico, ad

hoc

hoc caput, exponit quidem de populo dictum, ſed & ad Meſſiam refert, ejuſque tempora, *prophetiza Jeſayach la ſumma felicidad de Iſraël en el tiempo del Meſſiach.* Quum autem de populo exponi non poſſit, uti indicavimus, & ab aliis copioſe probatum, ſed de Meſſiâ, vel Iudæis teſtibus, bene accipimus, & pro ejus paſſionibus hoc ſumimus argumentum. Ac tanti quidem illud ponderis, ut non alio magis premi ſe & in anguſtias cogi Judæi fateri debeant: & quo ſe maximè commotum ſcribit Joh. Iſaac Levita, ut Iudæus quum adhuc eſſet, Chriſtianiſmo aures daret. *Hoc ego*, ſcribit adverſus Lindanum, ſuum olim diſcipulum, in *Defenſione veritatis Hebraicæ S. Scripturarum*, lib. II. pag. 82. *ingenue profiteor, illud ipſum caput ad fidem Chriſtianam me adduxiſſe: Nam plùs millies caput illud perlegi, contuli accuratè cum multis tranſlationibus, deprehendi centies plus de Chriſto myſteria in textu Hebræo contineri, quàm ulla alia converſione reperiatur. His proximis Comitiis Francofordienſibus cum quinque Rabbinis ſum congreſſus, quos ex eodem capite, in eas anguſtias redegi, oſque illorum obturavi, ut ne verbum quidem adverſus argumenta et rationes meas reſpondere potuerint.* Similiter Helvicus teſtatur, Append. III. Elench. Judaic. Theſ. XXXIX. *Novi ego inter Judæos, qui hoc ſolo ferme loco Eſaiæ permoti fuerunt, ut Chriſtianiſmo favere cœperint.*

Alter locus, qui paſſiones Meſſiæ deſcribit, eſt Pſalm. XXII. *Deus mi, Deus mi quare me dereliquiſti?* &c. Paſſiones hæc loqui nemo non videt. at cujus? Iudæi paſſim exponunt de populo Iſraëlitico. Jarchi ad verſ. 2. על כנשת ישראל *de ſynagogâ Iſraëlis in captivitatem aliquando abducendâ pſalmum hunc compoſuit David in tempus futurum.* Sic & Judæus, in *Amicâ Diſp. quæſt.* IX. Atque Menaſſe, in Conciliat. Hiſpanico, ad hunc pſalmum. Sed, præterquam quod ex Midraſch Tehillim in hunc, & ſecundum Pſalmum, oſtendatur de Meſſiâ locum exponendum, clariſſimè idem apparet ex ipſomet inſpecto textu. Nam 1. de *ſingulari* aliquo ſermonem eſſe, non de pluribus, aut populo, liquet ex verſ. 7. *at ego ſum vermis, & non vir.* 9. *Devolvit ſe in Jehovam: liberet eum.* 10. *qui eduxiſti me ex utero, faciens ut ſecurus agerem ad ubera matris meæ.* 11. *in te rejectus ſum ex vulvâ, inde ab utero matris meæ.* 15. *Sicut aqua effundor, & diſparant ſe oſſa mea: eſt cor meum ſimile ceræ, liquefit in viſceribus meis.* 17. *manus meas, & pedes meos.* 19. *partiuntur veſtimenta mea inter ſe, & pro indumento meo projiciunt ſortem.* 21. *eripe à gladio animam meam, à cane unicam meam.* Deinde, de illo ſermo eſt, qui diſtinguitur *à populo.* verſ. 23. *enarrabo nomen tuum fratribus meis, in mediâ congregatione laudabo te.*

bo te. 24. *Timentes Jehovæ laudate eum, totum ſemen Jacobi honorate eum, et timete ab eo totum ſemen Iſraëlis.* 26. *De te laus meâ in congregatione multâ.* Denique de *Meſſia* hîc agi, confirmatur ex verſ. 28. *Recordabuntur & convertentur ad Jehovam omnes fines terræ, & incurvabunt ſe coram te omnes familiæ gentium.* Quæ gentium ad Deum & ejus cultum vocatio eſt promiſſio Meſſiæ propria, eique paſſim à Prophetis attributa, & nominatim *Pſalm.* II. Quoque memorata verſ. 29. *Quoniam Jehovæ eſt regnum ipſum, & dominium habet in gentes.* 31. *Horum ſemen colet eum, accenſebitur Domino, in quaque ætate.*

Ad hæc excipit R. David Kimchi, in hunc Pſalmum:

Chriſtiani hunc etiam Pſalmum de Jeſu exponunt, quaſi ipſe in eo narret cunctas afflictiones, quibus ab Iſraëlitis affectus eſt, clametque ad Patrem è mediis calamitatibus, & dicat, Deus mi, Deus mi quare me dereliquiſti? & totum Pſalmum eodem modo. Dictionem autem כארי *(ſicut leo) ajunt ſignificare, foderunt, à* כרה *fodit, ut in Exodo, cum* כרה *foderit vir puteum. quod clavis confixerunt manus et pedes ejus, dum illum in crucem agerent. Porro in errorem inducti ſunt ex verſiculo, qui ad extremum Pſalmi ita habet: et animam ſuam non vivificabit. ajuntque illum ipſum Deum eſſe, ante quem procident omnes qui deſcendunt in terram. Illum autem noluiſſe in vivis retinere animam ſuam, quod ea lege deſcendiſſet aſſumſiſſetque carnem, ut per ipſius cædem ſervarentur, qui deſcendebant ad inferos. Noluit, inquiunt, in vita retinere animum ſuum, ſed ſemetipſe in parricidarum ſuorum manus dedit, juxta verſum, illum noluiſſe vitam conſervare animæ ſuæ, ut eam eripere*

Reſp. Sic eſt; exponimus Pſalmum illum Chriſtiani de Meſſiâ ejuſque paſſionibus, quas ſive à Judæis, ſive illorum inſtigatione à Gentilibus etiam ſuſtinuit. Sed 1. כארי retineas licet ſenſu *leonis*; quod etiam multi Chriſtianorum faciunt, dum ſubintelligas verbum ejuſdem ſignificationis ac eſt *foderunt*: quemadmodum ideo Chaldæus Paraphraſtes utrumque conjungit, habitâ, ſi non verborum, ſenſus ratione: אפקוני נכתין היך כאריא אירי ורגלי, *circumdederunt me, mordentes ſicut leo manus meas et pedes meos.* quomodo ſervato ארי exponunt textum, aut ſubintellectâ voce contuderunt: Selomo Jarchi, כאלו הם מרוכאים, *contriverunt ſicut leo. atque ita dixit Hiskia: ſicut leo confringet omnia oſſa mea. Jeſa.* XXXVIII. 13. aut, uti Aben Ezra, וארי רבק עם הקיפוני, *ut iſtud ſicut leo conjungatur cum præcedenti* הקיפוני circumdederunt, vel *circumcinxerunt manus et pedes meos.* Qui plura de hoc loco velit, adeat celeberrimi

 Voetii

de manu interficientium. Quod ſi ita res habet, cur vociferabatur, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti, procul à ſalute mea? non enim ipſe ſe ſalvum cupiebat. Cur dicebat præterea; & non exaudis? cum ipſe exaudiri nollet. Deinde, ſi ipſe Deus erat, ſe ſervare poterat. Præterea Iſraëlitas commendans, ô Deus, inquit, Iſraëlis, id eſt, cujus laudes canebant Iſraëlitæ: atqui hi erant, à quibus torquebatur. Quo igitur pacto eos ait eſſe qui Deum laudarent? Rurſus, in te, inquit, ſperaverunt Patres noſtri. Atqui ſi verum eſt, quod ipſi affirmant, non niſi unus erat ei pater. Præterea, Deuſne ſe diceret vermis, & non homo? ecce autem quod adjicit, volventem ſe ſuper Dominum liberabit ipſum; quod nullo modo in eum quadrat, quia eum nec liberavit nec eripuit Dominus. Divinitas etiam non eget liberatione. Sequitur, quoniam tu es qui extraxiſti me. At illorum ſententia ipſiſſimus eſt qui ſe extraxit de ventre. Item, narrabo nomen tuum fratribus meis. Deo autem nulli ſunt fratres. Narratio vero atque laudatio & confeſſio, ſive gratiarum actio fit poſt liberationem. Atqui is liberatus non fuit. Similiter, univerſum ſemen Jacob glorificate eum, & timete eum, quia non ſprevit neque deſpexit afflictionem pauperis; cum re geſtâ pugnare exinde intelligitur, quod cum Iſraëlitæ illum malis afficerent affligerentque, ſprevit eum pater Voetii *Diſput. Select. part.* 1. *de Inſolubilib. Script:* Galatin. *lib.* I. *cap.* VIII. Salom. Glaſſium, *Philol. ſacra, lib.* I. *tract.* I. Buxtorfium, in *Vindiciis verit. Hebr. part.* II. *pag.* 580. Præter innumeros alios, qui ſe in hoc loco exponendo exercuerunt. Adeo in argumentatione contra Judæos perinde nobis eſt, utrum legas כארי, an כארו, quod utrumque ipſi probant, & poſtremum Maſora præfert. Quod quia ſignificantius crucifixionem videtur ſignificare, plerique Chriſtiani ſequuntur; præeunte & Græcâ verſione ὤρυξαν. Ut in lectione, vel ſenſu τοῦ כארי *foderunt*, nullos hic magis, quam præſtantiſſimos Hebræorum ſequi neceſſe habeas duces. II. Non ex illo Pſalmi verſu, vid. antepenultimo eſt quod ſententiam, nedum errorem noſtrum haurimus: imo quem non de Meſſiá, ſed homine dictum putamus, *qui animam ſuam in vitâ non conſervaverit.* III. Non cupiebat ſimpliciter ſe ſalvum vel liberum à paſſionibus Meſſias, ſub quarum onere exclamabat: & clamabat tamen, etiam pro liberatione, ut ſe vero ſenſu dolorum tactum oſtenderet, & naturam aſſumſiſſe non alienam ab humanitate, & malorum ſenſu. Liberari cupiebat quidem, neque aliter nati ſumus, quam ut liberationem ex malo cupiamus; ſed hoc totum remiſit in Dei beneplacitum, cui ſe lubentiſſimè

atque contempſit, et faciem ſuam ab eo avertens, ad ſe quantumvis clamantem minime audivit. Ita verba ejus omnia falſa ſunt, ut etiam quod conſequitur: adorabunt in conſpectu tuo omnes familiæ gentium. Judæi enim & Iſmaëlitæ in eum non credunt.

Similia habet Nizachon, in hunc Pſalm.

ſimè ſubjecit, unde nec aliter voluit, quam naturæ illam inclinationem vincere, eamque Dei voluntati atque hominum ſaluti offerre. Aliter quippe animati ſumus & loquimur ex ſolo ſenſu *naturæ*, vel ex reſpectu divinæ *voluntatis*, noſtrique ad eam *conſilii*: horum ratione Chriſtus pati voluit, renitente quamvis adverſus malum naturâ, neutiquam verò adverſus Deum, ejuſve de ſe decretum. Hoc ſenſu dixit: quare me dereliquiſti Deus meus; & quare non exaudis? IV. Et potuiſſet quidem ſe ſervare; at noluit. V. Iſraëlitas commendat hîc ut Dei timentes, eumque glorificantes, & de Iſraëlitis ſimul quoque conqueritur, ſe omnibus iſtis malis afficientibus; quare Iſraëlitas diſtingue, ut inter illos ſunt *boni* ac *mali*, alii quoad carnem ſolum ab Iſraële & improbi, alii ſecundum ſpiritum & probi, credentes Deo & Chriſto ejus. Tum quicunque pii, unde unde oriundi, ſpiritualis Iſraël paſsim appellantur. VI. Meſsias Patrem quidem habuit unicum, quod ad perſonam Deitatis; ſed majores quod ad naturam *humanitatis*, ex Davide & Abrahamo, longâ ſerie. VII. Sic de ſe non ut Deo, ſed ut *homine* dicit, vermis ego ſum. VIII. Imo clamantem ad ſe filium Meſsiam *exaudivit* Pater, atque liberavit: non quidem ne moreretur, vel affligeretur, quod nec ipſe petiit; ſed tum in ipſa morte, eum confortando; tum poſt mortem, ſub hujus dominio filium non relinquendo. Ut falſum ſit, quod Rabbi poſtea ſubjungit, quod eum Pater ſuus ſprevit, quando ad ipſum clamaret: quim exauditus fuit ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. IX. *Divinitas* non eget liberatione, neque ipſa clamavit, ſed humanitas. Et utrumque de Meſsiâ dici poteſt, quod ſeipſum, & quod eum Deus *extraxit* è ventre matris: Illud quoad divinitatem; hoc humanitatem. Neque *fratres* quando dixit, intellexit Deitatis, ſed humanitatis reſpectu; ac religionis. X. Certe omnes *familiæ gentium* Deum, ejuſque Meſsiam adorarunt, quamvis hoc reſpuant Judæorum multi, & Muhammedani. Satis enim manifeſtum, quaſcunque gentes & gentium familias Chriſti nomen invocare & colere, licet non ſingulas, cujuſvis tamen generis quaſlibet. Atque ita oſtenſum, omnia vera eſſe & convenire Chriſto Meſsiæ quæcunque Pſalmo hoc dicta ſunt.

Præterea pro Meſſiæ paſſionibus & morte etiam adducimus Scri-

Digitized by Google

pturæ loca. Dan. IX. 26. *poſt ſeptimanas autem illas ſexaginta duas excidetur Meſſias*. Zach. IX. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi pauper, & inſidens aſino*. Rex *pauper* nequit eſſe citra afflictiones. Cap. XII. 10. *Reſpicientque ad me, quem transfixerunt*. Cap. XIII. 7. *gladie evigila contra paſtorem meum, et contra virum ſocium meum*. Quæ loca de Meſsiâ intelligenda, in ſuperioribus vidimus. Pſalm. XVI. 10. *Non derelinques animam meam in ſepulchro, non trades ſanctum tuum ut videat corruptionem*. Ita afflictiones, mors, atque ſepultura Meſsiæ præſignificata. Locus ille Pſalmi de alio explicari nequit quam de Meſsiâ. Non de Davide: nam mortuus ille, & in ſepulchro corruptionem vidit, ſepulchro ejus per multa poſt ipſum ſæcula inter Iudæos noto ac celebri. Loquitur autem autem Propheta de aliquo I. deſcenſuro quidem in ſepulchrum. at II. non diu ibi derelinquendo, ſed brevi reſuſcitando. III. quin antequam videat corruptionem. Quæ non in Davide, ſed Meſsiâ locum habent, & verificantur.

Rabbi Selomo Jarchi explicat, לא תעזבני לשור ממך, *non relinques me recedere a te*, videlicet poſt grave iſtud homicidii & adulterii peccatum, quod mihi remiſiſti, II. *Sam.* XII. *Reſp.* Quorſum jam ſpiritualiter exponunt Scripturæ verba, quæ litteralem ſenſum admittunt & exigunt, quum hoc alias adeo non obſervent, ut quamvis urgente omni neceſsitate, malint in abſurda & inepta quævis ire, quam ſpiritualem admittere rerum quarundam explicationem? De ſepulchro, deque videndâ vel non videndâ ibidem corruptione, adeoque rebus corporalibus hic ſermo: quod & ſequens verſus indicat, ubi de gaudio æterno ac cœleſti, שמחה שאין לה קץ ותכלה היא השמחה של עתיד *gaudio perpetuo, & futuro*, inquit Jarchi. Sic & Ezra: *notam mihi facies ſemitam vitæ* כי במות הגוף *quia in morte corporis notam mihi facies viam vitæ, nimirum viam quo cœlum petam ad Angelos excelſi, et ſatietatem gaudiorum in conſpectu tuo. Senſus eſt, quod delectabitur ſplendore majeſtatis: & notam mihi facis] quod tum liberabitur anima à moleſtiis hujus mundi, atque videbit veritatem de facie ad faciem. & amœnitates in dexterâ tuâ] quod deliciabitur in Deo, et in dexterâ tuâ] quod dabit partem egregiam diligenti dexteram ejus. & in æternitatem] quod hac ejus portio nunquam deficiet.* והנה שכר הצדיק מפורש במזמור הזה *atque ecce merces juſti hoc Pſalmo explicatur.*

Pſalm. LXIX. 22. *dant mihi alimentum amarorem, & in ſiti meâ bibendum mihi dant acetum.* Quæ de Meſſiâ intellige. De populo Iſraëlitico Judæi. Targum, על גלות סנהדרין, *de captivitate Sanhedrin*. Jarchi, *de Iſraële*, על ישראל. Verùm I. de uno ſingulari agitur. verſ. 10. *quia Zelus*

domus

Digitized by Google

domus tuæ exedit me, & opprobria probris afficientium te inciderunt in me. 11. *flevi in jejunio anima mea.* 12. *veſtimentum meum cilicium.* 19. *appropinqua ad animam meam.* 30. *ego verò pauper & dolens, &c.* Deinde, ab Eccleſiâ diſtinguitur. verſ. 7. *ne erubeſcant de me exſpectantes te Domine.* 9. *Extraneus effectus ſum fratribus meis.* 10. *zelus domus tuæ.* 33. *manſueti hæc videntes lætabuntur, & reviviſcet animus veſter ô quærentes Deum.*

Denique Judæi non habent, quod abhorreant à paſſionibus, quas docemus, Meſſiæ, quum ipſi Meſſiæ ſui ben Joſeph ſive Ephraim, cui nomen ſc. erit Nehemias Filius Huſiël, afflictiones, ærumnas atque interemtionem paſſim referant. Adeo nihil à ſtatu Meſſiæ alienum, pati atque interfici. Hinc de Meſſiâ illo ſuo quando loquuntur (loquuntur autem in Talmude, Maſſechoth *Sucha*; & in Paraphraſi Chaldaicâ, *Cantic.* IV. 4. R. Machir in *Avkath Rochel lib.* 1. *part.* 1. & alii paſſim) vulgo dicunt חבלי המשיח *dolores Meſſiæ.* & quod tertia afflictionum quæ mundo ſupervenerunt, pars, Patriarchis olim; tertia ipſis in exilio extra Cananæam; denique tertia obventura ſit Meſſiæ Joſephi filio. אר' כי כל היסורין שבאו לעולם השליש היו לדויד ולאבות והשליש השני לדורו של גזרת והשלישי למלך המשיח, *Dicunt Rabbini noſtri p. m. omnium afflictionum quæ mundum ingreſſæ, tertia pars Davidi ac Patriarchis obtigit: tertia altera ſæculo excisionis: ultima tertia pars Regi Meſſiæ incumbet.* R. Alſchech, in Jeſa. LII. 13.

Aſſertâ Meſſiæ *paſſione*, ſequitur ſimul oſtendenda ejus *ſatisfactio*: quod per illa quæ hactenus diſputata facilius jam eſt, & hoc modo demonſtramus. 1. afflictiones, mors & quæcumque paſſus Meſsias, mala ſunt, ac mala *pœnæ* (alia quippe ſunt mala culpæ, peccata; alia pœnæ, & afflictiones.) Mala verò pœnæ locum non habent, neque etiam habere poſſunt, niſi ad, & propter peccata: ubi nullum peccatum, nulla quoque pœna; nec punit Deus, ubi non peccat homo: juxta Veterum hoc verbum, אין מיתא בלא חטא, *non eſt mors abſque peccato.* Ergo & quæ Meſsias pœnarum mala paſſus, ea luit pro peccatis. Sed pro quibus, aut quorum peccatis? vel pro ſuis, vel pro alienis: tertium haud datur: non autem pro ſuis, nam peccatorum omnium exſors fuit, & eſſe debuit, ubique enim *juſtus* dicitur. Zach. IX. 9. Jeſa. LIII. 11. 9. *qui non fecit violentiam, neque eſt dolus repertus in ore ipſius.* Pſalm. LXIX. 5. *oderunt me immeritò,* חנם *gratis, ſunt mihi inimici injuria, quod non rapui cogor rependere.* Dan. IX. 24. *obſignat peccata, & expiat iniquitatem, & adducit juſtitiam perpetuam.* ergo paſſus fuit pro peccatis aliorum, ſive

mala

mala ea pœnæ fuerunt non ſuorum peccatorum, ſed aliorum. atqui hoc eſt pro aliis ſatisfacere. Ubi unquam punitus aliquis à Deo, qui peccatorum omni ex parte inſons & perfecte immunis fuit? ubi non pœna omnis & mors ſolius peccati ſtipendium cenſita? *quo die comederis, morte morieris*. Geneſ. II. 17. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*. Jezech. XVIII. 4. non moritur niſi qui peccavit, nec pœnæ quævis locum habent niſi poſt, & propter peccata. Levit. XXVI. 14. 15. 16. 17. 18. &c. *ſi non auſcultabitis mihi, neque facietis omnia mandata iſta*, tum *ego hoc faciam vobis*, &c. *quod ſi adhuc non auſcultaveritis mihi, tunc addam caſtigando vos ſeptuplum propter peccata veſtra*. Deut. XXVIII. 15. *ſed erit ſi non auſcultaveris voci Jehovæ Dei tui, cum obſervantia faciendo omnia præcepta ejus & ſtatuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie, ut obvenientes tibi omnes maledictiones iſtæ aſſequantur te. Maledictus eris*, &c. Malach. II. 2. Dan. IX. 11. *Sed omnes Iſraëlitæ transgreſſi ſunt legem tuam, idque recedendo ut non auſcultarent voci tuæ: quapropter effuſa eſt ſuper nos illa exſecratio & illa adjuratio quæ ſcripta eſt in lege Moſis ſervi tui, quia peccavimus in eum*. & verſ. 13. Thren. III. 38. 39. 42. atqui maledictio, & pœnæ, & mors in Meſſiam irruit ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Vel ergo Deus inique egit, pœnas infligendo innoxio & peccatum omne neſcienti; vel in hoc caſtigavit peccata aliorum: quorum illud, quia vel cogitari nequit, iſtud dici debet.

II. Quin ipſa Scriptura S. quando paſſiones Meſſiæ memorat & deſcribit, hoc clariſſime docet, in Meſſiæ afflictionibus *tranſlata* noſtrorum peccatorum debita fuiſſe, in ejus quaſi humeros, atque pro illis, nullam aliam ob cauſam, illum flagellatum, & verberatum fuiſſe. Sic ergo quod noſtrum fuit, noſtrum peccatum, κρῖμα, in eo vindicatum. Jeſa. LIII. 4 *profecto languores noſtros* הוא נשא ומכאבינו סבלם *ipſe ſuſcepit, & dolores noſtros portavit eos*. Græci: οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται. נשא eſt, *ferre, portare: hinc* נשׂאתיכם *ſarcina veſtra*. Jeſa. XLVI. I. משא, *onus*. Num. IV. 15. Jeſa. XIII. I. &c. ſignificat etiam *elevare, attollere*. Exod. XXXV. 26. II. Reg. IX. 25. נשא המא, & נשא עון, & נשא בעון dicunt, *ferre, luere pœnas peccati*. Levit. V. I. 17. ואשם ונשא עונו, *et reus erit & feret iniquitatem ſuam*. & cap. XVII. 17. & XXIV. 15. Jezech. XLIV. 10. 12. & XVIII. 20. Neque ſolum quando quis propria, ſed & quum aliorum peccata fert, ſic loquuntur. Num. XXX. 15. ונשא את עונה *& feret iniquitatem ejus*, ſc. uxoris ſuæ. Exod. XVIII. 38. *& ferat Aharon iniquitatem ſacrorum*. Ita Græci; φέρειν, & ἀναφέρειν ἁμαρτίας, cap. hoc verſ.

verſ. 13. והוא חטא רבים נשא, καὶ αὐτὸς ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκε. Apparet ergo quid ſit, Meſsiam נשא ferre peccata noſtra. quin non ſolum נשא ſignificat ferre peccata, & pœnas; ſed quoque remittere, ac condonare. *Gen.* IV. 13. *Pſalm.* XXV. 8. *Jeſa.* XXIV. 18. dicitur & סבל verſ. 4. & 11. quod proprie eſt *bajulavit, portavit.* unde סבל *onus*, & סבל *bajulus.* Nehem. IV. 10. 17. Thren. V. 7. Jeſa. IX. 3. & X. 27. Græci, βαστάζειν. verſ. 5. *at ipſe dolore fuit affectus à prævaricationibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ ſuper ipſum, & vibice ejus facta eſt ſanatio nobis. 3. omnes nos ut ovium grex erravimus, quiſque in viam ſuam nos convertimus: & Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium noſtrum. 7. Exactum fuit debitum, & ipſe afflictus fuit, nec aperuit os ſuum: ſicut parva pecus ad occiſionem ductus fuit, etc. 8. à prævaricatione populi mei percuſſio ei. 11. Multos, quorum iniquitates ipſe portaverit. 12. et cum prævaricatoribus numeratus fuit, nam ipſe peccatum multorum ſuſcepit, et pro prævaricatoribus intercedit.* Quibus omnibus quam ſignificanter, & energeticè depingitur ſurrogatio Meſsiæ facta in locum noſtrum? ut pro nobis & noſtro loco ſubiret debitas nobis pœnas & perpeſsiones? ut ſc. ejus ſatisfactione redimi nos atque ſalvari poſſemus. Compello animum Judæorum, num exiſtiment aliis verbis deſcribi melius ſatisfactionem potuiſſe, quam quibus à Prophetâ hoc loco factum? vel quibus quæſo ſignificantioribus illud putent exprimi poſſe? Certe fatemur, ſiquidem à nobis exigeretur, ut mentem fidemque hac in re noſtram exponeremus ipſi, quod haud aliis magis emphaticis verbis phraſibuſque id præſtare poſſemus, quam quibus id à Prophetâ factum: qui, I. paſsiones Meſsiæ graphicè delineat. II. earumque cauſam, peccata & prævaricationes noſtras, nullas ipſius. III. ſurrogato eo in noſtrum locum. IV. ut ſic jam in ipſum Deus incurrere fecerit omnium noſtrum iniquitates הפגיע בו. quod Symmachus benè tranſtulit: κύριος δὲ καταντῆσαι ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τὴν ἀνομίαν πάντων ἡμῶν. V. quas & ipſe lubenter in ſe ſuſcepit. VI. & hinc ejus dolores, caſtigatio, plaga, afflictio, percuſsio nata, denique & mors. verſ. 4. 5. 7. 8. Quibus jam applicemus verba R. Alſchechi, quæ habet in hunc locum, & Meſsiæ certe, non Moſi conveniunt. וראו נא *ſpectate jam benignitatem Dei laudandi: quod poſtquam ſigillatim erraviſſemus, ipſi quidem conveniebat, ut ſeparatim ſingulos plagâ afficeret, quia ſinguli diſtinctis peccatis ſibi accuſatorem creaverant, qui in unumquemque ad caſtigandum incurreret. Deus tamen illius rei rationem non habuit; ſed nos omnes unius inſtar complexus eſt, omniumque noſtrum iniquitatem ſimul conſideravit, atque iſtam*

Digitized by Google

iſtam iniquitatem incurrere fecit in hunc juſtum, *hoc eſt*, *fecit incurrere in eum iniquitatem omnium noſtrum*. Vel ſi Moſi illa applices, cur non, & melius etiam, Meſſiæ? vides ſaltem modum imponendi alteri debita aliorum, & plurimorum uni, haud abs re eſſe, vel contra æquitatem, & agendi modum divinum, ut hæc in Meſſiâ eo facilius concedas, quo ille Moſe, omnibuſque aliis præſtantior omni ratione muneris ſui, proinde & in hoc ſatisfactionis quoque fuit.

Accedat & *tertia* ratio, ex *convenientia* rei, quod ita eſſe oportuerit, ut per Meſſiam præſtaretur noſtri loco ſatisfactio: ſive conſideremus, ut pro *peccato* neceſſaria eſt ſatisfactio: ſive quod ea per nullum alium, præterquam *Meſſiam* peragi poſſit. Quæ ut melius pateſcant, hoc ordine in demonſtratione noſtrâ procedimus. I. Peccatum ut tale, ſive pro ſuâ, quam habet, malignitate, *meretur* pænam. Hoc peccati natura, & peccantium ſenſus atque conſcientia ſatis confirmant. II. Dei *ſanctitas*, ſanctiſſimaque natura peccatum omne ſummè averſatur, & non poteſt non averſari, quouſque peccatum deteſtabile eſt, qui ad nihil, quod in peccato mali, connivere poteſt. Quare nec velle poteſt ne peccatum ſit punibile, aut puniendum, qui perfecte odit peccatum, ejuſque malitiam ut optime novit, ita per omnia perfecto ſuo odio perſequitur: Pſalm v. 6. *odi omnes operantes iniquitatem*. Pſalm. XLV. 8. *odio habes iniquitatem*: Pſalm. CXXXIX. 22. Zach. VIII. 17. Tertio *Pœna* peccati eſt infinita. Quod ejus notat maledictio. Atque hujus cauſa eſt Dei immenſitas, quia ut pœnæ æſtimantur ratione perſonæ, contra quam delinquimus, ita quum Deus in quem peccamus infinitus, pœna non poteſt eſſe alia quam pro crimine læſæ majeſtatis, id eſt, totalis hominis peccatoris à Dei commercio, & bonarum omnium communitate exciſio & mors. IV. Pænas illas exigere Deus *vult* à peccatore, ſuæque juſtitiæ *ſatisfieri*. Exod. 34. 7. *& abſolvendo non abſolvit Deus*, injuſtum vid. qui abſolvi non meretur. Num. XI. 18. Nah. I. 3. Jeſa. LIX. 18. *Juſtus es Domine, et rectum judicium tuum*. Pſalm. CXIX. 137. & IX. 5. & XI. 7. & CXXIX. 4. II. Paral. XII. 6. Nehem. IX. 43. Jerem. XII. 1. Thren. I. 15. Dan. IX. 14. Geneſ. XVIII. 25. Job. XXIV. 20. Quemadmodum juſtitię hoc præſcripſit hominibus, ne impunè putent peccari poſſe, vel hoc permitti, *quo juſtificat impium et condemnat juſtum*, *abominatio eſt Jehova*. Prov. XVII. 15. atque omnium animis inpreſſit δικαίωμα τοῦ θεοῦ quod qui peccant, digni morte ſunt; unde illa in hominum quorumcumque animis horrenda αὐτοκατάκρισις, & ex reatus ſui conſcientia metus ſupplicii & pœnarum à Deo etiam poſt hanc vitam

tam infligendarum : ita hæc argumento ſunt, juſtitiam Dei ſummam illam ſanctiſſimamque pænas à peccatoribus efflagitare, & debitam ſatisfactionem. v. Quia peccatum omne contra Deum, contemtum ejus includit, & Deum *negat* aliquo modo, ejuſque in nos Dominium, atque ſic ejus majeſtatem lædit infinitam, *Pſal.* II. 3. *Lev.* XXVI. 15. *Num.* XI. 20. II. *Sam.* XII. 9, 10. Quare Deus nec potens ſe abnegare, non poteſt non adverſus peccatum & peccatorem inſurgere in vindictam ſui, eamque expoſcere juſtâ peccatorum, pro eâ quam debent, punitione. Joſ. XXIV. 19. *Deus ſanctiſſimus eſt, Deus fortis, zelotes eſt, non feret defectionem veſtram.* Hab. I. 13. *Purior es oculis, quàm ut aſpicias malum, & intueri moleſtiam non potes.* Pſalm. V. 5, 6. *Odiſti omnes operantes iniquitatem.* VI. Ut Deus jam non poſſit cogitari ſub contrario juſtitię, quaſi non volens puniri peccatum. VII. Quare dum hinc homo ad pœnam poſcitur & ſatisfactionem, circumſpicere neceſſe habet de ſatisfactionis & redemtionis ſuę ratione commodâ & certâ. VIII. Atque hîc ſe mutuo reſpiciunt ac ſubſequuntur, pœnas *ferre, perferre, ſatisfacere*, & *redimere*. Fert quis ſæpe, quod tamen non perfert, ſeu omne & totum quod ferendum erat. Et hoc non ſatisfacit, niſi accipiatur à creditore aut judice, qui teſtetur ſe acquieſcere & ſibi factum ſatis: unde tum ſequitur liberatio. Jam autem *nemo hominum* pœnas illas infinitas peccatorum ferre & exſolvere poteſt. Ferat, non perferet; ſolvat, non exſolvet; quare nec ſatisfacere, nec redimere potis eſt : non *ſe*, nedum *alios*. Jeſa. LIII. 6. *omnes nos ut ovis erravimus, quiſque in viam ſuam nos convertimus.* Pſalm. XLIX. 8. *Fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, non dare Deo redemptionem ejus.* 9. *Eſt enim cara redemptio vitæ eorum; imo ceſſat in ſæculum.* IX. Non inſolens neque indecens eſt in materiâ ſolutionis, ut unus pro alio *ſurrogetur* : videlicet qui par ſit ſolvendo, & præſertim judici placeat. Hinc in primis juris Inſtitutionibus : *nec intereſt quis ſolvat, utrum ipſe qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio ſolvente : ſive ignorante debitore vel invito eo ſolutio fiat.* quibus modis toll. oblig. §. 3. & D. de ſolut. & liberat. l. XXII. l. XL. & LIII. *ſolvere pro ignorante et invito cuique licet* : cum ſit jure civili conſtitutum, licere etiam ignorantis invitique conditionem meliorem facere. l. LII. *ſatisfactio pro ſolutione eſt.* Sed divinas reſpiciamus leges. Tota ratio ſacrificiorum fundatur in hoc jure : nam illa per ſe non potuerunt expiare peccata, & conſcientiam emundare, tamen peccata offerentium portaſſe dicuntur. Quæ typi erant ejus, qui contra imbecillitatem ipſorum ad veram ſatisfactionem rituum, ſuum

ipſius in ſacrificium expiatorium offerret corpus, Meſſiæ nempe dicentis, Pſalm. XL. 7. *Sacrificio & munere non delectatus es, aures perfodiſti mihi: holocauſtum & oblationem pro peccato non expetiviſti.* 8. *Tum dixi, ecce venio: in volumine libri ſcriptum eſt de me.* &c. Neque ſemel in Scripturis dicitur, Deum peccata aliorum punire in aliis. *Exod.* XX. 5. *Joſ.* VII. 24. *Geneſ.* IX. 25. II. *Sam.* XXI. 8. 14. & XXIV. 15, 17. adde, I. *Reg.* XXI. 29. Et Iudæi dicunt, Iſaacum, quando ligaretur in hoſtiam à parente offerendam, peccata portaſſe poſteriorum Iſraëlitarum, uti in Rabboth, *Cant.* I. 14. ad verba, *botrus coper*, dicunt, *Botrus hic eſt Iſaac, qui alligatus fuit altare ſuper ut botrus: copher, quia expiavit iniquitates Iſraëlis*: הכפר עונותיהם של ישראל. In Capitulis R. Eliezeris, *cap.* XXXI. R. Zacharia inquit: *Aries iſte, qui creatus fuit crepuſculo ſabbathi accurrit & venit ut offerretur pro Iſaaco.* Atque hodie in precatione novi anni etiamnum dicunt, & rogant Deum; ut velit recordari ligationis, qua Abraham ligavit filium ſuum ſuper altare. Huc facit, quod caput *Jeſa.* LIII. ubi adeo manifeſte agitur de alicujus pro peccatis populi punitione, de Moſe, Ioſiâ, Ieremiâ, aliiſve paſſim Iudæi explicant, temerario judicio ſurrogationem illam in quibuſcumque aliis ponentes, præterquam, ubi oportet, in Meſſiâ. Denique, videmus aliquoties Deum in Scripturis introduci inquirentem in ſponſorem & mediatorem aliquem, qui ſe ſiſtat inter ſe & populum intermedium, ut ſuam iram portet vel deprecetur. Jezech. XX. 30, 31. *Dum autem quæro ex eis aliquem qui obducat ſepem, & conſiſtat in irruptione coram me pro ipſa terra ne corrumpam eam, non invenio. Quapropter effundens ſuper eos indignationem meam, igne furoris mei conſumam eos: viam ſuam in caput ipſorum reponam, dictum Domini Jehovæ.* & cap. XIII. 5. & IV. 4. Jer. XXX. 21. Pſalm. CVI. 23. X. Quando jam Scriptura *illum* monſtrat nobis, qui ſe pro peccatis noſtris Deo vadem ſtitit, & noſtra in ſe ſuſcepit debita, pro iis paſſus eſt & ſatisfecit, utique accipiendus & amplectendus omni fide & προθυμίᾳ animi eſt, non repellendus aut proculcandus. XI. Sed hic eſt *Meſſias* noſter. Cui id impoſitum, ut pro nobis, id eſt, α. *cauſa.* β. *vice* noſtri. γ. *bono* noſtro pateretur, atque paſſionibus ſuis divino judicio pro nobis ſatisfaceret. על, & חלף, תחת, ܚܠܦ, ὑπὲρ, ἀντὶ ἡμῶν. Qui *potuit* ſuſtinere & exſolvere pœnas noſtras, ex ratione *perſonæ* ſuæ, quia fuit θεάνθρωπος: & ratione *officii, debuit.* Clare hoc deſcribit Jeſaias celebri & Euangelico capite LIII. 5. *attritus ab iniquitatibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & in confractione ejus ſanatio nobis.* 6. *Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium noſtrum.* 10. *ſi ſeipſam ponat*

reatum

Digitized by Google

reatum אשם *anima ejus.* אשם *delictum* ſignificat; & *expiationem* pro delicto. Levit. v. 6. 1 Sam. VI. 3. præterea verſ. 11. *ex labore animæ ſuæ videbit ſemen quo ſaturabitur, ſcientiâ ſui juſtificationem conferet ſervis meis plurimis: quorum iniquitates ipſe portavit.* 12. *pro eo quod effudit in mortem animam ſuam, & cum prævaricatoribus numeratus fuit: nam ipſe peccatum multorum ſuſcepit, & pro prævaricatoribus intercedit.* Nemo, qui non vim conſcientiæ ſuæ juxta ac veritati conetur inſerre, illa aliter intelligere poteſt, quam de vicariâ unius pro alii paſſione, & ſatisfactione, eaque Meſſiæ, quâ de nunc loquimur. Dan. IX. 24. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt, &c. ad cohibendam defectionem, & obſignandum peccata, et expiandum iniquitatem, & adducendam juſtitiam perpetuam.* Et verſ. 26. *exſcindetur Meſſias, at non ſibi.* Jer. XXIII. 5. nomen Meſſiæ *Jehova juſtitia noſtra:* nam ſervabit Jehudam & Iſraëlem. Locum illum de Meſſiâ capiunt, in *Bava bathra cap.* V. Ierem. XXXIII. 16. Geneſ. III. 15. *inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, ſimiliterque inter ſemen tuum et ſemen ejus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres ei calcaneum.* Chaldeus: *& inimicitiam ponam inter te & mulierem, et inter filium tuum et filium illius, ille memor erit ejus quod ab initio feciſti ei, atque tu obſervabis eum in finem uſque.* Magis aperte ad Meſſiam applicat Targum Jeroſolymitanum: ויהי כד יהוין, *Et erit, quando filii mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, conabuntur tibi conterere caput, atque interficere. Cum vero deſeruerunt filii mulieris præcepta legis, nec ſervabunt mandata, tu conaberis mordere eos in calcaneis eorum, atque iis nocere. Verùm remedium erit filiis mulieris; tibi vero ſerpenti nullum erit remedium. Quandoquidem futurum eſt, ut curaturi ſint quo ſibi mutuo auferatur morſus calcanei in fine dierum, in diebus Regis Meſſiæ,* ביומוי דמלכא משיחא. Expiare peccata Hebræi dicunt כפר. unde Ialkut in Jeſa. LIII. והוא חטא רבים נשא *et ipſe peccatum multorum tulit,* explicat, שכפר על מעשה העגל *peccatum in vitulo commiſſum expiavit.* Vide & Levit. IV. 20. & XVI. 17. & VIII. 15. Geneſ. XXXII. 22. ubi eſt *placare*, quod ad expiationem ſolet ſequi, אכפרה פניו *placabo faciem ejus.* Exod. XXIX. 22. Prov. XVI. 14. inde כפרת *propitiatorium* Exod. XXV. 16. כפר *redemtio, pretium, propitiatio.* Talis ergo nobis Meſſias ἱλασμὸς, ἱλαστήριον, λύτρον pro peccatis noſtris.

Quæ ex Iudæis, confirmando huic argumento, adferri ab aliis ſolent, vide apud Martinum Raymundum, *Pug. fidei, part.* III. *pag.* 655. Galatinum, *lib.* VI. Mornæum, *Paræneſ. ad Judæos part.* I. Et *lib. de verit. Relig. Chriſtianæ, cap.* XXVII. Helvicum, *Elench. Judæor.* I. & IV. atque

 ex Ca-

Digitized by Google

ex Cabalâ huc diſputat Reuchlinus *lib.* I. Ioſephus de Voiſin, in Pugionem fidei Martini Raymundi, *pag.* 398. ex Neve Schalom, citat, *lib.* IX. *cap.* V. quod hic Auctor dicat, והכפרה *Purgatio, quam faciet Meſſias erit ad expiandum peccatum commune, ſive generale: ad conſumendam prævaricationem, & ad finiendum peccatum, quod occupat genus humanum. Quemadmodum enim primus homo fuit primus qui peccavit; ſic Meſſias erit noviſſimus, qui removeat penitus peccatum.*

Præter ea, quæ excipiunt Iudæi, ad noſtra de paſſione & ſatisfactione Chriſti argumenta, parùm habent, quod dicant. *Objiciunt* aliquando, *primùm:* quomodo paſſione & morte ſua ſatisfecerit pro peccatis Meſſias, quum maximum in ejus morte à Iudæis peccatum perpetratum ſtatuamus: & non convenire videatur, ut interveniente peccato, pro peccato fuerit ſatisfactum? *Reſp.* I. Ita ſi quidem à Meſſia ipſo ſponſore peccatum hic fuiſſet, non potuiſſet ſatisfactio haberi aut peragi. II. Sed ut in negotio paſſionis, ab aliis paſsionem innocenti inferentibus graviſsimè peccetur, nihil vel ad Meſsiam, vel ejus ſatisfactionem, ſed ad perſequentes, & aggravandam patientis afflictionem. V. g. quod pio homini in ſuis afflictionibus, quas ſancte ſuſtinet, à Diabolo aliæ & aliæ parentur calamitates, hujus peccatum eſt, quod nihil officit illius patientiæ, vel negotio, ob quod patitur. III. Accedit quod pro illis ſe crucifigentibus Iudæis etiam precatus Meſſias fuerit, quandoquidem ex ignorantiâ peccabant multi, quos etiam converſos & ſervatos conſtat. Atque uti fratres Ioſephi peſſime quidem agebant contra optimum virum, Deus autem illorum facinus in finem direxit illis ipſis ſalutarem: ſic Deo haud difficile vel inſolens peccato abuti quaſi, & in eventum longe alium deſtinare, quam ipſum debeat. Nempe id fuit principium divinorum operum, & familiare inde, ex tenebris lucem educere.

Obj. II. Si paſſus & ſatisfecit pro peccatis Meſsias, oportet ante omnia ut ſatisfecerit pro peccatis Iudæorum, quibus præcipuè promiſſus. *Reſp.* Et pro Iudæis, quotquot in ipſum credunt, ſatisfecit. Quid autem mirum, pro illis non fuiſſe mortuum, qui eum, & mortem ejus contemnunt? Certe uti pro omnibus ex Gentiliſmo in Meſsiam credentibus, ſatisfeciſſe eum morte ſuâ firmiter credimus, adeoque & nobis, ita pro Iudæis etiam, quotquot in ipſum vel olim, vel hodie, vel aliquando credituri ſunt, tempore converſionis eorum futuræ, ſatisfactum à Meſsiâ, noſtro nulli dubitamus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

DE
JUSTIFICATIONE PECCATORIS CORAM DEO.

De duobus hoc capite agendum, juſtificatione, & ejus apud animum certitudine. Quæ in juſtificatione attendenda. Sententia Iudæorum. Quomodo per afflictiones & mortem dicant peccata expiari. Kippur, vel dies expiationis ipſorum. Diſtinctio peccatorum gravium, & levium. Tres hominum faciunt ordines, bonorum, malorum, & intermediorum. Diſtinctio præceptorum, in affirmativa, & negativa. In inferno etiam animas purgari credunt, vel expiari. Quomodo omni Iſraëlitæ partem tribuant in futuro ſæculo, niſi apoſtatæ. Tres fidei Iudaicæ articuli fundamentales, juxta R. Ioſephum Albo; juxta Maimonidem, tredecim. Quorumcumque, etiam Gentilium, operibus mercedem conſtituunt. Probatur, non poſſe nos operibus noſtris coram Deo juſtificari. Non poſſumus perferre & exſolvere pœnas. Non certè ſpontaneis afflictionibus. Non pro alio. Nemo legem perfecte ſervat. Quod ex Scrip. probatur, hominis conſcientiâ, & Iudæorum ipſorum conſenſu. Bona opera non ſunt ſatisfactoria. Sancti in Scriptura judicium legale deprecantur. Deus nos juſtificat remiſſione peccatorum. Atque per juſtitiam Meſſiæ, fide nobis applicatam. Objectionibus, quas movere poſſint in contrarium, reſpondetur. Certitudo juſtificationis & ſalutis probatur, Scripturæ teſtimoniis, & exemplis: atque vindicatur contra objectionem.

ERgo inter officia Meſsiæ eminuit, quam pro ſacerdotali munere peregit, noſtrûm expiatio, datâ plenâ pœnarum noſtrarum, ſui ſacrificio & morte, perſolutione. Cæterum uti ex officiis beneficia, & Chriſti maxima officia paria genuerunt beneficia, ita inter hæc quæ omnia ſalutaria ſunt, & ad ſalutem ducunt, potiſſimumque quod ad paſſionem ejus proximè refertur, eſt noſtri coram Deo, per ejus paſſiones & meritum, *juſtificatio*. De quâ nunc dicendi locus eſt. Materiâ certe gravi, & à quâ omnis noſtra pendet tum hîc, tum in futuro conſolatio, & ſalus. Quo (obſecro) animo potes eſſe & vivere, niſi quo loco res tuæ apud Deum ſint, & an judicio ejus ſis abſolvendus, an damnandus, ſcias? ſcias autem, non ex temerario quodam in arcana Dei involatu, ſed tacito & efficaci Spiritus divini apud animum tuum teſtimonio & obſignatione. Ergo quemadmodum ad juſtificationem ſequitur ejus notitia & ſenſus, de duobus hoc capite agendum erit, de *juſtificatione* primùm, & quòmodo, vel per quod, quam, cujus juſtitiam apud Deum ſimus juſtificandi. Deinde de *certitudine* ejus, ac divinæ gratiæ, & ſalutis no-

Digitized by Google

ſtræ apud animum : an haberi & ſentiri à piis & fidelibus hac in vitâ poſſit.

Quæ diſputata præcedenti capite ; de Chriſti Meſſię paſſionibus, morte, & ſatisfactione fuerunt, huc faciunt, ut doceamur quod non alia re, quam Meſſiæ paſſionibus ac juſtitia, apud Deum juſtificari homo peccator poſſit, & debeat. Nam certe, quod tantum negotium, ac eſt injuſtum hominem coram Dei judicio abſolvi, haud levi pretio conſtet, res ipſa dictat. Cujus autem pretio vel merito, aut cui hoc propius convenire arbitrabimur, quam Meſsiæ? Iuſtificari hominem, abſolvi ſignificat, coram Deo, ab omni reatu ſuo ac pænis debitis; tum adjudicari ei ſalutis ac vitæ æternæ jus, qui eſt ille μακαρισμός, quem Pſaltes celebrat *Pſalm.* XXXII. in initio.

Ad tria attendendum. I. conditionem hominis injuſti ac *peccatoris*. II. ſummum Dei *Tribunal*, cui homo hic ſiſtitur, dum tractamus de ejus juſtificatione. III. Dei *judicium*, ſive ad ſententiam *juſtificationis*. Atque id jam indagandum venit & anquirendum, qui contingere poſſit, quâ, cujus causâ, & merito, ut homo quamvis peccator, à Deo juſtificetur? certe non ſuo merito, namque peccator eſt & reus. Etiam fecerit quid boni. Primò id tenue & exiguum; non ab omni labe purum; atque ſui ratione debitum, unde non pro aliis hoc debitis dare aut ſolvere poteſt. Quid autem hominem à reatu mortis æternæ atque maledictionis, quem peccatis ſuis incurrit, abſolvet, quid eximet? quid reddet Deo? unde attribuetur ei jus in, & ad vitam æternam?

Oportet primùm audire *ſententiam* Judæorum; tum *confutare*: denique *veram* ſubjungere & confirmare. Cum autem juſtificatio duas comprehendat partes, *abſolutionem* à pœna ac reatu; & *adjudicationem* vitę: de ſingulis ordine videndum, quid hodie Iudæi teneant, doceantque. Ac primo quidem de illâ hunc in modum philoſophantur.

Solvere vel expiare peccata ſua hominem debere per ſe, vel per ſua, quæ poteſt, vel habet, ſeque ipſum redimere. Hoc autem contingere duobus ferè modis ajunt. I. per *afflictiones*, & mala quę patimur. II. Per virtutes atque *opera* bona, quę præſtamus, nominatim pœnitentiam. Afflictiones recenſent hic alias *neceſſarias*, quæ infliguntur ab alio; *ſpontaneas* alias, quas nobiſmet ipſi imponimus: imo non *noſtras* ſolum, ſed & *aliorum*, quà *hominum*, quà *animalium* in cenſum juſtitiæ hîc vocant. Compendium verò & ſumma malorum mors, quia eſt; de hac loquentes audiamus illos. Eam, cujuſcumque ſit, an propria, an aliena, ſtatuunt expiatio-

Digitized by Google

piationem eſſe pro peccatis : atque hinc vulgatum iſtud : *ſit mors expia-*
,, *tio pro peccatis*, כפרה מיתתי. Sit mors mea expiatio pro peccatis meis. Sit
,, mors ejus expiatio pro peccatis ipſius. Addunt etiam, & ipſius, & totius Iſraëlis : תהא מיתתו כפרה עליו ועל כל ישראל, *ſit mors ejus expiatio pro ipſo, & univerſo Iſraële.* Quin & facinoroſo cuilibet, qui morte dignus mulctatur, apprecantur, ut mors ejus ſit expiatio pro ipſo. Similiter ad mortem Chriſtianorum. Ex quo arguere illos & perpendere volumus mortis expiatorium, etiam unius pro alio : verùm ut ad iſtam referant hypotheſin, cui ſoli convenit, nimirum expiationi Meſſię, & morti ejus pronobis.

Nulli rei tantam expiandi vim attribuunt, ac diei expiationis, quem ſi benè obſervent, atque alios novem eum antecedentes dies, uſque ad decimum feſti *Kippur*, ſeu expiationis, quos appellant dies decem pœnitentiales, עשרה ימי השובה, ſi illos (dico) tranſigere ſibi videantur continuis afflictionibus, pœnitentiis, jejuniis, &c. tum demum putant expiatos ſe valdeque & puros. Initium anni faciunt, civilis nempe, à Tiſri, qui reſpondet ferè noſtro Septembri, quo tempore mundum creatum vulgatior apud illos eſt ſententia. Illo die primo dicunt Deum ſolenniter homines judicare, ex actis præcedentis anni. Nam triplex Dei ajunt judicium eſſe, quorum primum proprie pertinet ad *corpus*, & hic peragitur ; alterum *animarum*, ſtatim ab hominis morte, prout aut cælo veniunt adſcribendæ, aut detrudendæ in gehennam ; tertium *animæ & corporis* junctim, ultimo die. De primo judicio ſic Menaſſe ben Iſraël, lib. II. de Reſurrect. cap. XX. *Primum judicium proprie ad ſolum corpus pertinet, & exercetur repetiturque quotannis ipſis calendis Tiſri, qui reſpondet menſi Septembri. Tum enim condita eſt univerſi mundi machina (uti in Conciliatore & Problematibus noſtris de creatione comprobavimus.) Quare par eſt, ut tum quoque quotannis de homine judicium fiat. Præterea cum planetæ per id tempus influentiis, et Zyzygiis ſuis varios morbos et calamitates generant in mundo elementari : puta in genere famem, peſtem, corporis languorem & debilitatem, mortem, bella, & clades, &c. in ſpecie verò, quæ vel huic aut illi provinciæ, vel huic aut illi homini noxia ſunt. Propterea ab Hebræis dies judicii appellatur. Quia vero ii, quibus Lex divina cordi eſt, ab iſta ſyderum efficacia liberi ſunt : hinc placuit Deo, ut ille dies feſtus à populo ſuo haberetur : & dicitur* Num. cap. XXIX. *dies Jubilæus, quia tunc tubis & buccinis clangebat populus : qui ſignificabat bellum ſibi eſſe cum affectibus, ad ſubjiciendum illos imperio rationis, vel ad excitandum ſeſe, atque expergefaciendum obli-*

vion

Digitized by Google

vionis ſomnio. Atque idcirco iſti rei vitæ exequendæ conſtitutum erat ſpatium decem dierum : decimo vero die feſtum erat expiationis peccatorum, quo peccata ſua Deo confitebantur omnes illi, qui ea agnoſcebant, & eorum ſeria pœnitentia ducebantur : alioqui ſubditi manebant imperio ac dominio planetarum, eaque illis infortunia exſpectanda erant, quæ ſiderum aſpectus denuntiabant. Idem fere habet *Theſouro dos Dinim*, tractatu, *Ros a-ſana.* Primo quidem menſis die cornu clangunt, & is clangor ſi facilis ac ſonorus ſit, non hærens vel obſcurus, omen interpretantur lætum peccatorum dimiſſorum, & fauſti anni. Sed & pridie ſe abluunt, ea lotione putantes ipſam quoque mundari animam. Primo die ſe à Deo libro vitæ inſcribi credunt, diligenter abſtinentes ab omni ſomno, ne etiam Angelus ipſorum hoc pacto dormiret. Memorant in ſolenni hujus diei precatione, quæ incipit זכרנו & occurrit in Rituali Seder Tephilloth, pag. 113. ligationis Iſaaci, dicentes : *Deus noſter, Deus Patrum noſtrorum memento ligationis, qua ligavit Abraham filium ſuper altare,* העקידה שעקד את יצחק בנו על גבי המזבח. vide & Targum in Cantic. II. 17. & III. 6. A prandio ad fluvium abeunt, læti ſi quos ibi conſpiciant piſces, in quos conjiciant peccata ſua, dicentes iis : *projicimus ad vos peccata noſtra, ea recipite vobis,* videlicet juxta illud Mich. VII. *projicit iniquitates noſtras in profundum maris.* Vel ſi flumen deſit, peccata ſua vento adverſo exponunt, & levatâ veſtimenti laciniâ excutiunt. Tandem die decimo Kippur expiationem complent, variis afflictionibus, aliiſque eò, uti opinantur, ſpectantibus, diem tranſigentes. Afflictiones autem conſtituunt in abſtinentiâ harum ſex rerum, מלאכה ab *opere*, אכילה ושתייה *cibo ac potu*, רחיצה *lotione*, סיכה *unctione*, נעילת הסנדל *calceorum induitione*, denique תשמיש המטה *uſu lecti conjugalis* : de quibus *Orach Chajim*, *ſect.* יכ CXII. Menaſſe, *Dinim*, *de Kippur*, *cap.* XCVIII. Sacrificii loco gallum mactant gallinaceum viri, mulieres gallinam, ſi qua prægnans ſit, pro ſe & ſuo fœtu gallum ac gallinam, quibus imponunt peccata ſua, tandem mactata & in cœnam parata deglutiunt. Sed primo & abluunt, & flagellant ſe invicem flagris triginta novem, ſcilicet juxta legem, *Deut.* XXV. 3. Videre de his licet, præter auctores indicatos, Victorem à Carben *lib.* I. *contra Judæos cap.* XVI. XVII. Joh. Pfefferkorn, ſingulari libello, *de Judaica confeſſione, ſive Sabbato afflictionis.* Buxtorfium, *Synagog. Judaic. cap.* XIX, XX, XXI. Deque die illo expiationis mira Iudæi & magnifica paſſim loquuntur, de quibus ſingulari hujus argumenti tractatu, in Talmude, *Joma*, ſive *de die* τῆς ἐξιλάσεως, id eſt, expiationis die : quem tractatum

ctatum Latine dedit Rob. Sheringhamus Cantabrigenſis, notiſque eruditis illuſtravit. Et Maimonides *part.* 11. ſui Jad, Halach. *abodath jom hakippurim.* Dicunt, quod Diabolus per totum annum poteſtatem habet accuſandi Iſraëlitas, excepto hoc die, quo omnes dæmones conſpectum Iſraëlitarum ſupra nivem candidiorum, fugiunt ultra montes. Rabbi Elieſer, cap. XLVI. ואלולי יום הכפורים *niſi dies expiationum eſſet, mundus non ſubſiſteret: dies enim expiatorius in hoc et futuro ſeculo expiat; ſic dicitur, Sabbatum ſabbatorum hoc vobis,* Levit. XVI. 30. *Sabbathum hujus ſæculi, ſabbathorum in futuro ſæculo. Licet omnia feſta tranſirent & abolerentur, dies tamen expiationis non tranſiret; quia hic dies levia & gravia peccata expiat. Hinc dicitur, quia iſto die expiabit vos ab omnibus peccatis veſtris, ibidem* verſ. 31. *non eſt ſcriptum, à peccatis veſtris, ſed ab omnibus peccatis veſtris, iſto die, quo lex fuit lata, dixit Sammaël coram Sancto ben: Domine meus, ſuper omnes populos mundi dediſti mihi poteſtatem, non verò in Iſraëlitas. Reſpondet illi: En, habes in illos poteſtatem die expiationis, ſi habuerint peccatum; ſi verò non, in illos non habebis poteſtatem. Idcirco dant illi munus die Expiatorio, ne irritum reddat Iſraëlitarum ſacrificium. hinc dicitur: Una ſors pro Domino, altera ſors pro Hazazel ſeu capro emiſſario. Sors Sancti ben, eſt ſacrificium holocauſti; ſors verò Hazazel eſt hirci peccati, atque omnes iniquitates Iſraëlis ſuper illum ſunt, juxta illud: Et feret hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates illorum. Animadvertit autem Sammaël, nullum peccatum in iis deprehendi die expiatorio. Dixit coram Domino mundi, Habes unicum populum in terra, ſimilem angelis miniſterii in cœlis. Quid angeli miniſterii? Non habent poplites; ſic & Iſraëlitæ die expiatorio ſtant ſuper pedes ſuos. Quid angeli miniſterii? Non habent cibum nec potum; ſic & Iſraelitæ die expiationis non habent cibum neque potum. Quid angeli miniſterii? Puri ſunt ab omni peccato; ſic quoque Iſraëlitæ die expiatorio mundi ſunt ab omni peccato. Quid angeli miniſterii? Pax inter illos eſt intima; ita etiam die expiationis pax eſt in medio Iſraelitarum. Audit quoque Sanctus ben ſupplicationem illorum de accuſatore irriſorum. Expiat quoque altare, ſacerdotes atque univerſum cœtum, à magno uſque ad parvum ſicuti dicitur: Et expiavit ſanctuarium ſanctum.*

Mortem, diem expiationis, pœnitentiam conjungunt & comparant inter ſe in ratione expiandi, ſub finem Codicis Joma, חטאת ואשם, *Victima pro peccatis, et victima pro delictis certis expiant. Mors et dies expiationis expiant cum pœnitentiâ, & pœnitentia expiat peccata levia, tam contra præcepta affirmativa quam negativa, & gravia ſuſpendit donec veniat dies expiationis et expiet.* Peccata gravia appellant חמורות, quæ mortem

 meren-

Digitized by Google

merentur aut *exciſionis* à Deo infligendam, quam ajunt eſſe ubi quis ante LX. annum è vita eripitur; vel *judicii* humani מיתה בית הדין, quando à Magiſtratu quis ultimo afficitur ſupplicio: levia קלות, quæ neutrum mortis genus merentur, & per confeſſionem expiantur, cum pœnitentiâ conjunctam. Hæc levia peccata; dies propiationis etiam gravia expiat.

Sed & quibuſque operibus bonis vim expiandi adſcribunt. imperite, quum bona opera pro ſe debita, alia expungere nequeant. Quod de expiatione per bona opera, etiam de levioribus quibuſque intelligunt. Ut, ſiquis vel librum aliquem ſcribat, aut edat. Unde Auctor *Halichot Olam* in principio ſui libri iſtum in modum loquitur: *fortaſſis Jehova intuebitur exilium meum, atque erunt mihi Halichot Olam loco oblationis et muneris mei ad expiandum reatum meum, & pro piaculo peccati mei. Amen.* יהיה לי הליכות עולם מקום קרבני ומנחתי לשלחן אשמי וכפרת חטאתי אמן. In Roſ a-ſchana inquiunt, quatuor eſſe quæ Deum moveant, ad mutandam ſuam de hominibus puniendis ſententiam, *eleëmoſyna, oratio, mutatio nominis, & mutatio operum.* צדקה צעקה שנוי השם ושנוי מעשה. Judæus, in Amicâ Diſputatione, qu. VII. *quomodo Judæi hoc tempore remiſſionem peccatorum conſequuntur, ſine quo ſalvi eſſe non poſſunt?* reſpondet: *modi, quibus remiſſio peccatorum obtinetur, ſunt iſti, quos lex & Prophetæ multis in locis nobis indicant, quorum duos ſpeciatim proponemus. I. pœnitentia ac reſipiſcentia. II. privilegium diei expiationis.* Atque ita vidimus, quibus rebus Judæi adſcribant peccatorum ſuorum expiationem; nempe afflictionibus, quas patiuntur, morti tum ſuæ, tum aliorum, pœnitentiæ, bonis operibus, præſertim bene obſervatis à primo anni die diebus pœnitentialibus, præque omnibus diei expiationis, &, quas illis diebus obſervant, abſtinentiis; denique lotiones, mactationes, flagellationes, aliaque iſtius generis ludicra & ſannas in expiationem peccatorum ſuorum etiam convocant. In Rituali, Muſaph Lekippur, יום הכפורים הזה את יום סליחת העון הזה *diem hunc expiationis, diem hunc remiſſionis peccati*, paſſim dicunt. Diem nempe, quo principaliter expientur, & remiſſionem peccatorum impetrent.

Quomodocunque expiari peccata debere ſciunt, antequam in cœlum ingreſſus detur, vel ſi hic non ſatis purgentur, reliquum pœnarum in inferno perferendum eſſe, ut quis redimi tandem & ſalvari poſſit. Menaſſe, in Geneſ. qu. XLIII. *quia nullus in hoc mundo juſtus reperitur, quin peccet, peccata in hoc mundo puniri convenit, ut totus purus in alterum tranſeat. Quam in mentem extat aphoriſmus Veterum Sapientum* רובו זכיות *ſi major*

Digitized by Google

major pars ſunt merita, minor delicta, hæc in hoc mundo ſolvuntur ut præmium ſuum accipiat in altero mundo.

Quæ ut melius intelligamus, hæc ex mente Judæorum præmittere oportet. 1. Tres ab illis conſtitui hominum coram Dei judicio ordines, *bonorum, malorum*, atque *intermediorum*. Illi ſunt, quorum opera bona numero ac pondere ſuperant mala; nam perfectè juſtos, ſeu qui nulla mala opera habeant, ponunt nullos. Iſti, quorum bona opera ſuperantur longè à malis. Hi, quorum anceps eſt judicium, & opera bona ſeu mala fere hærent in æquilibrio. Gemara Babylonica, ad Roſ a-ſana, cap. v. fol. 16. כל אחד ואחד מבני אדם יש לו זכיות ועונות, *unicuique hominum ſunt ſuæ juſtitiæ et tranſgreſſiones. Cujus juſtitiæ præponderant peccatis ejus, eſt* צדיק *juſtus. Cujus peccata juſtitiis* רשע *malus. Ex mediâ & media parte eſt* בינוני *intermedius*. Priores vocant, צדיקים גמורים, *plene bonos*; alteros, רשעים גמורים *plene malos*. Ibidem: שלש כתות ליום הדין אחד של צדיקים גמורים. *Tria hominum genera apparebunt in die judicii; unum plene juſtorum, alterum plene malorum, tertium intermediorum*. Atque hoc axioma ſeu hæc doctrina apud Judæos frequens occurrit. Apud Menaſſe *lib.* II. de reſurrect. *cap.* VIII. R. Haſday ſtatuit reſurrectionem mortuorum non pertinere ad illos intermedios. *R. Haſday Creſcas in libro ſuo Or a-ſem motus autoritate quorundam locorum, quæ jam citavimus, ſtatuit, reſurrectionem mortuorum ſolum pertinere ad eos, qui vel rectiſſime, vel peſſime vixerunt: non autem ad illos, qui inter utrumque medii fuêre. Dicit enim intermedios illos ſatis præmii conſecutos eſſe, cum ſint in mundo animarum: neque neceſſe eſſe, ut propter illos adeo magnum miraculum fiat, quale eſt reſurrectio mortuorum, Ac proinde, cum antiqui ajunt, omnis Iſraël particeps erit futuri ſeculi, illud omnis, exponit de majore parte; vel per futurum ſeculum, intelligit illud, quod manet poſt mortem, id eſt, mundum animarum. Verum enimvero etiamſi hæc opinio magis conveniat cum verbis Danielis, quam prior: nihilominus tamen non eſt admittenda: quoniam non convenit cum textu Roſ a-ſana, qui loquitur de tribus claſſibus, ſeu triplici hominum genere: neque cum altera opinione de qua ante, quæ ſolam generationem diluvii excipit à reſurrectione mortuorum*. Sic in primo anni die; triplices libros aperiendos pro tribus illis hominum generibus eundem narrantem audivimus, eodem libro, cap. XX. *Addunt vero etiam futurum, ut tres libri aperiantur in Roſ a-ſana, ſeu principio anni; primus perfectorum, qui ſanctiſſime vixerunt; alter flagitioſorum, qui peſſime vixerunt; tertius eorum, qui medium tenuerūnt, & nec peſſimam, neque optimam*

vitam duxerunt. Optimæ vitæ homines, inquiunt, confeſtim ſcribuntur in libro vitæ; peſſimæ vitæ homines in libro mortis; qui mediam vitam egêre, illorum judicium ſuſpenditur, uſque ad diem expiationis. Vide de eodem, Nizachon, ad *Pſalm.* LXXXI. At omnino fictitii ſunt intermedii illi, quorum Scriptura nullibi meminit, quæ modo probos novit aut improbos, *Levit.* XXVI. *Deut.* XXVII. & XXVIII. *Jezech.* XVIII. 21. 22. neque ut tales aliqui habeantur, lex permittit, quæ inter malos & maledictos ponit transgreſſores quoſvis. Quare totum hoc figmentum eſt.

Secundo, tenendum etiam hoc Judæorum commune effatum, quod ajunt, nullius boni operis mercedem perire. אין הקדוש ברוך הוא מקפח שכר כל בריה, *non fraudant Deus mercede ullam creaturam.*

Tertio, præcepta legis à Judæis vulgo recenſeri ſexcenta tredecim, תרי"ג. quorum alia vocant עשה *affirmativa*, quæ facienda; alia לא תעשה *negativa*; illaque numerant ducenta quadraginta octo רמ"ח. quot dicunt membra eſſe in humano corpore: iſta trecenta ſexaginta quinque, quot fere in homine ſunt nervi, & dies anni, שס"ה, quarum & ſimilium abbreviaturarum vim diſce & ſignificationem, ex Mercero, *de abbreviaturis*, poſt ſuam Grammaticam Chaldaicam; Buxtorfio item, ſingulari libello; & Georgio Weigen-Mejero, poſt Lexicon Scindleri. Quæ obſervarunt Judæi, quo hominem ſcilicet etiam ſic docerent, ſe toto & omnibus ſuis membris ac viribus, omnique tempore Deo ſervire debere. De præceptis illis magnus liber Moſis Mikkotzi eſt, qui dicitur סמ"ג. tum Iſaaci Corbelenſis, סמ"ק. Maimonides, in præfatione ad *Jad chazeka*. Sebaſtianus Munſterus ſingulari libello Hebraico-Latino. Paulus Ricius, inter auctores Cabaliſticos, à Piſtorio Baſileæ editos. Genebrardus pec. libello. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. XVIII. *Imago autem*, ad quam homo creatus, *& ſimulachrum Dei, eſt lex divina, per Moſem populo tradita: illa enim, uti Cabaliſtæ obſervant, plena eſt divinorum nominum. Uti igitur lex conſtat ex lege* CCXLVIII. *præceptis affirmativis, &* CCCLXV. *negativis: ita etiam tota corporis humani compages, conſtat ex* CCXLVIII. *membris, &* CCCXLV. *nervis. Quo non aliud indicari videtur, quam quod tota hominis perfectio, ac conſummatio ſita ſit, in accurata, ac diligenti præceptorum obſervatione. In hoc oſſium numero adſignando conveniunt Hippocrates, Galenus, Raſis, Avicenna, & Averroës, imò Medici omnes præſtantiſſimi. Similiter Georgius Venetus in Harmonia ſua Mundi, ſequens Hebræorum opinionem, qui per additionem literæ,* ה *He ad nomen* אברם *Abram nihil aliud ſignificatum dicunt, quam præcepta Legis* 248.

Digitized by Google

248. *obſervanda eſſe, inducti hac ratione, quod juxta Hebræum calculum numerus iſte efficiatur ex literis nominis iſtius.* Et libello, de fragilitate humanâ §. x. *Dico itaque* IↃCXIII. *præcepta legis dividi, ut omnes ſciunt, in* CCCLXV. *negantia, &* CCXLVIII. *affirmativa. Eſt vero regula inter noſtros Theologos, nullum bonum opus perdi, adeò ut, licet quis multa commiſerit peccata, unum vero bonum opus tantummodo egerit, propter illud, poſt deliquiorum ſubſequentem afflictionem, à Deo recipiatur in gratiam. Hujus ſententiæ veritas manifeſtè conſtat ex libro Sober Tob; ubi ſuper* Pſ. LXII. *antiqui hæc verba proferunt: Sit homo,* e. g. *qui fecerit decem Miſvot, aut præcepta Legis, et contra decem peccata, atque is forſan dicat; nolo recipere præmium benefactorum, neque etiam velim perpeti pœnas peccatorum, ſed neutrum iſtorum in rationem veniat, quia pareamus. Verum Deus non vult ſic rationes inire: ſed prius ob delicta caſtigat: deinde, ubi ſic purgarit, unicuique dat præmium pro ſuis operibus integrum. Idem firmat Rabenu Bahye in Paraſa de Hekeb, illuſtrans verſum* Deuter. x. 17. *Deus non recipit perſonas, neque accipit munus: pro injuſtitia nempe non recipit perſonas Deus, hoc eſt, nec juſtum reſpicit, ut non puniat eum pro peccato, quantumvis levi: neque accipit munus: hoc eſt, licet feciſſet mille Miſvot, aut præcepta, & unum duntaxat commiſiſſet peccatum, nec ob unum hoc detraxerit quicquam peccato; ſed purgato prius deliquio, pro præceptis mille præmium mox debet. Ex quo colligitur, peccati pœnam non evitari bonis operibus. Inſervit autem peccatis purgandis inferni pœna, quæ pro delicti quantitate intenditur, & remittitur. Purgatæ autem inferno à delictis animæ, à Deo in paradiſum recipiuntur, ut pro bonis operibus præmium conſequantur. His comprobatur illa Talmudiſtarum ſententia, quæ exſtat in tractatu Sanhedrin,* cap. XI. *Omnis Iſraël tenet partem in alio mundo. Ac plane ita eſt ſtatuendum. Quiſquis enim propter Miſna aliquod, aut præceptum legis obſervatum, nomine Iſraëlis gaudet, is ſine dubio feret portionem aliquam gloriæ in alia vita. Nam, ut diximus, nulla bona opera pereunt. Qui verò nullum bonum opus præſtiterit, is ſemper pœnæ erit obnoxius. Et cum Deus dederit multa præcepta, dedit quoque cum illis rationem homini ad acquirendum varios fælicitatis gradus. Hinc dicunt antiqui: Voluit Deus Iſraëlem mereri: ob id multiplicavit leges & præcepta. Quemadmodum enim, qui opulentiori fruitur fortunâ, ſe poteſt promovere facilius ad varias res, et dimittere bona ſua in varias partes, quam cui una ſolum via patet: ita Deus quoque cum variis præceptis, quæ obſervet homo, domi, foris, in veſtitu, in propria ſuâ perſona, multas ei aperuit vias ad commodum ſuum proſequendum. Eadem apud Eſaiam* cap. XLII. 51. *legas.*

legas. Dominus per ſuam juſtitiam voluit augere legem: hoc eſt, ob ſuam bonitatem & juſtitiam, legem voluit augmentare. Ac ut animadvertit Rab. Semuel Laniado in ſuo Cheli hemda, non conſtituit tantum ſupernaturalia: ſed & ea quæ natura ſponte dictat, ut ſunt non furaberis, non occides, non mœchaberis, honorabis patrem & matrem tuam, & ſimilia. Eoque Deus augmentavit leges, ut præmium acciperet, non qui propter naturam, ſed propter Dei voluntatem iſtas obſervaſſet. Eaque eſt Menaſſis ſententia, præcedere debere purgationem peccatorum, antequam quis boni alicujus operis mercedem referre queat. Quare nec illius inter ſuos ſententiam probat, qui docebat, hominem ex actionum ſuarum parte maximâ judicari, & pro eâ vel vitam ei addici, vel mortem ac gehennam. R. Ba-
„ ruch Jazia ſic ſenſit, ſi peccata hominis, quæ commiſit, quæque ſe-
„ cundum legem fecit, numerentur, ac numerus bene actorum vel uni-
„ tate ſuperet, is pro hoc uno bono opere præſtito, quo malorum nu-
„ merum exſuperat, à pœnis infernalibus liberatur; veruntamen nul-
„ lius particeps fit felicitatis, ſed relinquitur ſtatu quodam medio, ubi
„ præmii ſit expers, & à pœna immunis. Verum ſi numerus bene acto-
„ rum unitatem excedat, tunc ad beatitatem admittitur ſecundum illum
„ perfectionis gradum, quem in vita attigit. Hoc eſt: ſi pauca præſtitit
„ præcepta, inferiori gradu gaudii potitur; ſin vero plura, potietur
„ quoque majori gradu; & ſi multa valde, gradum itidem obtinebit ad-
„ modum eminentem. Proinde in paradiſo conſtituuntur ſeptem claſſes,
„ quas vocant, מדורות *cubicula*, aut ſeceſſus, juxta diverſos gradus felicitatis. Quæ opinio Menaſſi haud placet: nam (inquit) ſequeretur in-
„ de, pro multis peccatis, quæ homo committeret, ipſo illo momen-
„ to, quo bona opera unitate excederent peccatorum numerum, libe-
„ ratum iri à pœna. Quod videtur injuſtum: & revera ita eſt. Nec e-
„ nim ſi quis pœnitentiam non agit ſuorum peccatorum, benefacta illum
„ juvant: verum neceſſe ſit, vel carere peccato, cujus pœnitentia ſit
„ nulla, aut puniri in alia vita. Quæ & eſt opinio communis, inquit. Neque magis eidem probatur opinio Don Abravanelis, exiſtimantis ſufficere,
„ ut anima liberetur à pœna inferni, & participet vel exiguum felicita-
„ tis gradum, ſi unum fecerit præceptum Legis, cùm omnibus circum-
„ ſtantiis neceſſariis, nullâ interveniente mundanâ intentione. Ut vero
„ homo aſſequatur perfectam & abſolutam beatitatem, & gradum fæ-
„ licitatis eminentis, obſervaſſe in vita opus eſt, præcepta multa, quo-
„ rum numero beatitudo reſpondebit. Affirmabat enim, Deum bene-
dictum

Digitized by Google

„ dictum in favorem ac bonum populi ſui, multa adeo præcepiſſe, ut „ haberet occaſiones multas, quo & ipſi ſervirent, & ſe participem red- „ deret fœlicitatis iſtius. Nam quemadmodum ægroto, faſtidio labo- „ ranti, peritus medicus varia ciborum genera apponere ſolet, ut deli- „ bet aut hunc, aut illum, & hoc modo ſanitati reſtituatur: Ita quoque „ Deus varia homini dedit præcepta, ut hoc illudve amplexaretur, „ atque ita ſpiritualem ſalutem conſequeretur. Nos illis omnibus ſatis habemus opponere unam hanc veritatem, quod qui in uno delinquit, omnium reus eſt, quia dictum, niſi quis manſerit in *omnibus*: at impræſentiarum Judæorum inquirimus duntaxat placita & ſententias, nondum examinamus. Menaſſis conſtans eſt opinio, à peccatis liberari hominem non poſſe per exercitium bonorum operum, niſi præcedat delictorum pœnitentia, & expiatio per afflictiones perpeſſas aut hîc, aut poſt hanc vitam. זכות התשובה, dicunt, *meritum reſipiſcentiæ*. Quodque paſſim pœnitentia hic dicitur, latius ſumunt etiam pro reſipiſcentia. Nec tamen Purgatorium ſtatuit, quale Pontificii: contra hoc enim alibi diſputat, *Problem.* XVI. *de Creat.* ubi ſic inter alia: *deinde non eſt neceſſarium ut ponamus Purgatorium: nam ponimus varios gradus eſſe in inferno, pro ratione multorum aut paucorum peccatorum, quæ quis commiſit.* Et Problem. XIX. dicit illam eſſe communem ſententiam: *Hinc communis opinio nata eſt, quâ creditur, factâ ſeparatione animæ & corporis, ilico animam evolare in cœlum, vel in infernum deſcendere; prout operibus ſuis merita eſt.* Idem *de Reſurrect. lib.* II. *pag.* 230. Sed in ipſo inferno expiari animas credit, & expiatas inde liberari, atque adduci in cœlum, lib. de Reſurrect. cap. VI. *Hæc ſententia nititur opinione quadam recepta, eaque inter veteres valde decantata ac celebri, nempe, quod nullum peccatum poſſit extinguere bona opera, quæ quis ſemel fecit, & viciſſim quod bona opera non poſſint delere peccata ſemel commiſſa. Sed ſi quis eſt, qui peccaverit, & vitiis ſeſe inquinaverit, primo ab iis ſeſe purgat aut pro iis ſatisfacit, & deinde ab iis liber et purus redditus, fruitur præmio bonorum operum: ut diſerte habetur in Midras Sohar Tob, hoc modo: erit, qui habebit decem præcepta, & decem delicta, & dicit, non curo præmium præceptorum, neque pœnam delictorum. Verum Deus benedictus haud ita agit: nam primum vult ut quiſque ſatisfaciat pro delictis ſuis, & tum demum tribuit illi præmium præceptorum. Idem ſentit R. Moſes Ægyptius in expoſitione capitis Pirque Abot. Hæc vero ſententia hoc axiomate nititur, Omnis Iſraël partem habet in alieno mundo. Cum enim propter aliquod bonum opus, dignus habitus ſit no-*

ſit nomine Iſraëlis: idcirco partem aliquam gloriæ in mundo reſurrectionis obtinebit. Portio illa erit magna, aut parva, pro ratione operum, quæ ſinguli præſtiterunt. Illud de omni Iſraële, cui pars ſit futura in ſæculo altero, ſic explicant, ut Iſraelita ſi quis ſit origine, aut converſione, quamvis ejus fuerint mala opera plura bonis, ac proinde referendus videretur in claſſem improborum, qui æternum cruciabuntur, tamen propter illud Iſraëlitice profeſſionis privilegium locandus ſit in ſeriem intermediorum, & pœnis infernalibus expurgandorum, ad obtinendam aliquando etiam æternam felicitatem: nempe Iſraëlita fuerit, non apoſtata, & modo unum *bonum* fecerit opus. Præterea participatio illa futuri ſæculi aliquando ab iis exponitur de fœlicitate æternâ cœleſti; aliquando modò de fœlicitate imaginaria & terrena cum adventu Meſſiæ. Menaſſe lib. II. de Reſurrect. cap. VIII. *Intermedii expergiſcentur ſuo bono: Nam aliquandiu quidem punientur; ſed poſtea puri atque immaculati facti, recipientur in ordinem bonorum, ut cum illis pari fœlicitate fruantur. Illud enim indicat veterum axioma: Omnis Iſraël particeps erit futuri ſæculi. Non dicitur reſurget, ſed particeps erit. Id eſt, quicunque reſuſcitati fuerint, illi ſeculi futuri beatitudine fruentur, vel partem obtinebunt terræ ſanctæ, quando ea in tribus diſtribuetur. In hunc ordinem recipiunt quemvis antiqui, qui ob unicum tantummodo præſtitum præceptum, non rejiciens interim cætera, ſed ea approbans, meretur nomen Iſraëlitæ; excepto triplici illo hominum genere, primum qui negant Deum eſſe, deinde qui legi Moſaicæ divinitatem derogant, denique qui non agnoſcunt reſurrectionem mortuorum: tales enim etiamſi honeſte ac probe in cæteris vixerint, nihilominus tamen beatitudinis participes non erunt: ſed expergiſcentur, ac reſurgent, ut in æternum crucientur: juxta verba Eſaiæ, Et egredientur & videbunt cadavera virorum prævaricantium in me, quia vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt nauſea omni carni.* Ergo quemadmodum juſti, juxta Judæos expergiſcent ad herciſcendum cœlum; improbi ad pœnas gehennales; ita intermedii, nondum ſatis expurgati, poſt reſurrectionem etiam puniendi erunt inferno, ſed ut expiati tandem cœlum ſubintrare digni habeantur. Nulli Iſraëlitę ergo, niſi ſoli apoſtatæ, æternum cruciandi. Id quod ego exiſtimo cauſam eſſe tantæ apud illos homines pro ſuâ religione pertinaciæ; cedere ut nolint, quodcumque etiam ipſis eveniat: nam omni Iſraëli (dicunt) pars erit in futuro ſæculo. Peſſimè vixerint, in claſſem intermediorum transferuntur, vel ex hoc ſolo quod Iſraëlitæ ſc. ſunt. namque inter ſuos eſſe non juſtos ſolum, & intermedios, ſed quoque improbos, haud neſciunt, neque diffiten-

Digitized by Google

diffitentur: ſed qui propter improbitatem illam inexorabiliter eſſent tradendi æternis ſuppliciis, ii ex privilegio Judaiſmi referuntur in cenſum intermediorum, quo tum locum acquirunt in inferno purgandorum, & poſtea quoque beandorum.

Ex quibus quoque patet, quomodo de alterâ juſtificationis parte, quæ adjudicationem vitæ comprehendit, vel quâ homini in juſtificatione attribuitur jus vitę æternæ, Judæi ſentiant & loquantur, videlicet ut totum hoc negotium ſolis hominis operibus adſcribant. Unde undecimus fidei ipſorum articulus, de mercede ac pœna operum; ex ſententia R. Joſephi Albo tertius ex fundamentalibus Judaiſmi. Hic enim tres modo fidei ponit articulos fundamentales, I. eſſe Deum, II. Legem divinam. III. Mercedem operum ſeu bonorum, ſeu malorum: ubi alii Judæi, poſt Maimonidem, articulos vulgo ponunt religionis Judaicæ tredecim. De mercede bonorum operum, Targum, Cantic. VI. II. בגין זכותא דצדיקי, *propter merita juſtorum.* Idem, in cap. VII. 5, 8, 9. Ezra, in præfat. ad Decal. וצדקה תהיה שנהיה צדיקים לנחול הע״ה, *eritque noſtra juſtitia, quâ juſti erimus ad hæreditandum vitam futuram.* Menaſſe, Concil. quæſt. VII. in Levit. *quippe data eſt lex in deſerto loco omnibus communi, quo ſignificatur, poſſe quicumque vellent, per eam ſalutem obtinere, tametſi præcipuè Iſraëli data foret.* Exiſtimant Judæi, non ad ſe ſolos ſpectare hoc de præmio & mercede; ſed & ad quoſcunque: imo nullibi, nec apud Gentiles boni operis perire mercedem, ſed quicumque modo præceptum ullum ex ſeptem Noachicis ſervarit, aliquodve opus bonum fecerit, gentilis aut Chriſtianus, mercede ſua non defraudandum. Quæ maxime de illis intelligi volunt, (quorum in gratiam hæc præcipue ponunt extolluntque,) qui ipſis opem quandam ſingularem aut patrocinium tulerint in afflictionibus ſuis atque diſperſionibus. Menaſſe, Concil. in Deut. quæſt. II. *Septem præcepta, ut traditur in Gemara Sanhedrin, omnes gentes obſervare tenentur, quæ idcirco vocata ſunt,* שבע מצוות בני נח *ſeptem præcepta filiorum Noachi. Ex his (quemadmodum in Seder Olam* cap. V. *& apud R. Moſem in Jad a-Hazaqua legimus) ſena Adamo data ſunt: nimirum ut abſtineret* I. *ab idololatria.* II. *maledictione nominis divini.* III. *cæde.* IV. *adulterio.* V. *furto:* VI. *ut judices inſtitueret, quorum eſſet curare ut illa præcepta obſervarentur. Super hæc Noacho ſeptimum additum fuit, ne membrum vivo animali amputatum comederet: his verbis: Carnem cum anima & ſanguine ſuo ne comedas. Hæc ſunt præcepta, ob quorum violationem ut ex S. Scriptura ibidem in Sanhedrin probatur, etiam gentes mundi à Deo puni-*

tas conſtat. Eum verò, qui illa obſervat, vocarunt, גר תושב *peregrinum habitantem, quia in Iſraële morari poterat. Illi autem, qui ea non colit, quia naturæ ſic ſuadere videtur, ſed quoniam lege præcipiuntur, et Moſes tradidit ore Noachi filiis tradita, illi inquam, ſi R. Moſem audimus, ſors erit in futuro ſæculo. Unde & veterum ſapientum exſtat dictum hujuſmodi,* חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא, *Piis ex nationibus mundi, pars eſt in mundo altero. Idem R. Moſes colligit ex Miſna, cujus exordium eſt. Quatuor idiotæ non habent partem in altero mundo: quos inter reponitur Bilham gentilis; idque ne haberetur unus è piis gentium, quibus ſors erit in futuro ſæculo. Etiam variis locis magni & egregii operis Miſnè Tora, & in Directore lib.* III. *cap.* XXII. *ait, nullum bonum opus mercede apud Deum carere, juxta dictum* אין הק"בה מקפח שכר כל בריה, *Deus benedictus nulli creaturæ præmium ſuum denegat. Hinc in Semot Rabba legas, Deum juſſiſſe cani cadaver objici, quia adverſum Iſraëlitas non latraſſet: alia ejuſdem generis exempla prætermitto. Etiam R. Jehuda Levita ait, Hebræos dicere nulli è gentibus mercedem negari operum ſuorum; quamvis non æquent peregrinum ſibi ipſis, eo quod Propheta evadere nequeat. In ſacro quoque libro Zoar traditur, regibus, omnibuſque adeo magiſtratibus, qui juſta exercent imperia, & Hebræos in ditione ſua habent, certum in Paradiſo gradum eſſe aſſignatum; quemadmodum eoſdem, ſi malè Hebræos habeant, pœna certa manet. His probatis ſupereſt oſtendamus quomodo hæc Scripturæ loca conciliari queant.* Idem, de Reſurrectione mort. lib. II. cap. IX. (neque enim abſque fructu, opinor, hæc deſcribimus) *Non minus veriſimile eſt, omnes gentes, ac nationes æquo reſurrecturas eſſe atque Iſraëlitas, juxta illud veterum dictum,* חסידי אמות העולם יש להם חלק לעולם הבא. *Piis ex gentibus mundi pars erit in futuro ſæculo.*) *Omnes illi qui non ſunt Iſraëlitæ, vocantur gentes, ſeu nationes mundi, vel quia majorem numerum faciunt; Iſraëlitæ enim pauci ſunt; juxta* Deut. cap. VII. VII. *vel quia reguntur proprio ac ſingulari Principe, juxta illud Danielis, Princeps regni Perſarum, Princeps Græcorum, &c. Iſraëlitæ vero immediate à Deo benedicto reguntur, juxta verba illa, vos aſſumſit Dominus. Ex his nationibus omnes, ac ſinguli reſurgent, qui probe ac pie vixerunt, quales ſunt, qui juxta R. Moſem, et R. Meyr Gabay obſervarunt diligenter præcepta ea, quæ data ſunt Noacho: cujuſmodi ſunt, non committes idololatriam. Non occides, Non adulterabis. Non maledices nomini Divino. Non latrocinaberis. Non comedes membrum animalis vivi. Et conſtitues judices, qui curent, ut ſex illa præcepta probe ac diligenter obſerventur. Neque illi tantummodo reſurgent; ſed etiam beatitudinis futuri ſæculi participes*

cipes

Digitized by Google

cipes erunt, juxta veterum illud pronunciatum. אין הקדוש ברוך הוא מקפח שכר כל בריה *(Non fraudat Deus præmio ullam creaturam.) Ac proinde dicunt, illis pars erit. Neque dubium eſt, quin illi quoque, qui recte de Deo ſenſerunt, pariterque honeſte, pie ac probe vixerunt, partem in reſurrectione mortuorum obtinebunt: uti ſentit R. Moſes Ægyptius in epiſtolis ſuis: quamvis talis aliquis fuerit ex gentilibus, uti Socrates, Plato, &c. Idem quoque confirmari poteſt ex alio antiquorum dicto, quod ita ſonat,* ארבעה הדיוטות אין להם חלק לעה״ב ואלו הן בלעם דואג אחיתופל וגחזי, *(Quatuor Ediotot non erunt participes futuri ſæculi, nempe Bilham, Doeg, Achitophel, & Gehazi.) Ex quibus verbis in Talmudico concluditur.* בלעם הוא דלא אתי הא גוים אחריני אתו *(Bilhem eſt, qui non veniet, ſcilicet in futuro ſæculo; ergo alii gentiles venient.) Non mala equidem iſta conſequentia eſt: nam ſi non omnes gentiles ſunt reſurrecturi, ſuperfluum omnino eſt etiam Biliami mentionem facere. At verò quia ejus mentio fit, hinc colligere licet, quod alii etiam gentiles Bileamo ſimiles, reſurgent, nempe ſi digni ſunt reſurrectione.* Idem lib. I. *de animâ*, cap. XIV. Schebet Iehuda, ſive Hiſtoria Iudaica, à Gregorio Gentio Latinè data pag. 282. *Atque hoc illud ipſum eſt, quod nobis poſteris Moſes Ægyptius ſcriptum reliquit:* "חסידי אומות העולם יש להם חלק לע״ה: *Pios, ex quacumque gente fuerint, vitæ æternæ participes fore. In hac ipſa etiam fuit ſententia Sapiens quidam cum Rege Ceſroe controverſiam habens, cujus verba hæc ſunt: Nos nulli mortalium, nulli genti, ſive nationi bonorum ſuorum operum præmia negamus atque ſubtrahimus.* Atque hæc dicta ſunt ſuper materiâ juſtificationis noſtræ coram Deo, ex ſententiâ Iudæorum, cujus ſumma huc redit: juſtificationem hominibus contingere ſecundum & propter ſua ipſorum opera.

Contra quod nunc inſtitutâ diſputatione, hæc tria evincemus. I. Non poſſe hominem per ſe, aut ſua quæ patitur, vel agit, *expiare* peccata ſua, prove iis ſatisfacere. II. Neque ſua per opera *mereri* ſalutem aut vitam æternam. III. Sed omnem hominis juſtificationem eſſe per paſſiones & *juſtitiam Meſſiæ*. Hunc perficere, ſupplere, præſtare, quod homines per ſe nequeunt, eumque finem adventus ejus fuiſſe, hoc officium, ut peccatores redimeret atque ſalvaret. Præmittimus I. Nos nequaquam tollere *mercedem* & præmium operum, ſeu malorum, ſeu bonorum. II. Neque bonorum operum *neceſſitatem*: ſolummodo aſſerere per ſua opera, utpote non plena, nec perfecta, hominem juſtificari haud poſſe.

Argumentum primum. Nemo *potis eſt* perferre pœnas peccatis ſuis debi-

Digitized by Google

debitas, eaſque exſolvere, & evadere, vel Deo ſatisfacere. Tum propter intolerabilem gravitatem ac onus *iræ* divinæ, in punitione peccatorum experiundæ. Nah. I. 6. *coram indignatione ejus quis ſubſiſtat, & quis conſiſtet in æſtu iræ ejus? excandeſcentia ejus funditur velut ignis, ipſæ rupes evertuntur ab eo. 2. ultor eſt Jehova, & excandeſcens. 3. abſolvendo non abſolvit.* Deut. IV. 24. *Nam Jehova Deus tuus ignis conſumens eſt, fortis, zelotes.* & cap. IX. 3. & XXXII. 22. Pſalm. XXI. 10. & LXXXVIII. 21. & LXXVI. 8. *tu tu formidabilis es, ecquis conſiſtet coram te, ex quo iraſceris?* Jeſa. XXXIII. 14. Jerem. IV. 4. & XXX. 21. Jezech. XXII. 30. 31. Tum propter gravitatem *maledictionis* in ſe, & pœnarum ipſarum. *Deut.* XXVII. 26. Quæ continent I. abjectionem à *facie* Dei, *gratioſâ*. Jeſa. LIX. 2. *Sed iniquitates veſtræ diſterminant inter vos et Deum veſtrum, & peccata veſtra faciunt ut occultet faciem ſuam à vobis ne exaudiat.* Dein, *glorioſâ*. Pſalm. XXXVI. 10. *quandoquidem penes te eſt fons vitæ, in luce tuâ fruamur luce.* quibus privantur peccatores, ὑστερούμενοι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. II. ſenſum inſuper omnium afflictionum & *miſeriarum*. Pſalm. CIX. 17. 18. 19. *& optavit ut maledictio obveniret ei, neque oblectatus eſt benedictione, ſed ut procul eſſet ab eo, ut indueretur maledictione velut chlamyde ſuâ, & ingrederetur velut aqua intra eum, & velut oleum in oſſa ejus.* Deut. XXVIII. 21. 22. 34. 35. id eſt, ſenſum *corporalium*, ac *ſpiritualium*; tum *temporalium*, ac *æternorum* malorum. Quæ morte includuntur illâ, quæ peccati pœna denuntiatur. Geneſ. II. 17. Jezech. XVIII. 22. Targum in Deut. XXXII. 16. *vivat Ruben in vitâ æternâ, & non moriatur morte ſecundâ.* Menaſſe iſtum locum quoque citans lib. de Reſurrect. cap. I. *non eſt de hac vita intelligendum*, inquit, *quia Ruben ex ea diſceſſit.* Jeſa. XXII. 14. & LXV. 6. 15. Jam autem qui homo perferat ac perſolvat omnes iſtas, tantaſque pœnas? ſive potentiam ſuam conſideret *phyſice*, Pſalm. CIII. 14. Job. XIII. 25. Jerem. XXX. 21. Pſalm. CXXX. 3. ſive *moraliter*, dum continuò ſemper iterum peccat, & peccando novum contrahit reatum, nedum ut priorem exſolvat?

Arg. ſecundum. Minus ſatisfacere Deo poteſt homo per afflictiones *ſpontaneas*, quas ſibi inferat, vel aliis: quia noſtrum non eſt excogitare res cultus divini aut expiationis, eaſque pro noſtro lubitu Deo in cenſum offerre ſatisfactionum. Jerem. VII. 31. *quod non præceperam, neque ſubierat in animum meum*. Jeſa. XXIX. 13. *obſervantia eorum erga me præcepta hominum ſunt ab hominibus docta.*

Arg. III. Nedum ut homo alius, vel quidpiam præter hominem, *pro alio*

Digitized by Google

alio pœnas pendere aut ſatisfacere Deo queat. Pſal. XLIX. 8, *fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, non dare redemtionem ejus.* 16. *Sed Deus redemturus eſt animam meam à ſepulchro.* Jezech. XXII. 30. Jeſa. LIX. 16. Egregium eſt, quod ex libro Siphre profert in locum illum Pſalm. LXIX. 8. Helvicus, Elench. Judæor. v. *Non Patres redíment filios. Abraham non redimet Iſmaëlem. Iſaac non redimet Eſavum. Fratres enim non rediment fratres juxta dictum* Pſal. XLIX. *etc. Iſaac non redimet Iſmaëlem, neque Jacob redimet Eſavum, etiamſi in pretium redemtionis darent omnes mundi divitias, non tamen ſatisfacient, neque ſufficiens dabunt λύτρον, ſicut ſcriptum eſt*, Pſalm. XLIX. *nimis cara eſt redemtura eorum, quia quando homo peccat, non ſupereſt ulla ſatisfactio, ſeu perſolutio pro anima ejus.* Quare temerarium eſt quod Judæi de Iſaaci immolatione, vel aliis clamitant, quaſi in expiationem ipſorum factis. Jeſa. LXIII. 16. *Tu autem pater noſter es: nam Abraham neſcit nos, et Iſrael haud novit nos; tu Jehova pater noſter.*

Arg. IV. Nemo hominum legem Dei perfecte ſervat, nullius opera *perfecta* ſunt; ergo propter ea nemo etiam juſtificari poteſt. Nam lex perfectam exigit omnium obſervantiam, & quando juxta legem inſtituit Deus de homine judicium, non poteſt juſtificare niſi rectos, id eſt, plenos legis obſervatores, alioquin judicium ſuum non foret ſecundum legem, aut ſecundum veritatem. Sed nulli hominum perfectè legem obſervant, nulli qui non peccant: ergo juxta legem operaque ſua nulli poſſunt à Deo juſtificari, vel declarari juſti, qui non ſunt. Exod. XXIII. 7. *quia non abſolvam improbum.* cap. XXXIV. 7. ונקה לא ינקה *et abſolvendo non abſolvet.* I. Reg. VIII. 32. Job. X. 14. *ſi peccavi, obſervabis me, et ab iniquitate mea me non abſolves.* I. Nemo non *peccat.* II. Nemo omnes à Deo præſcriptas *virtutes* ſervat, vel omne bonum præſtat. III. Nemo qui hoc & illud agat ex omnibus animi ſui *viribus* ſemper ac intenſiſſimo cum zelo, quę omnia lex à nobis, & operibus noſtris requirit, non ſolum ut omittamus malum, & non impingamus in prohibitiones legis לא תעשה; ſed & faciamus quodcumque bonum; atque ex omni illud animo ſemper, viribus, atque facultatibus. *Deut.* VI. 5. 16. & X. 12. in quo poſtremo, niſi quis ſibi fruſtra blandiatur, omnes deficimus, etiam quando videmur & illud & iſtud non omnino negligere.

In teſtimonium veritatis veniunt *Scriptura*, *conſcientia*, & *conſenſus* adverſariorum apertus, videlicet quod hominis nullius opera ſunt perfecta, quare nec legi, nec judicio divino ſatisfaciant. Illa, Job. IX. 2. 3. *Verum novi ita eſſe; nam qui juſtus eſſet mortalis apud Deum? Si volet li-*

Digitized by Google

let litigare cum eo, non poterit ei reſpondere ad unum ex mille. 20. *Si me juſtum aſſererem, os meum condemnaret me: ſi integrum me, perverteret me.* & XIV. 16. 17. Pſalm. XIX. 13. *Errores quis intelligat, ab occultis abſolve me.* Pſalm. XIV. 3. *unuſquiſque aberravit, omnes ſimul putidi facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vel unus.* Pſalm. LIII. 6. Prov. XX. 9. *quis dicere poſſit, purificavi animum meum, mundus ſum à peccato meo?* Eccleſ. VII. 20. *non eſt juſtus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.* Targum, ל״ת גבר זכאי, *non eſt homo purus in terra, qui faciat bonum omnibus diebus ſuis, & non peccet coram Domino.* I. Reg. VIII. 46. *cum peccaverint homines, nam nemo eſt qui non peccet.* II. Chron. VI. 36. Levit. V. 2. 3. Jeſa. LIII. 6. *omnes nos ut ovis erravimus, quiſque in viam ſuam nos convertimus.* Deinde, cujuſcunque hominis *conſcientia* interrogetur, Judæi, Chriſtiani, cujuſlibet, non poterit non plenâ manu ſubſcribere huic veritati. Et in hac diſputatione interroga eum, quocum tibi demum res, hunc vel illum, nemo (credo) non idem facile fatebitur; & ſic de ſingulis: ut fruſtra ſit clamare hominum perfectionem, & aliis affingere, quod ſinguli de ſe diffitentur. Tertio accedit *conſenſus* in hanc rem manifeſtus Judæorum, eorumque pro hac cauſa diſputationes prolixæ, qualis inter alios eſt Menaſſis bên Iſraël, lib. *de fragilitate humanâ*, quo toto illud confirmat. *Part.* I. *demonſtratur authoritate ſacrarum litterarum, quodque proprium ſit homini peccare, quod ſit nemo qui non peccet.* & à pag. 55. *oſtenditur, eandem eſſe opinionem antiquorum & hodiernorum ſapientum.* Pergitque parte ſecundâ diluere argumenta quæ in contrarium adferri poſſent. R. Levi ben Gerſom in Job. XV. 15. *quomodo putas quod eſſes innocens, & juſtus, & quod non tibi accidere deberet aliqua afflictio? certe impoſſibile eſt, ut homo per ſuam imperfectionem ſit innocens & juſtus.* Si ergo nullus homo juſtus, eâ videlicet quam habere debet juſtitiâ, operumque plenitudine, quomodo ex operum ſuorum juſtitiâ juſtificari coram Deo poſſet?

Argum. V. Bona opera qualiacumque non *ſatisfaciunt* pro delictis, quia ſuo nomine Deo debentur, & idcirco pro aliis debitis cedere in ſolutionis pretium non poſſunt. Menaſſe lib. de fragilit. pag. 84. *ex quo colligitur; peccati pœnam non evitari bonis operibus.* Deinde, ſatisfactio non fit niſi per opera pœnalia, per paſſionem eorũm quę mala triſtia vulgò appellantur, & in pœnam infliguntur atque tormentum. Talmud, Joma, cap. I. *non eſt peccati remiſſio abſque ſanguine, quia ſcriptum eſt* Levit. XVII. 11. *ſanguis ipſe pro anima expiationem facit.* Quocum confer *Heb.* IX. 22.

Arg. VI.

Digitized by Google

Arg. VI. *Sancti* legale operum Judicium paſſim *deprecantur*; ergo non eſt quod hac viâ juſtificandos coram Deo putemus. Iob. IX. 2. 3. *Verum eſt, novi ita eſſe: nam quî juſtus eſſet mortalis apud Deum? ſi volet litigare cum eo, non poterit reſpondere ei ad unum ex mille.* Pſalm. CXLIII. 2. *at ne congrediaris judicio cum ſervo tuo, nam non eſſet juſtus coram te ullus vivens.* Aben Ezra: כי לא *quia non juſtificabitur coram te vivens aliquis, & quomodo ego juſtificer?* Dan. IX. 18. *non propter ullam juſtitiam noſtram, ſed propter miſerationes tuas ampliſſimas.* 5. *peccavimus, perverſe egimus, improbeque fecimus, ac rebellavimus.* 7. *penes te ô Jehova eſt juſtitia ipſa, at penes nos pudor faciei, & penes omnes Iſraëlitas.*

Arg. VII. Deus juſtificat ſuos non per legem, ſed per *remiſſionem* peccatorum, quod eſt præter legem. Unde hominis μακαρισμὸν David collocat in remiſſis & deletis peccatis, non in legali aut pœnali ſatisfactione. Pſalm. XXXII. 1. 2. *Beatus homo, cujus ablata defectio, cujus tectum eſt peccatum. Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem.* Pſalm. CXXX. 3. 4. *Si iniquitates obſervaveris Jah Domine, quis poſſit conſiſtere. Sed apud te eſt condonatio.*

Arg. VIII. Denique quia per noſtra opera juſtificari non poſſumus, neque per nos ſatisfacere pro noſtris debitis, *Meſſiæ* hoc eſt, ut per ejus loco noſtro ſuſceptas paſſiones præſtitamque ſatisfactionem ac juſtitiam, coram Dei tribunali abſolvamur atque juſtificemur. Jeſá. LIII. 4. *infirmitates noſtras ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros bajulavit.* 5. *caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum & vibice ejus facta eſt ſanatio nobis.* 6. *& Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium noſtrum.* 11. *notitiâ ſui juſtificationem conferet juſtus ſervus meus plurimis, quorum iniquitates ipſe portaverit.* Hinc & nomen ejus dicitur futurum, quo eum Iſraël appellaturus ſit, *Jehova juſtitia noſtra.* Ierem. XXIII. 6. qui verſ. 5. dicitur *germen Davidis.* Vulgatum Meſſiæ apud Hebræos nomen. *Jerem.* XXXIII. 16. Menaſſe, Concil. in Zachar. pag. 189. nomen Meſſiæ, *juſtus, & propterea apud Prophetam Jeremiam appellatur, Semah Sadik.* Dan. IX. 24. *cohibebit defectionem, & obſignabit peccata, et expiabit iniquitatem, & adducet juſtitiam perpetuam.* Ierem. XXX. 21. *Et erit magnificus ejus ex ipſo et dominator ejus è medio ipſius prodibit, quem jubebo accedere, ut appropinquet ad me: nam quis ille eſt, qui ſpondeat cum animo ſuo ſe appropinquaturum ad me? dictum Jehova.* Loquitur de Meſſiâ. 1. Qui poſt reductionem populi ex captivitate, verſ. 3. 8. 10. 18. 19. Rex, magnificus, dominator ſpectabatur, & promittebatur ſolus. 11. verſ. 9. *ſervient Jehovæ domino ſuo,*

Digitized by Google

no ſuo, et Davidi Regi ſuo, quem excitabo ipſis. Meſſiæ, uti ibi interpretatur Targum, למשיחא בר דויד מלכהון דאקים להון, *Meſſia filio Davidis, quem excitabo iis.* R. David Kimchi fluctuans: אפשר שאמר זה *poſſet dictum intelligi de Davide Rege, quem ex pulvere ſuſcitabit in reſurrectione mortuorum; vel poteſt etiam intelligi de Meſſia filio ejus, cujus nomen vocet Davidem.* III. ſic hoc verſ. 21. Targum, ויתרבא כלכיהון מנהון ומשיחהון מבנויהון יתגלי *et magnificabitur Rex ipſorum ex illis, & Meſſias illorum ex illis revelabitur.* Kimchi, *& quid eſt quod dicitur ex ipſo, de medio ejus?* notat שהמלך המשיח מישראל יהיה *quod Rex Meſſias ex Iſraële erit.* IV. verſ. 24. additur באחרית הימים *in fine dierum*, quod ubi occurrit, indicium eſſe de Meſſiâ agi, ſuperius audivimus. Ieſ. LIX. 16. 20. *Et vidit neminem eſſe, atque miratus eſt, quod nullus eſſet interventor* מפגיע *interceſſor* [ענין תפלה ובקשה *ſenſus eſt deprecationis, petitionis*, Kimchi] ſalutem ei *attulit brachium ipſius, et juſtitia ipſius.* 19. *ut revereantur inde ab occaſu nomen Iehovæ.* 20. *et veniet Tzioni vindex, et converſis à defectione in Jacobo, dictum Jehovæ.* Quæ de Meſſiâ intelligenda, confirmat ſatis R. David Kimchi, dum prolixè de captivitatis ſolutione per pœnitentiam, & Meſſiæ adventum agit; atque celebre illud. R. Iochanani dictum explicat, filium Davidis non venturum niſi ſæculo plane probo, vel improbo: etiam verſ. 19. *Nam venit hoſtis ut flumen*, de adventu Gog ac Magog interpretatur. Huc refer, quod in Talmude Berachoth, fol. 22. כל העולם נזון בצדקתו של הקבה״ ולא בזכות שבירם, *omnes non niſi per juſtitiam Sancti benedicti, non autem per propriam puritatem juſti.* Cunradus Otto, in Gali razia lib. I. cap. XII.

Objicient forte Iudæi. Legem promittere obſervantibus mercedem, & bona quævis, ac vitam: ergo per eam, & juxta opera quæ quis egerit, hominem judicandum. *Reſp.* Imo judicabitur quidem; at non juſtificabitur: quia juſtus, prout decet, ex lege nemo eſt, quare neque ex lege juſtificandus, aut beandus. Exigit lex plenam operum juſtitiam, antequam juſtificet. Deut. XXVII. 16. *Maledictus qui non praſtiterit verba legis hujus faciendo ea.*

Excipit Menaſſe, lib. *de Fragilit.* pag. 96. quod illud eſt, qui ea non confirmaverit fide, credendo divina eſſe. Verùm additur, *et praſtiterit faciendo ea.* Quare de confirmatione obſervantiæ intelligendum, quæ fit per opera. Alia eſt juſtitia *partialis*, alia *univerſalis*. Illa alicujus boni operis, juxta legem præſtiti, ut quod legi habes fidem, aut legiſlatori: iſta omnium operum eſt. Lex verò, non illam tantum; ſed & iſtam requirit, ut hominem juſti-

juſtificet. Imo ubi iſta deeſt, illa non poteſt eſſe etiam ſui ratione integra, quia legis obſervantia ita ad invicem copulata eſt, ut quemadmodum in catena, qui unum annulum ſolvit, omnes ſolvit: ſic qui legis præceptum unum omittit, totam tranſgredi cenſeatur. Non ergo hoc quæritur, an lex ſui obſervatoribus promittat vitam; neque, an quis aliquod legis præceptum vel aliqua fortè ſervet: ſed, ut quis perfecte omnia legis præcepta, juxta ejus præſcriptum, teneat: quem ſic juſtificandum, ſi daretur, haud negamus: ſed quum nullus talis, etiam juxta Adverſariorum ſententiam, neque hac ratione ullus juſtificari & ſervari poterit. Reſch Lekiſch *exiſtimavit omnia præcepta neceſſaria eſſe ad ſanationem animæ & perfectionis acquiſitionem; atque ideo ait* שאול, hoc eſt, *gehennam dilatare os ſuum contra eum, qui omiſit vel unum præceptum legis.* inquit Iſaac Abravanel, *de capite Fidei*, cap. XIII.

Obj. II. Quidquid ſit de plenâ & perfectâ legis obſervantiâ, aliqua certe ejus præcepta dum facimus, indignum videtur, illorum, quin alicujus boni operis, mercedem perire, & non illorum ſaltem juſtitiam nos conſequi ac præmia. *Reſp.* Juſtus juxta legem nemo eſt, niſi qui legem perfecte ſervat, & per omnia. Aliqua bona opera quod Deus interim remunerat, non ex lege, vel ejus mercede eſt, ſed ex ſolâ bonitate gratuitâ, ſibi etiam placere ſic oſtendente quamque boni operis in ſe rationem.

Obj. III. Quas homo patitur pænas & afflictiones, maxime quæ ſenſurus eſt in inferno, quare non ſatisfaciant pro ejus peccatis? *Reſp.* Patiuntur illa quidem, at non exſolvunt homines, quia non omnia perpetiuntur: partem eorum ferunt quidem jam & tum, ſed ſummam nunquam abſolvunt, ut à ſolvendo, & debito fiant unquam immunes. Quare minus pro aliis queunt ſatisfacere.

Obj. II. Quin dies expiationis hunc in finem inſtitutus, ut peccata expiaret. *Levit.* XXIII. 28. *Reſp.* Non quaſi hoc vel ipſe dies, vel ſola ejus obſervantia poſſet: namque id ſi verum, hoc vel ejus diei afflictio, vel pœnitentia, vel ſacrificium effeciſſet, at neutrum horum. Ratio, tum quia nihil iſtorum ſufficit, ut reatum, ejuſque gravitatem exæquet: tum quia vis ſacrificiorum, utcunque faciat ad expiationem cæremonialem, non pertingit ad conſcientiam ipſam & purgationem animarum: & denique eorundem hoc in genere imbecillitas ſatis eo ſignificabatur, quod etiam quotidie, & quotannis pro iiſdem peccatis, id eſt, omnibus quæ quis unquam commiſiſſet, eadem repeterentur. Sacrificia au-

tem reſpiciebant Meſſiam, ejuſque unctionem & ſacrificium quod alia obſignaret & perficeret. *Dan.* IX. 24. ad αἷμα χριστοῦ, vel ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως. uti hoc in N. Teſtamento copioſe docemur.

Obj. V. David tamen aliique ſæpe provocant, etiam apud Deum, ad ſuam juſtitiam, ejuſque cupiunt ab eo haberi rationem. *Pſalm.* VII. atque alibi. *Reſp.* Iuſtitia hæc partialis, non univerſalis; cauſæ alicujus, non perſonæ; & pro vindicatione contra adverſarios fuit: minime vero intelligenda de juſtificatione hominis ab omni reatu coram Deo, atque in ejus judicio, ad ſalutem & vitam æternam hinc promerendam, aut acquirendam.

Denique, *dicent*, nos ſola Dei miſericordiâ juſtificari, & ſalvari, ut alia quæpiam ſatisfactio non ſit neceſſaria. *Reſp.* Ergo neque veſtrorum ſacrificiorum, aut quæ ſacrificiorum locum implere putatis, in die expiationis, vel alibi, afflictionum, & operum illa neceſſitas. Iam quia hæc tamen neceſſaria exiſtimatis, & non obſtante Dei miſericordiâ, & peccatorum remiſſione, in Vet. Teſtamento locum habebant ſacrificia cęremonialiter expiantia, non tolli videtis per Dei miſericordiam, ſatisfactionis neceſſitatem. Sacrificia typicè modò expiabant, non propriè, non ſpiritualiter; ſed ſacrificium verum monſtrabant Meſſiæ, quod illud vere præſtaret, quod ipſa ὡς ἐν τύπῳ καὶ σκιᾷ. Quapropter neceſſaria manet ſatisfactio, & gratuita non minus nobis obtingit remiſſio, quia illa non noſtra eſt, ſed alterius noſtri loco præſtita, & à Deo gratioſe pro nobis accepta. Ob quam, juſtificationem vitæ adipiſcimur à benigno, ſimul & juſto Deo. Nam ita Dei miſericordiam prædicare debemus, ut non minus agnoſcamus ejus quoque juſtitiam: hæc ſatisfactionem exigit, illa remiſſionem nobis, propter eam, quamvis non noſtram, clementer impartitur.

Quæ de juſtificatione hominis coram Deo hactenus diſputata, oſtendunt quoque, (nam huc id referendum fuit) Iudæos conſequenter quidem hodiernis ſuis hypotheſibus, at non minus contra veritatem & conſolationem hominum neceſſariam, errare graviter, docendo *incertitunem* ſalutis, & hominem, quantumvis pium ac probum, ſalutis ſuæ neutiquam poſſe eſſe certum. Unde & hoc ponunt inter ſeptem res homini abſconditas: quas ſic enumerant, diem mortis, יום הנחמה & diem conſolationis, profunditatem judicii, ואין יודע quod neſciat quamnam compenſationem ſit accepturus: quid in corde proximi ſui: quando regnum Davidis ſit reſtituendum: & quando peccatores ſint conſumendi.

Illud

Illud de ſalutis noſtræ incertitudine à Iudæis doceri mirum nequaquam videri debet, quando ipſorum dogmata conſideramus, ex quibus non poteſt non hoc ſequi ignoratâ verâ certitudinis propriaque causâ, rejecto Meſſiâ, ejuſque vero officio, ſatisfactione, & per ipſum juſtificatione. Utquin ſuâ qui juſtificari cupiunt opera, ſalutis ſuæ non modo incerti, ſed deſperantes ſint, aliter eſſe nequeat. Contra verò, ſi non ex hodiernâ Iudæorum doctrinâ, ſed ex Scripturâ diſputatio inſtituatur, apparebit, hominem fidelem ſalutis ſuæ certum eſſe poſſe, ac debere. Jeſa. XII. 1. *Itaque dices tempore illo, celebrabo te Jehova, quia iratus fuiſti mihi, ſed averſa ira tua conſolaris me.* 2. *Ecce Deus ſalus mea, confidam ac non expaveſcam: nam robur meum & carmen meum eſt Jah Jehova, qui fuit mihi ſaluti.* 3. *Atque hauriatis aquas cum gaudio à fontibus ſalutis.* Jeſa. LIV. 9. 10. *Erit hoc mihi quemadmodum aqua Noachi, quando juravi, non tranſituras aquas Noachi amplius ſuper terram: ſic juro, fore ut non efferveſcam contra te, & non increpem te. Nam montes recedent, & colles dimovebuntur, at benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miſerator tuus Jehova.* Pſalm. XXXVII. 5 *devolve ſuper Jehovam viam tuam, & confide in eo* Etenim ex vi *fœderis* novi id ſequitur, ut quorum Deus dicit ſe Deum, & quem populum eſſe ſuum, & quibus ſpiritum dare in cordibus, ut ſui maneant, ii de Dei erga ſe gratiâ, ſuaque per eum ſalute certi ſint. Jerem. XXXI. 33. *indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* & cap XXXII. 39. 40. *Indam enim illis cor unum, & viam unam ad reverendum me omnibus diebus, ad bonum ipſorum & filiorum ipſorum poſt ipſos. Et pan:am ipſis fœdus prepetuum, fore ut non avertam me à proſequendo ipſos benefaciendo iis, et reverentiam mei indam animo ipſorum ut non recedant à me.* Jezech. XXXVI. 26, 27. Hoſ. II. 19. Deut. XXX. 6 Pſalm. CXXV. 1, 2. Atque *exempla* illorum adſunt, qui certitudinem illam teſtati fuere. Jacobus Patriarcha, Geneſ. XLIX. 18. *Salutare tuum exſpecto Jehova.* Jobus, cap. XIX. 25, 26. *Equidem ego novi redemtorem meum vivere, et poſtremo ſuper pulverem reſurrecturum. Et poſtquam vermes hi confoderint iſtud, me evigilaturum: tum carne mea me viſurum Deum.* Cap. XIII. 16. *Etiam ipſe mihi erit ſaluti.* David, *Pſalm* XVI. 9, 10, 11. & XXIII. Certe res hęc vehementer vim ac dignitatem Chriſtianiſmi omnibus commendare debet, quod hic ſolus hominem certum ſpei reddere poteſt de æterno ſuo bono, quod nulla præter eum religio poteſt, non Iudaiſmus totus. Et quid eo majus vel pretioſius homini obtingere poteſt? non fluctuare,

Digitized by Google

ctuare, non vagari incertum, vel deſperare de æternâ ſuâ beatitudine, ſed ejus per Chriſtum ejuſque ſpiritum ita certos eſſe & confidentes, ut nihil ultra metuendum ſit, ſed cum Prophetâ gloriari nobis liceat, Pſalm. XXIII. verſ. 3. *Animam meam quietam efficit.* 4. *etiamſi ambularem per vallem lethalis umbræ, non timebo malum, quia tu mecum.* 6. *Nihil niſi bonum & benignitas proſequuntur me omnibus diebus vitæ meæ.* Deploranda omnino Iudæorum conditio, quod ſe nequeant ad Scripturæ Sacræ normam, vel exempla componere, ſed ſequi malint exemplum R. Iochanan, ben Zachay, dignum ſcilicet quod ſuis encomiis extollant. Hic vir propinquus morti, quum forte à diſcipulis inviſeretur, & viſus lachrymari, cauſamque interrogatus, re-
„ ſpondit: ſi obviam prodeundum mihi eſſet Regi alicui, quem of-
„ fendiſſem, ſperarem utique eum aut verbis placari, aut corrumpi pecu-
„ nia poſſe. Nunc vero quia obviam prodeo ei, qui eſt Rex ſupra omnes
„ Reges, vid. Deo benedicto, quem neque verbis placare, neque do-
„ nis corrumpere poſſum, nec ſcio utrum in infernum ab eo detruden-
„ dus ſim, an deducendus in paradyſum, hæc mihi lachrymandi cauſa juſta ſatis videtur & gravis. Extat in Talmude, *Berachoth cap.* IV. Etiam in *Pirke Avoth.* Habet & Druſius, inter *Apophthegmata Ebræa lib.* I. adducitque Menaſſe noſter, *Probl.* XIX. *de Creatione*, & *lib.* II. *de reſurrect. cap.* XX. Atque ibi quidem.

Illud etiam intelligi poteſt ex hiſtoria R. Johannan filii Zacay, qui cum æger eſſet, & à diſcipulis inviſeretur, flere cœpit: rogatus ejus rei cauſam: reſpondit, duas homini poſitas eſſe vias, unam Paradiſi, alteram inferni, & neſcire ſe qua anima tranſportanda ſit. Si tanta pietatis & ſapientiæ vir non potuit certo ſibi Paradiſum polliceri, imò de eo ſolicitus fuerit, ecquis erit, qui jactabit eum certo ſibi obventurum? Accedit huc, quod David ait: utinam ſcirem certo me viſurum bona Domini, in terra viventium. Non loquitur hic Pſalmiſta de bonis caducis hujus vitæ, et de terra mor-

Reſp. I. Miſeret me ex animo Iudæorum, & deſperati ſtatus, quos adeo nihil eſt neque eſſe poteſt quod ſoletur in articulo mortis conſtitutos. Vide ut ſentiant angores furentis & remordentis conſcientiæ, neceſſitatem ſatisfactionis coram Deo, & ſimul propriam imbecillitatem ad præſtandam aliquam, deſtituti cognitione ac fide in Meſſiam, qui ſolus hîc occurrere poteſt, & ſedare animam, atque ſalvare. O quanta (Deo gratias) fœlicitas, ipſum noſſe, Salvatorem, certamque ſalutis, in quâ acquieſcere licet, inſiſtere viam, ubi

tuorum; ſed tantum ſolicitum ſe oſtendit de futura viſione Dei et fruitione verbi boni, quod in terra viventium demum acquiritur. ubi ſummi æternique nec unquam auferendi boni certus queas eſſe & ſecurus! quod Iudæus nemo, & nullus in orbe novit præter verum Chriſtianum. Validum omnino argumentum, pro commendanda religione & fide Chriſti. Quare mittant tandem iſtum Iochanan, & deplorandum deſperantis hominis exemplum. II. Bene conſiſtit cum certitudine ſalutis, juſta ejus cura ac ſollicitudo. Tum non eſt hæc certitudo cum jactantiâ, ſed cum humilitate conjuncta & reverentia. III. *Pſal.* XXVII. 13. ſi Iudæi *terram viventium* exponant myſtice de vita æterna, minus repugnare debent quando nos alia quæ ad litteram terrene ſonant ſpiritualiter quoque explicamus. Preterea non is ſenſus ac locutio Prophetæ eſt: *utinam ſcirem certo me viſurum*, ſed לולא האמנתי, illud non eſt *ſcirem*, ſed *crederem* האמנתי: Græci verunt πιστεύω; ſecus n. eſſet ידעתי. Jam quia non verbum, nec mens Prophetæ eſt, *utinam* crederem, quem crediſſe ſe viſurum Deum, & fruiturum æterna vita, nemo qui Prophetam, qui illa ejus teſtimonia perſpexerit, fidei ipſius argumenta, *Pſal.* XVI. *et* XXIII. *et* CXVI. &c. dubitare poteſt: ita לולא verti nequit; *utinam*; ſed *niſi*, quaſi ex לא *non*, & אלו *ſi* compoſitum: אם = לא *ſi non*, *niſi*. quemadmodum Geneſ. XLIII. 9. כי לולא *nam ſi cunctati fuiſſemus*. II. Sam. II. 27. *Et dixit Job*, vivit Jehova, כי לולא *quia niſi loquutus fuiſſes*. Jeſa. I. 9. לולא *niſi Jehova Zebaoth reliquiſſet nobis reſiduum*, &c. Græci illis ubique locis habent εἰ μὴ, ut ſenſus ſit, *niſi crederem me fruiturum bono Jehovæ in terra viventium*, cum reticentiâ Scriptoribus ſacris in exclamationibus familiari, *periiſſem*. Confer *Pſalm*. XXXI. 23. & CXXVI. II. Sed jam hoc credidi, vult dicere Propheta: unde & ſequitur, *exſpecta Jehovam* &c. Non videmus, quare non locus intelligendus ſit de bono fruendo in hac vitâ, uti Pſalm. CXVI. 9. *indeſinenter ambulabo coram Jehova, in regionibus viventium*. Hic in plurali eſt, quod ibi in ſingulari, בארץ חיים. Sequitur verſ. 20. האמנתי *credidi*. Vide notationem verbi, & fidem Prophetæ. Credidit, *ideoque loquar*, inquit. Eadem loquela de videndo Deo in terra viventium Hiskiæ Regis fuit, ſed negativa: *dicebam, non ſum viſurus Jah, Jah in terrâ viventium: non intuebor hominem amplius inter habitatores mundi*. Jeſa. XXXVIII. II. Sic *terra viventium*, alibi, *Job*. XXVIII. 13. *Pſalm*. LII. 7. *Jer*. XI. 19. Denique ipſe Menaſſe alibi probat, juſtos hora mortis ſuam in futuro mundo gloriam prævidere, idque variis confirmatum it exemplis, *lib*. II. *Hebr*. *de animâ*, *cap*. XIX.

 LIBER

Digitized by Google

Liber Septimus
De
LEGE.

CAPUT PRIMUM.

De
LEGIS MOSAICÆ CÆREMONIALIS, ET POLITICÆ ABROGATIONE.

De Lege, & legis obſervantiâ, agitur hoc in libro. Conjuncta ſunt juſtificatio, & ſanctificatio. Regula officiorum ſanctitatis lex eſt. Diſtinguitur, in moralem, ſive naturalem, & Moſaicam. De ſeptem præceptis Noachi. Duum generum proſelyti apud Iudæos. Lex Moſaica triplex, moralis, cæremonialis, politica. Capita & ſumma legis hujus, & iſtius. Diſtinguitur in legibus, analogia communis æquitatis, vel reſtrictio ad iſtum populum aut politiam. Status controverſiæ de legis Moſaicæ cæremonialis & politicæ abrogatione. Argumenta noſtra, de lege cæremoniali primùm, tum politicâ. Lex illa in ſe, & natura ſua non fuit bona, niſi ex poſitivâ conſtitutione Legiſlatoris. Data uni populo. Cum Meſſia, & vocatione gentium obſervari non potuit. Deus Novum promiſit fœdus. Exceptioni Iudæorum occurritur. Meſſiæ authoritas ſupra Moſem. De Legis cæremonialis capitibus in ſpecie. De Perſonis, Sacerdotibus & Levitis. Sacrificiis. Sacramentis, circumciſione, & Paſchate. De locis ſacris. Arcâ. Feſtis. Iudæorum ſententiæ de legis mutatione. Nominatim de abrogandis, quod dicunt, tempore Meſſiæ feſtis, excepto Purim, & Expiationis. Deque concedendo uſu carnis porcinæ. De legis politicæ ceſſatione. Ad objectiones Iudæorum, de legis perfectione, & perpetuitate, atque Dei immutabilitate, reſpondetur.

PRobatum ſuperiori libro ac diſputatione fuit, per legem, aut legis obſervantiam juſtificari coram Deo nos peccatores nequaquam poſſe. Interim quamvis non ad juſtificationem, in alium tamen uſum lex obſervari olim debuit, & ejus aliqua etiamnum hodie. Videlicet conjuncta & inſeparabilia ſunt, *juſtificatio*, & *ſanctificatio*, quem juſtificat Deus, ſanctificat quoque: unde in Pſalmo, Beati dicuntur, quorum remiſſa peccata, & in quorum ſpiritu non repertus dolus. Pſal. XXXII. 2. *Apud te remiſſio ut reverearis.* Pſal. CXXX. 4. Indivulſa beneficia utraque. Sanctificat verò Deus, ad obſervantiam legis ſuæ: quamvis ob-

vis obſervari illa à nobis haud queat adeo perfectè, ut per ejus juſtitiam juſtificari poſſimus. Sanctificamur ad ſanctitatem: hæc autem prodit ſe in obſervantiâ legis, & continuis juxta eam ſanctitatis officiis. Quare inquiri debet, quid per *legem* intelligamus, quę tenenda nobis etiam hodie, & ſemper ſit: deinde de ejus *obſervantiâ*, qualis ea, quantaque eſſe oporteat.

Legem Iudæi dicunt omnem obſervandam, quæcumque Moſi unquam tradita fuit: & non eſt caput, poſt illud de Meſſiâ, pro quo acrius digladiantur, quam hoc. Unde ab hoc ipſo nonnunquam diſputationem inchoare videas. Quemadmodum, ne alios dicam, Iudæus Moguntinus, quocum diſputavit Gilbertus Weſtmonaſterienſis, quam diſputationem hic poſtea in librum redegit, & inſcripſit Anſelmo Cantuarienſi, M. S. eſt in bibliothecâ Reverendi, & Clariſſ. olim præceptoris noſtri p. m. Ant. Tyſii. Nos diſtinguimus legem, in moralem, ſive *naturalem*, & *Moſaicam*. Lex Dei (nam de ea agimus; non humanâ) primùm per Moſem conſignata ſcripto fuit, quem paſſim Iudæi dicunt רבינו, *magiſtrum noſtrum*; ע"ה *ſervum Domini*; quemadmodum Deus ipſe eum hoc elogio inſignit ἐξόχως, *Num.* XII. 7. *Deut.* XXXIV. 5. Unde de eo in Seder Tephiloth, pag. 66. b. ישמח משה *lætatus eſt Moſes in ſorte ſua, quia ſervum fidelem eum appellavit, ſummus decor capiti ejus, quod ſtatueris eum coram te in monte Sinai, & duæ tabulæ lapideæ per ejus manum deſcenderunt.* Quemadmodum de Iacobo paſſim dicunt אבינו *pater noſter*: namque à Iacobo oriundos; à Moſe edoctos ſe gloriantur.

Valde celebrant Judæi ſeptem præcepta, quæ appellant *Noachi*: quorum ſex dicunt tradita Adamo, ſeptimum Noacho, ſuntque I. על ע"ז, de cavendâ *idololatria.* II. על ברכת השם, *de maledictione numinis* III. על שפיכות דמים, *de effuſione ſanguinis*, ſeu homicidio. IV. על גילוי עריות, *de non revelandâ turpitudine, ſive de fornicatione.* V. על הגזל, *de rapinâ* & furto. VI. על הדינים, *de judiciis.* VII. על אבר מן החי, *de membro animalis vivi non comedendo.* Quod Noacho, ſupra priora additum fuerit, *Geneſ.* IX. 3, 4. כן היה דבר, *atque ſic res ſe habuit*, inquit R. Maimonides, halach. *Melachim* cap. IX. §. I. *per univerſum mundum uſque ad tempus Abrahami. Abrahamus inſuper præceptum accepit de circumciſione; & preces matutinas inſtituit, Iſaacus autem decimas ſegregavit, atque addidit precationem aliam antelucanam. Jacobus* גיד הנשה *de non comedendo nervo obliviosо addidit, & preces veſpertinas: atque in Ægypto Abramo alia adhuc præcepta data, uſque dum veniret Moſes Magiſter noſter & lex*

per

per eum conſummata eſt. Propter verba Exod.xv. 25. *ibi*, videlicet in Mara Deus *ei poſuit* חק ומשפט *ſtatutum & judicium*; atque ad illa verba paſſim annotant Hebræi, hoc loco data Iſraëlitis præcepta ſupra priora fuiſſe, de *ſabbato*, *judiciis*, *et honore parentum*: quæ poſtea omnia ad montem Sinai repetita & in tabulas ac ſummam diſpoſita fuêre. De præceptis Noachi, vide quoque Menaſſem, Probl. VIII. *de Creat. pag.* 34. Conciliat. *in Deuter. quæſt.* II. *pag.* 221. Lib. II. *de Reſurrect. cap.* IX. *pag.* 184. & recônditæ eruditionis libros Iohannis Seldeni, *de Jure naturali & Gentium Ebræorum*, qui commentarii loco ſunt in illa præcepta. Verùm illa divina eſſe, quaſi à Deo hoc ordine aut modo primùm Adamo, deinde aliis tradita fuiſſent, ego hactenus ſtatuere non potui, gnarus quam ſoleant paſſim Judæi quęlibet illuſtriora ſibi viſa antiquioribus Patribus adſcribere & Prophetis, ut Prophetiam de ſex mundi millenariis Eliæ, atque ſimilia. Quare non quidem nego, illa præcepta materialiter divina eſſe, atque ex lege naturali eorum plurima educta, cumque eâ convenire, atque hinc omnes ubique homines obligare: ſed *à Deo ſingulatim* illa tradita, vel adeo antiqua eſſe, ut *Adamo* adſcribi debeant, ego non dixero. Neque enim *Deus*, ſi illas ceu primas legis ſuæ tabulas dediſſet, omiſiſſet quod in alterâ legis parte primum, & illi dicunt longe pôſt demum ſecutum in Marâ, pręceptum de honore parentum, ubi antea datę leges de effuſione ſanguinis, fornicatione &c, fuiſſent. Neque *Scriptura* illa ullibi recenſet capita, vel narrat talia Patribus data fuiſſe. Imo nec Flavius *Joſephus*, diligens cumprimis Antiquitatum Judaicarum inveſtigator & Scriptor, quique, quæ brevibus in Scripturâ indicata, latius exponere ſolet, aliquam iſtorum facit mentionem. Soli *Talmudici* hæc memorant, quorum quæ ſit authoritas, vel potius in figmentis hujuſmodi dexteritas, latere quempiam nequit. Cenſeo, ex ipſo decalogo, & præcipuis aliquibus præceptis illa ſumpta, & hoc modo diſpoſita fuiſſe. Fere quomodo apud Chriſtianos Symbolum Apoſtolorum habitum pro opere Apoſtolico, quaſi ab ipſis Apoſtolis conſtitutum, quod certum, diu poſt illos, quamvis ex ipſorum doctrinâ congeſtum fuiſſe. Ita ſeptem illa Noachi præcepta non ex naturali adeo, quam ex Moſis lege, cujus etiam methodum referunt, ſumpta, & temere à quibuſdam ſub Adami nomine commendata fuerunt. Hoc quidem, ſalvo aliorum, noſtrum hac ſuper re judicium. Jam capita legis illa Noachica cenſent Iudæi ab omnibus omnino hominibus obſervanda, neque quempiam volunt apud ſe vivere, qui ſaltem illa non cuſtodiat, quem tum appellant, גר תושב *proſelytum* *domi-*

Digitized by Google

domicilii; uti eum qui non illa ſolum præcepta, ſed & religionem Iudaicam totam in ſe ſuſcipit, גר צרק *proſelytum juſtitiæ* dicunt.

Lex quæ homines conſiderat, inque iis tum religionem, qua Deo; tum *politiam*, qua hominibus inter ſe devincti ſunt, diſtinguitur in *moralem*, *cæremonialem*, & *politicam*, quæ triplex Moſis lex; ſecundum aliquos his tribus ſignificata vocibus, משפטים, חקים, המצות, *Levit.* xxvi. 14, 15, 46. & alibi: an benè, non dico. Lex moralis ad homines ſpectat omnes & naturam univerſam, quare univerſalis eſt ac perpetua: de cujus divinitate, vi, ac authoritate perpetuâ nulla eſt quæſtio: at lex *cæremonialis & politica*, quia homines ordinat ad particularem, & iſtius *populi locique*, per conſequens & *temporis* tum religionem, tum rempublicam, quando hæc mutari debuit, ut abrogaretur quoque, nihil interfuit. Sic manente legis potiſſima parte atque anima, Decalogo, reſciſſis στοιχείοις illis, cultus, & religio facta magis ſpiritualis, virilis, atque univerſalior ad plures gentes homineſque ſpectans, quod alias non potuit, extenſa. Quare nihil hinc præjudicii Iudæos capere oportuit, quamdiu quidquid legis ſubſtantiale atque ad mores pertinens, tum erga Deum, tum homines, non perpetuum tantum manere diximus, ſed etiam iſte colendi Deum modus à cæremoniarum vinculis ſolutus, ſpiritualior hinc redditus atque univerſalior.

Legis autem cæremonialis (ut diſtinctius ſuit, qua de re diſputatio ſit, atque argumenta melius cognoſcantur, tum ex legis cæremonialis ratione in genere, tum in ſpecie ex ſingulis ejus capitibus deſumta) hæc ſumma genera ſunt, de *perſonis* ſacris, *actionibus*, *rebus*, *locis*, atque *temporibus*. Quæ quinque ſunt rerum omnium cæremonialium categoriæ: ſed cæremonialium ſcilicet *publicarum*; aliæ ſunt *privatæ*. *Perſonarum* ſacrarum tres iterum claſſes, *Sacerdotis ſummi*, cœterorum *Sacerdotum*, & *Levitarum*. De quorum officio, diſcrimine, conſecratione agitur, *Exod.* xxviii. *et* xxix. *Lev.* ix. & x. *Num.* xvii. & xviii. *Actiones* ſacræ erant. i. *ſacrificare:* cum omni ſuo apparatu. *Levit.* i. & ſequentibus capp. ii. *Sacramenta. Circumciſio*, de qua *Geneſ.* xvii. 12. *Levit.* xii. 3. *Paſcha. Exod.* xii Tertio *res* ſacræ, ut bona, qualia *primitiæ.* Deut. xxvi. i. *decimæ.* Num. xviii. 24. Quo ſpectarunt & *urbes* & agri *Levitarum*, Num. xxxv. Quarto, *locus* ſacer, qui erat *tabernaculum* primò, *Exod.* xxv. & xxvi. tum *templum.* i. Reg. vi. & vii. cum omnibus ſuis partibus ac ſupellectili. Denique *tempora* ſacra, *menſtrua*, Num. x. 10. *anniverſaria*, aut ſingulis annis, qualia *Paſcha*, *Pentecoſte*,

Scenopegia, Exod. XXIII. & XXXIV. Deut. XVI. Menſis Tiſri, feſtum *Tubarum*, Levit. XXIII. 24. *Expiationis*, Levit. XXIII. 17. aut certo annorum ſpatio recurrentia, qualia annus *ſeptimus* ſabbaticus, *Levit*. XXV. & *Iubilaus*. Levit XXV. 13. Hæc publica. *Privata* cæremonialia ſunt, quæ conſiſtebant in *veſtitu*. Deut. XXII. 11, 12. *eſu* mundorum, vel immundorum, *Levit*. XI. munditia, vel *immunditiâ* carnali, *Levit*. XV. & XIII. & XII. Denique erant purgationes & *lotiones*, *Levit*. XIV. & XVII. 15.

Similiter leges *politicæ* fuerunt, atque juxta decalogum. Ad *primum*, & *ſecundum* præceptum, leges *de Apoſtatis & idololatris*. Exod. XXII. 20. Deut. XIII. 1. nominatim de idololatris *Cananæis*. Exod. XXIII. 24. Num. XXXIII, 52. *de Incantatoribus*, *Magis*, *Pſeudoprophetis*. Levit. XIX. 26. Deut. XVIII. 9. Ad præceptum *tertium*, leges de *blaſphemis*, Levit. XXIV. 10. Ad *quartum*, de violato *Sabbato*. Exod. XXXI. 14. Num. XV. 22. Ad *ſecundam tabulam* potiſſimum ſpectabant leges politicę, tum in genere eæ *de peregriniis*, *pauperibus*, *viduis*. Exod. XXII. 21. Levit XIX. 33. Deut. X. 17. tum ſpeciatim ad *quintum* præceptum, leges *de parentibus & liberis*, Exod. XXI. 7. *de Filio contumaci*, Deut. XXI. 15. *de Magiſtratibus*, Num. XI. 16 Deut. I. 9. *Judiciis*, *pœnis*, Deut. XXI. 32. & XXV. 1. de *bellis et legibus militaribus*, Deut. XX. Ad *ſextum* præceptum, illa de *homicidiis*, Exod. XXI. 12, 13. Levit. XXIV. 17, 21, 22. Num. XXXV. 9. Deut. XIX. 1. *vulneribus*, Exod. XXI. 11. Levit. XXIX. 19. Ad *ſeptimum*, de *conjugiis illicitis*, Levit. XVIII. *fornicatione*, Deut. XXIII. 17. Exod. XXII. 16. *Zelotypiâ*, Num. V. 11. *Adulterio*, Deut. XXII. 22. *Divortio*, Deut. XXIV. 1. Ad *octavum*, de *pœna furti*, Exod XXII. 1. *Sacrilegio* Joſ. VII. 10. *Plagio*, Exod. XXI. 16 *Contractibus mutui*, Deut. XV. 1. *pignoris*, Deut. XXXIV. 19. Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35. de *depoſito*, Exod. XX. 7. *hæreditatibus*, Num. XXVI. 55. & XXVII. 1. Deut. XXI. 15. *terminis*, Deut. XIX. 14. Ad *nonum*, de *teſtibus*, Deut. XVII. 6 &c. Atque hæc politica.

Quæ leges conſiderantur, vel ut in naturali & communi æquitate fundatæ, vel ut peculiariter iſti populo latæ: hâc ratione mutabiles ſunt, non illâ: quatenus iſtum ſpectabant populum, illo in loco, & tempore obſervandę, abrogatas dicimus, cum iſtius populi politiâ; ſed illarum æquitas & quouſque cum jure conveniunt morali, manent non qua politicę, ſed quę in politicis ſunt perpetuæ & communis æquitatis. Ut leges Galliæ, Angliæ, non niſi illis locis tenent, apud nos tamen multa eadem uſurpantur, ſed non quatenus Galliæ vel Angliæ, ſed communis honeſtatis jura ſunt, & non populi hujus aut illius, ſed gentium leges & naturæ, Cæ-

Digitized by Google

ræ. Cæremonialia Judæorum præter id, quod ad ſtatum iſtius populi temporiſque reſtricta erant, inſuper hoc habebant, quod ad venturum referrentur Meſſiam, eumque ſingulari ratione ſignificarent, ut tum hinc, tum inde, poſt adventum Chriſti, & diſſipatum veterem populi ſtatum, ceſſare omnino debuerint. De quo nunc, ſive utriuſque iſtius legis, cæremonialis & politicę abrogatione, diſputatio ſequitur. Non de lege morali: nam eam perpetui atque invariati juris eſſe, in confeſſo eſt. Neque ea Judaica, ſed naturalis, & communis eſt omnibus. Verùm de lege, quæ oppoſite & diſtincte ad illam, Moſaica dicitur, & Iudaica. De hac diſputamus, & dicimus abrogari cum tempore Meſſiæ, & populi ejus ſtatu diſpari à priſtino, debuiſſe. Id tamen adeo offendit Judæos, ut inde articulum fidei ſuę fecerint nonum, *legem Moſis æternam eſſe*. hoc enim eo intelligunt: ſic explicantibus Maimonide, *de Fundament. legis, cap.* IX. & Abravanele, *de Capit. Fidei, cap.* VIII. ubi ita: *ſub articulo nono de æternitate legis continentur duo alia dogmata. Primum eſt, quod hæc lex nunquam ſit mutanda in gente noſtra, hoc eſt, quod non mutabunt eam filii Iſraël ex ſeſe. Secundum, quod non veniet alia Lex à Deo, vel quoad totam, vel quoad additionem vel dimunitionem partis ex eâ.* Lex Moſaica unius generis haud eſt, Moſes etiam moralem populo tradidit, quam tenemus omnes, & quæ non ſolum in Euangelio comprobatur, ſed à Chriſto etiam ſingulari ſermone vindicata, ſuæque puritati ac plenitudini reſtituta fuit, *Matth.* V. 17. *et* XXII. 37. *Rom.* III. 31. *et* VII. 22. *&* XIII. 8, 9. Comprehenditur Decalogo, Hebr. עשרה הדברים, *Deut.* IV. 13. quod exactiſſimum vitę benè inſtituendæ exemplar, officiis tum erga Deum, tum erga proximum. Quod primum naturæ impreſſum à creatione, inde ſcriptis à Deo tabulis, perpetuoque commentario in libris Moſis, Prophetarum, atque Euangeliorum explicatuum, eâ quâ poſſumus, religione obſervamus, & non tantum, quod Iudæi nobis falſo imponunt, præcepta Noachica. Verùm quod ad cætera Moſis præcepta, tum cæremonialia, tum politica, longe alia horum natura eſt & ratio: etenim qua talia ſunt, non fundantur in naturali & communi æquitate, ideoque nec perpetua ſunt, nec univerſalia; ſed uti ſuo tempore obſervari debuerunt, ex præcepto Legiſlatoris ipſius temporario, non æterno, ita abroganda fuiſſe jam probamus, de cæremonialibus primò; inde politicis.

Arg. primum petitur, ex *natura* illorum *in ſe* conſideratâ, quia non ſunt in ſe bona, neque naturâ nituntur, aut naturali æquitate, ſed ex ſolo pen-

Digitized by Google

lo pendent legiſlatoris arbitrio, & lege poſitiva, abſque qua Deum populus ſuus olim diu coluit, duobus (dicunt Iudæi) millenariis ante legem; hodieque, ajunt, ſe Deum tamen colere, quamvis abſque maxima quidem cæremoniarum parte: quæ proinde cum moralibus æquiparari non debent, quę perpetuæ & univerſalis ſunt obſervantię; & in illis, ſalva religione ac cultu Dei, mutatio contingere poteſt, tum debet, ideo quod uſque ad tempora Meſſię fuerunt typica & umbratica, pro rudi infantia illorum temporum Eccleſiæ inſervientia, quę elementaribus ejuſmodi inſtrui, perque ea adduci ad ſenſum & cognitionem rerum ſpiritualium & cœleſtium debuit. Unde dictum Moſi, Exod. xxv. 40. *vide igitur facias ſecundum ſtructuram iſtorum, quæ tibi exhibita eſt videnda in monte.* quo ſignificatum, aliarum rerum typos illa eſſe, & ſigna atque figuras ſpiritualium. Quod expreſſe dicitur in Talmude; Berachoth, cap. v. נתן *dedit nobis Deus benedictus* ציורי *figuras tabernaculi & ſanctuarii, & omnis eorum ſupellectilis, candelabri, menſæ, & altarium in figuras ſpirituales, ad percipiendum inde veritates ſuperiores,* לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתות העליונות. In ſacrificiis id manifeſtiſſimum, quæ ſacrificium & expiationem Meſſię præſignificabant. Unde dictum, Pſalm. xl. 7. *Sacrificio & munere delectatus non es, aures perfodiſti mihi,* loquitur Meſſias. *holocauſtum et oblationem pro peccato non expetiviſti.* 8. *Tum dixi, ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me,* &c. tollit primum, ut ſecundum reponat in ejus locum, ſe nempe, ſuique oblationem in locum priſtinorum ſacrificiorum, quę Deus ſæpe teſtatus fuit, ſibi ex ſe non placere, neque grata eſſe. De quo etiam Meſſię ſacrificio, relate vid. ad iſtorum temporum typica reliqua, Jeſaias cap. liii. 7. *ut parva pecus ad mactationem ducitur, et velut ovis coram tonſoribus ſuis obmuteſcit, neque aperit os ſuum* &c.

Arg. ſecundum. Quæ data fuerunt *uni* populo, & *certo* ejus *ſtatui*, in ſua terra, ea non poſſunt ideo omnibus ubique hominibus, & ſemper imponi: verum talia fuerunt Judaici populi leges cæremoniales: Ergo. Hinc duplex paſſim addita ad leges illas clauſula, *in generationibus veſtris.* Levit. vii. 36. & xxiv. 3. Geneſ. xvii. 7. *&, ubi veneritis in terram veſtram.* Deut. iv. 5. 14. & vi. 1. & xi. 31, 32. Ut quandiu ille populus fuit, degitque in Cananæâ, leges illę quidem obſervandę fuerint, ſed non proinde aliis æque nationibus, & extra iſtum locum agentibus injungendę. Quod quoque Judæi ſua praxi roborant, dum, quia extra Judæam nunc agunt, præcipuam legum ſuarum partem tuto ſe omittere poſſe exiſtimant.

Arg.

Arg. tertium. Cum adventu Meſſię dilatanda erat ad quaſcunque gentes Eccleſia, & vocandi in ejus communionem *gentiles*: à quibus leges cæremoniales tali rerum ſtatu obſervari non poſſunt. Neque enim ex omnibus mundi gentibus & terris Jeruſalemum adſcendere toties populus poſſet, ex Indiâ, Europâ, noſtris, vel Hyperboræis regionibus, quoties in lege hoc præceptum: vel ſacerdotes progredi ad longinquas oras forte leprę inſpiciendę & examinandę, & purgandarum ædium, vel hominum cauſa poſſent, atque lex dictat: quare omnino cum adventu Meſſię, & ſequente ad eum vocatione gentium, mutationem legis iſtius accedere debuiſſe, apparet.

Arg. quartum. Hinc Deus aperte *Novi fœderis* promiſſionem fecit. Jerem. XXXI. 31. 32. 33. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus pangam cum domo Iſraëlis, et cum domo Jehudæ fœdus novum. Non ſecundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum, qua die prehendi manum eorum, ut educerem eos è terrâ Ægypti; nam ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & ego conjugio junctus manſiſſem eis, dictum Jehovæ. Nam hoc illud fœdus quod pangam cum domo Iſraëlis poſt hos dies, dictum Jehovæ, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, et ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quod ſi prius tale, ut nihil in eo deſiderari potuiſſet, ſecundo non fuiſſet datus locus. Dum fœdus novum dicitur, antiquatur prius: quod autem antiquatur ac ſeneſcit, prope eſt ut evaneſcat. Significat etiam, in quo fœdus ſecundum conſiſteret, & in quo prius ſuperaret, ſcilicet in ſpirituali ejus ratione, & quod in corde ſcriberetur ſpiritu, non litterâ, & non in carne conſiſteret, ſed ſpirituali præceptorum obſervantia ac cultu.

Excipiunt Judæi, dici ibi ברית חדשה *fœdus novum*, non quod aliud ſit futurum à Vetere, ſed quod Vetus ſit confirmaturum. Rabbi David Kimchi, כי לא תהיה חדוש הברית אלא קיומה, *non erit innovatio fœderis, ſed confirmatio.* At hoc directe eſt negare quod textus dicit; aperte enim eſt חדשה. & in Targum, חדתא. opponitur priori fœderi: *non ſecundum illud fœdus*, non ergo eſt ejus confirmatio. Menaſſe, Quæſt. VII. in Levit.

R. David Kimchi, & autorum alii, ajunt, nequaquam hic Dominum promittere novum fœdus, aut Legem novam; ſed illud velle, temporibus Meſſiæ, eos non amplius irritam facturos Legem. Eamque men-

Reſp. 1. Non promittit Deus novam legem, ſed quidem novum fœdus, fœdus non legale, aut operum, ſed gratiæ, & hoc quo per ſpiritum ſuum hominum cordibus legis moralis obſervantiam eſſet inſculptu-

tem eſſe verborum, illis diebus percutiam cum domo Iſraëlis, & cum domo Jehuda (futurum eſt id quando ex univerſali captivitate XII. *ſimul tribus colligentur, quod adhuc non accidit) fœdus novum. Nec neceſſario ex mentione fœderis novi ſequi, novam Legem Dominum daturum; ſed priorem in animis eorum renovaturum. Nam quicquid in principio non ſatis manifeſtum eſt, cum declaratur in S. Scriptura novum dicitur. Ita Samuel* I. Sam. II. 14. *ad Saul: Agite eamus Gilgalem, ut ibi renovemus regnum hoc. Non tunc dedit ei regnum, ſed tantum confirmavit. Sic quoque novum fœdus hic denotat religioſam Legis obſervationem. Idque ſatis oſtendunt ſequentia, non quemadmodum illud fœdus, quod percuſſi cum patribus eorum, quando eduxi eos ex Ægypto: nam illi irritum fecerunt fœdus meum. Quibus deſignat, Iſraëlitas non ita irritum facturos fœdus, quemadmodum patres eorum fecerant: & ideo ſubjicit: Nam hoc illud fœdus, quod pangam cum domo Iſraëlis, indam Legem meam menti eorum, & cordibus illorum inſcribam eam, eroque ipſis Deus, & ipſi erunt populus meus, &c. Sed & alia ratione hæc loca conciliare poſſis. Nam vox* ברית, *fœdus, non modò Legem, ſed et ſæpe in S. Scriptura reciprocum pactum, & ſocietatem à duobus initam denotat.*

ſculpturus, ut plane cum Menaſſe hîc dicamus: *ex mentione fœderis novi non ſequi novam legem Dominum daturum, ſed priorem in animis eorum renovaturum.* II. Converſi Iſraëlitæ ex XII. tribubus ad Deum fuerunt, quotquot ad Meſſiam verum: quod longe majus, quam corporalis aliqua reverſio in terram. III. Novum dicitur, non legale priſtinum renovatum, neque novum legale aliud; ſed novum gratiæ, quod priori opponitur, *non quemadmodum illud fœdus, quod percuſſi cum Patribus eorum, quando eduxi eos ex Ægypto:* ergo aliud novum, quo & hoc continetur, quod non in priori, ut gratiam ſanctificationis (præter juſtificationis gratuitæ) illis indulgeret Deus, quâ potenter in illorum cordibus eſſet effecturus obſervantiam ſui. In quem ſenſum approbamus quæ ſecundo hic ſubjungit Menaſſe de voce ברית, explicatâ de fœdere, non lege, nedum novâ.

Arg. quintum. Meſſias Moſe nullâ ratione debuit eſſe inferior, imo omni pacto ſuperior. *Prophetam* כמוך *ſicut te ſuſcitabo eis è medio fratrum ipſorum, et indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quidquid præcepero ipſi,* inquit Deus. *Erit autem ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis quæ loquutus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab illo.* Deuteron. XVIII. 15. Moſes, uti Dei ſervus fuit in domo ejus; Meſſias, ut filius.

Num.

Digitized by Google

Num. xiii. 7. *Servus meus Moſes, in omni domo meâ fidelis.* at de Meſſiâ: *Filius meus es tu.* Pſalm. ii. Quare quę Moſes præcepit, mutare quidni licuit Meſſię cum melioribus, & abolere? præſertim quum huic dictum, juxta priora illa verba à Deo Patre, Matth. xvii. 5. *hic eſt Filius meus dilectus, in quo acquieſco, hunc audite.* Hinc & dictum ei legimus à muliere Samaritanâ, Joann. iv. 25. *Scio quod Meſſias veniet, qui dicitur Chriſtus: ubi ille venerit, annunciabit nobis omnia.* nam hæc iſtorum temporum erat exſpectatio tum de Meſſię adventu, tum ejus in docendo officio: quæ perperam Judæi Eliæ adſcribunt, ut is venturus fuiſſet & docturus ſapientes plurima, de quibus in eum uſque diem dubitarant. Quod formula teſtatur apud eos ſolennis, *veniet Elias ac ſolvet*, quam תיקו appellant. Non vero alteri dicimus licuiſſe legem mutare, quàm Meſſiæ: adeoque ab eo mutationem illam accipimus, non iniquum exiſtimantes ſi Meſſiam pari ſaltem (ad hominem loquor: revera ut oportet majori) obſervantiâ proſequamur, ac Moſem. Ex Neve Schalom *lib.* ix. *cap.* v. adducit Joſephus de Voiſin in Pugionem Raimundi, *pag.* 121. quod dixit: *Rex Meſſias* erit ſupra Abrahamum, & ſupra Moſem, & vere etiam dicunt, ſupra Angelos adminiſtratorios.

Reſpondet Maimonides, lib. de Fundamentis legis, cap. ix § 3. אם כן, *Si ita ſe res habet, quare dictum eſt in lege:* Deut. xviii. 15. *Suſcitabo Prophetam illis è medio fratrum eorum, ſicut tu? Non ad ferendum legem ipſe veniet, ſed ad præcipiendum verba legis, & admonendum populum, ne illa violet, ſicuti ait ultimus Prophetarum:* Malac. iii. 22. *Mementote legis Moſis ſervi mei. Quod ſi nobis res arbitrarias vel indifferentes impoſuerit; ut e. c. Ite ad iſtum locum, vel non ite; hodie bellum gerite, vel non gerite; exſtruite iſtum murum, vel non exſtruite, tum mandatum eſt, ut auſcultemus ei.* Recte, in legibus non arbitrariis, ſed moralibus perpetuis ac neceſſariis nihil aliud præcipit Meſſias, quam in lege Moſis continetur: ſed in arbitrariis, id eſt, quæ poſitivi juris, & ex ſolo pendent arbitrio legiſlatoris, ut an ad iſtum locum eundum ſit, v. g. Jeruſalemum & templum, & ſic de aliis, poteſtas ei fuit mutandi illa atque abolendi. Similiter Idem inquit §. vi. pag. 129. *Atque ſic didicimus per traditionem à priſcis ſapientibus. In qualibet re, cum dixerit tibi Propheta: Tranſgredere verba legis, ſicut Elihu fecit in monte Carmel, audi eum; præterquam in idololatria. Cum vid. aliquid pro certo tempore futurum eſt; ſic Elihu obtulit holocauſtum in extraneo (loco), licet Jeruſalem ad hoc electa eſſet: qui autem offerebat in alieno loco, is reus evadebat exterminii, ſed quia erat Pro-*

Digitized by Google

Propheta, præceptum nobis fuit, ut ei auſcultaremus. Atque hinc etiam dicitur: Audietis eum. Quod ſi interrogaſſent Elihu, atque ei dixiſſent: Quomodo extirpabimus quod ſcriptum eſt in lege: Non offeres holocauſta tua in omni loco, quem videbis? ille reſpondiſset; non præcepit hoc Deus niſi offerenti ſemper in loco extraneo, et talis reus fit exterminii, ſicuti mandavit Moſes: ſed ego hodie extra offeram juxta verbum Domini, ad falſitatis convincendum Prophetas Baal. Et ſi jam Meſſias dicat, nec alio, nec iſto loco amplius offeres, ſed te ipſum Deo ſemper & ubique dabis in ſacrificium ſpirituale, annon audiendus, & ſupra Eliam? In ſpecie de ſingulis legis cæremonialis capitibus oſtendemus eandem obvenire debuiſſe mutationem, & de *Perſonis* primum.

Meſſias futurus fuit *Sacerdos*. At qualis. non Leviticus? neque enim ex tribu Levi oriundus fuit, ſed Judæ, cui tribui de ſacerdotio nihil unquam dictum. Futurus erat ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeki, *Pſalm.* cx. qui Melchiſedek alterius ſtemmatis fuit, & major Abrahamo, ideoque & Levitis, nam Abrahamus ab eo benedictionem accepit: clarum autem, minorem à majori benedici, eique Abrahamus, & per conſequens Levi, quaſi in lumbis Abrahami, decimas impartivit. Quare quum & alterius *tribus* Sacerdos fuerit Meſſias, & majoris *dignitatis*, ſequitur cum ipſo mutationem cæremonialis legis obtingere debuiſſe: mutato enim ſacerdotio, fit quoque legis mutatio. II. Cum temporibus Meſſiæ prædictum promiſſumque, ex quibuſcunque gentibus & populis Deo aſciſcendos ſacerdotes, quod cum lege de tribu Leviticâ ſacerdotali ex diametro pugnat. Jeſa. LXVI. 20. *& adducent ex omnibus gentibus* &c. 21. *atque ex iſtis aßumam in ſacerdotes & Levitas, ait Jehova.* Ergo lex illa de ſacerdotibus Leviticis ſtare amplius & vigere poſt adventum Meſſiæ ultra non potuit. Videamus ſecundo loco de *actionibus* ſacris: ac primùm de *ſacrificiis*.

Sacrificia, quemadmodum omnia cæremonialia, non fuerunt *per ſe bona*, vel placita Deo; imo illa Deus ſæpe reprobavit, atque deteſtatus fuit. Gen. IV. 57. I, Sam. XV. 22, 23. II. Chron. XXX. 18, 19. Pſalm. XL. 7. & LIV. 18. & LXIX. 31, 32. Jeſa. I. 13. Jerem. VI. 20. & VII. 4. 21, 22. Jezech. XX. 25. Hoſ. VI. 6. II. Deinde, non potuerunt ſacrificia vere *expiare* peccata, vel mundare conſcientiam à peccatis: unde repeti continuò eadem neceſſe fuit, quod non oportuiſſet, ſi unquam verè expiaſſent: nam in illis identidem repetitio fiebat præcedentium peccatorum, ſcilicet nondum ritè expiatorum. Omnis ſacrificiorum vis & ex-

& expiatio fuit ſolummodo cæremonialis, & carnalis: vera ac plena quæ animas purgaret, haberi non potuit per ſanguinem hircorum & taurorum; ſolùm per ſanguinem Meſſiæ, ejuſque verum & ſufficiens ſacrificium. *Jeſai.* LIII. *Pſalm.* XL. 7, 8. Denique expreſſe *prædictum* fuit, ſacrificia per Meſſiam abolenda. Dan. IX. 27. *Media ſeptimana abolebit ſacrificium et munus.* Zach. XIV. 20, 21. *Die illo erit inſcriptum tintinnabulis equorum, ſanctitas Jehovæ, ut ſint ollæ in domo Jehovæ quaſi crateres coram altari. Imo erit omnis olla Jeruſalemi & in Jehuda ſanctitas Jehovæ exercituum, et venientes omnes ſacrificaturi accipient ex eis, et coquent in eis, neque erit Cananæus amplius in domo Jehovæ exercituum die illo.* Id eſt, ſublato diſcrimine ſacrorum cæremoniali, ſive rerum, ſive perſonarum, omnia Deo pariter ſervient, eruntque æque ſacra. Egregie hæc explicat Maimonides, More Nevoch. part. III. cap. XXXII. *Dico, Cum iſta ſpecies cultus divini, oblationes nempe, ſint ſecundum intentionem ſecundam; invocatio verò, precatio & ſimilia cultus Divini genera magis ſint propinqua intentioni primæ, & neceſſaria ad illam aſſequendam, idcircò Deum magnam inter duas iſtas ſpecies conſtituiſſe differentiam. Iſtæ enim oblationes & ſacrificia, licèt fiant in honorem Dei Opt. Max, tamen non ita nobis ſunt facienda, ſicut à principio fiebant, ut videlicet in quovis loco & quovis tempore offerre, Templum pro lubitu noſtro ædificare, quicquid placuerit, offerre, cuilibet, cui adlubuerit, hoc munus ſibi vindicare, ſit permiſſum; ſed prohibita ſunt nobis iſta omnia, & certa domus huic rei fuit aſſignata, ſicut dicitur;* Deut. XII. 26. *In loco, quem elegerit Dominus: extrà quam ſacrificia offerre non licebat;* Deut. XII. 13. *Cave tibi, ne offeras holocauſta tua in quovis loco, quem videbis: nec niſi certa familia Sacerdotio fungi poterat; et hæc omnia ad cultus iſtius genera diminuenda, ut nihil nempe fieret, niſi quod Deus non juſſit intermittere. Verùm precatio & deprecatio permiſſa eſt in omni loco & cuivis.* Et, *Hac de cauſa, quam nunc tibi apparui, invenimus ſæpiſſimè Prophetas reprehendere homines ob nimium ſtudium & nimiam diligentiam in adducendis oblationibus, & illis inculcare, quòd non principaliter et per ſe intendantur, neque Deus illis opus habeat. Sic ait Samuel;* I. Sam. XV. 22. *Nunquid voluntas Domino eſt in holocauſtis et victimis, ut in obtemperando voci Domini?* Item Jeſai. I. 11. *Ad quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, dicit Dominus?* Et Jerem. VII. 22. *Non ſum loquutus cum Patribus veſtris, nec præcepi eis die, quo eduxi eos è terra Ægypti, de holocauſtis & victimis. Sed verbum hoc præcepi eis, dicendo; obtemperate voci meæ, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum: quæ Prophetæ verba ſcru-*

Digitized by Google

pulum moverunt omnibus, quos mihi videre & audire contigit. Dicunt enim; Quomodo dicit Jeremias de Deo, quòd non præceperit nobis ſacrificia & holocauſta, cùm maxima pars præceptorum circa hoc tantùm ſic occupata? Sed ſcopus verborum ipſius is eſt, quem indicavi tibi. Dicit; Prima Intentio utique eſt, ut apprehendatis me, neque alii ſerviatis, ut ego ſim vobis in Deum, & vos mihi in populum. Hoc autem præceptum de oblationibus & de domo mea datum eſt in hunc finem, ut exinde ad utilitatem veſtram hoc diſceretis.

De *Sacramentis*. In ſacramento *circumciſionis* ſpectabatur, I. quod fieret in membro *genitali*, & in *maſculis*, ad denotandum naſciturum ſemen, Meſſiam. II. Significat circumciſionem *cordis* ſpiritualem. *Deut*. x. 30. Tertio, erat nota *diſcriminis* inter Iſraëlitas, ſeu Abrahami poſteros, & homines reliquos. Ejus verò mutationem facile hæc docebant: I. Quod non ita ad ſalutem erat *neceſſaria*, quum citra eam ante ejus inſtitutionem, & poſtea quoque, multi ſalvati fuerint. Neque enim circumciſio ex Moſe, ſed ex Patribus fuit, dudum ante Moſem. Abrahamus accepit ſignum hoc in præputio, ſed credens Deo, & juſtificatus fide. II. Significabat cur naſciturum ſemen, ſeu *Meſſias*: quo nato ceſſare debuit. III. Sacramenti gratiam tanto cum *dolore*, qualis circumciſio, obſignans, haud bene conveniebat fœlici ſub Meſſia ſtatui, quando Iudæi ajunt vel memoriam ſervitutis Ægyptiacę abolendam, videlicet ne gaudium & fœlicitatem temporum iſtorum ullo pacto obnubilet. Tum nec diſcrimen ſexus, in accipiendo hoc ſacramento; & diei; & legalis immunditię ratio, *Levit*. XII. illis quadrant. Unde neque in ſermone de vocatione & converſione gentium, cum adventu Meſſię futurâ, additum vel imperatum uſpiam fuit, ut gentes circumciderentur. Eademque ratio eſt *Paſchatis*, alterius V.T. poſt circumciſionem ſacramenti, quod iſtum ſpectabat *populum*, *locumque*, Meſſiæ *typus*, cum eo mutatum nemo mirari debuit. Atque *rerum* aliarum ſacrarum par fuit conditio cum ſacrificiis & reliquis legis cęremoniis, quibus inſerviebant.

Loci quoque ſanctitas deſinere debuit. I. quia iſtius *populi terræque* ſtatui in ſolidum erat appropriata. II. non conveniens cum *Gentilium* ad eccleſiam vocatione, vel Eccleſiæ & veritatis per omnes gentes diffuſione. *Mal*. I. II. *Nam ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus, et in omni loco ſuffimentum afferetur nomini meo, et munus purum: quia maximum nomen meum erit in gentibus, ait Jehova exercituum*. Notatur ſanctitas *loci* iſtius unius ceſſatura, ad quem ſacrificia

olim

Digitized by Google

olim erant alligata, *Deut.* xii. & *ſacriſicia* quoque aliter intelligenda, quam olim conſuerit, nempe nunc ſpiritualiter. Ut hinc *Jeſa.* xix. 18. 19. dicatur ſimili ad formulam religionis priſtinam locutione: *tempore illo erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes ſermone Cananæo, &c. Tempore illo erit Jehova altare in mediâ terrâ Ægypti; et monumentum juxta terminum ejus Jehovæ.* Id eſt, loci unius privilegium prę alio nullum tum amplius erit reſpectu ſanctitatis aut dignitatis majoris hîc, aut ibi. Eodemque ſpectat ſingulare divinæ præſentiæ ſymbolum, *arca*, de quâ expreſſis locus Jerem. iii. 16. *in diebus illis, inquit Jehova, non dicent ultra, arca teſtamenti Jehovæ, nec adſcendet ſuper eos, neque recordabuntur illius, nec requirent, nec ſacrificabitur ultra.* Excipit Menaſſe, *qu.* vii. *in Levit.* quod dicitur, arcæ non recordaturos, intelligendum, quod arcam non flagitabunt ad apparandum bellum, vel ad ad eam ſecum educendam in prælium. Verba ſunt:

Subjicitur dein, quando multiplicati fuerint in terrâ, illis temporibus futurum ut non dicant amplius, arca fœderis Domini: quibus verbis promittit Dominus, quamvis Iſraël creſcat atque augeatur, non tamen reliquarum gentium invidiam ei metuendam, neque enim illas bellum moturas, ita ut egredi atque arcam fœderis aſſumere opus habeant; uti temporibus Eliæ & quotieſcumque bellum ingruiſſet, facere adſueverant. Nequaquam, inquit, hoc opus erit, neque recenſebunt amplius eam, nam haud amplius fiet, bellum ulterius non erit, ſed alta pax, & tranquillitas. Denique cùm ait Propheta, temporibus illis, Hieroſolyma appellatum iri ſolium Domini, et conventuras huc omnes gentes, vult, adeò nullum bellum fore, ut etiam nationes mundi Hieroſolyma appellent ſolium Domini, & illuc confluant non ad ar-

Reſp. i. Hoc demum eſt addere Scripturæ, contra præceptum, quod nobis in hac cauſa tam ſedulo & ſemper objiciunt Judæi, *neque addes*; ubi illa ſimpliciter loquitur, & dicit memoriam arcæ tollendam, ejuſque deſiderium; apponere, quod totam ejus loci vim enervat: tempora belli, de quibus iſthic loci ne gru quidem. ii. imo quo tempore omne bellum ceſſaturum ipſe exponis. Quam quæſo futilis oratio Prophetę videretur, non recordabuntur temporis arcę ad gerendum bellum; ubi nullum bellum erit? iii. Nec Propheta dicit, neque aliunde probari poteſt, imo & veſtris hypotheſibus contrariatur, tempore Meſſiæ, quando domus Juda, una cum domo Iſraëlis ex terrâ Aquilonari ſunt adſcenſuræ Jeruſalemum, quod habetur verſ. ſequenti, nullum fore bellum. iv.

Digitized by Google

ma inferenda, ſed colendum Dominum, & deponendam malam animi ſui ſententiam. Itaque manifeſtum eſt, hic non fieri mentionem novæ Legis. Sed & aliter hunc exponere locum liceat. Nam ſi attendamus in Tabernaculo, aut Templo, locum in quo divinitas conſidebat, fuiſſe arcam, (*unde* Exod. XXV. 22. *Et loquar tecum è ſuperiori parte operculi, è medio Cherubinorum.*) *comperiemus hic dicere Dominum, antea quidem arcam receptaculum divinitatis fuiſſe; at temporibus Meſſiæ non unum aliquem templi locum fore divinitate repletum, ſed hanc gloriam toti urbi Hieroſolymis datum iri, ut, quicumque in ea ſint, Propheticum ſpiritum habeant. Quod clarè oſtendunt verba, eritque quum augeſcetis in terra illis temporibus, dictum Domini, non dicent amplius arca fœderis Domini, ſed vocabunt Jeruſchalaima ſolium Dei. Et ſanè illo ſenſu optimè verſus præcedens alteri connectitur. Non nominabunt amplius arcam: quid ergo? nominabunt civitatem Hieroſolyma ſolium Domini. Faciunt pro hac expoſitione aliorum Prophetarum teſtimonia: quæ inter hoc eſt: Implebitur terra cognitione Domini, & vaticinabuntur filii tui. & filiæ tuæ. Si Propheta id voluiſſet, temporibus Meſſiæ novam Legem, aut fœdus novum fore, dicendum ei erat, non dicent amplius arca Domini, ſed nova Lex erit. At nequaquam ita ait,* quaſi arca vel nullum alium in finem fuerit, vel in hunc primarium: ut in prælium una cum exercitu prodiret? quod non ita eſt. Nam quamvis primis temporibus, antequam certum quietis locum nacta eſſet, aliquando circumduceretur, & comitaretur exercitum, tempore templi id nunquam factum, imo nec fieri potuit, alios in fines fixos conſtitutâ eâ, quibus ſervire oportuit, & in quos haberi potuit, præter unum illum uſum belli, & accidentarium? ſed tempore Meſſiæ plane non extitura dicitur, argumento quod omnis tum cultus cæremonialis eſſet abrogandus, cujus anima quaſi & centrum arca erat. V. Quod ipſe agnoſcit nobiſcum Menaſſe, quando cætera Prophetæ in eundem ſenſum verba explicans ait, ſanctitatem loci quæ ex lege *Exod.* XXV. 22. fuit penes arcam, deinde futuram per totum templum, adeoque totam urbem. Quo pacto mutationem legis futuram hac ſaltem in parte comprobat. VI. Illud Jeſa. XI. *implebitur terra cognitione Domini etc.* ſi placet attendere, impletum videre eſt cum adventu Meſſiæ, à quo tempore cognitio Domini diffuſa per totum orbem fuit, & legis tum notitia, tum obſervantia, quomodo nunquam antea. Quæ enim notitia olim concluſa terminis Iudææ, ea exinde pervagata totum mundum

fuit,

mirabili connexione ſubjiciens, ſed vocabunt Hieroſolyma ſolium Domini: quæ verba veritatem allatæ expoſitionis evincunt. Quid quod decem præcepta, arcæ olim incluſa, omnes hodieque nationes æterna habent, & colunt. fuit, ut jam quouſque patet Chriſti nomen, quod longe latius eſt Iudæâ, Dei legiſque ſtudium vigeat apud illos, qui olim tam verè, quam hodie per calumniam, gentiles fuere. *Dicis ipſe, omnes hodie nationes decem præcepta colere.* Si hoc non eſt, impleri terram cognitione Domini; & ſanctitatem, olim coarctatam templo, hodie per omnes ubique terras diffuſam eſſe, quid demum illud ſit nemo concipere valebit nec explicare. VII. De decem præceptis arcæ olim iuclufis, quæ omnes hodieque nationes æterna habent & colunt, ſi diſputes, confecta res erit, & finita diſputatio. Non enim iis quiſpiam repugnat, certe nos minus, quam vos ipſi. VIII. Neque nos dicimus novam legem præſcribi: imo nec nova à Meſſiâ data: ſolùm Iudaica abrogata, & confirmatâ morali, prædicatum æternæ ſalutis atque redemptionis Euangelium. IX. Denique jam tum in templo ſecundo arcam cum reliquis aliis rebus, defuiſſe, Judæi annotarunt ad Hagg. I I. & I. 18. Talmud, *Joma, cap.* v. & Sanhedrin, *cap.* XI. Neque vel in deſcriptione templi, aut ejus expugnatione Joſephus arcæ meminit: *de bello lib.* VI. *cap.* VI. & *lib.* VII. *et lib.* XIV. *Antiquit. cap.* VIII. Neque Gorionides, *lib.* I. *cap.* XVII.

Denique quod ad *tempora* cæremonialia, ut feſta; ea iſtius *populi* fuerunt peculiaria, deſignantia ipſorum ſpecialia *beneficia*, iſtius terræ; quæ neque *extra* iſtam terram, neque ab *omnibus* mundi nationibus potuiſſent celebrari, ac proinde etiam hoc tempore abroganda fuerunt. Non quod Deus non debeat coli, & gratiæ ei agi pro illis etiam beneficiis iſti populo olim collatis, ſed quod illa celebratio non debeat ultra reſtringi ad certa illa tempora, ſed eſſe ſpiritualis jam ac perpetua. Jerem. XVI. 14. *Idcirco ecce dies venturi ſunt, dictum Jehova, quibus non dicetur amplius, vivit Jehova, qui evexit Iſraëlitas è terrâ Ægypti.* Atque Judæi dicunt, cum Meſſiâ abroganda feſta omnia, exceptis Pûrim, & expiationis, dantque rationem, *quia non opus erit multiplicatione beneficiorum, aut recenſione fælicitatis alterius, tempore Meſſiæ.* Tanta ſcilicet ipſius Meſſiæ, cumque eo temporum fælicitas erit. Quæ proinde non debebit terrena eſſe, nam ea tanta eſſe non poteſt, non quæ vim omnium retrò feſtorum ſuperet, eorumque letitiam expungat, ſed ſpiritualis atque cœleſtis.

Sabbathum non quidem habemus pro præcepto cæremoniali, ſed diſtinguimus in eo vim præcepti quarti, ejuſque obſervantiam, à deter-

 minatione

Digitized by Google

minatione circumſtantiali temporis, diei ſeptimæ, hoc *poſitivum* fuit, pendens ab arbitrio legiſlatoris, quę circumſtantia ad eſſentiam obſervationis Sabbathi appendi vel cum eâ æquiparari non poteſt. Quare Sabbathi obſervantiam urgemus, & quartum præceptum quod morale ſit ac perpetuum: non ita temporis diſtinctio vel determinatio. I. *Meſſiæ* poteſtas quidem tanta eſt, ut de temporis circumſtantiis diſponat, eſt enim & Dominus Sabbathi. II. Plura ſuis Magiſtris adſcribunt & majora Judæi, quam temporis aliquam variare circumſtantiam. *Rabbini* etiam tempora feſtorum & dierum feriatarum contrahunt aliquando, ut duos feſtos dies in unum, propter ſepulturam cadaverum, vel corruptionem cibariorum, aliiſque de cauſis. Deque Magiſtris illis ſuis Judæi, *quod Senatus poſſit aliquid exſtirpare è lege.* Abravanel, de Cap. fidei, cap. XIII. Et non licebit Meſſiæ diem variare? Maimonides, de fundam. legis, cap. IX. § 5. וכן אם *Similiter etiam, ſi dixerit nobis Propheta, de quo conſtat nobis, eum eſſe Prophetam, violandum eſſe unum ex omnibus præceptis, quæ recenſentur in lege; vel præcepta multa, tam levia, quam gravia pro brevi tempore, tum mandatum eſt, ut ei auſcultemus.* II. Quin & prædictum fuit, Meſſiæ tempore, continuo ſabbatho Deum colendum, ſublato ſabbathorum aut noviluniorum diſcrimine. Ieſa. LXVI. 23. *eritque de novi-lunio in novi-lunium, & de ſabbatho in ſabbathum alterum, ut veniat omnis caro ad incurvandum ſe coram me, ait Iehova.* Denique ipſi Judæi dicunt, interque eos Abravañel, de Capite fidei, *cap.* XIII. non eſſe illam legis mutationem, quamvis in ea aliqua fiat mutatio: *etiamſi incidat neceſſitas, ut pars præcepti mutetur, veluti illud, cum dicitur, quod exitus ex Ægypto diebus Meſſiæ non commemorabitur, iſtud tamen non appellandum mutatio in lege.* Ita & nos dicimus, quamvis mutatio acciderit circa tempus Sabbathi, non item mutationem factam, vel abrogationem præcepti ipſius quarti, aut Sabbathi.

Ulterius Joſephus Albo progreditur, *Ikkarim Serm.* III. *cap.* XVIII. nam quod nos de ſolâ temporis circumſtantia; ille de præcepto ipſo, ejuſque obſervantiâ capit, docens Decalogum quidem eſſe juris communis & inviolabilis, tamen אם אומר שנחלל שבת *ſi Propheta dixerit, ut violemus Sabbathum, aut tranſgrediamur aliquod præceptum, pro temporis occaſione, aut in negotio, quod non evertet legis radices, æquum eſt ut illum audiamus.* Doctor hic Iudæus adſtipulatur nobis, docetque non eam legis eſſe perpetuitatem, ut mutari non poſſit; quinimo exſerte & multis probat, legem eſſe mutabilem, *Ikkarim, ſerm.* I. *cap.* XV. XVI. & III. *cap.*

Digitized by Google

III. *cap.* XIII. XIV. etiam *cap.* XXV. diſputat contra Maimonidem, qui legis perpetuitatem inter articulos religionis Iudaicæ retulit, ſtatuitque eſſe אין לה לא שנוי *abſque mutatione* vel variatione ullâ in perpetuum. Ille contra tendit & exiſtimat, in legem omnino cadere etiam mutationem שיפול בו שנוי, quod multis exemplis comprobat; quando aliis data fuerunt præcepta,& his conceſſa,quę illis erant illicita &c. Præterea ſimili utitur hominis ægroti, cui medicus non eandem ſemper præſcribit diætam, ſed pro ratione ac valetudine variam. Ita & Deum legem mutare aliquando. שהרת, *legem divinam fuiſſe mutatam ex licito in vetitum, & contra, juxta temporum viceſſitudines.* Sententiam illius ſic proponit Abavanel, *cap.* III. ſub dubio quarto adverſus opinionem Maimonidis: *quod etiamſi non variabitur lex ex parte dantis, neque in ſeipſa juxta perfectionem ſuam, tamen fieri poſſe, ut cadat in eam mutatio ex parte accipientis; ut Deus aliquando augeat, diminuat et mutet legem, vel totam, vel ex parte, pro ratione iſtius, quod convenit recipientibus. Nonne videmus eum primò tradidiße præcepta peculiaria, neque conceſſiße eum veſci carne? At Noacho dedit alia præcepta, atque carnem conceſſit; & Abrahamo tradidit mandatum circumciſionis; atque Moſi ſuperaddidit alia multa præcepta. Quare ſtatuta divina variantur pro ratione temporum, atque prout conducit accipientibus: quemadmodum medicus expertus infirmo morbi initiò tenuem præſcribit diætam, deinde cùm remiſit ſe morbus, illud quod anteà prohibuerat jam permittit, neque hoc eſt vitium in præſcriptione medici, ſed magna prudentia. Simile quid videtur in ſtatutis legis ejuſque præceptis: non enim abſurdum eſt, ut in ea cadat mutatio atque variatio pro ratione recipientis & temporis neceſſitate.* In Vajikra rabba, Commentario magno in Leviticum dicunt, eſtque decantatum valde apud Judęos, כל המועדים, *omnia feſta ceſſabunt, præter feſtum Purim & diem expiationum.* Hoc *teſtantur de mutationibus futuris diebus Meſſiæ*, inquit Abravanel, qui & dilute nimis ad illud reſpondet:

Quod autem adducit ſapiens ex Vaikra rabbah: Omnia feſta ceßabunt præter feſtum Eſteræ et dies expiationum, non eſt ceſſatio hæc everſio ipſorum feſtorum; abſit hoc: ſed ceßatio memoriæ iſtorum; quia omnia iſta ſunt recordatio exitûs ex Ægypto. Senſus autem iſtius dicti

Reſp. I. Quomodo feſtum ſervari poteſt, ſi tollatur ſingularium beneficiorum memoria, ob quam feſtum habetur, quæque feſti fundamentum eſt & forma? II. Cur duo illa feſta potiora habebuntur aliis, præſertim tribus celebribus, Paſchatis, Pentecoſtis, & Scenopegię?

gię?

eſt : Iſraelitæ tempore liberationis ſuæ non applicabunt animum ad recordationem prodigiorum ac miraculorum, quæ pro illis patravit Deus ben. cum educeret eos ex Ægypto, quia videndo eximia miracula, quæ coram illis Deus faciet diebus Meſſiæ, priora tradent oblivioni, neque in animum adſcendent, prout Scriptura etiam adfirmat : Non dicent, vivit Dominus, qui extulit vos ; atque eduxit. &c. *Atque idcirco ajunt : præter Purim ſeu Eſtheris feſtum, & dies expiationum : quia ſub die expiationum continentur principium anni, ac decimus dies ; quæ connexa ſunt reſipiſcentiæ, condemnationi atque expiationi, atque propter ſeipſa intenduntur : et feſtum Purim eſt ex miraculis, quæ fuerunt facta in captivitate.*

giæ ? Ratio addita futilis eſt, quia ſimilis facile etiam pro aliis confingi poſſet. *Sub die expiationum continentur principium anni ac decimus dies.* non, dies expiationum eſt ſolus & unicus dies decimus. Deinde, ſit ita, quid tum? quę conſequentia, ut ideo magis hoc feſtum ſervetur, quam primum, & primi menſis feſtum Paſcha ? ſed *connexa illa ſunt reſipiſcentiæ*, &c. *quæ propter ſe intenduntur* : hæc ergo quæ propter ſe ſunt, retineantur ſane, uti nos illa retinemus, ſed non ea feſtum poſcunt. *Purim ex miraculis eſt, quæ fuerunt facta in captivitate*, annon & alia in captivitate, & extra eam, non & aliæ res inſignes contigerunt ? an majus illud miraculum, quam eductio ex Ægypto, ut hujus memoriam deleri oporteat, illius ſervari ? III. Quanto melius ſi dicamus nunquam obliviſcenda illa quidem Dei in nos & populum ſuum beneficia, neque etiam illud liberationis ex Ægypto, quod primis & majuſculis quaſi litteris Deus præfixit in frontiſpicio æterni ſui Decalogi ; nec quæ Deus populo ſuo fecit in captivitate aliâ, neque quæ extra illa, quorum cauſa tot feſta inſtituta & obſervari voluit ; nec minus docendam reſipiſcentiam, quæque de condemnatione, & expiatione noſtra tenenda ſint : attamen non feſtis alliganda illa, non diei expiationum, & Purim magis, quam aliis. IV. Si non ſit vel futurum Paſcha diebus Meſſiæ, vel recordatio ſervitutis & liberationis Ægyptiacæ, ad cavendam omnem mali & triſtitię mentionem, quomodo tum feſti Purim, & oppreſſionis Hamani tolerari poterit veſtigium ? & diei expiationum, qui ſingulari ratione eſt dies afflictionum ? V. An feſtum Purim æquari poteſt, ne dicam præponi, feſtis à Deo ipſo palam inſtitutis, quorum antiquior, generalior & dignior ſemper obſervantia præ illo, quod inſtitutum Iudæi dicunt à Scribis ; & hiſtoria, à Mardochæo ? VI. Denique ad retinendum noſtrum argumentum, vel conſenſum, ſatis hoc eſt quod de aliis feſtis ajunt, & de Paſchate,

Digitized by Google

quum hujus obſervantiam Deus adeo quidem præcipiat, ut dicat, *quamobrem erit dies iſte vobis in monumentum, ut celebretis ipſum feſtum Iehovæ per ætates veſtras ſtatuto perpetuo celebrate ipſum.* Exod. xII. 14. Et preſſius de recordatione beneficii tum faciendâ, Deut. xvI. 3. *ne comedito fermentum &c. ut recorderis diei exitus tui è terrâ Ægypti omnibus diebus vitæ tuæ.* Quare ſi aut recordatio, aut feſtum hoc abrogandum, lex cæremonialis haud immutabilis ipſis Iudæis videri debet. Et ſi unum legis caput, quare non aliud ſimiliter, & reliqua? Ex eadem cauſa dicunt etiam, temporibus Meſſiæ abolenda omnia ſcripta Prophetarum & Hagiographorum, exceptâ hiſtoriâ Eſtheris, propter dictum illud de diebus Purim nunquam intercidendis, neque unquam delendâ eorundem memoriâ, *Eſth.* Ix. 28. Maimonides, *halachoth Megilla, cap.* II. § 18.

De porcinâ carne dicunt Judæi, ejus eſum temporibus Meſſię concedendum: indeque appellatum חזיר, à חזר reduxit, quia ſc. uſum ejus Deus aliquando reducturus ſit. Abravanel, *atque hac ratione dicunt Sapientes laudatæ memoriæ, quare vocatur nomen ejus* חזיר h. e. *porcus? quia Deus reducturus eſt* להחזירו *eum ad Iſraëlem.* Additque, licitum ejus eſum Iſraëlitis fuiſſe in ſubjugatione terræ Canaan. Unde ajunt: *et domus refertæ fuerunt omni bono, & etiam cervicibus porcorum. Proptereaque de eo reducendo loquuti ſunt. Similiter dicunt Sapientes in Ialmedemi, Dominus licita faciet prohibita, et contra.* Ex Ialkuth ad *Ieſa.* II. 7. adducit Vorſtius in Abravanelis illud cap. xIII. quod ibi dicitur, והקב"ה, *ſanctus benedictus conſidet atque expendit novam legem, quam daturus eſt per manum Meſſiæ.* Ergo cum eo lex antiqua mutanda fuit. Idem, in *Pſalm.* II. 7. ad Meſſiam, 'עתיד אומר הקב"ה, *Dicturus eſt Deus, adſcende ut novum fœdus cum eo percutiam.* Idem ad finem Ezræ, & in Schebahot, cap. II. כל הקורבנות, *omnes oblationes ceſſabunt in futuro ſæculo; confeſſio* ההודה *vel gratiarum actio non ceſſabit: quia dicitur, gratias perſolvam tibi.* Adde Targum, Pſalm. xII. 3. ויתקבלון, *& accipietis doctrinam novam cum lætitia ab electis juſtorum.* Huc & prophetia illa accommodari poteſt, Elię à Iudæis attributa, quod duobus millenariis mundus ante legem, duobus ſub lege, duobus ſub Meſſiâ eſſet: uti enim prima periodus abſque lege; ita tertia, non ſub lege, cujus vis vigeret ſolo ſecundo millenario, ſed ſub Meſſiâ, ejuſque diſciplinâ conſtituitur. Alia vide apud Martinum Raimundum *Pugio Fidei, part.* III. *diſtinct.* III. *cap.* xI, xII. *et* xx.

Quæ hactenus dicta de lege Moſis cæremoniali, intelligenda ſimiliter de lege *politicâ*, quæ quatenus Judaica, id eſt, iſti *populo*, pro illo ſtatu

ejus , *locoque* data , non omnes nos poſt Meſſiam obligat , neque obligare ſua vi poteſt. Nam prædictum olim , ſceptrum & legiſlationem à Judâ auferendam cum Meſſia , *Geneſ.* XLIX. 10. quodque ſederent ſine Rege Iſraëlitæ,ſine principe,& ſacrificio , ſine ſtatua, Ephod, & Teraphim. *Hoſ.* III. 4. carentes religione ſimul & politiâ. Quæ confirmavit extrema deſtructio & deſolatio loci,qua ſacri,qua politici,quæ *Dan.* IX. 26, 27. devaſtatio maxima, & conſummata dicitur. Quid mirum nos Meſſię attribuere , quod ſuo Senatui Judæi ? nam ei poteſtatem faciunt legum ferendarum , & abrogandarum : בית דין , *domus judicii docet exſtirpare aliquid ex lege*,dicunt. Et,*domus judicii habet poteſtatem illicitum faciendi licitum. Ut enim faciant ſepimentum ad legem, illicitum faciunt quod non fuiſſet vetitum ex Lege.* Judæus,in Amicâ Diſput. quæſt. XVIII. ubi quæritur : *ad quem pertinet poteſtas diſpenſandi de præceptis & legis obſervatione, pœniſque tranſgreſſores afficiendi ?* reſpondet, *Senatus aut quilibet etiam Propheta pro vero Propheta agnitus & receptus,authoritate pollebat de omnibus præceptis & ritibus legis diſpenſandi ad certum tempus , præterquam in idololatria,quæque illi annexa erat, interdicto.* Neque nos in lege,vel de idololatriâ , vel de quovis præcepto morali ullam ponimus interceſſiſſe diſpenſationem aut abrogationem : ſolùm diſputamus de cæremonialibus, ac judicialibus. De quibus quid ni reſpondeamus,quemadmodum Abravanel reſpondet de legibus & præceptis Noachicis? Cap. XIII. *de cap. fid. Neque eſt , quod difficultatem moveas de lege Adami ac filiorum Noach : iſta enim leges non perfecerunt animam humanam ; ſedtantum ordinatæ fuerunt ad conſervandos cætus hominum pro natura temporum , in quibus fuerunt conſtituta ; atque ſunt in claſſe legum judicialium vel civilium. At verò lex divina , quæ dirigit animam ad ultimam ſuam perfectionem , non eſt alia præter legem Moſis mag. no. quia eſt cibus neceſſarius animæ ad poſſidendum vitam , & à morte liberandum. Nec ſcrupulum debet injicere ſi eveniat neceſſitas, ut aliquid in ritibus pro certo aliquo tempore mutetur.* Quod de Noachicis , idem de judicialibus omnibus dicendum : neque de aliâ , quam morali lege intelligi poteſt , quod dirigat animam ad ſuam perfectionem, & quod ſit animę cibus neceſſarius ad poſſidendum vitam : talis quippe in ſe quidem eſt , modò , uti debet , ab hominibus ſervaretur. Aliam vero rem eſſe cum legalibus ritibus & judiciis, ſatis ipſi vident Judæi , in quibus mutationem accidere poſſe ſciunt , quæ in moralibus locum non habet. Quomodo repugnare nihil dicimus ut ex legibus Moſis judicialibus etiam in noſtras politias quid aſſumamus , quando id

Digitized by Google

do id nimirum convenit cum lege & æquitate naturali, propter quod fundamentum & analogiam juris communis illud tum ſequemur, non propterea quod politiæ Judæorum fuit: ut ſi quid ex duodecim Athenienſium, vel Romanarum tabulis, aut legibus aliis Gallorum vel Anglorum arripimus, id non fit quia ipſorum, ſed quia juris communis eſt juſtitiæque naturalis, quod nobis noſtroque uſui forte vindicamus.

Objiciunt Judæi, Legis Moſaicæ *perfectionem*, cui illuſtria perhibentur in Sacris teſtimonia, atque interdicitur, ne quis ei addat quid, vel demat. *Pſalm.* XIX. x. *Deut.* IV. 2. & XII. 32.

Maimonides, de fundam. leg. *cap.* IX. §. I.

Expoſitum & declaratum eſt in lege fore ejus præceptum fixum in ſæcula ſæculorum, neque obnoxium futurum variationi, nec diminutioni, neque augmento, q. d. omne verbum quod ego præcipio vobis, ſervabitis, ut faciatis; non addes ad illud, neque diminues ab eo. In more Nevochim, *part.* II. *cap.* XXXIX. hoc argumentum latius explicat: *fundamentum Legis noſtræ eſt, quod in æternum non ſit finem habitura vel abolenda: ac propterea etiam ex ſententiâ noſtrâ, alia Lex nunquam fuit, nec erit; præter unicam hanc Legem Moſis Doctoris noſtri p. m.* Deinde: *Et ſic credimus futurum eſſe in perpetuum, quemadmodum dicitur*; Deut. XXX. 12. *Non in Cælis eſt, ut dicas, &c. Item,* Ibid. XXIX. 29. *Nobis & filiis noſtris in ſæculum. Neque aliter eſſe poteſt. Nam ſi res aliqua omnibus modis & gradibus in ſpecie ſua ſit perfecta, impoſſibile eſt, ut in illa ſpecie inveniatur alia, niſi à perfectione illa vel in exceſſu, vel in defectu peccans, in exacta et æquali proportione tempe-*

Reſp. I. Legis *perfectionem* à nobis agnoſci quoque, & deprædicari: nempe in moralibus, ubi docetur perfecta ratio amandi Deum, tum proximum. Neque in cæremonialibus aut judicialibus ipſi Judæi poſſint illam perfectionem conſtituere, quæ ſciunt magnas ſæpe ſubire variationes, ſeu additiones, ſeu ablationes. Quo pacto ad totius argumenti vim plenè ſatiſque reſponſum eſt. II. *Non addes, neque demes.* Hoc Deus hominibus dixit, non ſibi: homini poteſtatem ademit legem variandi, non ſibi. Prout Albo reſpondet Maimonidi: הכתוב, *Scriptura non niſi nos admonet ne addamus, aut detrahamus aliquid præceptis pro noſtro lubitu vel arbitrio; ſed quid prohibet, quo minus ipſe Benedictus addat aut detrahat, prout ſapientia ejus ſtatuerit?* III. *Non addes*, videlicet præcepto de idololatriâ, nam de eo ſermo erat. Uti & Albo, & Moſes Nachman illa exponunt. IV. Sed nihil additur aut demitur legi, quando quouſque

ramenti illius ſpeciei. Omne enim temperamentum ab æqualitate recedens, habebit vel aliquid ſuperfluum, vel deficiens. Atque ita ſe res habet in Lege iſta, ſicuti Æqualitas (h. e. juſta & exacta ejus temperatio) nobis indicatur, cùm dicitur; Deut. IV. 8. *Statuta & judicia juſta zaddikim: nôſti enim, Zaddik Juſtus vel Juſtum ſæpe idem valere quod Æquale, Proportionatum. Quod verò hoc ita ſit, inde apparet, quia tales continent cultus, in quibus nulla eſt defatigatio, nullusque exceſſus, ſicut in cultu eorum, qui in montibus & locis deſertis degunt, qui a carne, vino & aliis rebus ad fragile corpus noſtrum ſuſtentandum neceſſariis abſtinent: qui cultus divini cauſſâ hinc inde vagantur, & moleſtas peregrinationes ſuſcipiunt, vel denique ſimile quippiam facere coguntur. Nullus etiam eſt in illis defectus, qui incitare poſſet homines ad contemtum, vel ad ſeſe in vitiis et flagitiis immergendum, ut quibusvis ſceleribus feneſtram quaſi aperiat, atque ita hominem in moribus, virtutibus et ſpeculationibus ſuis imperfectum relinquat, ſicut leges aliarum Gentium prophanarum. Verùm, quando hoc in Libro de cauſſis et rationibus præceptorum agemus, ſatis ſuperque æqualitas ſive juſta temperatio & ſapientia ejus elucebit. Hanc ob cauſſam dicitur de ea,* Pſal. XIX. 8. *Lex Domini eſt perfecta, convertens animam.* Apud Abravanelem, de obſervanda diligenter cuſtoditur, eoque exacto tempore ipſa abrogari vult atque debet. V. Tum demum eſſet addere vel demere, quando vigente lege, ſuo arbitrio homo aliquid ei auferret vel apponeret, quo eam videretur perficere. Abravanel: *Neque vocandum hoc erit everſio aut mutatio legis, nec erit in genere, non addes, neo minues: quia additamentum & diminutio eſt, cum ait homo, ecce addo ad iſtud, quod lex dicit, quia eſt imperfecta, atque ego eam perfectam reddo. Vel demo ex ea, quia eſt in aliquid ſuperfluum & duplicatum.* VI. Diſtinguimus, aliud eſſe, in ſuo *genere* perfectum, vel *ſecundum quid*; aliud *ſimpliciter*. Lex cæremonialis, & politica habent perfectionem reſtrictam in genere vel cæremoniali vel politiæ Judaicę: at per & in ſe non fuerunt perfecta ad redimendam & ſalvandam animam, non ille *cibus neceſſarius animæ ad poſſidendum vitam, & à morte liberandum*, vel *quæ dirigat animam ad ultimam ſuam perfectionem:* uti Abravanelem loquentem audivimus. Vel, quo ſimili utitur Auctor *Ikkarim lib.* III. *cap.* XXXVI. uti infanti cibus perfectus vel aptus eſt המזון השוה lac, non ita puero, vel juveni, aut viro, quibus alius debetur cibus perfectior: ita abſque præjudicio prioris legis eſt, quod aliam nobis attulit doctrinam & plenio-

Capit. fid. cap. XIII. idem argumentum hoc modo urget R. Chaſdai, dicendo: *Legem noſtram divinam perfectam eſſe conſummatâ perfectione, atque hoc edocere æternitatem ejus; quia ſi variaretur in aliam, id fieret vel ad gradum inferiorem in perfectione; ſed hoc abſurdum eſt: cum* pleniorem Meſſias. VII. Quare nec attendenda hic legum iſtarum mutatio in aliam legem meliorem. Abrogata ſunt, abolitâ Judæorum republicâ: & ceſſantibus ſacrificiis totoque cultu cæremoniali ſucceſſit longe melior firmiorque Deum colendi modus in ſpiritu & veritate.

Deus propter perfectionis ſuæ naturam etiam perfectum fecit omne aliud, quantum fieri poteſt; atque idcirco non poterit dici; quod lex ejus variabitur in aliam legem iſtâ inferiorem. Vel mutaretur in legem perfectiorem illâ; at tunc, ſi ita ſit, non eſſet lex divina, quam hodie habemus, perfectione, cum poſſit eſſe alia lex illâ perfectior: vel denique mutaretur in legem æqualem in gradu perfectionis; ſed iſta mutatio ac variatio eſſet opus vanum, nihil ei conducens; neque concipere debes hoc de ſtatuto Dei. Hæc eſt ejus ratio. Quibus poſtea ſubjungit Abravanel: *En per hoc omne expoſitum eſt, hanc legem divinam, quam hodie habemus, æternam eſſe, & nullo tempore poſſe mutari: quia Deus, qui tulit eam, atque fecit exiſtere, juxta infinitam ſuam ſapientiam vidit, hanc legem appoſitam eſſe cuilibet homini ac tempori. Cognitio enim Dei non dependet à limitato aliquo tempore, ſed cognoſcit res prout convenientes ſunt ſemper, cuilibet & ubique; idcirco etiam nulla ejus opera generalia variantur abſolutâ mutatione; et ſi fiat, ut mutentur pro neceſſitate temporis, juxta negocium quod fecit Elias in monte Carmel.* Similiter loquuntur Menaſſe, *quæſt.* VII. *in Levit.* & Judæus, *Amic. Diſp. quæſt.* VI.

Inſtantia. R. Menaſſe, Concil. in Levit. qu. VII. *Quatuor requiruntur, ut Legem in perpetuum, & non certum aliquod tempus, datam credamus; quorum ſi vel unum deſit, ſuſpicabimur, neceſſarium eſſe, eam, tanquam imperfectam, novâ Lege renovari. Ea hæc ſunt: ut perfecta ſit; ut, antequam daretur, præceſſerit apparatus, qualem opus eſt; ut præparati fuerint animi eorum, qui illam accepturi eſſent; denique, ut is per quem data eſt, fuerit aptus.* Tum

Reſp. I. Nihil contra nos hic diſputat Menaſſe, qui non negamus legis perfectionem, imo quam nos melius tenemus ac tuemur, quam ipſe. II. Confundit vel commiſcet leges, moralem, cæremonialem & judicialem: & quod de unâ dicitur, reliquis attribuit, malè. III. Moralis legis perfectio eſt in genere morum abſoluta ac perfecta; cæremonialis & judicialis non perfectè, aut ſimpliciter: neque pari neceſſitate vel diuturnitate obſervare illas

Digitized by Google

probat, legem perfectam fuiſſe, adeo ut nihil ei defuerit tam quoad cæremonias, quam juris, & moralia præcepta. Deinde, quod ad apparatum, data lex fuit, tempore, & loco aptiſſimo. Tertiò, Iſraëlitis ad legem accipiendam idoneis. Quarto, per Moſem, virum optimum, & ad legem tradendam aptiſſimum.

illas neceſſe fuit, ſed in ſuo genere, id eſt, in genere cæremoniarum Judaicarum, & judiciorum perfectę fuerunt Judæis. IV. Eſt elumbis demonſtratio, quâ legis probat perfectionem. Primò probat idem, per idem, lex perfecta, quia perfecta. Deinde quæ ſequuntur; non certò evincunt legem perfectam eſſe, præcedens apparatus, animi legem accipientium, & aptitudo tradentis: quid ni enim illa locum habere quoque poſſent in lege etiam non perfecta? Lex Moſis certe perfecta eſt, ſed non propter illa. Quin ejus perfectionem illa proſtituunt magis & enervant, quam oſtendunt.

Obj. II. Lex Moſaica, & cæremonialis ipſa ſæpius dicitur *in æternum* duratura לעולם: ergo abrogari non debuit.

Maimonides, de fundam. legis cap. IX. §. I. *Sic dictum eſt*, Deut. XXIX. 29. *Revelata ſunt nobis et filiis noſtris, ut ſemper faciamus verba legis hujus. Hinc etiam intelligis, omnia verba legis præcepta nobis eſſe, ut ſemper ea faciamus. Et ſic ipſe ait: ſtatutum æternum manebit apud veſtras generationes.* Levit. XXIII. 14. *Et dicitur: non eſt in cœlis.* *Deut.* XXX. I. Commune hoc eſt & vulgatum omnium Judæorum argumentum. Menaſſe, Concil. in Levit. qu. VII. *Supereſt nunc, poſtquam ratione id ſatis probavimus, ut etiam autoritatem proferamus; quà nihil Scripturæ Sacræ præcellit: quippe quæ errare nullo modo poſſit. Ait autem ea de agno Paſchali* Exod. XII. 17. *Statutum perpetuum tibi ac filiis tuis, uſque in æternum. De circumci-*

Reſp. I. עולם non ſemper ſignificare æternitatem ipſi ſatis Judæi norunt. His quoque locis non ita ſumendam vocem, ſed tantummodo pro longâ duratione. R. Joſeph Albo, Ikkarim, *ſerm.* III. *cap.* XVI. non illa docent legis æternitatem נצחות התורה, ſed זמן מוגבל, *definitum tempus.* Quod confirmat ex locis, *Prov.* XXII. 25. *Jerem.* II. 20. *Mal.* III. 4. *Pſal.* LXI. 5. *Jeſa.* XLV. 17. *Ecclеſ.* I. 10. *Exod.* XXI. 4. I. *Sam.* I. 28. *Num.* VIII. *Jeſa.* XXXII. 14. *et* XIII. 6. ubi vox עולם *æternum* ita ſumitur: & ſic לנצח quoque *Pſal.* LXVIII. 20. Menaſſe ben Iſraël Concil. in Levit. quæſt. VII. pag. 194. *Ait quidem R. Joſephus Albus in Ikarim, ex locis ſupra allegatis, quibus vox* עולם *olim ſemper, legitur, non poſſe certo evinci*

Digitized by Google

ſione dixit Dominus Abrahamo, Gen. xvii. 9. *tibi & ſemini tuo poſt te, omnis mas per veſtras generationes. Sabbathum præcipiens ait,* Exod. xxxi. 16. *Et ſervabunt filii Iſraëlis Sabbathum, etc. per generationes ſuas fœdere perpetuo. Ideoque mandatum de Sabbatho colendo decem præceptis inſertum eſt, quæ perpetua atque æterna ſunt. Ex his tribus mandatis ſatis liquet, nunquam eorum obſervationem perituram; & profectò nullus adhuc ſeſe Prophetam eſſe jactavit, qui quidquam contra illa præciperet. Idem & de tota Lege ſtatuendum eſſe docent verba Deuter. Nobis et filiis noſtris in perpetuum, ut faciamus omnia verba Legis hujus. Et alibi,* Ibid. xxxi. 21. *Et teſtificabitur canticum hoc in faciem ejus, loco teſtis; neque enim oblivioni tradendum eſt ex ore ſeminis ejus. Rurſum in benedictione tribuum,* Ibid. xxxiii. 4. *Legem præcepit nobis Moſche, hæreditariam congregationi Jacobi. Quemadmodum hæreditas, nunquam interruptâ ſerie, à parentibus ad liberos tranſmittitur, ita & Legem tranſmiſſum iri ait. Sed omnibus his multò clariora ſunt verba* Deuter. xxix. 14. *Neque vobiſcum ſolis ego pango fœdus meum hoc, cum adjuratione hac; ſed cum eo, qui adſtat hic nobiſcum hodie, coram Domino Deo noſtro; & cum eo, qui non eſt hic nobiſcum hodie. Manifeſtè videmus, non modo cum præſentibus tunc Iſraëlitis, ve-*

evinci Legis æternitatem; quatenus illud vocabulum etiam de certo tempore uſurpetur; ut Exod. xxi. 6. ועבדו לעולם, *et ſerviet ei in perpetuum: ubi perpetuum denotat tempus ad jubileum uſque, &,* Sem. i. 22. *ubi ait Hana de filio ſuo Semuele, ſeſe velle eum adducere in conſpectum Domini, ut ibi permaneret in perpetuum, i. e. quinquaginta annos, quo ſpatio ſerviebant Levitæ; idque etiam hic dici poſſe exiſtimat, ſed nequaquam ea, quâ par erat, reverentiâ, hanc materiem tractavit. Quamvis enim duobus his, quæ citat, locis, aliiſque horum ſimilibus,* עולם *olam non denotet æternam durationem, notare oportet, id ſolum dici poſſe, quando non ſubjicitur vox aliqua, æternitatem et ſecuturam durationem ſignificans; at minimè hoc locum habet, ubi tale quid ſubditur, in generationes veſtras; in mille generationes; uſque ad ultimam generationem; tibi, ac ſemini tuo, poſt te; aut, nobis, ac filiis noſtris id perpetuum: cujuſmodi phraſis iis, quæ allegavimus, Scripturæ locis uſurpatur.* Menaſſe in Geneſ. quæſt. xxx. *Quando Sapiens ait, terram ſemper duraturam, negant* עולם *Olam denotare æternam durationem, ſed tempus limitatum. Vti cum de ſervo dicitur* Exod. 21. 6. ועבדו לעולם *et ſerviet ei perpetuo, & de Semuele dixit mater* 1. Sem. 1. 22. וישב שם עד עולם *& manebit ibi in ſæculum. Quibus locis neceſſario dicendum eſt, tempus limitatum denotari: nimi-*

rùm & poſteris eorum hoc fœdus percuſſum. Quâ de causâ veterum ſapientum illi, qui credebant, omnes ſimul animas principio mundi creatas eſſe, dicunt in eo pacto præſentes fuiſſe omnes animas Iſraëlis, quæ in mundum nunquam venturæ eſſent. Idem quoque ex Prophetis colligere eſt. David ait Pſalm. XIX. 10. *Timor Domini mundus, conſiſtens in ſempiternum. Item* Pſalm. CXIX. 152. *Pridem novi de præceptis tuis, te in perpetuum fundaſſe ea. Aſaph* Pſalm. LXXVIII. 5. *Nam ſtatuit teſtimonium in Jacobo, & legem poſuit in Iſraële, quam præcepit majoribus noſtris, ut ſciret generatio poſtrema. Ergo ad ultimam uſque generationem obſervanda eſt Lex. Jeſaias inquit* LIX. 21. *Et verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore ſeminis tui, aut ex ore ſeminis ſeminis tui, ab hoc tempore uſque in perpetuum. Idem (teſte R. Moſe in Directore, & Gaon R. Seadiah in Emunot) colligere eſt ex Jeſaia* cap. XLV. 10. *ac Jeremiæ* cap. XXXI. 36. *locis, quis dicitur, ſi ſtatuta cœli & terræ ceſſent, etiam Iſraëlem ceſſaturum eſſe populum in conſpectu Domini omnibus diebus ſuis. nimirum famulum uſque ad Iubilæum, Semuelem uſque ad mortem ſuam manſurum, ut recte obſervatum R. Ioſepho Albo in Ikarim. Quod verò David ait* Pſalm. CIV. 5. *poſuit terram ſupra fundamenta ſua, non movebitur in ſæculum, ut ſupra oſtendimus, æternam durationem nequaquam ſignificat, ſed limitatam: vel, ut R. Babye* Pſalm. CIV. 5. *inquit, oſtendit, adeò firmam naturam iis à Deo datam eſſe, ut naturaliter nunquam ex loco ſuo moveri, aut finem habere poſſint, ſed ſolâ Dei voluntate. Eodem modo intelligenda hæc verba,* Pſalm. CXLIII. 5. *Et ſtare fecit ea à ſæculo in ſæculum. Neque adverſatur, quod ſapiens* Eccleſ. III. 14. *dicit: Quicquid Deus fecit, ſemper manſurum, quando* עולם, *quemadmodum jam probatum nobis, non ſignificat æternitatem.* Quare ſatis ipſe concedis, עלם ſæpe non denotare æternam durationem. Deinde, quod ais, locis à te pro æternitate legis allegatis ita tamen ſumendam, propter additam æternitatis notam, *in generationes veſtras*, longe ſecus ſe habet, quia hæc non eſt nota æternitatis, ſed finiti temporis, nempe quouſque duratura eſt veſtra Reſp. & politia, quamdiu diſtinctæ notæque erunt veſtræ generationes, & vos eritis ſingularis Dei populus: quæ jam à mille & ſexcentis annis non fuerunt. Præterea formam illam non deſignare æternitatem, diſces ex *Jeſa.* LXI. 4. ubi dicuntur ædificaturi deſolationes antiquas, deſolationes דור ודור *generationis & generationis*, id eſt, diuturnas quidem, non verò æternas, nam eas reædificarent. III.

Varia

Varia loca à Menaſſe adducta, quaſi pro æternitate legis cæremonialis, non de hac loquuntur; ſed de lege *morali*; aut legis Moſaicæ *Scripturâ*: de quibus non eſt quæſtio. Atque iſta paſſim in hac diſputatione confundit. Unde hæc ejus ibidem verba: *Neque Decalogus aliam ob cauſam tabulis è lapide inſcriptus fuit, quàm ut oſtenderetur, Legem, lapidis inſtar, æternum manſuram. Atque inde eſt quod cæteri Prophetæ ſemper Moſis Lege nituntur. Nam, ut rectè annotavit R. Joſephus de Trana in bet Eloim* cap. LIV. *ab omnibus citata fuerunt Moſaica Prophetiæ; et Prophetarum ultimus Malac.* III. 22. *his verbis vaticinia ſua clauſit: Recordamini Legis Moſis, ſervi mei, cui præcepi in Chorebo, ad totum Iſraëlem, ſtatuta et jura. Quo loco de judicio extremo agens, ſuadet Iſraëlitis, ut Legem Moſis obſervent, donec ille dies veniat; ſed prius venturum Eliam, qui corda Patrum in filios, filiorum in Patres convertat, ut omnes perfecto corde ad Dominum revertantur. Atque hinc probatur, Legem æternam eſſe. Auguſtinus quoque confitetur, Legum quæcunque ab hominibus ſancta ac utiles latæ ſint, ex Moſaicâ deſumptas eſſe, idea, ac velut exemplo omnium. Quod ſi huic ſoli omnes innituntur, ſequitur perfectam eſſe, omniaque continere, & quia data à Domino eſt ad conſummandam hominum perfectionem, etiam ſempiternam.* Quæ ἐξαγώνια omnia, & in confeſſo ſunt de lege morum, & Decalogi, atque à nobis æque agnoſcuntur, uti patet quoque ex citato ab eo Auguſtino; ac Judæis. Sic & poſtea ibidem dicit: *quid quod decem præcepta, arcæ olim incluſa, omnes hodieque nationes æterna habent & colunt.* Verum eſt, ſed his cæremonialia comparari in ſuâ vi ac duratione non poſſe vel inde vides, quod nec in illam ſummam contracta, nec in arcâ olim repoſita, nec ab aliis nationibus ſervata, uti illa decem, unquam fuerunt, pro quorum proinde pari firmitate ac perpetuitate, vel æquali cum moralibus jure, non niſi imprudenter & inique diſputaveris.

Inſtantia I. R. Menaſſe, *Quod ſi non ita ſe res habet, ut dixi, neſcio cur Moſes, ac reliqui Prophetæ, talibus verbis uſi ſunt: niſi forte eorum, ac Dei, conſilium fuerit, ponere offendiculum hominibus. Quanto ſatius fuiſſet clare eos dicere, venturum aliquando tempus quo Lex non obſervaretur? Nam in re tanti momenti multo præſtitiſſet clarè atque aperte loqui,*

Reſp. Illud nobis multo juſtius dicere licebit, quando vobis proferimus S. Scripturæ loca, quæ adeo aperte oſtendunt pluralitatem perſonarum in Deo: ubi non unam vocem, ſed integras phraſes urgemus & locutiones. Verbum aliquod unum ex aliis pluribus, & integris locis exponi debet, præſertim (quale עולם hic) ubi ſæpius non eo ſenſu ponitur,

quàm verba proferre quæ contrarium habere ſenſum viderentur. Et ſi illud verum, profectò non multum illi culpandi ſunt, qui ipſis Sacræ Scripturæ verbis adhærent.

nitur, in quem id trahere aliquibus locis conantur Adverſarii. Clare & aperte ſatis Scriptura ubique teſtata eſt, non eſſe parem rationem legum cæremonialium vel judicialium, quæ moralium, nec in ratione obſervantiæ, neque durationis: ut nec verbis, nec ſenſui Scripturę ullâ ratione adhæreant, qui contrarium ſectantur. Denique nec doctrina, nec praxis veſtra probant perpetuam legis cæremonialis obſervantiam intelligendam eſſe de æternitate omnimodâ ad finem uſque mundi, quia, ne dicam ſæpiſſime, temporibus etiam priſtinis, cæremonialia nec judicialia obſervata. Vide I. *Sam.* XXI: 6. & II. *Sam.* XXI. 9, 10. Jam à multis ſæculis ea neglecta à Judæis fuerunt; quin & multa docent non obſervanda fore temporibus Meſſiæ: ergo non præciſe לעולם *in æternum* hic ſignificat.

Inſtantia. II. Judæus, in *Amica Diſp. quæſt.* VI. objicit aliqua Scripturę loca, pro obſervantia totius legis Moſaicæ in perpetuum, etiam diebus Meſſiæ: Deut. XXX. I.

Fietque cum ſuper vos venerint omnia hæc verba, benedictio et maledictio quas dedi vobis & reverſi fueritis ad Dominum Deum veſtrum & audietis vocem ejus, ſicut omnia quæ vobis hodie præcipio, vos, & liberi veſtri ex toto corde veſtro totaque anima: et Dominus Deus veſter convertet ſe ad captivitatem veſtram, et miſerebitur veſtri, & revertetur & congregabit vos ex omnibis gentibus quo diſperſit vos: &c. *quando audietis vocem Domini Dei veſtri et præcepta ac ritus ejus cuſtodietis quæ præcipio vobis & in libro legis hujus ſcripta ſunt, et quando ad Dominum Deum veſtrum revertimini toto corde totaque anima.* Malach. ait. *Recordamini legis Moſis ſervi mei. quam illi præcepi in Horeb ad totum Iſraëlem, cum ritibus & judiciis.* Denique Scriptura dicit: *Dilige Dominum Deum tuum, et ſerva præcepta ejus ac ritus & judicia ejus omnibus diebus.*

Reſp. Intelligenda illa loca de obſervantia legis moralis, ſaltem ejus præcipuè. Atque ubi adduntur leges etiam aliæ, intelligitur, ſervandas illas, quatenus in iis Deo obtemperarent, & auſcultarent voci ejus, quod eſt legis moralis præceptum principale: ideoque illas non ſervarent aliter, quam quouſque ipſe Deus vellet eas ſervari, id eſt, ad tempora διορθώσεως & Meſſiæ.

Obj. III. Sed *Deus* non mutatur, ergo neque ejus lex. Maimonides, de Fundamentis legis, cap. IX. §. 2.

Deus enim benedictus mandavit

Reſp. Non ideo mutatur Deus, quod aliquid

Moſi, ut iſta lex nobis filiiſque noſtris eſſet ſempiterna : non autem eſt homo Deus, ut mentiatur. Abravanel, de Cap. Fid. Cap. XIII. *Atque ex hoc toto colligitur, non poſſe legem mutari vel quoad totam, vel quoad partes, propter ſapientiam dantis, atque potentiam Dei excelſi. Hoc intendit Propheta, cùm ait : ego Dominus non mutor, & vos filii Iſrael non conſumemini.* Mal. III. 4, 6. *quod lex ſit æterna ſine variatione, ac populus æternus.* Iudæus, in Amicâ Diſput. pag. 28: *Quomodo* Chriſtiani *demonſtrant legem Moſis ad certum tantummodò tempus datam eſſe, cum Deus non ſit ſicut homo qui mutatur & panitentia ducitur, cumque tàm multis Scripturæ locis expreſſè dicatur legem eſſe æternam?*

aliquid mutàtur extra Deum. Mutatio hæc *rerum*; non *Dei* eſt. Imo immutabili Deus decreto voluit, ut lex ita mutaretur, & modus colendi Deum. Rerum extra Deum mutatio inferet mutationem in Deo? ergo quotieſcumque Deus modum religionis jam aliter quam tum inſtitui voluit; & ſtatum populi variavit, dicetur mutatus? quando volet temporibus Meſſiæ extingui memoriam ſervitutis & liberationis Ægyptiacę, ſecundum Iudæos, quam tanta cum religione & jam & ſemper celebrari voluit, mutabitur? Quando legem aliquis tulit certo tempore, loco, ſtatuque duraturam; quibus decurſis ceſſet, non interpretari debemus mutatam legiſlatoris voluntatem deſinente lege, qui non alio animo fineque eam tulit, quam ut ne diutius vigeret; vel ut retineam ſimilitudinem R. Ioſephi Albo, Medicus qui pro ratione valetudinis parcam præſcripſit diætam, poſtea firmiorem, non mutari conſilio dicendus eſt, quando homo, miſſa priori, fortiorem ſequitur melioremque vivendi methodum. Sic Deus non præſcripſit homini legum cæremonialium atque judicialium obſervantiam diutius, quam ad tempora Meſſię, quo veniente quia abrogata illa, haud cogitare debemus ideo mutatum Deum, cujus quidem immutabilitatem doctrina noſtra, præ Iudaicâ, certius adſtruit, probatque.

Obj. IV. Atqui Jeſus dixit, Matth. V. 17. *non veni legem ſolvere; ſed implere.* Beneque annotat in Euangelium Hebraicum ſuum Sebaſtianus Munſterus, haud eſſe locum alium in totâ Scripturâ N. Teſtamenti, quem tam exacte norunt Iudæi, & in promtu habent ut nobis objiciant, quam illum, quo adſtrui legis ipſorum perpetuitas, & Ieſus contrariatus videtur ſuæ propriæ doctrinæ. Unde & ille ibidem, & Fridericus Spanhemius, qui *Dubiorum Euangelicorum* ſcribendorum occaſionem nactus fuit ex Iudæi cujuſdam cavillationibus contra Euangelium, locum iſtum probe

 & eru-

& erudite vindicant. *Reſponſio* facilis eſt, nam de lege morali Chriſtus loquitur,& agit,eamque vindicat ab interpretationibus falſis Phariſæorum, quibus eam paſſim ibant enervatum. Tum implevit Ieſus omnem legem moralem, & cæremonialem, & judicialem, implens omnem (ſicuti Baptiſtæ dicebat) juſtitiam. *Matth.* III. 15. ut ſic ſe honorare legem profiteretur, & adimpletis in ſe umbris legalibus, reduceret homines ad ſpiritualem præceptorum Dei obſervantiam, juxta Hoſ. VI. 6. *benignitatem volo, non ſacrificium*. Vel, quemadmodum Maimonides explicat, ſacrificia & cætera legis cæremonialis quum ſint non primę intentionis Dei, ſed ſecundæ, ſubſervientia illi intentioni, quæ in precatione & cultu Dei neceſſario & ſpirituali conſiſtit, Meſſias, ut doctor & Propheta ſupremus, cui conſummatio legis Moſaicæ relicta erat & reſervata, homines à cultu ſecundario traduxit ad cultum verum & per ſe neceſſarium, qui eſt intentionis primę. Ierem. VII. 22, 23. *Nam non ſum loquutus cum majoribus veſtris, neque præcepi eis quo die eduxi eos è terra Ægypti, de rebus holocauſti & ſacrificii: ſed rem hanc præcepi eis, edicendo, auſcultate voci meæ, et ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in tota via illa, quam præcepi vobis, ut bene ſit vobis.*

CAP. II.

DE

HOMINIS CONVERSIONE.

De obſervantia legis moralis. De reſipiſcentiâ, ejus neceſſitate, dignitate, & partibus, ſententia Iudæorum. Ignorant regenerationem. De gratia, vel auxilio Dei ad bonum, quid doceant. Videlicet, Dei auxilium non requiri ad incheandum, duntaxat ad perficiendum bonum opus. Probamus contrarium, atque tam ad illud requiri Dei gratiam, quam ad iſtud. Quia homo ad bonum ſpirituale ex ſe & natura ſuâ impotens eſt atque ineptus, niſi Dei auxilio elevetur. Illud & Scripturæ loquutionibus variis deſignari. Tum teſtimoniis manifeſtis, quæ initium reſipiſcentiæ & bonæ vitæ Deo adſcribunt. Nam etiam in omnibus Deus eſt cauſa prima. Proque omni bono opere agnoſcendus, & agendæ ei gratiæ. Æque, ſi non magis, auxilium ejus requiritur ad inchoationem operis, quam perfectionem. Denique reſpondetur ad argumenta & objectiones Iudæorum. Etiam obiter de Prædeſtinatione.

Illa, de legibus *abolendis* vel aboletis, à nobis diſputata ſunt; de *obſervandis* quæ ſuperſint, eſt ut videamus. Aliqua enim legum Moſis πρόσκαιρα & mutata, jam diximus; ſed & alia perpetua, atque juris æterni: & de hiſce

de hiſce obſervandis, quæ Decalogo comprehenſa, ſequitur agamus. Sed primum in *genere*; tum in *ſpecie*, de nonnullis ad Decalogum præceptis.

Convenit inter Nos, ac Judæos. I. *Decalogum* perfectas juris eſſe tabulas, & comprehendere ſummam eorum quæ Deo debemus, & hominibus, nempe amorem, ibi ſupremum maximumque, ex omnibus, quibus poſſumus, viribus, & toto animo; hic tantum quo noſmet ipſos diligimus. Omne quippe officium, cultuſque noſter ἐν ἑνὶ λόγῳ complectur, dilectione, quæ ſe diffundit primo erga Deum, tum homines. II. Ergo & *obſervandum* Decalogum, quoque conſtat. III. Attamen *nullum* eſſe hominem, hoc *perfectè* qui præſtet, & delinquat in nullo. Siquidem omnes ſumus peccatores, & deficimus in multis. IV. Propterea neceſſariam omnibus eſſe pœnitentiam, atque *reſipiſcentiam*: quâ à malo, ad bonum; à peccatis ad virtutem tranſimus & pietatem. .תשובה Hebræi appellant. De quâ, & in cujus commendationem nonnulla produnt haud contemnenda. Rabbi Eliezer in Capitulis, *cap.* XLIII. quod ita incipit: תשובה ומעשים טובים *Reſipiſcentia & bona opera ſunt tanquam clypei contra calamitates. R. Akiba inquit: Creata eſt reſipiſcentia, & dextra Sancti ben. quotidie extenſa eſt ad recipiendum convertentes ſe, & dicit: Convertimini, filii hominum. Ut cognoſcas efficaciam eleëmoſinæ & reſipiſcentiæ, veni & vide in Achabo rege Iſraëlitarum.* Tum & alia adduntur exempla, ex quibus vim reſipiſcentiæ oſtendat, Davidis, Menaſſis, & aliorum. Denique ſubjungit: *non eſt reſipiſcentia niſi uſque ad mortem. Similitudo. Cui hoc ſimile eſt? Homini, qui vult per mare longius proficiſci, ſi non ſumpſerit manu ſua panem ex terra inhabitata, nihil inveniet in mari. Si voluerit iter facere ad finem deſerti, niſi detulerit ex hoc mundo panem & aquam in deſertum, nihil reperiet ad edendum et bibendum. Sic quoque homo, niſi egerit in vita ſua reſipiſcentiam, poſt mortem non erit ipſi (ſuperſtes) reſipiſcentia, juxta illud: Qui non recipit faciem ullius expiationis. Et ſcriptum eſt: Ego Dominus ſcrutor cor & exploro renes.* Hinc R. Eliezer dicebat, in Pirke Avoth, *cap.* II. שוב יום אחד לפני מיתך, *recipiſce diem unum ante mortem tuam.* Et benè conjunxit Eliezer, in Capitulis ſuis, reſipiſcentiam cum bonis operibus: nam uti in Talmude dicunt, Joma, *cap.* VIII. האומר אחטא ואשוב, *qui dicit, peccabo, & reſipiſcam, non datur in ejus poteſtate, agere reſipiſcentiam*, אין מספיקין בידו לעשות תשובה. Guil. Vorſtius in Pirke Eliezeris, *pag.* 237. ex Hebræis recenſet ſeptem ſpecies, vel gradus, quos notant, reſipiſcentiæ. I. iſque præſtantiſſimus, quando quis ſtatim ad commiſſum peccatum, nullâ ullius accedente admonitione, vel

Digitized by Google

ne, vel caſtigatione reſipiſcit. II. Cum non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus peccatis impenſum, in juventute tamen ad Deum redit: juxta illud Eccleſ. XII. 1. *memento Creatoris tui in juventute.* III. quando non in juvenili ſua ætate, ſed virili, ubi illam jam malæ vitæ dedit, revertitur. IV. qui ad meliorem convertitur vitam, ex admonitione, increpatione, aut ſenſu vel metu alicujus pœnæ. V. Vel poſt varias tandem & graves afflictiones. VI. Aut qui in ſenili ætate ſe convertit. VII. Denique poſtremus & infimus omnium gradus eſt, ubi aliquis, in confinio mortis poſitus, in agone demum reſipiſcit. Ut quod de ſerâ & pridianâ ante mortem reſipiſcentiâ, probent quidem; attamen pro infima reſipiſcentiæ ſorte habeant. Atque illa hactenus non male. Πρῶτον καὶ ἀναγκαιότατον, primum & maxime neceſſarium, reſipiſcentiam Philo appellat, lib. *de Charitate*, atque deſcribit benè, quod non ſolum ſit perverſæ opinionis in melius mutatio, ſed totius adeo vitæ, ἐξ ἀμαθίας εἰς ἐπιστήμην ὧν ἡ ἄγνοια αἰσχρὸν, ἐξ ἀφροσύνης εἰς φρόνησιν, ἐξ ἀκρατείας εἰς ἐγκράτειαν, ἐξ ἀδικίας εἰς δικαιοσύνην, ἐξ ἀτολμίας εἰς θαῤῥαλεότητα, *ex ignorantia ad notitiam rerum quarum turpis foret inſcitia, ex imprudentia ad prudentiam, incontinentiâ ad continentiam, ab injuſtitiâ ad juſtitiam, timiditate ad fortitudinem.* In tribus dicunt reſipiſcentiam conſiſtere, I. חרטה בלב, in *pœnitentiâ cordis.* II. עזיבת החטא, *omiſſione peccati.* III. denique *afflictionibus*, & jejunio.

Utcumque de reſipiſcentiâ hæc, ejus naturâ, partibus neceſſitate, & uſu non male: de cauſa vero ejus miſere philoſophantur Judæi, atque oberrant. Reſipiſcentiam quidem loquuntur, non ita converſionem, & regenerationem. Neque adeo ſciunt, quid id ſit, quod regenerari, vel creari quaſi de novo nos oportet, ut Deo grata præſtare poſſimus. Hinc in Euangelio legimus, Nicodemum tantopere miratum fuiſſe doctrinam Chriſti de regeneratione, dicentis, neminem regnum cœlorum ingreſſurum, niſi primùm renatus eſſet, ad quod ſtupefactus ille regerebat, non pro Doctore, quî poſſibile factu eſſet, ut homo ſenex generaretur denuo, num in uterum matris pro ſecunda vice regredi, atque ita de novo naſci iterum poſſet. Illud quod de ſpirituali generatione Chriſtus dixerat, ad corporalem applicans, & pervertens. Nimirum ita loquuntur, qui converſionis vim nec ſciunt, nec ſentiunt. Cyprianus, *ego difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renaſci denuo poſſet. Qui poſſibilis* (ſic legendum exiſtimo, non *impoſſibilis*) *ajebam tanta converſio eſt; ut repente ac perniciter exuatur, quod vel geminum ſitu materia naturalis obduruit, vel uſur-*

uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit. Victor à Carbe, Iudæus ad annum ætatis ſuę quinquageſimum, tum converſus, libros ſuos contra errores Iudæorum hinc orſus, ut diceret, *maximum inter opera Dei mirabilia illud unum videri, quod in converſione peccatorum hominum operatur.* Revera maximum, ubi vim gratiæ divinæ attendimus, quam hic Deus adhibet. Quam qui ignorant, negant. Eo infœliciores, quod ex perverſo ſuo ſenſu argumentantur, & lucem negant, quia non capiunt. Judæi, quidquid etiam de reſipiſcentia & converſione dictitent, regenerationem neſciunt & negant: gratiam Dei quidem requiri ad præſtanda bona opera, non vero a d inchoanda, exiſtimant. Hominem ſe ipſo ſuiſque viribus ſufficere ad bene incipiendum, ſed ad progreſſum & profectum requiri Dei auxilium. Inchoati ergo boni operis laudes nobis arrogandas; perfecti, ſuâ ex parte etiam Deo. Menaſſe lib. de Fragil, hum. pag. 116. *Abeunt ab aliis Ebræi tractantes illam materiam Græcorum, ac Latinorum, de gratiâ et auxilio. Nam duo ſolum auxilii genera agnoſcunt, quorum prius eſt, cum Deus hominem, qui bonum opus, ac pium orſus eſt, adjuvat, ipſique manum porrigit, ut bonum opus abſolvat.* & pag. 117. *Sed ut nonnullis perſuaſum eſſe video, in operibus moraliter bonis gratia Dei præcederet merita juſti, non merita gratiam; ſequeretur hominem agendi quidem malè, non vero benè agendi poteſtatem habere.* & pag. 119. *Quid inde planius elucet, quam primam motionem ab homine incipere: poſtea Deum uti ſuâ erga eum miſericordiâ, auxiliando ei, quem videt bono affectu ad virtutem, et opus bonum patrandum acceſſiße.* & pag. 120. *alterum auxilii genus eſt, cum Deus, bonum opus facere volenti plurimas occaſiones offert.* Atque ibidem lib. de Termino vitæ, pag. 209. *Extra controverſiam eſt apud Hebræos, Deum concurrere ad actiones honeſtas, et quidem eas adjuvando ac promovendo. Ad eas enim perficiendas homo ope et auxilio Dei indiget. Hinc docent magiſtri noſtri, ſimulatque homo honeſtam aliquam actionem proponit ſibi facere, mox etiam Deum ad illam actionem volitam concurrere, & ſua gratia hominem adjuvare.*

Nos ex adverſo docemus, Deum ejuſque gratiam cujuſcumque boni operis, etiam incepti, cauſam eſſe veram, & principalem. *Primo*, quia ea naturæ noſtræ nunc eſt depravatio & corruptio à lapſu, ut amiſſâ ejus, quam in creatione obtinuerat, rectitudine & ſanctitate, *prava* nunc ſit, & ad malum proclivis, *impotens* ex ſe ad præſtanda illa omnia, ad religionem & bona ſalutaria perficienda, quæ Deus à nobis poſtulat, nobiſque ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria. Non negamus, homini adeſſe,

eſſe, & à natura, liberum arbitrium, (in quo probando temere operam inſumit Menaſſe vel *Quaſt.* VI. *in Exodum*; vel libro *de Termino vitæ* ſection. VIII.) non ejus negamus vires, ad malum, etiam ad bonum aliquod naturale aut morale, vel civile; ſed ad bonum ſupernaturale & cæleſte religionis, quod verè bonum ſit, ſupereſſe ei naturâ vires negamus idoneas, & ſufficientes, ad bonum hoc vel inchoandum, vel prçſtandum ex ſe. *Adam peccati cauſa perdidit juſtitiam, & rectitudinem, in qua fuerat creatus.*, inquit Menaſſe, lib. de Fragilit. pag. 44. Hæc ejus verba: *Adam peccati cauſa perdidit juſtitiam, & rectitudinem, in qua fuerat creatus: & quemadmodum ſupra diximus, cum antea ſolum naturaliter ad virtutem inclinaret, poſteaquam de arbore ſcientiæ boni & mali comediſſet, ſicut bene adverit R. Moſeh Gerundenſis debilis, et labefacta natura, pari proclivitate, in vitium & virtutem ferebatur. At velut dicit Selomoh in* Eccleſ. cap. VII. 29. *Creavit Deus Adam rectum; verum illi (puta Adam, et Eva) cogitaverunt ratiocinia multa, ut introducerent peccatum: et hoc ipſo, (ut in eundem locum notavit paraphraſis Chaldaica)* גרמו לאתחקפא עלוהי ולרל דיירי ארעא מותא *arceſſiverunt ſibi mortem, & omnibus, qui morantur ſuper terram.* Dum perdidit Adamus dona, quibuſcum creatus fuit, non perdidit illa ſibi ſingulari duntaxat, ſed naturæ. Menaſſe, de Termino vitæ, pag. 198. *Aben Ezra inquit, nominibus propriis in ſacra Scriptura non præfigi* הא חיריעה *He demonſtrativum, quod tamen in voce Adam fit: ratio eſt, quia in Adamo notantur omnes ejus poſteri, & univerſa ſpecies humana deſignatur: quia ſi Adam in creatione rerum libero arbitrio præditus fuit, eodem etiam libero arbitrio, omnes homines ejus poſteri præditi ſunt.* Sed perdidit Adamus non vim naturalem liberi arbitrii, ſed facultatem & vires ſpirituales, ſibi non tantum, ſed & omnibus ſuis poſteris. Nam uti idem loquitur, pag. 215. ex ſententia R. Moſis Ægyptii, *Deus nonnunquam peccatoribus adimit uſum liberi arbitrii. Enimvero propter peccata eorum ſolet eos privare bonis omnibus fortunæ, honoribus exuere, vita mulctare, ac proinde etiam ſubtrahere uſum libertatis.* Atque inde omnibus Adami poſteris non adhçret illa, quæ initio ejus fuerat, juſtitia & gloria. Poſt commiſſum peccatum, ſive eſum fructus vetiti *labefactata natura*, proclivitatem induit ad malum. Et quemadmodum Adam pravis ſuis ratiociniis mortem ſibi, & *omnibus qui morantur ſuper terram* invexit, ita & mali illam in natura proclivitatem, quæ quam non æque valeat hodie ad bonum ac olim, illa Dei verba oſtendunt, quç & ſupra expendimus, *Geneſ.* VI. 5. & VIII. 21.

qui-

quibus dicitur I. *omne figmentum cordis* humani malum, כל יצר מחשבות לבו, II. & *tantum* malum eſſe, רק רע, III. atque *a pueritiis* ejus, מנעוריו, IV. denique, *omni die*, כל היום. Quæ certe planiſſima & ἐμφατικώτατα ad hominis illam denudandam pravitatem. Jerem. XVII. 9. *Fraudulentum cor ipſum ſupra omnia, & mortiferum eſt, quis cognoſcat ipſum?*

Secundo. Omnis boni in nobis cauſa eſt ſola Dei *gratia*: non natura, quæ deflorata: ſed ſupra naturam accedens gratia, quæ illam elevat atque ſanctificat, quo agere ultra ſphęram ſuam poſſit, & tendere in ſupernaturalia. Cujus activitatis, vel facultatis principium eſt ex Dei gratia, & Spiritus S. vi ſingulari, quæ in Scripturis dicitur *circumciſio* cordis, Deut. xxx. 6. *creatio* novi cordis, Pſalm. LI. 12. *Tractio*, Cant. I. 4. *datio novi* cordis, novi ſpiritus in medio hominis, cum *ablatione* cordis *lapidei*, Jezech. XXXVI. 26, 27. Jerem. XXIV. 7. cap. XXXI. 18, 33. *inſcriptio legis* in cordibus. Quæ omnia & aliud in homine principium ponunt, & ſolum omnis veri ac ſpiritualis boni. Nam hæc non hominis opera, non fructus vel beneficia naturę, ſed ut ſingularia divinę gratię offeruntur, à qua cor mutetur, convertatur, renovetur, & ſanctificetur. *Quemadmodum*, inquit Philo, περὶ φιλανθρωπίας, *ſole exorto evaneſcunt tenebræ, & luce implentur omnia, eodem modo quando ſol divinus* νοητὸς ἥλιος *illuceſcit animæ, vitiorum affectionumque caligo diſpellitur, & ſplendidiſſimè virtutis pura amabiliſque ſe profert ſpecies.*

Tertio, omnis bonę actionis & converſionis *initium* eſt à Deo, non ex nobis. *Jerem*. XXXI. 18. השבני ואשובה *converte me, & convertar.* Prius Deus convertit, antequam convertamur nos: præcedit converſio activa, paſſivam. Novitque Eccleſia ſe convertendam à Deo, ut ſe ad eum convertere queat, atque converſam fateri, Et quemadmodum nullum in nobis, vel à nobis bonum opus ante converſionem: ita hæc à Deo inchoat, & omnis boni in nobis cauſa prima & origo eſt. Eodemque modo præmittitur & promittitur futura cordis noſtri à Deo circumciſio, antequam, & ut Deum poſſimus diligere, *ad diligendum Jehovam Deum tuum*, Deut. xxx. 6. *Ut in ſtatutis meis ambuletis*. Jezech. XXXVI. 27. Deut. XXIX. 4. *Non dedit vobis Jehova mentem ad cognoſcendum & oculos ad videndum, et aures ad audiendum in hunc uſque diem.* Cognoſcere Deum, & mandatis ejus obaudire, ſequitur ex ſingulari ejus beneficio, quo nos primum donat mente, oculis, auribuſque ſpiritualibus. Atqui niſi hinc omnis boni initium foret, illud dictum non fuiſſet, & in eo cauſa aſſignata negatę gratię converſionis, ad obtemperandum neceſſariæ.

Digitized by Google

Quarto. Niſi omnis boni in nobis initium ſit à Deo, Deus non erit ἐν πᾶσι ἀρχηγετικὸν, & *cauſa prima*: ſed in aliquibus, imo potiſſimis, homo ſibi erit cauſa prima; Deus ſecunda, & ſequens. Quod æque contra primitatem Dei eſt, ac hominis à Deo neceſſariam in omnibus dependentiam, & in naturalibus à Deo creatore, & in moralibus, ſeu ſpiritualibus à ſanctificatore Spiritu. *Omne bonum Deo debemus*, inquit benè Menaſſe, *de Term. vit. pag.* 212.

Quinto. Si à nobis, ἀφ' ἑαυτῶν, & ἐξ ἑαυτῶν omnis boni operis initium, & ἡγεμόνης à nobis; à Deo modò ſubſequens auxilium, ergo potiſſimum in bono opere quod eſt, *nobis* adſcribendum, non Deo; neque pro eo im..orandus adeo erit, vel agendæ ei gratię, tanquam ſingulari præſtito beneficio, ſed nobiſmet ipſis gratulari licebit, abſque Deo præſtito initio, quod in quovis opere ſemper quiſque difficillimum experitur. Ex adverſo audivimus, non ſolùm Deum nos convertere à primo melioris vitę exordio, & renovare; ſed & pro eo ſanctos orare Deum, *Pſalm.* LI. 12. *Jerem.* XXXI. 18. neque fas ipſis, ſuis ſacrificare plagis, vel ſuffitum facere ſuo retiaculo. Hab. I. 16. *Quiſquis enim didicit donatam ſibi à Deo fortitudinem, reputans infirmitatem ſuam priſtinam, ſeponet omnem jactantiam*, καὶ εὐχαριστήσει τῷ τῆς κρείττονος ἐκείνης μεταβολῆς, *& gratias aget ei qui ſe mutarit in melius*; inquit Philo, libro allegato.

Denique. Quę cauſa poterit dari, quare neceſſarius ſit concurſus, vel auxilium Dei ſequens ad bonum opus perficiendum, ſi ejus gratia non fuerit neceſſaria in inchoando? imo nulla illius cauſa dabitur, vel neceſſitas, quę non æque, & magis etiam militet pro iſto, & neceſſariam dicat Dei opem & Spiritum ad totum bonum opus, ad ejus non tantum promotionem, ſed & inchoationem atque initium. An requiretur gratia Dei, quod aliter omnino non poſſit bonum opus perfici? ſed quomodo abſque eâ inchoari potuit? an verò duntaxat ad facilius operandum? ſed ita omnis gratię tolletur neceſſitas. Et quidquid etiam hic dixeris, referri ad initium boni operis æque poterit, ut ad hoc tam neceſſarium, & magis etiam ſit, prout initia in quovis opere ſemper ſolent eſſe difficiliora, auxilium divinę gratię, quam uſpiam. Libro, de Termno vitæ, *ſect.* VIII. Menaſſe probare ſatagit, *requiri concurſum divinum in actionibus humanis. Etenim ut homo ſalvetur, non tantum humanâ facultate, ſed etiam divina ope & auxilio cœleſti opus habet*, inquit, *pag.* 193. Et non eâdem ope eget homo ad ſalutis negotium inchoandum? Si in actionibus humanis uſpiam Dei requiritur concurſus, annon quoque in illis bene

incipien-

incipiendis? annon tanta bonitas in principio, ac progreſſu, vel difficultas, & neceſſitas divini auxilii illic æque, ac iſthic? Hominem autem indigere ope & auxilio divino, haud ſemel hoc in loco dicit.

Eſt & aliud, quod hoc in argumento Judæis merito ingerendum, cum ipſorum pudore & opprobrio, ducimus, quomodo nos gentiles dicere audeant, qui uti in aliis fidei articulis, ita & hic Dei gloriam & beneficia longe illuſtriora facimus ac deprædicamus, quam ipſi; illi gratiæ auxilium in opere incæpto ponunt, nos etiam ad incipiendum: illis an neceſſarium habeatur, dubium; nobis id certum: ad aliquod opus bonum illi videntur eam requirere; nos ad omne: illis ſequitur; nobis antecedit. Habent illi hac in parte Deum pro Jove; nos Deum Zebaoth, quo nomine Iſraëli celebratur. Omnino enim idem Iudæis hic reponere poſſumus, gratiam Dei auxiliantem duntaxat agnoſcentibus, non convertentem & regenerantem, quod Chriſtiani Veteres Gentilibus de ipſorum Jove, quem à juvando dictum cenſebant, Chriſtiani autem vel ideo nomen hoc minus convenire Deo arbitrabantur, quia, dilute nimis de Deo dicatur, quod nos juvet. Egregius Lactantii locus eſt, lib. 1. cap. XI. *Quid, quod hujus nominis proprietas non divinam vim exprimit, ſed humanam? Jovem enim, Junonemque à juvando eſſe dictos Cicero interpretatur. Et Jupiter, quaſi juvans pater dicitur: quod nomen in Deum minime congruit, quia juvare hominis eſt, opis aliquid conferentis in eum, qui ſit alienus, et exigui beneficii. Nemo ſic Deum precatur, ut ſe adiuvet, ſed ut ſervet, ut vitam, ſalutemque tribuat: quod multo plus, ac majus eſt, quàm juvare. Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios juvare, cum eos generat, aut educat. Illud enim levius eſt, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur. Quanto id magis inconveniens eſt Deo.* &c. *Non intelligit beneficia divina, qui ſe juvari tantummodo à Deo putat.*

Verùm nunc ipſos proſe loquentes audiamus. Ita ergo Menaſſe, lib. de Fragilitate Humanâ, §. 14. pag. 116.

Judæi duo ſolum auxilii genera agnoſcunt, quorum prius eſt, cum Deus hominem, qui opus bonum ac pium orſus eſt, adjuvat, ipſique manum porrigit, ut inceptum abſolvat. De hoc genere doctè admodum loquitur R. Eliahu Haim in ſuo reſit hochma lib. 1. cap. IV. *hunc in modum: An*

Reſp. Ad primam rationem R. Eliahu Haim, ſic reſpondemus. 1. Non metuendum nobis, ut bonorum noſtrorum *merita* tollantur, quin hoc agendum potius, ut tollantur ex hominum opinione & faſtu. Neque enim opera noſtra ad Deum, טובתי בל עליך, *Pſalm.* XVI. 2.

dices, Deum homini ante appetitum ferre auxilium, ut eum vincat? idem ſit hoc ac ſi bonorum operum merita tollas. Iterum interrogamus, utrum Deus hoc auxilium det aliquibus, an omnibus? Si omnibus, quare non ſunt omnes juſti? ſi aliquibus, quam ob cauſam iſtam facit diſtinctionem? an quia velit ſalvari alios, alios damnari? At reſpectus iſte perſonarum, in Deum non cadit. Dicimus igitur auxilium iſtud, aut gratiam, præſupponere opus inceptum; haut ſecus, ac ſi homo in tollendo onere laboret, atque id vires excedat, eoque alius accedat, qui adjuvet, ac humeris imponat. Ita quoque hominem, ubi bonum inchoavit opus atq; in exequendo eo difficultatem experitur, à Deo adjuvari, ut opus cœptum finiat, atque in actum deducat.

II. *Aliis etiam hoc firmabimus argumentis. Si, ut nonnullis perſuaſum eſſe video, in operibus moraliter bonis, gratia Dei præcederet merita juſti, non merita gratiam; ſequeretur hominem agendi quidem male, non vero bene agendi poteſtatem habere. Contrarium docet Ariſtoteles Eth.* lib. III. cap. IV. *ubi probat hominem eſſe liberum in cunctis actionibus, tam juſtis quam injuſtis.*

III. *Si nemo poteſt eſſe aliquo modo juſtus, ſine ſingulari gratia Dei, ſequeretur, hominem, cui Deus non conceſſit illam gratiam, eſſe malum, ac proinde Deus author peccati dici poſſet; eoque injuſte faceret, qui peccantem puniret.*

vel ad iſtam mercedem, quam Deus in ſeipſo conſtituit *Geneſ.* xv. 1. promerendam quippiam valent. II. Attamen *mercedem* operum, ſed non in operum merito aut dignitate, vel debito, ſed in gratuita Dei benignitate fundatam, haud tollimus. III. Per doctrinam verò de auxilio divinę gratię noſtram nequaquam merces operum bonorum tollitur, quin ſtabilitur. Nam illud reſpicit boni operis initium; merces fructum conſequentem. Ut nulla hinc oppoſitio aut contradictio, quâ ſe mutuo tollant. Deinde, non magis gratia antecedens tollit operum mercedem, quam conſequens. Si queat conſiſtere cum fructu & mercede boni operis ut gratiâ indigeamus in perficiendo opere: ſtabit quoque, ut eâdem egeamus ad inchoandum. IV. Ratio autem quare nec per hoc, nec per illud tollatur operum merces, vel præmium, eſt, quia quantumvis gratiæ divinæ ope egeat homo ad bonum opus, ſive inchoandum, ſive perficiendum, gratiæ tamen operatio illa in hominem quę influit, cumque eo agit, hominem non deſtruit, ſed facit eſſe veram cauſam formalem, & dominum iſtius actionis bonæ à ſe ope gratiæ divinæ præſtitæ, atque ut ſalva ei & illęſa penitus maneat voluntatis ſuæ libertas. Jam quia hinc actio illa eſt noſtra actio, formaliter noſtra, à principio interno, vitali,

iv. *Deus non eſt mutabilis: cui itaque gratiam dedit, ſemper fuerit juſtus; cui verò negarit, ſemper injuſtus: cum ſine illa gratia non poſſit promereri. Atque contrarium docet experientia: quia multi boni à bono declinant. Multi vero mali reſipiſcunt. Quin et ſecundū multos, Angeli ſunt dæmones facti.*

v. *Sacra Scriptura* Geneſ. xviii. 19. *introducit Deum ita de Abrahamo loquentem: quia novi eum, præcipiet filiis ſuis, et domi ſuæ, et cuſtodient viam Domini, ut faciam juſtitiam, & judicium. Hinc meritis gratiam Dei acquiri, non eſt dubitandum.*

vi. Deuter. cap. x. 12. *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules per omnes vias ejus, & diligas eum ex toto corde tuo*, &c. *Unde ita argumentamur, ſi Deus dediſſet gratiam, qua certo ac neceſſario opus produceret, quod à Deo imperatur, non opus fuiſſet ut Deus peteret bonum illud opus ab homine: utpote qui per gratiam acceptam ſine Dei petitione hoc faceret. Dicimus igitur, Deum diſpoſuiſſe ita homines, ut ſalus ab eorum voluntate dependeat; nec agnoſcere Judæos gratiam, niſi adjuvantem, & ad hoc utilem, ut, ubi homo cœperit, Deus finiat.*

vii. *In hanc quoque ſententiam loquuntur Antiqui in tractatu Suca* cap.v. *Appetitus hominis quotidie eum vincere ſtudet, & in ejus mortem conſpirat,* ואלמלא הקב״ה עוזרו אינו יכול לו, *at ſi*

tali, elicitivo noſtræ voluntatis orta, (divini quidem Spiritus vi, ut causâ principali & prima efficiente, quæ facultatem agendi illam, qua Phyſice, qua moraliter, confert) relinquitur ut actionis illius vere noſtræ ſua, ex gratuitâ Dei benignitate, non depereat merces.

Quærit deinde, an gratiam illam Deus, vel auxilium iſtud ſuum det aliquibus, an omnibus? Si omnibus, inquit, quare non ſunt omnes juſti? Fateor, quod proba ſit argumentatio. Si Deus gratiam, vel auxilium illud omnibus largiatur, omnes debere eſſe juſtos. Interim noverint Adverſarii vim hujus, quam faciunt, bonæ conſequentiæ ſitam in auxilii iſtius efficaciâ, quâ hominem ſua vi actu convertit, non ut efficacia vel effectus ejus pendeat ex placito aut concurſu voluntatis humanę. *Si aliquibus*, inquit, *quā ob cauſam iſtam facit diſtinctionē?* Certū eſt, neq; negare contra ſenſum & experientiā potes, quin Deus apertā hic ſatis inter homines diſtinctionē faciat, quum non omnibus gratia illa indulgeatur. Sed in cauſam primæ negationis inquirendum, an hæc in Deo collocanda ſit, ejuſque hominū diſcretionem faciente voluntate; an in hominis bono uſu & incepto arbitrii? Hoc ille eligit. Videamus, an bene. Caderet alioqui in Deum reſpectus perſonarū, inquit. Negamus Et res eſt clariſſima, nam quia nullam

 in ho-

Deus benedictus non adjuvet illum, non valeat adverſus illum. Idem alio quoque in loco dicunt, verbis non diſſimilibus. בא ליטהר מסייעין אותו *Si acceſſerit ad purificandum ſe ipſum juvat. Quid enim planius elucet, quam primam motionem ab homine incipere: poſtea Deum uti ſua erga eum miſericordia, auxiliando ei, quem videt bono affectu, ad virtutem, & opus bonum patrandum acceſſiſſe. Eſt id præmii inſtar: velut quoque melioris notæ homines illis ſuccurrere ſolent, quos vident virtuti operam dare.*

in homine Deus conditionem reſpicit, perſonam accipere dici nequit. Hoc enim eſt acceptio, vel reſpectus perſonarum, aut προσωποληψία, quando in negotio aliquo conditionem attendis extraneam, iſto in negotio non attendendam, non congruam. Sed qui nullam omnino in homine conditionem intuetur, reſpicere ejus perſonam nullo modo dici poteſt. Reſpicere perſonam non ſignificat ſimpliciter perſonam eligere: vel vox perſonæ ibi non diſcretè hominem notat; ſed ſtatum, rationem, conditionem in homine aliam; non ἄνθρωπον, ſed πρόσωπον ἀνθρώπου. Jam verò quia homines in ſe & naturâ ſuâ pares Deo objiciuntur, & ſolus is omnis in illis boni auctor cauſaque prima, etiam voluntatis & cujuſvis operis boni: vel dicendum eſt, Deum non eſſe omnis boni cauſam primam, & ſic non etiam voluntatis aut actionis noſtræ bonæ; vel hanc etiam à Deo eſſe. Quod ſi, jam quod Deus hanc gratiam aliquibus donat, non omnibus, quæ cauſa? non ipſe homo, vel bonus in eo uſus arbitrii, namque hic à Deo evincitur eſſe, quem ſi omnibus daret, utique eum omnes haberent, ex vi ſuperioris argumentationis, vel conſequentiæ; ſed ab illa Dei voluntate originem habet, qua pro beneplacito eam aliquibus impartiri vult. Aliis non concedit eam, nec volentibus. Et quibus confert, omnino cum ipſorum voluntate eſt, quam bonam facit, & libere volentem, hoc quod eam velle vult. Inde in Adagiis Hebræorum eſt, quod Druſius habet, pag. 81. אין לשאל טעם לסבות הבורא, atque ita vertit: *non licet interrogare quo conſilio, quamve ob cauſam Creator hoc aut illud faciat.* Maximus Judæorum Maimonides, in Miſchnam Berachoth, ſub finem explicans illud Pſalm. CXIX. 126. *tempus eſt ut faciat Jehova, irritam faciunt legem tuam,* ait, Deum occaſiones legem tranſgrediendi hominibus objicere, כדי שיבא עליהם העונש כמשפט, *ut pœna ſuper eos juſte veniat. At ſenſus hic ſublimis & profundus* (inquit) *quis eum indagetur? in quem ſenſum tamen venit omnis Scriptura & doctrina Sapientum.* atque eo citat, Jeſa. LV. 8, 9. *quam alti ſunt cœli ſupra terram &c. tam altæ ſunt cogitationes meæ ſupra veſtras.* Sententiam

Digitized by Google

tentiam Maimonidis adfert explicatque Menaſſe, *Conciliat. in Exod. quæſt.* VI. atque Lib. *de Termino vitæ, ſect.* VIII. *et* X. *et* XI. Valde imperite & inique accipit tractatque doctrinam noſtram, quaſi aut ideo quod prædeſtinata omnia apud Deum ſunt quæcumque eveniunt, ſequeretur, media ad exequendum non eſſe neceſſaria; vel quaſi omnia, quæ ab homine, neceſſario fierent, & non libere. Quorum neutrum verum. Nam Deus qui finem deſtinavit, quoque deſtinavit media ad finem illum facientia, atque ita non magis hic ab illis, quam viceverſa media à fine ſeparari poſſunt. Sapientiſſimâ Dei voluntate, non niſi ſapientiſſime res ut ſe haberent, modoque decentiſſimo, ordinante. Et qui deſtinat res ut eveniant, non vult ut aliter fiant quam pro natura ſua, liberè, quæ à cauſa liberâ; & neceſſariò, quæ à cauſa neceſſaria. Ut nulla neceſſitas ex decreto divino rebus injiciatur vel actionibus humanis contra ipſarum libertatem. Aliqua eſt neceſſitas, non omnis, quæ cum libertate conſiſtere, & bene conciliari poteſt, neceſſitas hypothetica, ſeu ex conditione, non abſoluta; ſecundum quid, non ſimplex; futuri & eventus, non modi; effectus, non cauſæ; externa, non interna; conſequentię, non conſequentis, id eſt, ut quod Deus ordinavit, quidem certo eveniat, ſed ex cauſa internâ & formali tamen liberâ, ſic concurrente cum hominis voluntate Dei providentiâ, ut homo id faciat quod Deus vult, & ſimul libere. Ut hinc jam facile evaneſcant, quæ Menaſſe in contrarium, ex non benè intellectâ de Prædeſtinatione Dei doctrinâ, atque in vanum diſputat, *ſive Conciliat. in Exod. quæſt.* VI. ſive lib. *de Termino Vitæ, ſect.* VIII. *et* X. Ubi *pag.* 217. Abravanelis primò producit ſententiam, ex libro Nahalataboth, dicentis, quod *quando Deus decrevit aliquem punire, vel præmio afficere, contra iſtud nihil quidquam cura, vel ſolicitudo ulla poteſt. Id accidiſſe ait in Achitophelis conſilio evertendo, quia decretum erat punire Abſalonem. Huc pertinent verba illa Prophetæ, Novi Domine, quod non eſt hominis via ejus, nec viri ambulantis eſt præparare greſſum ſuum. Item, Et Dominus præceperat infringere conſilium Achitophel bonum, ut induceret Dominus ſuper Abſalom malum. Item, Dominus exercituum conſuluit, & quis irritabit? Item, Non eſt ſapientia, neque intelligentia, nec conſilium contra Dominum. Nam decretum Dei de pœna infligenda, aut præmio aliquem adficiendo, humana cura aut induſtria curari non poteſt.* Sententiam verò ſuam ſic exponit, hoc in libello, pag. 218. *Ad me quod attinet, ego ſentio, Deum nunquam cogere aut ſubtrahere cuiquam uſum liberi arbitrii: ſed ſuaviter ſemper diſponere media prout magis, vel minus appetitui noſtro grata ſunt.*

ſunt. Eodem modo, quo primum mobile rapit inferiores orbes; ſed ita ut ſuum tamen cuique proprium motum relinquat. Ex. gr. Deus decreverat, ut populus Iſraëlis captivus maneret in Ægypto per aliquot annos, & ut Joſeph ſupra fratres ſuos eveheretur in ſummam dignitatem. Neminem hic coëgit Deus, ut finem, quem conſtituerat conſequeretur: ſed ſuaviter duntaxat media diſpoſuit, occurrere faciendo occaſionem, qua Midianiticis mercatoribus Joſephus venderetur, atque ita in Ægyptum veniret. Concedimus omnia, Deum non cogere hominem, nec ſubtrahere ei liberum ſuum arbitrium, ut finem, quem conſtituit, aſſequatur, ſed ſuaviter omnia diſponere, pro naturâ cauſarum ſecundarum, interim etiam efficaciter & proprio in cauſas ſecundas influxu eas regendo, quemadmodum primum mobile in orbes inferiores. Neque malas voluntates cogit, verùm objicit illis occaſiones, quibus ad peccandum male abutuntur, uti dicit pag. 221. *Occaſionem Deus tantum hic dedit illorum contumaciæ: non autem coëgit voluntatem eorum, quo eos puniret. Similiter Deus decreverat dividere regnum Salomonicum. Quomodo id facit? Non cogendo Rehabeamum, ſed occaſionem tantum ei dando, per conſilia juniorum, quibus ille paſſus ſe adduci, renuit populo concedere imminutionem vectigalium: atque ita prophetia Ahiæ completa fuit.* Nunquam etiam nobis dictum, cogi hominum voluntates. Verum quomodo ipſe explicat, *Uti illi, qui ſumma rerum potiuntur, norunt omnia induſtrie, & prudenter adeo diſponere, ut ad finem ſuum intentum perveniant: ita etiam Deus rex cœli et terræ, omnia novit ſapienter diſponere, abſque ulla læſione liberi arbitrii, quo finem ſuum obtineat, ut hos pro ſua gratia præmio, illos pro juſtitia ſua pœna afficiat. Quo pertinet etiam Salomonis dictum, Pelagi aquarum cor regis in manu Domini, ſuper omne quod voluerit, inclinabit illud. Non inquit cogit: ſed inclinat; atque hoc eſt illud, quod probare propoſitum nobis erat.* In Exodum, pag. 111. *Induratio proprie & efficaciter ipſius Pharaonis eſt.* Verum. *Quæ tamen improprie Deo adſcribitur, quatenus, miſericordiâ ſepoſita, relinquit hominem in peccatis. Etiam non peccaret homo, niſi Deus frenum laxaviſſet voluntati ejus, quæ inclinare & expetere illud poteſt, cujus guſtum ei dat. Adeo ut hoc modo indurationem à Deo eſſe, dici queat. Etenim quomodo leporem currentem videns, ſi fune laxato canem dimiſerit, dicitur leporem illi tradidiſſe; & Deus dicitur indurare, quando, laxato voluntatis freno, currere eum patitur, quocumque natura trahit. Eadem in ſententia veteres noſtri ſapientes fuere, quorum in Guemara Maccot dictum eſt: Conſtat de omnibus S. Scripturæ libris, quamcumque viam inſiſtere homo voluerit, eò illum adducere: & clarius altero lo-*

tero loco, בא ליטמא פותחין לו בא ליטהר מסייעין אותו, *venit ad polluendum ſe, aperiunt ei; venit ad mundandum ſe, juvant eum: dicere volunt, Deum peccatori portam apertam relinquere. Quam in mentem etiam Eliæ Prophetæ verba trahere licet:* 1. Reg. XVIII. 37. *Tu Domine avertiſti animos eorum retrorſum: quibus impropriè Deo attribuit errorem falſorum Prophetarum, quatenus illos voluntati ſuæ permiſerat, uti exponit R. Selomoh. Cujus opinioni quoque favet R. Levi ben Gerſon, ad locum S. Scripturæ,* II. Sam. XXIV. 1. *Perrexit autem ira Domini accendi in Iſraëlitas, & incitavit Davidem in illos, dicendo, ito, numera Iſraëlem & Jehudam. Nam ait ſignificari hic, Deum perſuaſiſſe Davidi, quia illum, tanquam humilem & obſequentiſſimum miniſtrum, cujus pietatem ipſe uſque adeo probaret, dehortari ab hac re potuerit, et tales ei eripere cogitationes, quod tamen haud fecit, ſed propriæ illum voluntati permiſit, ob ſuam in Iſraëlitas iram. Sed & aliâ ratione adſcribi Deo cordis induratio poteſt, cum nonnulla facit, ex quibus cauſam homines capiunt indurandi cordis. Uti in Parhone uſu veniſſe videmus.* Lib. de *Termino Vitæ*, pag. 213. *nam quia in Tarquinio erat animus æſtuans libidinibus, et honeſtatem ſuſque deque habens, reliquit eum Deus ſibi ac pravo deſiderio ſuo.* Quibus nos haudquaquam refragamur. Uti nec concluſioni hactenus, quam facit diſputationis illius, *in Exod. pag.* 113. *Igitur ut finem huic materiæ imponamus, induratio propriè & efficaciter Parhonis fuit: Deo tamen permiſſive, & quaſi ob occaſionem tribuitur. Et hæc quidem ante peccatum conſiderantur. Sed circa peccatum alia ſunt Dei opera. Sæpe enim illa, quæ malo fine fiunt, in bonum dirigit: quomodo Ioſephum fratres vendiderunt, ut in ſervitute miſerè viveret; quæ tamen Domini benignitate vertit illi in ſummos honores.* Quæ prolixius paulo de Prædeſtinatione, ex Judæis proferenda cenſui, ut & ipſis conſtaret quam imperitè aliàs ſententiam hac in parte noſtram adoriantur vel impugnent; & aliis, quomodo illa quæ difficultatem & quæſtionem hoc in negotio haud unam Eruditis movere ſolent, à Judæis accipiantur.

Hæc occaſione argumenti R. Eliahu Hain, pro auxilii divini neceſſitate, ad opus bonum perficiendum, non verò ad inchoandum. *Dicimus igitur*, inquiebat, *auxilium iſtud, aut gratiam, præſupponere opus incæptum; haut ſecus, ac ſi homo in tollendo onere laboret, atque id vires excedat, eoque alius accedat, qui adjuvet, ac humeris imponat. Ita quoque hominem, ubi bonum inchoavit opus, atque in exequendo eo difficultatem experitur, à Deo adjuvari, ut opus cæptum finiat, atque in actum deducat. Reſp.* Quemadmodum in ſuſtollendo tali onere plus laboris, eoque &

auxilii plus requiritur, quam ferendo, ita etiam in præſtando bono opere res ſe habet, tantaque, uti & antea diximus, neceſſitas, quin major, in operis inchoatione requiritur, quam in proſequutione. Deinde, ſi opus vires excedat, uti revera hîc eſt, quî poſſibile ut homo ſuis viribus illud ſuſtollat, inchoetque? Eſt quippe hæc repugnantia, & oppoſitum, quod dicunt, in appoſito. III. Annon eſt bonum, incipere opus æque ac perficere? atqui ſupra oſtendimus, & ipſe Menaſſe dixit, omne bonum Deo deberi auctori & cauſæ; ergo quoque inchoatum. IV. Jam & conſcientiam interrogemus ſingulorum, tuam, meam, aliorum. Certe ego profiteor, me Deo, ejuſque gratiæ debere inchoationem boni operis, æque ac proſequutionem, & ejus auxilio tam inchoari opus, quam perfici, illoque me egere æque, ac iſto. Tu contra aſſeres? non facies, ſi probus ſis, atque ſi ex animi conſcientiâ loquaris magis, quam ex præjudicio opinionis, cui te manciparis. V. Sed & ex propriâ ſententia Auctorem convincamus. Dicit, non modo opus *vires excedere*, ſed & *in tollendo*, vel inchoando eo, hominem *laborare*. Jam qui in tollendo onere laborat, numquid non eget auxilio? Quid eſt auxilio egere, vel ubi quæſo egemus eo, ſi non iſthic? VI. In exequendo opere quia homo difficultatem experitur, eum à Deo adjuvari dicit, ut opus cœptum finiat, atque in actum deducat: ſed ego, ſed quilibet in inchoando difficultatem non minus experimur, quam in finiendo, & ut in actum deducatur initio æque, ac ut ad finem: quare ibi adjuvari hominem debere tam dicendum, atque hic.

Ad ſequentia Menaſſis *argumenta* reſpondemus, & ad *ſecundum*, I. De *meritis* operum noſtrorum bonorum antea etiam dictum, illa nulla eſſe. Jam ſi negetur inſuper, gratiam illa qualitercumque dicta antecedere, merita videbuntur putidiſſimæ, quam homines comminiſci poſſint, ſortis: merita nempe ex ſe, & propter hominem digna, quibus ex juſtitiâ Deus mercedem debeat; quæ durum eſt cogitare, nedum aſſerere, ſibique arrogare velle. II. Negatur, non probatur ſequi, quod ſi gratia merita antecedat, homo non habiturus ſit bene agendi poteſtatem, vid. quomodo id ex Ariſtotele mox explicatur; agendi libere. Si enim aliter intelligas, & de poteſtate agendi non liberâ ut ſic, ſed agendi bene & ſpiritualiter, vide quam bene ex Ariſtotele hoc coneris oſtendere, qui de iſto bono, vel hominis ad hoc viribus nil habuit dicere: & quidem ex illo ejus loco, ubi non de bonitate, ſed libertate agendi loquitur expreſſe. Homo ſemper liber eſt, agitque ex propria & natura-

naturali libertate quæcunque agit, ſive bona, ſive mala. Neque illa ei libertas tolli, non magis quam rationalitas, poteſt. III. Cæterum ad mala quidem ſatis potens eſt, non verò ideo ad bona, ad bona nempe religionis, ſpiritualia & ſalutaria.

Ad *Argumentum tertium*, Reſp. I. Verum eſt, quod homo ante & citra Dei gratiam malus eſt, & peccans. II. Sed negatur hinc ſequi, Deum eſſe authorem peccati, vel injuſte punire peccatorem. Nam utcunque Deus cauſa boni eſt; non proinde & mali. Sol cauſa lucis eſt; non tamen ideo cauſa tenebrarum. Bonum à Deo eſt, & bonum omne non alium habet fontem, vel cauſam. Verùm peccatum nequaquam à Deo, ſed ab homine, propriaque ejus oritur voluntate & concupiſcentia, quam Deus non dat vel facit, ſed homo ſibi ipſi; Deus duntaxat homini permittit, & relinquit ſibi. uti ex ipſo Menaſſe modò audivimus.

Ad *quartum*. Reſp. I. Ita, Deus non eſt mutabilis. Nec inde ſequitur, ut cui gratiam dedit, ſemper ſit juſtus, id eſt, ut non niſi juſte agat, quin & peccat etiam, prout non perfectè ſanctus eſt, ſed & peccato adhuc obnoxius. Cœterum cui gratiam dat ſanctificationis in Meſſia ſeu Chriſto, quoniam gratia illa datur in finem uſque, non inchoat ſolum, ſed & perficit, atque in cenſu juſtorum ſemel allectum, continuo conſervat. II. Quod verò quotidie contingere videmus, ut boni à bono declinent, & mali reſipiſcant, verum eſt; ſed illi vulgariter, ethice boni; alia eſt ratio vere per Spiritum Chriſti ſanctificatorum, *ut ne à Deo avertant*, juxta fœderis novi ſententiam, *Jerem.* XXXII. 40. Sic & angeli ſunt Dæmones facti; atque Adamus à ſtatu juſtitiæ & integritatis defecit: namque illorum ſtatus mutabilis, ipſis relictus erat, à quo proinde deflectere potuerunt. Verùm in Novo fœdere illa promittitur & confertur gratia, quæ non in homine, vel ejus fundata arbitrio, ſed in Chriſto, ejus in merito & interceſſione radicata, continuo in Chriſti membra defluit, ſeu fideles, ad eos regendos, conſervandoſque in perpetuum.

Ad *Argumentum quintum*, Reſp. voce meriti, quod & in præcedentibus obſervatum, caſtigatâ vel expuncta, atque in ejus locum ſi ſubſtituamus bona opera, vel gratiam, conceditur per gratiam, gratiam acquiri, & per præcedentia opera fieri gratiæ in nobis confirmationem, & augmentum.

Ad *ſextum*. Reſp. I. Negatur ſequi, ſi Deus gratiam homini confert, ut bonum opus per eam præſtet, temere Deum illud ab homine exigere.

Ratio eſt, quia utcunque Deus homini poteſtatem faciat *benè* operandi, & ſine Deo id homini foret impoſſibile, tamen *actio* ex illâ facultate præſtita formaliter eſt hominis, ideoque ab eo poſtulatur. Hominis eſt *officium*; Dei *beneficium*. Quæ adeo non pugnant, ut Deus pro bonitate ſua paſſim in nobis remuneret beneficia ſua. II. Argumentum retorqueo. Deus ab homine exigens bonum opus, non ſolum ejus initium petit, ſed complementum. Quod ſi ergo ad hoc gratia Dei neceſſaria, vel illa inter ſe non pugnant, auxilium gratiæ, & operis impletio, neque pugnabit gratiæ auxilium cum operis inchoatione. III. Deus quando gratiam homini confert ad opus aliquod bonum, non adigit hominem contra niſum & ductum libertatis ſuę, neque ei neceſſitatē injicit, naturę repugnantem aut eam violantem, ſed ſapientiſſime conſpirat cum hominis libertate, ejuſque uſu neceſſario & rationali. IV. Atque in eo quidem graviter errant Judæi, quod gratiam Dei nullam in nobis agnoſcunt, niſi adjuvantem, & ſolum ad hoc utilem, ut ubi homo cœperit, Deus finiat. Adeone nullius uſus vobis videtur divina gratia, ut quoque homo id incipiat, quod abſque eo finire benè haud poteſt? Certe ad illud æque utilis Dei gratia, ſi non magis, quam ad iſtud: ut opus bonum inchoet; quam ut perficiat.

Ad *ſeptimum*, quod ex dicto Antiquorum petitur, *Reſp.* I. Verè & benè dictum, Deum nos juvare in debellando appetitu noſtro pravo: ſed, annon in principio pugnæ iſtius æque, ac progreſſu vel fine? Cur non illic tanta gratiæ eſt neceſſitas, atque utilitas, quàm iſthic? Vel, annon ibi æque egemus ope, ac hic? II. Qui ſe purificat, & bonum opus incipit, adjuvatur porro à Deo, verum: ſed an ex ſe ſemet purificat, vel quod revera bonum eſt ex ſe & ſuis viribus incipit? III. Atque uti homines, quantum quidem poſſunt, opitulari aliis nituntur, in opere inchoando non minus quam in proſequendo, ut qua ratione poſſint ſuccurrere ſua admonitione in operis profectu, eadem accurrant ad ejus quoque initium, ita, & majori ratione Deus nobiſcum agit, non morali ſolum ſuaſione, ſed internâ virium & facultatis collatione, nos in operis exordio juvando & roborando æque ac in ejus progreſſu vel exitu.

Atque hæc dicta ſunto, de auxilio & gratia divinâ, ad converſionem ac reſipiſcentiam neceſſariâ, ad ejus quoque initium & primordia. Videbimus porro ſpecialia quædam legis præcepta, & Judæorum ad illa obſervantiam, ſeu virtutis, ſeu vitiorum loco habendam. Uti de *Tephillin, Mezuza, & tzizith*: quid ſint, & num ex lege Moſis obſervanda, quod

refero

Digitized by Google

refero ad præceptum Decalogi ſecundum. De *juramento* per *creaturas* concipiendo, ad præceptum tertium. De *Sabbatho* illorum, ad quartum. Ad ſeptimum, de *Polygamia*, & *divortio*. Ad octavum, de *Vſura*. Ad nonum, de *mendacio*. De quibus Judæorum alia quum ſit ſententia, ac praxis, quam noſtra, ideo, pro inſtituto operis, hoc quoque in loco nobis examinanda veniunt.

Cap. III.

De

Judæorum Tephillin, et Tzizith.

Tephillin quid ſint. Alia frontalia: manualia alia, vel brachialia. Sectiones legis quatuor quæ illis inſcribuntur. Mezuza. Locus Ioſephi. φυλακτήρια quare dicta. Sanctitas & religio, quæ illis ſuperſtitioſe attribuitur, tum formandis, tum utendis. Negatur, ex lege obſervanda eſſe. Explicatur Exod. XIII. 9. 16. *Quid* טוטפת. *Male à Chaldæo expoſitum per* תפלין. *De Tzizith. Imperata illa lege Moſis. Sed citra ſuperſtitiones, quas illis Traditionarii affinxerunt. Quid* κράσπεδα τῶν ἱματίων.

Diſputatur de Judæorum *Tephillin*, quæ ſunt ligamenta coriacea, quibus includitur membrana, inſcriptas habens quatuor legis ſectiones, quibus peculiariter additur: *ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam, & in memoriale inter oculos tuos*. Nam quod nonnulli ſcripſerunt, inter Veteres præſertim, qualis Hieronymus, inſcriptum ſchedis illis Decalogum fuiſſe, error eſt. Ligamenta vero illa precaturi apponunt fronti, & brachio ſiniſtro: illud תפלין של ראש *frontale*; iſtud appellant, תפלין של יד, *Manuale*. Legis illæ ſectiones ſunt, Exod. XIII. 2. קדש לי *Conſecra mihi omne primogenitum, quidquid aperit vulvam in filiis Iſraël, ex hominibus & ex jumentis, meum eſt. Edixit itaque Moſe populo, mementote diei hujus, quo egreſſi eſtis ex Ægypto* &c. uſque ad verſ. 9. *ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam & in monumentum inter oculos tuos, ut ſit doctrina Jehovæ in ore tuo: quia manu forti eduxit te Jehova.* Continet illa ſectio præcepta de primogenito, & de Paſchate. Alterum ſumunt ex eodem capite, à verſ. 11. ad 16. *Item erit quum introduxerit te Jehova in regionem Canaan, quemadmodum juravit tibi ac majoribus tuis, dederitque eam tibi, ut emancipes quidquid aperit vulvam* &c. de primogenitis loquitur, & verſ. 16.

 iterum

iterum additur: *quod erit pro ſigno ad manum tuam, & pro frontalibus inter oculos tuos.* לאות על ידך ולטוטפת בין עינך. dicuntur illa אות, זכרון, טוטפות. De qua poſtremâ voce, cujus dubia valde etymologia, vide Druſium, *lib.* II. *de Sectis.* Fuller. *Miſcell. lib.* V. *cap.* VII. Petitum, Var. Lect. *lib.* II. *cap.* III. Lexicon Buxtorfii. Cameronem, in *Matt.* XXIII. 5. atque ex eo, ſuppreſſo Cameronis nomine, Simonem Epiſcopium, *Inſtit. Theol. lib.* III. *ſect.* II. *cap.* VI. *pag.* 63. Tertiam ſectionem ſumunt ex Deut. VI. à verſ. 4. ad 9. *Audi Iſraël, Jehova Deus noſter Deus unus. Itaque diliges Jehovam* &c. 8. *Etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* 9. *Denique inſcribes ea poſtibus domus tuæ & portis tuis,* על מזוזות ביתך. unde hoc appellant *mezuza*: quod poſtibus inſcribunt, מזוזה poſtem ſignificat. Ultima denique ſectio eſt, Deut. XI. 13. ad verſ. 20. *Erit itaque ſi ſerio auſcultaveritis præceptis meis quæ ego præcipio vobis hodie, diligendo Jehovam Deum veſtrum, & colendo eum ex toto corde veſtro & ex toto animo veſtro. Ut dem pluviam terræ veſtræ,* &c. 20. *Etiam inſcribes ea poſtibus domus tuæ, & portis tuis.* Quæritur, num illa proprie & ad litteram accipienda ſint, quæ de ſcribendâ lege vel in poſtibus, vel frontalibus aut manualibus, dici hîc videntur? Judæi ita accipiunt, quare quilibet ipſorum nunquam non accinctus, vel inſtructus illis ligamentis incedit. Idque Joſephus exprimere voluit, *Antiquitat. Judaic. lib.* IV. *cap.* VIII. ubi Moſis leges exponens, inquit, ἐπιγράφειν δὲ καὶ τοῖς θυρώμασιν αὐτῶν τὰ μέγιστα ὧν εὐηργέτησεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἔν τε βραχίοσιν ἕκαστον διαφαίνειν, ὅσα τε τὴν ἰσχὺν ἀποσημαίνειν δύναται τοῦ θεοῦ καὶ τὴν πρὸς αὐτοὺς εὔνοιαν φέρειν ἐγγεγραμμένα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ βραχίονος, ὡς περίβλεπτον πανταχόθεν τὸ περὶ αὐτοὺς πρόθυμον τοῦ θεοῦ. *inſcribenda ſunt etiam foribus præcipua, in quibus iis gratificatus Deus eſt, & in brachiis oſtentanda. Quæque potentiam ac Dei erga ipſos benignitatem indicant, circumferenda ſunt inſcripta in capite & brachio, ut undiquaque conſpicua ſit Dei ergà ipſos benevolentia.* Hæc ſunt φυλακτήρια, quæ Chriſtus in iis taxat, *Matth.* XXIII. 3. πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια αὐτῶν. Sic dicta, & quod cuſtodirent legis aliquas ſectiones, ſibi aſſiduo in memoriam revocandas; & forte etiam quod inſtar amuletorum geſtarent illa. Certe *amuletum*, φυλακτήριον, in veteri Lexico. & in Synodo quiniſextâ, can. LXI. conjungunt, & eadem pœna mulctant τοὺς τε λεγομένους νεφοδιώκτας καὶ γοητευτὰς καὶ φυλακτηρίους καὶ μάντεις. *qui dicuntur nubium ſectatores & imprecatores, et amuleta prebentes, & vates.* Ad quem locum Balſamo, φυλακτήριοι *autem, hoc eſt, remediorum ſeu amuletorum præbitores dicuntur, qui fraude dæmonis, eis qui à ſe decipiuntur, vincula quædam ex ſerceis filis contexta, quæ & πυγγία dicun-*

***dicuntur*, *præbent*, *quæ aliquando quidem intus habent ſcripturas*, *aliquando verò falſa quædam alia*, *quæcumque inciderint*. *Dicunt autem hæc juvare*, *ſi ex collis eorum qui illa accipiunt*, *perpetuò pendeant*, *ad omne malum vitandum*.** Præſertim Clericis interdicitur, ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια; aliis, eadem portare: in Codice Canonum eccleſię univerſę can CXL. Dubium ut videri poſſit, an Judæorum Tephillin φυλακτήρια dicta ſint magis quod aliquam ex lege Scripturam, an quod conſervarent ipſos eorundem geſtatores, ex opinione ſuperſtitioſâ: quemadmodum inter Chriſtianos aliquando malеferiati homines, & mulieres ſuperſtitioſæ parva Euangelia circa collum geſtare ſolent, quocum negotium illud Judaicorum φυλακτηρίων conferre multi ſolent: Chryſoſthomus, in *Matth.* XXIII. homil. XLIII. Iſid, Peluſiota, lib. II. epiſt. CL. aliique. Certe Judæi ſuis illis φυλακτηρίοις, ceu περιάμμασι, multam magnamque virtutem attribuunt: quod ſe contra Satanam, & mala quævis defendant, quod obſervantia eorum æquiparari poſſit obſervantiæ totius legis, & iſtius generis plura. In Tractatu Talmudico, de Sabbatho, cap. II. כול מי שיש לו תפילין בראשו או בזרועו וציצית בבגדו ומזוזה בפתחו מוחזק הוא שלא יחטא שהרי יש לו מזכירין רבים והן הם המלאכים שמצילין אותו מלחטא שנ׳ חונה מלאך ה׳ סביב ליראיו ויחלצם. *Quicunque alligata habet præcatoria capiti aut brachio*, *& zizit veſtimento atque ſchedulam liminarem oſtio*, *munitus eſt adverſus peccatum*; *hæc enim eximia ſunt* μνημόσυνα, *atque Angeli eripiunt eum à peccato*. Q. D. *Angelus Domini caſtrametatur circa timentes eum*, *atque liberat eos*. Ita de tribus illis pronunciant, quæ habent pari cenſu, *Tephillin*, quæ duum generum, *capitis*, & *brachii*; *mezuzoth*, quæ poſtibus affiguntur; & *Tzizith*, quæ veſtibus. Idem habet Mikkotzi, *præc. affirm.* XXIII. Maimonides, halacha Tephillin umezuza. cap. IV. קדושת תפילין קדושה גדולה, *Magna eſt ſanctitas frontalium*; *quocunque enim tempore affixa ſunt capiti vel brachio hominis*, *humilis eſt*, *atque veretur Deum*, *neque indulget riſui aut inutili meditationi*, *neque animo volvit pravas cogitationes*, *ſed contemplatur mens ejus in verbis veritatis ac juſtitiæ*. *Itaque debet homo ſedulò curare*, *ut quotidie præcepto iſti ſatisfiat*, *ſic enim præceptum eſt*. *Et hoc referunt de Rab diſcipulo Rabbenu Hakkadoſch*, *quod nunquam viderint eum procedentem quatuor cubitos abſque lege*, *Zizit*, *aut frontalibus*. *Qui ſe aſſuefacit tephillin*, *is producit dies ſuos*; *quia dicit Dominus*: *propter illa vivent*. Alibi dicunt, כל המקיים מצות תפילין מעלה עליו הכתוב כאשר למד יומם ולילה, *qui obſervat præcepta de tephillin*, *de eo Scriptura etiam intelligenda*, *qui diſcit dies & noctes*. Confer Menaſſem, in Theſouro dos Duum, part. I. cap. VI.

Digitized by Google

I. cap. VI. *de Sanctitate Tephillin, he muy grande à ſantitade dos thephilin &c.* quodque *lib.* III. *de Reſurrect. cap.* I. narrat de mezuza à Rabbi Jehuda ſancto miſſâ Artabano Perſarum regi, in ἀντίδωρον gemmę valde pretioſę, quod quum miraretur Rex vilitatem cauſatus mezuzæ, reſpondit ille, *donum ſuum longe majus, atque excellentius regis gemma eſſe: quoniam gemma opus erat custode, qui eam ſervaret: Mezuza vero non item, quandoquidem hæc Dominum ſervaret, ac tueretur à pluribus incommodis; idque confirmavit verbis ſapientis. In ambulando deducet te, in jacendo custodiet te, et cum expergefactus fueris ipſa alloquetur te. Explicuere hac hunc in modum.* בהתהלכך תנחה אותך בעולם הזה בשכבך תשמור עליך בשעת המיתה והקיצות היא תשיחך לעולם הבא (*In ambulando te deducet, id eſt, cum ſepultus in ſepulchro jacebis ac requieſces; & quando expergiſceris alloquetur illa te, id eſt, in mundo futuro.*) *Cum juxta Danielem mortui reſurgent.*

Varia Judæi & ſuperſtitioſa de φυλακτήριοις ſeu loris illis tum formandis, tum geſtandis tradunt; à quo genere animalis vid. deſumenda, puro nempe, non impuro; quo pacto inſcribendæ ſectiones; quo atramento; quot & quantis lineis; cui allegandę parti, brachio, ut Phariſæi; an manui, ut Sadducæi; brachio ſiniſtro, non dextro, & plura hiſce ſimilia, de quibus Judæi, Maimonides, halacha *Tephillin oumezuza*, potiſſimum *cap.* III. Orach chajim, *eod. titulo.* Moſes Mikkotzi, *pracept. affirmativo* XXI, XXII. Menaſſe, *Theſouro dos Dinim. part.* I. *cap.* V. Apud Chriſtianos, in Lexico Talmudico, תפלה. Atque *Synag. Judaic. cap.* IV. Adde Victorem à Carbe, *lib.* IV. *contra Judæos, cap.* XXIV, XXV. Munſterum, *in Euangelium Matth. Hebraic. pag.* 326. Fagium, *in Paraph. Chaldaic. Exod.* XIII. Druſium, *de Sectis, lib.* II. *pag.* 103. Scindlerum, in *Lexico.* Cameronem, *in Matth.* XXIII. 5. alioſque in eundem locum Commentatores.

Fateor, quæſtionem hanc de formandis Tephillin, non eſſe ejuſdem cenſus, quo aliæ, quas hactenus tractavimus, neque Judaiſmi ſpectare eſſentiam, ſed appendicem aliquam ſuperſtitionis ipſorum, vulgarem quidem, non tamen minimam, ſed quâ reſecata ſuperſtitione, non neſcimus inter Chriſtianos eſſe Viros haud exigui nominis, qui cenſeant ejuſmodi aliqua φυλακτήρια ſeu טוטפות facienda Judæis ex lege fuiſſe: nobis autem ſecus viſum. Rat. I. quia de *rebus* dicitur, ut in perpetuâ memoriâ Iſraëlitis eſſent, Exod. XIII. 8, 9. *& annunciabis filio tuo die illo, dicendo, propter hoc facit Jehova mihi iſta, quum exirem ex Ægypto. Ut ſit tibi in ſignum ad manum tuam, et memoriale inter oculos tuos.* Hoc de exodo Ægy-

Ægyptiacâ, & inſtituto in ejus memoriam Paſchate voluit Deus, ut jugiter rememoraretur populus. Quod aliud eſt, quam ut verba aliqua deſcribantur, & aſſiduo exponantur obtutui. II. Nihil dicitur de ſcribenda lege, aut illis legis ſectionibus, in טוטפת, vel memorialibus. III. Non, facito tibi, vel fiant טוטפת memorialia, aut φυλακτήρια, ſed erunt illa tibi לטוטפת. exponiturque per זכרון, *memoriale*, & אות *ſignum*. Videlicet inſtitutum Paſchatis, & de primogenitis Deo conſecrandis in ſignum memoriale eſſe debuit populo beneficii ſibi a Deo quondam collati. V. In genere idem quoque dicitur de omnibus Dei præceptis, memorandis obſervandiſque, neque tamen quis opinetur omnia ligamentis aut ſchedulis inſcribenda eſſe. Sic enim Deut. VI. 6, 8. *Erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi hodie* &c. *etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ*. V. quare proverbialis eſt loquutio, denotans quam aſſidua debeat ipſis eſſe memoria & obſervantia præceptorum Dei, ideoque additum, Deut. VI. 6. *& erunt verba iſta, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo*. Cap. XI. 18. *ſed reponetis hæc verba mea in corde veſtro, & in animo veſtro, & alligabitis ea in ſignum manui veſtræ*. Atque ita Exod. XIII. 9. *ut ſit doctrina Jehovæ in ore tuo*. Quemadmodum Prov. VI. 20, 21, 22. *Cuſtodi, fili mi, præceptum patris tui, neque deſerito doctrinam matris tuæ: alliga ea cordi tuo jugiter, annecte ea faucibus tuis. Quocunque itabis, illa deducet te* &c. cap. 3. 3. *alliga eas faucibus tuis, inſcribe eas tabulis cordis tui*. De fide ſermo eſt, & benignitate. Et Cant. VIII. 6. *impone me ut ſigillum cordi tuo, ut ſigillum brachio tuo*. Similis fere loquutio eſt Job. 31. 35, 36. *Si librum ſcripſerit Adverſarius meus*, diſpeream *ſi non ſuper ſcapulam meam portarem eum, annecterem eum pro diadematis mihi*. Quare nullum habent in Scriptura fundamentum Judæorum Tephillin, maleque Chaldæus Paraphraſtes טוטפת *Exod*. XIII. 16. vertit תפלין, neque enim hoc ſunt totaphoth, niſi ex interpretatione Judæorum: propriè videtur ſignificare laminam vel ornamentum aliquod fronti inter oculos appenſum, à טוף quod *reſpexit, ſpectavit* ſignificat. Unde ductâ ſimilitudine, jubentur tali fere modo ſemper intueri, & obſervare Dei tum præcepta, tum beneficia. Quo loquendi modo cum alibi, tum *Pſalm*. CXIX. legis præcepta conferuntur cum rebus quibuſque præſtantiſſimis & delicatiſſimis. Par ratio eſt τῶν *Mezuzoth*.

Diverſa vero τῶν ציצית, *tzizith*. Quæ ſunt peniculamenta filorum, lacinia, villus, fila in extremitate telæ aut veſtis hærentia, à Deo inſtituta, *Num*. XV. 38. & *Deut*. XXII. 12. ubi jubet, ut facerent ſibi, ויעשו להם ציצית על כנפי בגדיהם לדרתם, *peniculamentum in oris veſtimentorum ſuorum*

rum per generationes ſuas. & ut adhiberent peniculamento illo, על ציצית הכנף, *filum contortum hyacinthinum*, פתיל תכלת.ad recordandum vid. legis cœleſtis. τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων. in quibus magnificandis & extendendis magnam religionis ponebant oſtentationem Phariſæi, eo nomine à Chriſto reprehenſi, *Matth.* XXIII. 5. Julius Pollux, *lib.* VII. Onomaſtici, *cap.* XIV. κράσπεδα δὲ, αἱ τελευταῖαι ὄχθαι, *ora extrema.* Unde κράσπεδον, veſtis ſacerdotalis, ad ſolum protendens κράσπεδον. τὸ ἱμάτιον τοῦ ἱερέως. παρὰ τὸ εἰς πέδον ἐγγίζειν. Et κράσπεδα ὄρους, apud Suidam. *Margines, & ima ora montis.* Jam pro Tzizith expreſſum Dei mandatum eſt, non autem pro illis, quæ ſuperſtitio illi addidit: de quibus vide Maimonidem, halach. *Tzizith.* Menaſſem, *Theſouro dos dinim, part.* I. *cap.* III. alioſque ritualium Hebraicorum Scriptores paſſim.

Quibus autem qualibuſque ritibus Judæi, & quas quotidie preces recitent (ad quas dicendas Tephillin adhibent), vel etiam per univerſum annum, in ipſorum liturgiâ, vel Seder Tephilloth videre eſt. Præcepto affirm. XIX. prout præceptorum liber ille editus à Munſtero eſt, dicitur להתפלל בכל יום *orandum eſſe ſingulis diebus. Unde qui fuerunt de ſynagoga magna, ut Ezra, Zerubbabel, & reliqui*, (ſtolidè Judæi rerum ſuarum, quas magni faciunt, origines paſſim illuſtres fingunt, & plerarumque auctorem Synagogam M.) *ordinaverunt decem & octo preces, & alias preculas dicendas cum ſingulis ſacrificiis.* (quas legere licet in rituali, Seder Tephilloth. exponitque Menaſſe, in *Teſouro dos Dinim*, pag. 54.) *Docuerunt etiam patres noſtri in oratione hos obſervandos ritus. Orandum eſſe demiſſis ad terram oculis, compoſitis pedibus, manibus ſuper cor locatis, in timore & tremore, haud ſecus quam cum ſervus Dominum ſuum orat. Eſt etiam locus quærendus, in quo nullum ſit ſtercus, præſertim aſini et gallinæ. In hac diſperſione quilibet Iſraëlita curet habere in domo ſua feneſtram, quæ reſpiciat verſus Ieruſalem, ut per eam dirigat orationem ſuam, & verſus plagam illam vertat corpus ſuum. Qui autem cæcus eſt, is cor ſuum dirigat ad patrem ſuum, qui iſt in cælis.* & quæ iſtis commatis plura.

Digitized by Google

CAP. IV.

DE IVRAMENTO.

SVper juramento, duo in Judæis reprehenſa, jurandi temeritas, & quod per creaturas jurant. Quid jurare per anchialum, apud Martialem. Concedunt, & docent jurare per creaturas. In quo errare eos graviter, & peccare oſtenditur. Juramenti ſpecies recenſent quatuor. Sermo communis quod debeat eſſe ita, vel non, confirmatus ex Judæis. Reſpondetur ad Geneſ. XLII. 15, 16. & Amos. VIII, 7.

INter illa, quæ in Judæis Salvator noſter reprehendit, præter abuſum Tephillin & tzizith, ſeu φυλακτηρίων & κρασπέδων, de quibus modo diximus, ponitur etiam *temeritas* jurandi apud Judæos pervulgata, & jurandi *per res* quaſcumque alias, per templum, altare, cœlum: quod taxat *Matth.* XXIII. 16. 22. vel, per cœlum, terram Jeruſalem, caput, quæ notantur *Matth.* V. 34, 35, 36.

nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius.

inquit Juvenalis, Satyra VI. Sed & in Judæis jurandi pruriginem notarunt Poëtæ. Martialis, lib. IX. Epigrammat. XCV.

Illud me cruciat Solymis quod natus in ipſis
Pædicas puerum, verpe Poëta, meum.
Ecce negas, juraſque mihi per templa tonantis;
Non credo; jura verpe per Anchialum.

Duo notat facinora, libidinis infandæ unum, alterum jurandi morem temeritatemque, per templa, tum per *anchialum*. Quod quid ſit, quæſitum variis fuit, Scaligero, Petito, Voſſio, Seldeno; qui poſt illos videndus in Prolegom. ad lib. *de Succeſſ. Hebræorum*. Conſtare ſatis arbitror, religioſius imponi juramentum, per quod Poëta velit pædiconem jurare, ut quo ſolo videretur tangi & conſtringi poſſe, non ita ſi juraret per templa Tonantis. Verùm ſive ſenſus ſit, חי אלא, *Chai*, vel *chi ala, vivit Deus*; an, אם חי אלא, *am chai ala, ſi vivit Deus*. an, אל, ſeu אין חי עליון, *an chai alion. non: vivit excelſus*. An, יפרע חי עלם, quod Seldeno placet, *iperan chi olam, ulciſcatur Deus vivus*. Alii, אל חי עלם, *Deus vivit in æternum*. quæ multifaria ut ſit expoſitio, huc tamen redit, quod per Deum, ejuſque nomen & vindictam concepta videatur fuiſſe jurandi formula.

Digitized by Google

Atque hoc non ex *uſu* ſolum, malâ conſuetudine, ſed ex *doctrinâ* apud Judæos obtinuit. Unde diſtinguebant juramentum per *creaturas* conceptum, an per nomen *Dei*, משביע בשמים ובארץ הרי אלו פטורין, *qui adjurat per cœlum & terram, liber eſt*. hoc eſt, quod in N. T. οὐδέν ἐστι, hac ipſa in materiâ uſurpatum, *Matth.* XXIII. 16. verum qui jurat per Adonai, Jah, Scadai, Zebaoth, per nomina Dei, aut cognomina, quæ appellant כנויים, הרי אלו חייבין, ὀφείλουσι. in Talmude *Scebuoth*. Buxtorfius in incomparabili Lexico varias formas exemplaque recenſet juramentorum Judaicorum, per vitam, caput, coronam Regis, per caput proprium; per templum, altare, cultum Dei, fidem, cælum, terram, ſolem, aliaque ſimilia, per Prophetam aliquem, per libros ſacros, legem Moſis, Decalogum, Moſem ipſum, per vitam Rabbinorum &c. Philo (quem Judæi appellant ידידיה האלכסנדרי *Jedidjah Alexandrinum*, ידידיה Hebraice eſt, quod *Philo* Græce) in libro de ſpecialibus legibus, ubi primo loco de juramento tractat, docet jurandum eſſe per patris & matris ſanitatem, aut ſenectutem proſperam, ſiquidem adhuc in vivis ſint, ſin mortui, per illorum memoriam, & non facile appellandum Deum, καὶ μὴ ῥᾳδίως ἐπιχειρεῖν ὀνομάζειν θεόν. Sed quidem illud facile licet, & per creaturas jurare? addit, in pronuntiando juramento, ubi dictum, νὴ τόν, ἢ μὰ τόν, *per hunc, aut illum*, vel, *ita me adjuvet*, non ſtatim ſubjungendum quem putamus, nedum Deum, μὴ μέχρι τοῦ ἀνωτάτω καὶ πρεσβυτάτου εὐθὺς αἰτίου, ἀλλὰ γῆν, ἥλιον, ἀστέρας, οὐρανόν, τὸν σύμπαντα κόσμον, *non mox ſupremum & ſummum Numen, ſed terram, ſolem, aſtra, cœlum, & mundum hunc univerſum*. Quaſi non vel per ſolum Deum juramentum concipiendum eſſet, utpote actus religionis ſoli Deo debitæ; & quod per creaturas hic dicimus, in Deum illarum redundaret auctorem? Certe qui per templum, per illum jurat qui templum inhabitat; & qui cœlum nuncupat, cœli connotat auctorem: nam & thronus Dei, cœlum eſt; & Ieruſalem urbs fuit Altiſſimi. Non quaſi perinde ſit, per illa an per Deum jures; ſed ne putet, an quis immunem ſe eſſe à perjurio, ſi per illa forte jurarit, & non per Deum, quia iſtam cum Deo connexionem illa habent, atque ad eum relationem.

Verùm *per creaturas* jurare omnino non licet. Quod ita probamus. Quia exſerte in lege, & in Prophetis cautum, ne per alterius, quam ſolius Dei juremus nomen. Deut. VI. 13. *Jehovam Deum tuum timeto, et ipſum colito, ac per nomen ejus jurato.* Cap. X. 20. *Jehovam Deum tuum timeto, eum colito, & ei adhæreto, ac per nomen ejus jurato.* Jeſa. XLV. 23. *per me juravi, prodiit ex ore meo juſtè verbum, quod non revocabitur, mihi incur-*

incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam. Jeſa. XLVIII. I. *Audite hoc domus Jacobi, qui vocant ſe de nomine Iſraëlis, & ex aquis Iehudæ prodierunt, qui jurant per nomen Jehovæ, et Dei Iſraëlis mentionem faciunt* &c. Cap. LXV. 16. *ut juraturus in terra, juret per Deum veritatis* אמן. Jerem. IV. 2. *quin jures, vivit Iehova.* Et Cap. XII. 16. *Et erit ſi omnino didicerint vias populi mei, jurando per nomen meum, vivit Iehova, quemadmodum docuerunt populum meum jurare per Baalem, ut ædificentur in medio populi mei.* Ex quibus colligimus. I. Præceptum eſſe manifeſtum, atque iteratum, ut juraturi per nomen Dei jurent. II. Atque per hoc ſolum, excluſis aliis. III. Quod idem comprobatur, tum Dei exemplo, tum ſanctorum. IV. Ratio etiam indicatur, quia juramentum inter partes cultus divini conſtituitur, & habetur pro actione religioſa, quare & hujus vi ac proprietate, ſoli Deo debita. Ipſo etiam Philono dicente, ὅρκος γὰρ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου. *juramentum nihil aliud eſt quam in re ambigua Dei teſtis invocatio.* V. Eſt & alia ratio, à parte creaturarum ſumta, quia nec ſcire, nec teſtari de veritate poſſunt, aut mentientes deprehendere, aut punire. Quæ omnia in eo requiruntur, per cujus nomen juremus.

Hinc etiam *temeraria* damnantur juramenta, ſive per Deum, ſive res alias concepta. Nam quod per creaturas tuto quis jurare poſſit, & hic peccans liber tamen maneat à proprie dicto in Deum, & in juramenti religionē perjurio, temeritatem illam creat. Quam ipſi Judæi non poſſunt non deteſtari, vocantes juramentum illud שבועת בטוי, quod inter quatuor juramenti ſpecies primo loco ponunt. Maimonides, in initio halachæ, vel Cod. de juramento, ארבעה מיני שבועות הן שבועת ביטוי ושבועת שוא ושבועת הפקרון ושבועת העדות, *quatuor juramenti ſpecies, juramentum temerarium, falſum, depoſiti, & teſtimonii.* Quin Aben Ezra in Decalogum, illud peccati genus taxans, inter cauſas conſtituit retardati ſc. adventus Meſſiæ. Dignus eſt, qui audiatur. Sic quidem ille loquitur, והכלל לא מצאנו, ex verſione Munſteri: *Summarie, non invenimus in decem verbis, quod in eis explicetur aliqua remuneratio, niſi de honorando parentes. Sic nec aliqua pœna taxatur, niſi ob honorem parentum, et ob idololatriam; & inanem nominis Dei uſurpationem. Sunt hic multi, qui putant non magnam eſſe tranſgreſſionem ſi quis nomen Dei in vanum acceperit. At ego oſtendam eis, quod eſt major et gravior omnibus ſequentibus exceſſibus. Nam qui eſt occiſor aut adulter, quæ quidem magna ſunt tranſgreſſiones, non poteſt omni tempore occidere aut mœchari: eſt enim in timore. Quia autem ſeipſum aſſueſecit ad vanas dejerationes.*

 commit-

committit uno die innumera juramenta : et uſque adeo venit in conſuetudinem hujus tranſgreſſionis, quod non advertit cum jurat. Et ſi tu eum corripueris: quare nunc ſic juraſti? tunc jurat quod non juraverit, idque præ nimia conſuetudine jurandi. Nam tales, antequam aliquod proferant verbum, promunt juramentum, elegantiam putantes eſſe ſermonis ſic dejerare. Cæterum ſi in Iſraël non eſſet niſi ſola iſta tranſgreſſio, ſufficeret ad prolongandam captivitatem, & augendam plagam ſuper plagas noſtras. Quid quod in ipſis legibus Romanis, D. de jurejurando l. XIII. ad pœnam de temerario juratore dicebatur, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *petulanter ne jurato.*

Viri probi ſermo debet veritate ac ſimplicitate eſſe quaſi ἐνώμοτος. Quod Salvator voluit, dicens, *ſermo veſter ſit ita, ita, non non.* Philo, ὁ γὰρ τοῦ σπουδαίου λόγος, ὅρκος ἔστω βέβαιος, *viri juſti ſermo debet eſſe inſtar juramenti.* Maimonides, *Halach. degnoth*, quod Gentius vertit, & Canones Ethici inſcripſit, cap. v. pag. 44. inquit, ſapientiæ ſtudioſum in omni negotio probe ſe gerere & ſincere, atque *de non, dicere non; de ita, ita*: אומר על לאו לאו ועל הן הן. Atque in Iad, halach. Sebuna, cap. II. וכן האומר לאו לאו שני פעמים דרך שבועה או הן הן והזכיר שם או כנוי הרי זה שבועה, *et ſi dicit bis non non ad modum juramenti; vel, ita ita, & memoret nomen Dei, vel aliquod ejus cognomen, eſt juramentum.* Quod noto, tum propterea, quod multi prava verborum iſtorum æmulatione, ex iis ipſis formam jurandi videntur facere, quæ ad evitandum juramentum data ſunt; tum ut videamus, ipſis Judæis non ignotam eſſe illam ſermonis ſimplicitatem, per ita, & non.

Prioribus forte objicietur, in Sacris aliquando legi, viros etiam ſanctos juratos fuiſſe per vitam, per caput Regis. Quemadmodum Ioſephus, *Geneſ.* XLII. 15, 16. *vivit Pharao*, חי פרעה. Reſp. Si proprie juramentum illâ loquutione contineatur, peccavit Ioſeph, & ex conſuetudine aulæ & Ægyptiorum loquutus fuit, non ex lege & religione. II. Si non juramentum, ſed gravior modo certiorque aſſeveratio verbis, extra formam juramenti, addita intelligatur, quo pacto & alios loquutos conſtat, Annam, I. *Sam.* I. 26. Abnerum, I. *Sam.* XVII. 55. Thekoitidem, II. *Sam.* XIV. 19. pluresque, nihil theſi, aut ſententiæ noſtræ repugnat, quæ de juramentis loquitur, per creaturas, aut de quovis temerario.

Quod R. David Kimhi, & Ezra, Amoſ. VIII. 7. *juravit Dominus per excellentiam Iacobi*, exponunt, quaſi Deus juraret per cœlum, valde ineptum eſt; cum excellentia Jacobi non cœlum, ſed Deus ſit ipſe. Qui per

per ſeipſum jurat, quia alium ſe majorem non habet. Ac proinde quando jurare dicitur per fidelitatem, per ſanctitatem ſuam, Pſalm. lxxxix. 50. 36. Amoſ. iv. 2. per dextram, Jeſa lxii. 8. per nomen ſuum maximum, Jerem. xliv. 26. ipſus ſemper intelligitur.

Cap. V.

de

SABBATO.

IN Sabbatho aliud morale, poſitivum aliud. Obſervatio ejus Judaica carnalis, & ſuperſtitioſa. De epulis eorum Sabbathicis. Quantum tamen iſti ſuæ obſervantiæ tribuant In quibus verò diei illius cultum conſtituat Maimonides. De itinere, de militiâ Sabbathicâ. Quod in præcepto quarto morale nos etiam obſervamus. Mutatio ejus a die ſeptima in primam defenditur. An ſolis Iſraelitis datum præceptum de Sabbatho. Inſtitutum non demum in Mara; ſed à creatione. De R. Eliezere, Capitulorum ſub ejus nomine auctore. Sabbatiſmus apud Hebræos inferior & ſuperior, ſeu terreſtris & cæleſtis. Expoſitio Geneſ. ii. 3. *Sabbathi obſervantes ſumus religioſi, quamvis Judæi hoc nolint, & ad ſabbathi obſervationem teneri alios à ſe non putent.*

IN præcepto quarto duo conſideranda, obſervantia *Sabbathi*; & ejus ad *diem* ſive ſeptimum, ſive alium determinatio. Illud perpetui & *moralis* juris exiſtimamus, ac propterea Decalogo, legis moralis ſummario, inſertum. Iſtud *poſitivi* juris eſſe, ac pendere à Legiſlatoris, ſive Dei beneplacito & arbitrio. Judæi Sabbathi quidem videntur eſſe valde obſervantes, ſed revera ſi rem propius introſpiciamus, non tam *religio*, quam *ſuperſtitio*, nec *ſpiritualis*, ſed *carnalis* eos agit reſpectus & cura. Quod ex iis, quæ mirum in modum diſputant hac ſuper re, in Cod. *Schabbath.* in *Orach chajim*, & aliis hujus argumenti libris obviis, dere licet. Atque excerpta inde, apud Auton. Margaritam, lib. *de fide Judæorum.* Buxtorfium, *Synag Judaic. cap.* x. xi. Wilhelmum Schickardum, *de jure regio*, *pag.* 145. Hulſium, *Theol. Judaic. part.* 1. *pag.* 243 *et ſeq.* Plurima conjungit Mikkotzi, Præcepto negativo lxv. *Die ſeptimo nullum opus faciendum ſed vacandum domino. Exo.* 20. *Quicquid ad acquiſitionem panis aut veſtium pertinet, id in primis prohibetur fieri, ut ſunt agricultura, ſeminatio, demeſſio, trituratio, ventilatio, commolitio, ſubagitatio & decoctio. Sic detonſio lanæ, dealbatio, carptio, coloratio &c. Non ambulandum ſuper herbam ne pedibus eam evellas, nec conſcendenda arbor, aut aliquid*

quid ſuſpendendum in eam, ne ramum aliquem frangas. Poma ſabbato decerpta comedi non debent, præſertim ſi circa caudam pomi aut piri aliquid arboris remanſerit. Non aſcendendum in equum aut aliud jumentum, ne arrodatur. indutus aquam intrare prohiberis, ne fortè veſtes humectas extergas. Mulier lactans poteſt manu detergere contractam immundiciam, ut pura veſte oret. Sic veſtis vino aut oleo madefacta exprimi non debet. Obſtructorium vaſis ſi ſit canabeum aut lineum manu imprimi non debet ſi perſtillet, præſertim ſi vas aliud illi ſit ſuppoſitum, quod decidentes excipiat guttas. Sinapi die ſabbathi non commiſcendum aqua aut vino, nec ponendum pomum ad ignem, ut illud aſſes. Non lavandum corpus ſabbato, præſertim aqua calida, ſicut & ſudor prohibetur, ſed veſpere manus, pedes & facies lavari poſſunt. Sabbatho autem nec manus lavari debent. Et quicquid publicè fieri prohibetur, id nec in conclavi licitum eſt fieri. Sunt tunc qui dicunt privatim poſſe lutum radi à veſte & quod unguibus te fricare poſſis, ſed non in propatulo. Non venandus pulex, quando hinc inde ſaltat, ſecus ſi te pungat. Reptilia quæ non coïtu naſcuntur, ut ſunt pulices, non poſſunt occidi æquè ut jumenta. Pediculi verò qui ex ſudore generantur, interfici poſſunt. Reptilia quæ mordent & interficiunt, ut ſunt muſcæ, crabrones, ſcorpiones, ſerpentes, canes furioſi, ſabbato occidi poſſunt, præſertim ſi ferantur in hominem: ſecus ſi quieti ſedeant aut fugiant hominem. Probibitum eſt legere apud lucernam, niſi duo ſimul legant. Oleum quo ſabbato utuntur in lucernis neceſſe eſt ut tale ſit quod ab ellychnio attrahi poſſit. Unde prohibentur pix, cera, pinguedo anſerum atque arietum. Poteſt tamen ex his fieri candela, qua in menſa utamur. Si incendium ſabbato incidat in atrium, nihil eripiendum eſt præter cibum qui eo die neceſſarius eſt, et præter vaſa atque veſtes quibus ſabbato opus habuerint. Poteſt & theca auferri in quo ſacer liber eſt, nec curandum ſi etiam in eadem theca pecunia fuerit, et illam ſimul aſportaveris. Sabbato navi abire non permittitur, cum natatoris ſpeciem præſeferat. Si autem triduo ante ſabbatum illam ingreſſus fueris, non opus eſt, ut ſabbato egrediaris. Curru quoque ſabbato vehi prohiberis, non obſtante, quod gentilis agat jumentum. Dare poteris cibum gentili & cani, ſed non porco. Prohibitum eſt auferre ſellam ab equo vel aſino, ſed ſolvere poteris cinctorium, & ſi tunc abjecerit ſellam tua non intereſt. Nec emitti debet pecus cum nola ad paſtum, ne foro expoſita videatur. Sic nec duo equi, aut duo aſini ſimul vincti emitti debent. Licet ſabbato exire cum charta ad collum cauſa abigendi morbi ſuſpenſa. Si gentilis propter Iſraëlitam fecit ignem aut accendit lampadem, non poterit Iſraël uti lumine illo, & igne illo, et habere commodum ex eo per quod ſabbatum eſt violatum. ſecus ſi gentilis propter ſe illa feciſſet. Et ſ

gallin

Digitized by Goo

gallina edat in die ſolenni ovum, non licet comedere illud eo die. Ob periculoſas infirmitates licet violare ſabbatum. Puerpera quoque per tres dies cenſetur periculosè infirma. Poteſt etiam mulier gravida ſi ante editum partum moriatur ſcindi, ſi ſpes ſit inveniendi vivi infantis: idem judicium eſt de infante cadente in mare, etiam ſi ſimul cum eo piſcem extraxeris non imputabitur tibi. Probibitus eſt omnis luſus inſtrumentorum, quin & non licet percutere tabulam aut ludere cum nuce aut tinnire cum nola, ut vel puerum à fletu compeſcas. Lectus ſabbato non eſt ſternendus. Non numerandum, non menſurandum, non matrimonio initiandum, ne ſcilicet ſcribere cogaris. Non domi legendum ſub hora, qua alii ad ſcholam conveniunt. Non loquendum quid emas aut vendas. Ager non viſitandus, nec hortus, ſic enim tuam & non Dei expleres voluntatem. Non currendum nec ſaltandum ſabbato, nec fabulis intendendum. Si pecus in foveam ceciderit, manibus educi non debet, ſed paſce illud ibi donec tranſierit ſabbatum. Quod poſtremum, vel æmulatione contra Chriſti doctrinam poſuiſſe videntur, vel intelligere de pecore in foveam illapſo, ſed citra periculum, ut urgente periculo educi etiam poſſit. Namque regulam alias hanc uſurpant, כפק נפשות רוחה את השבת, *dubium*, vel periculum *vitæ pellit ſabbatum*. Maimonides halach. *Schabbath. cap.* 11. Similia fere obſervant in יום טוב die feſto, quorum aliqua Munſterus exhibet, in Euang. Matth. pag. 250. *non venamur*, inquit, *piſces ex vivario in die ſolenni, ſed anſeres et gallinas quæ domi habentur licet venari. Non ſufflamus ignem per follem, cum id ſimilitudinem habeat operis artificis, ſed per cannam concavam licet. Et cum quis facit ignem, & apponit ollam aut caldarium, neceſſe eſt ut ſollicitus ſit quomodo ordinet ligna, ne congeries eorum ſimilis ſit ædificio. Probibitum eſt quoque in die ſolenni, ne aliquid aliud coquas, quam quod neceſſarium ſit pro illo die. Non licet facere caſeum in die ſolenni, neque tondere holera, quæ in ipſis diebus cultro comminuas. Licet facere rogum calefaciendi gratia, & apud quem aqua calefiant ad lavandum pedes, ſed non totum corpus. Ovum natum in die ſolenni prohibitum eſt contingere, multo minus licet illud comedere, etiam ſi dubium num natum ſit in die ſolenni aut prophano, adhuc prohibitum eſt: quin & ſi mixum ſit inter mille, omnia ſunt prohibita. Qui autem mactat gallinam et invenit in ea ova perfecta, illa licita ſunt. Tenetur homo in die ſolenni eſſe bono et læto corde, ipſe et uxor ejus atque filii ejus, et omnes qui ſunt illi addicti, quiſque juxta quod ſibi competit, puta parvulis dat pulmenta & nuces atque poma: pro uxoribus autem emit veſtimenta & monilia ſecundum facultatem ſuam &c.* Scilicet in carnalibus ejuſmodi delitiis, ornamentis, & voluptatibus honorem ſab-

bathi conſtituunt. Mikkotzi, Præcepto affirmativo XXX. לשבות, *Ceſſandum ab opere ſervili in die ſeptimo. Tunc enim quæri debet gloria & voluptas ſabbathi, nempe ut tunc aliam geſtes veſtem, quam in die prophano. Et ſi non habes mutatoria, ſaltem demiſſiorem facias togam tuam, ut aliter ſabbato quam alio die veſtitus videaris. Neceſſe etiam eſt ut ante ingreſſum ſabbati menſa ſit præparata, lectus ſtratus, & lucerna accenſa. Voluptas ſabbati in hoc conſiſtit, ut comedas carnem & piſces, & bibas vinum, et quiſque juxta facultatem ſuam deliciis vacet. Et prohibitum eſt ne ſabbato ultra ſex horas jejunes.* Quin, quia Sabbathum deliciis & epulis peragere è re & honore Sabbathi videtur, diſputant an ter, an quatuor epulandum iſto die ſit. Communiter tenent תנו רבנן, ter epulandum: at R. Chiddaka dixit, R. Jochanam docuiſſe, quod quater. Et utriſque eadem inſervit Scriptura, vid. Exod. XVI. 26. *Dixit Moſes, comedite illud hodie, nam ſabbathum Domini hodie, hodie non invenietis cibum illum in agro.* Quia ter hic dicitur hodie, toties die illo epulandum cenſent. Verùm R. Chiddaka hoc explicuit, ita quidem eſſe, ſed cœnâ exceptâ. Ut nunquam non ingenioſus venter eſt! Pergit R. Simeon, filius Paſi, aſſeritque R. Ioſuam, f. Levi dixiſſe nomine bar Kaphra, quod quicunque ter pranderet in Sabbatho, evadat iſthoc pacto tria graviſſima mala, dolores Meſſiæ, judicium gehennę, & bellum Gogi, ac Magogi. Ratio apodictica, quia de tribus illis, ſuis in Scriptura locis, dicitur היום hodie, quod occurrit illo, quem ſtatim diximus, loco, *Exod.* XVI. 26. De Meſſia, יום *Dies Domini veniet. Mal.* IV. 1. de gehennâ היום dictum interpretantur *Zach.* I. 15. & de bello Gogi, item quo *die* יום Gog contra terram Iſraelis venerit, *Jezech.* XXXVIII. 18. Atque illa in Talmude, Cod. *de ſabbato*, *cap* XVI. Atque ex Mehilta, Menaſſe adfert, *lib.* II. *de Reſurrection.* cap. VII. אם תזכו, *ſi obſervantes Sabbatum mereamini, tum liberabimini ab infortuniis, ex die Gog & Magog, afflictionibus Meſſiæ, et à die judicii magni.* Ut ne dubites ſcilicet, quin gravem ſatis cauſam habuerit R. Joſe precandi, ſibi ut ſors contingeret æqua cum illis qui ter Sabbato epularentur! Atque ſic interpretantur illud *Jeſai.* LVIII. *verſ.* 13. quod Sabbathum dicitur ענג *voluptas*, lætitia, *ſi Sabbatum appellaveris lætitiam.* Verùm omittunt id quod mox additur, ענג *lætitiam ad ſanctificandum Dominum.* Et quia in voce ענג deficit ו littera ſenarii, inde colligunt miro artificio, non oportere Sabbatho jejunium protrahi ultra ſex horas.

Huic tamen ſuæ obſervantiæ Sabbati tantam attribuunt vim, ut dicant, Præcepto affirm. XXIX. Satanam & cacodæmones ſub Sabbathi initium ad montes

montes confugere tenebricoſos, abhorrentes ſcilicet diei iſtius, & Iudæorum ſanctitatem; verùm mox ut tranſivit, redire. Aliàs dicunt, unde quam ſibi conveniant, liquet, Iudęos finito in Synagogá officio veſpertino domū conduci à duobus Angelis, bono uno, altero malo & ſiquidem in ædibus omnia bene ordinata deprehendantur, candela ſabbathica ardens, ſtrata menſa, lectus &c. Angelum bonum benedicere, cui malus cogatur ſuccinere amen; è contrario omnia, ubi res ſecus ſe habuerit. Quemadmodum de Tephillin, uti ſupra audivimus, ita & de Sabbatho ſuo pronunciant, ejus obſervantiam æquiparari poſſe obſervantiæ totius legis: & illud qui modó ſervarit, condonari ei peccata omnia, etiamſi idololatriam commiſiſſet. Unde illud: הכופר בשבת כאילו כופר בכל התורה כולה, *qui negat Sabbathum, eſt ac ſi neget legem integram.* Imo ajunt, ſi Iudæi modo unum Sabbathum probè tranſigerent, mox advolaret Meſſias. Ut cauſa tardantis adventus etiam conjiciatur in diei iſtius profanationem. Quin ſi primum Sabbathum Iſraelitę rite ſervaſſent, nunquam ei dominaturam fuiſſe gentem extraneam, audacter pronuntiant. Atque iſtius furfuris complura.

Cæterum ſerius magis & ſanior Maimonides, qui deliria ſuorum cavenda ſibi prudenter exiſtimavit, Sabbathi obſervantiam duobus complexus præceptis fuit, altero *affirmativo*, מצוה עשה; *negativo* altero לא תעשה: illudque in duo ſcite diſtribuit, in diei *quietem* לשבות; & *ſanctificationem*, לקדוש. quippe ita dictum, recordare diei השבת לקדשו, *Sabbathi, ad ſanctificandum eum.* Quod Joſephus dixit, τὴν ἑβδόμην τῶν ἡμερῶν ἀνιέμενοι τῇ μαθήσει τῶν ἡμετέρων ἐθῶν καὶ νόμων, *Septimo die vacantes perdiſcendis uſibus & legibus noſtris operam damus.* Præcepta negàtiva Maimonides ponit tria, I. ne *opus* illo die quis faciat, מלאכה II. nec inſtituat *iter*, לצאת חוץ. III. vel quempiam afficiat *mulcta*, שלא לענוש. Hæc אבות, & ſummaria præceptorum capita ſunt: quæ in infinitas ſpecies ſpecialiſſimas, & ſtirpes, quaſi תולדות iterum diffindunt. Quod de itinere Sabbatho non inſtituendo dictum, Magiſtri ὁδὸν σαββάτου תחום השבת definierunt ad bis mille cubitos, extra civitatem ubi quis vadit. Præcepto negat. LXVI. *Sabbatho extra ſtatutum terminum non eundum. Exod.* XVI. *Scribæ ſpatium bis mille cubitorum extra urbem taxaverunt, quandoquidem lex nullum præſcripſit terminum. Intra civitatem vero licet quo vis ire, etiam ſi ſit tam magna ut Ninive.* Male Munſterus אלפים vertit *mille*, quum duale ſit, & *bis mille* cubitos notet. vide de itineris Sabbathici menſurâ, poſt alios, Seldenum, lib. *de jure Naturali Hebræorum*, *lib.* III. *cap.* IX.

 Non

Digitized by Google

Non mulctam irrogabant alicui, die Sabbathi. neque inferebant bellum olim, nec ſe contra aggreſſores facile tuebantur. Quod periculo ſuo edocti mutarunt, quando ſub Antiocho acrem paſſi perſequutionem, in ſpeluncas ſe abdidiſſent, & die Sabbathi nec repugnantes, & ne quidem ſpeluncarum ora obturantes, cum uxoribus liberiſque, quaſi diei religione præpediti, ne quid facerent operis, miſere ſuffocati fuerunt. Quare Matthias oſtendit, neceſſitate adactis præliandum etiam eſſe, ni ſe, omniaque ſimul & ſemel perdere conſtituiſſent. Quod & perſuaſit, & manſit inde apud illos, καὶ σαββάτοις εἴποτε δεήσειε μάχεσθαι, *etiam Sabbatis, ubi neceſſitas poſtularet, bellare.* Joſephus, Antiq. lib. XII. cap. VIII. Unde de illis Agatharcides Cnidius ſcripſit, referente Ioſepho, libri iſtius cap. I. & contra Appionem primo, quod dum propter ſuperſtitionem gravabantur arma ſumere, gravem Dominum recipere coacti ſint. Ionathas verò hoſtium arma, ſe etiam Sabbathi diȩ aggredientium, valide retudit, Antiq. lib. XIII. cap. I. ſic & alii. ſed quamvis pro ſe & vita pugnare Sabbato conceſſerint, noluerunt tamen ipſi hoſtem adoriri, vel etiam munimenta quæ illo die is ſtrueret, deturbare aut demoliri. ὑπὲρ μόνου γὰρ τοῦ σώματος ἀμύνονται καὶ τοῖς σάββασι. lib. I. de Bello, cap. v. & Antiq. lib. XIV. cap. VIII. Hoc obſervavit Pompejus, in expugnatione urbis & templi, ne Sabbathi die illos laceſſeret prȩlio, ſed quidem aggerem extrueret aliaque poſtridie oppugnandis illis apta, quæ deſtruere Sabbatho Iudæis nefas videbatur. Unde Ioſephus: *ſed niſi patrius nobis mos eſſet per otium ſeptimum quemque diem exigere, non potuiſſent abſolvere aggerem vetantibus adverſariis. Prohibere enim vim inferȩntes lex permittit, ſed opus facientem hoſtem impedire nos non ſinit. Quod ubi animadverterunt Romani, Sabbatis neque eminus inceſſebant telis Judæos, neque manus cum eis conferebant, tantum erigebant aggerem & turres machinaſque admovebant, ut eis poſtridie adverſus nos uti poſſent.*

Verum illis miſſis, neque nos Chriſtiani dicimus, non obſervandum Sabbathum eſſe: quin ejus obſervantiam, ex præcepto quarto, urgemus nobis eſſe quoque neceſſariam, ſitamque in *quiete*, & *ſanctificatione* diei. Quod autem lex ſeptimum deſignat diem, hoc ad *circumſtantiam* præcepti pertinet, non *eſſentiam*; & *poſitivi* juris, non *morale* eſt; non fundatum in æquitate *naturali*, ſed à mero pendens *arbitrio* Legiſlatoris, ex quo variabile ac mutabile illud eſt pro re natâ. Iam morale præcepti quodcumque, id eſt, ut juſtum cultui divino tempus ſanctificetur & dies (an aliquis ex hebdomade, ſeu ſeptenario dierum orbe, nunc non inquiro;) mane-

Digitized by Google

manere, & nobis etiam ſervandum, atque perpetui juris eſſe, arbitramur. Sed determinatio diei, an ſeptimæ, an primæ, vel alterius, ex Dei nutu hæret, ac Meſſias, pro eo quod Deus, quod Meſſias, diſponere potuit, & rem variare. I. Eſt enim Dominus Sabbathi Meſſias. II. Sabbatum Iudaicum pro illo populo fuit, quod ad diei iſtius diſcrimen. Hinc multis in locis additur, quod obſervandum fuit in generationibus ipſorum. de qua loquendi formula diximus, ubi de legis Moſaicæ obſervatione. Adeo ut quando populorum & nationum diſcrimen auferendum fuit, quod debuit cum Meſſia, cumque vocatione gentium, monumentum illud diſtinctionis Judaicum auferri quoque debuerit, in ſeptimo Sabbathi die quod erat. Denique, ad hominem, Iudæi dicunt, ſaltem illorum plurimi, Sabbatum ſolis datum fuiſſe Judæis, non aliis, atque ad ejus obſervantiam ſe ſolos obſtrictos, non gentiles, non cœteros homines: ergo mirum ipſis videri minime debet, quod nos illud, quod ad diei iſtius circumſtantiam, non obſervamus. In Rituali, precatione Sabbathicâ, quam inde à viris Synagogæ magnæ, atque temporibus Ezræ repetunt, inter alia dicunt, ולא נתתו יי *& non dediſti illud* Sabbatum *Domine Deus noſter Gentibus terræ, neque hæreditate illud dediſti Rex noſter idololatris, & in requie ejus non habitabunt impii, quoniam Iſraëli populo tuo dediſti illud ex amore erga ſemen Jacobi, quod elegiſti.* Præceptum de Sabbatho, dicunt, Iſraeli datum fuiſſe in Marâ quando diverterent, poſt exodum ex Ægypto. Sic interpretantes paſſim illud Exod. xv. 25. *ibi poſuit ei ſtatutum et judicium*, שם שם לו חוק ומשפט. Decem præcepta, inquiunt, Iſraëlem accepiſſe in Marâ, ſeptem Noachica, quibus tria adjecta, de judiciis, Sabbatho, & honore parentum. Sanhedrin Cl. Cocceji, pag. 268. Maimonides, More Nevoch. part. III. *cap.* XXXII. *Primum præceptum, quod poſt exitum ex Ægypto datum eſt, fuit illud, quod in Mara accepimus, quando dictum nobis fuit, ſi audiendo audieris vocem Domini Dei tui &c. Ibi poſuit ei ſtatutum & judicium. Et certa quædam eſt cabala, quâ dicitur, Sabbathum et judicia in Mara imperata. Statutum, cujus ibi mentio, Sabbathum eſt; præceptum ſunt judicia.* In Seder Tephilloth pag 4. שבת ודינין נתן לנו במרה ובהר סיני הנחילנו התורה, *Sabbathum, et judicia dedit nobis in Mara, atque ad montem Sinai in hæreditatem dedit legem iſtam.* Quin præceptum illud de Sabbato volunt, Iſraeli non fuiſſe publice traditum, inſtar reliquorum præceptorum; ſed privatim: ut doceant, Iſraelitis proprium illud eſſe, neque ad alios ſpectare: quemadmodum circumciſio, & Tephillin, quibuſcum illud de Sabbato comparant. Uti nec extraneus, nec

 Genti-

Digitized by Google

Gentilis, ad obſervantiam diei iſtius teneatur, vel conſtringi queat, verum tuto liceat illo die operari; neque ad quietem cogi, etiam ſi inter Iſraelitas habitet, ſitque proſelytus non juſtitiæ aut religionis, ſed domicilii duntaxat & habitationis, poſſit. Quin quod ejus opere ſabbatico uti etiam Iſraelita poſſit, modo ſponte ſua, & non ab Iſraelita conductus aut invitatus, vel intentione in Iudæi commodum laborarit, uti expers plane legis iſtius, & obligationis. Sic quidem illi, qui ſabbatum inſtitutum in Marâ dicunt. Sed uti apud Chriſtianos, ita apud illos quoque controverſum ſabbati inſtitutum, unde, & quando cœperit, an poſt Exodum, & in Marâ; an ſtatim à creatione: an particulare Iſraelis; an vero univerſale generis humani ſit, à primordio mundi? Alii enim, Iudæorum quoque, initium & inſtitutionem Sabbathi repetunt à primâ mundi ætate, ſignificatumque dicunt, Geneſ. 11. 2. *et perfecit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecit, & quievit die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod fecerat.* 3. *& benedixit Deus diei ſeptimæ, et ſanctificavit eum, quia eo requieverat ab omni opere ſuo quod crearat Deus ad faciendum.* Certe quidquid hac de quæſtione pronuntiandum, totum hoc nititur loco, neque multum adeo hac in re authoritates poſſunt, tum contrariæ inter ſe, tum longiſſime omnes infra ætatem illam ſubſidentes, & rationis nihil adferentes, niſi quod ex illo petitum ſit loco. De quo, ejuſque vi, & ſenſu æque pronuntiare nos poſſumus, & alii ſemper, ac omnes, quorum ſententiæ pro inſtitutione Sabbathi inferiori adferuntur. Menaſſe, quæſtionem hanc tractans, Problem. VIII. de Creatione, *An obſervatio Sabbati tantummodo locum habuerit inter Hebræos, an vero ea etiam communis fuerit omnibus gentibus? et quando cœperit illa ceremonia?* Reſpondet: *Nonnulli ex antiquis ſapientibus, quibuſdam in locis aſſerunt, Sabbathi obſervationem ſolis Iſraëlitis juſſam eſſe.* Tum diſtinguit, ſolos Iſraëlitas teneri quidem ad diei iſtius obſervationem & cultum, ſed reliquos tamen etiam ad fidem ejus quod Sabbatho denotatur, id eſt, creationis mundi, & diei Sabbathi recordationem; itaque illis poſitum שמור *obſervare*, his זכור *recordari* diei. *Licet omnes non obligentur ad cultum Sabbathi: nihilominus tamen omnes tenentur credere illud, quod Sabbathum ſignificat, atque idcirco etiam recordari illius diei. Nam propterea arbitror, cum præceptum Sabbathi datur duas diverſas voces uſurpari in Decalogo: in Exodo enim dicitur* זכור *Recordari diei Sabbathi: ſed in Deuteronomio* שמור *Obſervare diem Sabbathi: nam Iſraëlitæ ſunt obligati ad obſervandum Sabbathum: reliqua vero nationes, ut ejus recordentur; et hujus recordationis reſpectu eſt generale præceptum.* Deinde ait, obſervatum à Patribus

Sabba-

Digitized by Google

Sabbathum fuiſſe longe ante Exodum, ab Abrahamo, Jacobo, Moſe, aliis.

Nunc ſolum reſtat nobis explicandum, an Sabbatum fuerit obſervatum ante latam legem, on vero poſt latam legem tantum? Dico itaque quemadmodũ traditio creationis mundi penes Abrahamum, & ejus poſteros tantum fuit, ita etiam ex dictamine legis naturalis, Sabbathum ab iis ſolis cultum fuiſſe. De Abrahamo dicit S. Scriptura, Obſervavit cultum meum: quo loco cuſtodia Sabbathi intelligitur. De Jacobo idem affirmant veteres ex eo loco, quo dicitur, veniſſe ad Salem, & caſtra poſuiſſe è regione vel ad conſpectum civitatis. Quia enim Sabbathum (inquiunt) inſtabat, non licebat ei ulterius proficiſci, ſed ſubſiſtebat ante urbem. Idem aſſerunt de Joſepho, quando dicitur juſſiſſe ſervis ſuis ut mactarent & præpararent, id propter Sabbathum ab eo factum fuiſſe. Ad hæc refertur in Semot Raba, Moſem petiiſſe à Pharaone in Ægypto, ut afflicto populo permitteret unum diem ceſſare à laboribus, eoque impetrato, ex traditione elegiſſe Sabbathum. Ex his omnibus colligitur, Sabbathum ante datam legem obſervatum fuiſſe. Dum *quoſdam* Veterum dicere, ait, in Mara Iſraelitis præceptum Sabbathi datum; & ſolis Iſraelitis Sabbati obſervationem juſſam fuiſſe, à *nonnullis* modò Antiquiorum doceri; ſatis aperte teſtatur diſcrepantes hac ſuper re, ſuorum ſententias. R. Eliezer, cujus habentur Capitula illa, quæ tranſtulit Guilj. Vorſtius, non ille, uti vulgò Judæis creditum, Hyrcani filius, R. Gamalielis (qui Pauli Apoſtoli præceptor fuerit) affinis, uti Morinus cenſet, *Exercit. in Pentateuchum Samaritanum*, pag. 38. (vide Buxtorf., in Lexico פרקים) ſed multo recentior, quamvis pro more ſatis Judęis conſueto, antiquiori nomini illum librum poſteriores inſcripſerint, (Buxtorfius, in *Abbreviaturis, pag.* 193 Vorſtius, in *Præfatione.*) quin Samuel Petitus *Variar. Lection. lib.* II. *cap.* IV. eum ſęculo Conſtantini, ſive poſteriori etiam, vix iſſe judicat. ille (dico) Eliezer, cap. XXVIII. inquit, *Deus benedictus noluit diem Sabbathi hæreditate relinquere niſi Iſraeli,* לא רצה להנחיל אלא לישראל & cap. XIX. ait, Adamum hora diei ſeptima, veſperâ Sabbathi, ingreſſum hortum Paradyſi, quem Angeli comitati, & laudibus atque encomiis proſequuti fuerint. eodemque die, inter occaſum ſolis, eo propter peccatum expulſum, Angelis acclamantibus, *Adam cum in honore eſset, non intellexit, ſimilis factus eſt jumentis.* Pſalm. xlix. 21. Adveniens dies Sabbathi, pro homine interceſſit, atque factus ejus advocatus סניגור (quod eſt Græcum συνήγορος; cujus contrarium, קטיגור κατήγορος accuſator. Buxtorfius, in Lexico Talmudico. David Cohen de Lara, in lib. *de Convenientia Vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis*) dixit Deo: *ſex diebus operationis nulla facta eſt in mundo internecio,* ואי את׳ מתחיל *& num jam hoc incipies?*

cipies? Hæc illa diei ſanctificatio & benedictio. *atque per meritum diei ſabbati liberatus eſt Adam à judicio gehennæ. Quare videns Adam efficaciam diei Sabbathi, dixit: non fruſtra benedixit Sanctus ben. diei Sabbathi, eumque ſanctificavit; incepit Pſalmiſta atque cecinit de die ſabbathi, juxta illud: Pſalmus cantici in diem ſabbathi. R. Iſmael inquit: Aſſerunt hunc fuiſſe Pſalmum primi hominis, ſed illum oblivioni traditum fuiſſe ab omnibus ætatibus, donec venit Moſes, atque illum renovavit vel in memoriam revocavit, ſic dicitur: Pſalmus cantici ad diem ſabbathi; ad diem, qui totus eſt ſabbathicus & quies in vita futuri ſæculi.* ליום שכלו שבת ומנוחה לחיי העולם הבא. Ita Hebræi duplex dicunt Sabbathum, *inferius*, שבת של מטה, quod in hac vitâ obſervant; & Sabbathum *ſuperius*, quod in vitâ alterâ, של מעלה עליונה. *καλέπαυσιν* cæleſtem nominat Apoſtolus, ad Hebræos, cap. IV. Hinc Judæi, in Rituali, Seder Tephilloth, pag. 4. ואחר מות הצילנו מלהבת להתערן בגן ערן עולם שכלו שבת, & *poſt mortem liberabis nos ab igne, ut deliciemur in Paradyſo in perpetuum pleno ſabbato.* Porro apud Eliezerē, totius *Pſ.* XCII. quaſi ab Adamo compoſiti, & ex ejus mente, occurrit paraphraſis. Verùm hoc omiſſo, & conſiderantes illud unum quod hoc in loco expendi debet, dictum *Geneſ.* II. 3. de Sabbathi ſanctificatione, atque mittentes teſtimonia & auctoritates ſive pro hac, ſive illa ſententia, etiam quæ hunc in finem ex Joſepho, & Philone adduci ſolent, de quibus, ex ſenſu Iudæorum diſputat Seldenus, *lib.* III. *de jure Nat. Hebræorum*, nos exiſtimamus, pro tam brevi hiſtoriâ primi & antiquiſſimi ſæculi, ac in ſolis primis hiſtoriæ Sacræ capitibus extat, ſatis multum dici pro inſtituto tum & ſanctificato in uſum ſacrum ſabbatho. Neque enim illa verba ויברך ויקדש *& benedixit, et ſanctificavit diem illum*, commode aut plene, de Dei quiete, quam iſto die cœperat, intelligi poſſunt. Dei quies ſignificatur in ſubjuncta ratione, *quia eo die quieverat ab omni opere ſuo.* Et verba illa ſunt inſtitutionis. Quod denique in Decalogo repetitum, confirmatumque. Ut cauſa illa hic allata ſit eadem, quæ tum, & à primordio mundi obtinuit, atque recentiſſima tum erat. Neque improbabile, Patres illius ævi habuiſſe etiam diem cultui ſacrum. Quod nec ipſi diffitentur, qui in aliam tamen eunt ſententiam. Joh. Stephanus Menochius, lib. III. de Rep. Hebræor. cap. I. *Quamvis nullum ante legem fuiſſe dicamus præceptum de Sabbato colendo, non eſt tamen improbabile per Dei inſpiritationem initio poſt exilium à Paradiſo huic diei honorem habitum per ceſſationem ab operibus, ſuadente etiam humana imbecillitate aliqua quiete labores interrumpere, et religioſa pietate otium illud Deo dicare.* Prolepſin verò ponere in ullis Moſis verbis,

Digitized by Google

verbis, quaſi per anticipationem ad hiſtoriam de creatione dicantur quę longe poſt contigerunt, & quod poſt Exodum demùm in Mara inſtitutum ſit, durum nimis mihi videtur, inſolens, atque non neceſſarium. Neſciens, cur ad contrariam ſententiam vel authoritates, verba inflectamus ſacra, quam ut è contrario potius ſententias omnes Doctorum, ſive Judaicorum, ſive Chriſtianorum, cedant auctoritati illi divinæ, quæ in noſtrum ſenſum planius faciliuſque ut loquitur, ita ut & ac cipiatur par eſt.

Atque hinc eſt, & ex Decalogo, quod nobis etiam Chriſtianis ſabbatum obſervandum ducimus, confirmatum doctrinâ & exemplis Euangelicis. In hoc ipſis Judæis religioſiores, qui docent quidem nos nullâ lege vel religione Sabbathi teneri, ſed quos & hac ipſa in re confundimus ac ſuperamus, quod ſabbathum, non quidem carnali vel ſuperſtitioſâ, quod ipſis ſolemne, ſed ſpirituali ratione ac cultu tranſigendum exiſtimamus. Diem verò illum ſeptimum mutatum cum œconomia N. Teſtamenti in primum, nihil illius cultui intercedit vel obſervantiæ. Deo, quando ultimam deſtructionem urbi, templo, populoque induxit, ipſo illo die ſeptimo, quemadmodum eo id tempore factum Eruditi oſtendunt, ſignificante finem diſcrimini & ſanctitati populi, ſacrorumque quoad locum, & tempus, adfuiſſe. Ut nihil quidem hac in parte nobis quod objiciant reliquum Adverſariis ſit. Quo de videri etiam poteſt Frid. Spanhemius, *Part* III. *Euang. Dub.* CXIV. *& ſeq.*

Cap. VI.

De

Polygamia, & Repudio.

P*olygamia ab antiquo Iudæis frequentata & probata. Legibus Chriſtianis prohibita. Fæminarum aliæ ipſis uxores, concubinæ aliæ; & hæ non unius generis aut conditionis, vel ingenuæ, ſervæ, vel extraneæ. Diſcrimen quod faciunt inter uxorem, & concubinam. Quæ uxoribus debeant. Quomodo eas acquirant. Matrimonii ineundi præcepto omnes obligant. aliter Eſſenorum aliquis ordo, conjugia faſtidiens. Argumentis oſtenditur, polygamiam contra legem eſſe. Contra primam conjugii inſtitutionem. Exponitur* Levit. XVIII. 18. Mal. II. 14. 15 *Occurritur objectionibus.* II. Sam. XIII. 8. *Similis ratio repudii. Diſputatio Hillelitarum & Sammaitarum, ævo Chriſti, ſuper divortio, ejuſque cauſâ. Quid* ערוה דבר Deut. XXIV. 1. *De libello, & formâ repudii. Ipſum autem illicitum*

 fuiſſe,

fuiſſe, probatur, ex primâ conjugii ordinatione. Malach. II. 15. *Et vitæ conjugalis naturâ, ac commodis. Reſpondetur ad Moſis legem, vel conceſſionem, de libello repudii.*

PRæcipua juxta Decalogum capita percurrimus, in quibus cum Judæis celebriores nobis ſint controverſiæ: ne hæc etiam in Syntagmate quæſtionum, quod inſtituimus, Judaicarum merito quis deſideret: ſaltem ut loca ſua ſingulis aſſignemus, quæque principaliter in rem dicenda videntur, ne prorſus prætereamus. Ad ſeptimum autem Decalogi præceptum, quo vetatur omne adulterium, fornicatio, & turpitudo, de Judæorum *Polygamia* diſputandum, & *Repudio*, annon in legem iſtam incurrant? cum enim unumquodque præceptum ita exponi debeat, ut non modo expreſſum ejus caput, quod ibi memoratur, ſed quæcunque ad iſtam ſive virtutis ſive vitii ſpeciem referuntur, eo contineri merito arbitremur, quæritur, an ſub præcepti illius ſeptimi vi, & prohibitione לא תנשה etiam non veniant ea quæ jam deſignavimus facinora, Judæis perquam familiaria? Sic ab antiquo Judæi Polygamiæ ferè aſſueti fuerunt, & non tam ipſorum canones, quam Chriſtianorum leges illos noſtris in Rebuſpublicis coërcent, ne id agant quod libitum ſibi, aut permiſſum putant. Primi legem, quâ conſtringerentur, poſuerunt Impp. Theodoſius, Arcadius, & Honorius, ſub a CCCXCIII. C. de Judæis & Cælicolis, l. 7. ne quis *Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineret, nec juxta legem ſuam nuptias ſortiretur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniret.* Unde & ipſi poſtmodum ſanxerunt, ut pro ratione locorum ubi degerent, & ſecundum leges quæ illic obtinerent, non niſi unicam ducerent uxorem. Cæterum de more & ſtatutis priſcorum, Joſephus, Ἀρχαιολογ. lib. XVII. cap. II. ſcribit, πάτριον γὰρ ἐν ταυτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. *mos enim nobis eſt patrius, plures ſimul uxores habere.*

Fæminas habent duum generum, *uxores* נשים; & *concubinas*, ſeu pellices פלגשים. פלגש, quaſi פלג איש dicunt, quæ *dividit virum*, פלג eſt, dividit: eo quod diſtrahant pellices mariti animum & affectum ab uxore; vel, quod dimidiata ſit uxor חצי אשה. illa eſt juſta uxor, quam adhibitis ſolemnibus ducunt, ἀστὴν vocat Philo; iſtam, παλλακήν. Et pellicum, vel פלגשים mentio crebra, ubi de Patriarcharum, & Regum uxoribus, vel fæminis. Geneſ. XXV. 6. & XXXV. 22. & XXXVI. 12. II. Sam. III. 8. & V. 13. & XXI. II. I Reg. XI. 3. Concubinæ, quantum colligo, erant trium generum: *ingenuæ*, ac Iſraeliticæ; *ſervæ* השפחה; vel *extraneæ* הנכרה; & harum magna ab illis erat diſcrepantia: nam cum illis legitimum contrahebatur matrimo-

matrimonium, & liberi ſuccedebant in hæreditatem, non ita harum liberi; ſecus ac multis viſum, qui omnium concubinarum liberos excludunt ab adeundâ patris hæreditate, ſed male, uti obſervatum Seldeno, lib. *de ſucceſſionibus Hebræorum*, *cap.* III. Verùm in hoc differentia juxta communem ſententiam erat uxorum, quas ἐξόχως appellant, & concubinarum, quod illæ ſolemniter ducebantur, pactis *dotalibus*, & *deſponſatione*. *legitimis pactam junctamque tabellis*, dixit Juvenalis. Sic Hebræi, נשים בכתובה ובקידושין פלגשים בלא כתובה ובלא קידושין, *uxores fiunt ſcriptis, ſeu tabulis dotalibus, & deſponſatione* (alii accipiunt de *ritibus nuptiarum*); *concubina neque his, neque illis*. Conveniunt in hoc omnes, concubinam acceptam fuiſſe citra tabulas dotales בלא כתובה; an etiam בלא קדושין ſine deſponſatione, diſſentiunt Selomo Jarchi, & Abravanel, exiſtimantes, concubinam etiam cum deſponſatione ductam fuiſſe. De quo vide Buxtorfium, lib. de *Sponſalibus, & Divortiis*, *pag.* 11. 12. Quidquid ſit, non obſervabatur ea in ducenda, vel accipiendâ concubinâ ſolemnitas, quæ in uxore legitimâ. Unde exurgebat diſcrimen etiam aliud *honoris*, qui uxori, præ concubinâ, à marito deferebatur. Quare cum tria uxori cuicunque maritum debere Magiſtri doceant, *alimentum, indumentum, & concubitum*, præcepto negat. LXXXI. hic & *honorem* addunt. Præcepto affirm. XLVIII לקדש אשה, *ducitur uxor*, *argento* בכסף; vel בשטר *ſcripto*; vel denique בביאה *concubitu*. Pecuniâ: ſed hic de ſummâ diſputant, quâ uxor acquiratur. Secta Sammai dixit, בדינר *denario*, vel ejus æquivalente. Hillel, בפרוטה, *pruta*. Sic etiam Mikkotzi. At quanti valet *Pruta?* eſt pruta *argenti* alia, alia æris. Hic argenteus nummus, valde exiguus, cujus pondus, dimidium grani hordeacei. Sic exponendum משקל חצי שעורה, non uti Munſterus in præcepto illo vertit, *dimidium ſicli*. בשטר, ſcripto, tabulis matrimonialibus uxorem quis acquirit ſibi. Denique concubitu: nam lex dicit, כי יקח איש אשה ובעלה Deut. XXIV. 1. *Quando vir acceperit mulierem & duxerit eam*, & maritarit eam, vel congreſſus fuerit cum ea. Hoc quamvis licitum cenſeant juxta legem, hodie tamen, propter honeſtatem, eo non utuntur, ſed duobus duntaxat illis acquirendi modis. Quæcunque aliquo iſtorum modorum juncta alicui, ejus uxor evadit, cui tenetur facere decem, *tria ex lege, nempe cibum, indumentum & concubitum, & ſeptem ex Scribarum decreto, nempe quod infirmatam curet, captivam liberet, mortuam ſepeliat, cibetur de bonis ejus, & ſedeat in domo ejus quam diu vidua manſerit, & filiæ quas ab illo ſuſcepit nutriantur ex paternis bonis donec maritos duxerint.* Omneſque præcepto adigunt ad matrimonium Judæi. *Monet lex in quatuor*

fuiſſe, probatur, ex primâ conjugii ordinatione. Malach. II. 15. *Et vitæ conjugalis naturâ, ac commodis. Reſpondetur ad Moſis legem, vel conceſſionem, de libello repudii.*

PRæcipua juxta Decalogum capita percurrimus, in quibus cum Judæis celebriores nobis ſint controverſiæ: ne hæc etiam in Syntagmate quæſtionum, quod inſtituimus, Judaicarum merito quis deſideret: ſaltem ut loca ſua ſingulis aſſignemus, quæque principaliter in rem dicenda videntur, ne prorſus prætereamus. Ad ſeptimum autem Decalogi præceptum, quo vetatur omne adulterium, fornicatio, & turpitudo, de Judæorum *Polygamia* diſputandum, & *Repudio*, annon in legem iſtam incurrant? cum enim unumquodque præceptum ita exponi debeat, ut non modo expreſſum ejus caput, quod ibi memoratur, ſed quæcunque ad iſtam ſive virtutis ſive vitii ſpeciem referuntur, eo contineri merito arbitremur, quæritur, an ſub præcepti illius ſeptimi vi, & prohibitione לא תנשׁח etiam non veniant ea quæ jam deſignavimus facinora, Judæis perquam familiaria? Sic ab antiquo Judæi Polygamiæ ferè aſſueti fuerunt, & non tam ipſorum canones, quam Chriſtianorum leges illos noſtris in Rebuſpublicis coërcent, ne id agant quod libitum ſibi, aut permiſſum putant. Primi legem, quâ conſtringerentur, poſuerunt Impp. Theodoſius, Arcadius, & Honorius, ſub a CCCXCIII. C. de Judæis & Cælicolis, l. 7. ne quis *Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineret, nec juxta legem ſuam nuptias ſortiretur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniret.* Unde & ipſi poſtmodum ſanxerunt, ut pro ratione locorum ubi degerent, & ſecundum leges quæ illic obtinerent, non niſi unicam ducerent uxorem. Cæterum de more & ſtatutis priſcorum, Joſephus, Ἀρχαιολογ. lib. XVII. cap. II. ſcribit, *πάτριον γὰρ ἐν ταυτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. mos enim nobis eſt patrius, plures ſimul uxores habere.*

Fæminas habent duum generum, *uxores* נשים; & *concubinas*, ſeu pellices פלגשים. פלגשׁ, quaſi פלג איש dicunt, quæ *dividit virum*, פלג eſt, dividit: eo quod diſtrahant pellices mariti animum & affectum ab uxore; vel, quod dimidiata ſit uxor חצי אשה. illa eſt juſta uxor, quam adhibitis ſolemnibus ducunt, ἀστὴν vocat Philo; iſtam, παλλακήν. Et pellicum, vel פלגשים mentio crebra, ubi de Patriarcharum, & Regum uxoribus, vel fæminis. Geneſ. XXV. 6. & XXXV. 22. & XXXVI. 12. II. Sam. III. 8. & V. 13. & XXI. 11. I Reg. XI. 3. Concubinæ, quantum colligo, erant trium generum: *ingenuæ*, ac Iſraeliticæ; *ſervæ* השפחה; vel *extraneæ* הנכריה; & harum magna ab illis erat diſcrepantia: nam cum illis legitimum contrahebatur matrimo-

matrimonium, & liberi ſuccedebant in hæreditatem, non ita harum liberi; ſecus ac multis viſum, qui omnium concubinarum liberos excludunt ab adeundâ patris hæreditate, ſed male, uti obſervatum Seldeno, lib. *de ſucceſſionibus Hebræorum, cap.* III. Verùm in hoc differentia juxta communem ſententiam erat uxorum, quas ἐξόχως appellant, & concubinarum, quod illæ ſolemniter ducebantur, pactis *dotalibus*, & *deſponſatione. legitimis pactam junctamque tabellis*, dixit Juvenalis. Sic Hebræi, נשים בכתובה וקידושין פלגשים בלא כתובה ובלא קידושין, *uxores ſiunt ſcriptis, ſeu tabulis dotalibus, & deſponſatione* (alii accipiunt de *ritibus nuptiarum*); *concubinæ neque his, neque illis*. Conveniunt in hoc omnes, concubinam acceptam fuiſſe citra tabulas dotales בלא כתובה; an etiam בלא קדושין ſine deſponſatione, diſſentiunt Selomo Jarchi, & Abravanel, exiſtimantes, concubinam etiam cum deſponſatione ductam fuiſſe. De quo vide Buxtorfium, lib. de *Sponſalibus, & Divortiis, pag.* 11. 12. Quidquid ſit, non obſervabatur ea in ducenda, vel accipiendâ concubinâ ſolemnitas, quæ in uxore legitimâ. Unde exurgebat diſcrimen etiam aliud *honoris*, qui uxori, præ concubinâ, à marito deferebatur. Quare cum tria uxori cuicunque maritum debere Magiſtri doceant, *alimentum, indumentum, & concubitum*, præcepto negat. LXXXI. hic & *honorem* addunt. Præcepto affirm. XLVIII לקדש אשה, *ducitur uxor, argento* בכסף; vel בשטר *ſcripto*; vel denique בביאה *concubitu*. Pecuniâ: ſed hic de ſummâ diſputant, quâ uxor acquiratur. Secta Sammai dixit, בדינר *denario*, vel ejus æquivalente. Hillel, בפרוטה, *pruta*. Sic etiam Mikkotzi. At quanti valet *Pruta?* eſt pruta *argenti* alia, alia æris. Hic argenteus nummus, valde exiguus, cujus pondus, dimidium grani hordeacei. Sic exponendum משקל חצי שעורה, non uti Munſterus in præcepto illo vertit, *dimidium ſicli*. בשטר, ſcripto, tabulis matrimonialibus uxorem quis acquirit ſibi. Denique concubitu: nam lex dicit, כי יקח איש אשה ובעלה Deut. XXIV. I. *Quando vir acceperit mulierem & duxerit eam*, & maritarit eam, vel congreſſus fuerit cum ea. Hoc quamvis licitum cenſeant juxta legem, hodie tamen, propter honeſtatem, eo non utuntur, ſed duôbus duntaxat illis acquirendi modis. Quæcunque aliquo iſtorum modorum juncta alicui, ejus uxor evadit, cui tenetur facere decem, *tria ex lege, nempe cibum, indumentum & concubitum, & ſeptem ex Scribarum decreto, nempe quod infirmatam curet, captivam liberet, mortuam ſepeliat, cibetur de bonis ejus, & ſedeat in domo ejus quam diu vidua manſerit, & filiæ quas ab illo ſuſcepit nutriantur ex paternis bonis donec maritos duxerint*. Omneſque præcepto adigunt ad matrimonium Judæi. *Monet lex in qua-*

tuor locis, ut homo generationi & multiplicationi operam impendat: unde qui vigeſimum complevit annum & non ducit uvorem, iſte agit contra hoc præceptum. Si tamen quiſpiam adeo ſit addictus ſtudio legis ut uxorem non curet habere, is non peccat. Si autem ſenſerit in ſe Iezer, hoc eſt, innatam illam concupiſcentiam et ingenitam corruptelam nimium invaleſcere, debet ducere uxorem, ne in tranſgreſſionem cadat. Si cuipiam diſplicuerit uxor ſua, ſcribat ei libellum repudii et ableget eam à ſe. Deuteronomii. XXIIII. *Ut uxor legitime repudietur, multa ſunt ex lege advertenda. Primo quod citra voluntatem mariti id fieri non poſſit. Secundo quod abeunti in manum detur libellus repudii. Tertio quod nomina teſtium ſcribenda ſint in libello & tres mulieris generationes, nempe filia illius, qui fuit filius illius, et is filius illius. Scribendus eſt etiam libellus repudii literis rotundis, ne una tangat aliam. Et ſi contingat quod ex calamo guttula atramenti caderet in daleth & fieret he, aut in beth, et fieret pe &c. tenetur ſcriptor de novo alium ſcribere libellum qui nullam habeat maculam. Debet quoque longitudo ſchedæ excedere latitudinem, debet & ſcheda omni carere raſura, & teſtes debent eam ſuis ſignare ſigillis. Poſtea det libellum illum maritus uxori ſuæ dicens: accipe repudii tui libellum, et ſis abjecta à me, et omni homini permiſſa.* Quin pro homicida eum habent, qui liberis non dat operam, imo vix pro homine: quia ſc. dictum, maſculum & fæminam creavit eos, & vocavit nomen eorum adam, ſeu homo. Cælibes in cauſa dicunt eſſe quod majeſtas divina recedat ab Iſraële, quod ſimilitudo Dei, ad quam homo creatus eſt minuatur: & ſimilia: videlicet iiqui generationi apti ſint. כל אדם חייב לישא אשה, *omnis homo obligatus eſt uxorem ducere* quo vid. creſcat & multiplicetur genus humanum: juxta Geneſ. 1. 28. Quod an de viro intelligendum, an præceptum etiam fæminas obliget, diſputant. Etiam ſi quis ex primo matrimonio non utramque prolem, ſive in liberis, ſive nepotibus habeat, præcepto nondum ſatisfeciſſe, autumant. Soli Eſſeni, ſive aliqua eorum claſſis, ſecta, τάγμα in contraria ibant, & conjugium ſeu fæminas deteſtabantur; μηδεμίαν τηρεῖν πεπεισμένοι τὴν πρὸς ἕνα πίστιν, *rati illarum nullam uni fidem ſervare.* De quibus Joſephus, *Antiq. lib.* XVIII. cap. II. *& de bello, lib.* II. cap. XII. Atque hinc prætextum capiunt polygamiæ, quo vid. ita præceptum illud generationis & multiplicationis פריה ורביה magis vigeat & obſervetur. Unumquemque, quantum poteſt, pro viribus teneri ſemem ſuſcitare & procreare liberos dictitantes; atque qui vel unam animam adjecerit Iſraëli, eſſe eum quaſi mundum ædificaret.

Hinc eſt, quod aperte docent, unicuique licere, quantum ad jus ſpectat, ducere

ducere tot uxores, ac alendo ſit: imo ſi vel centum ſibi caperet, inquit Maimonides, modo ſibi ſuppetat unde ſingulis præſtet victum, veſtitum, & debitum conjugale. Definierunt tamen Magiſtri numerum, & dixerunt, homini privato quatuor, Regi octodecim, ſacerdoti autem uxorem ſufficere unicam. De quibus videndus Seldenus, *lib.* v. *de jure Ebræor. Et lib.* 1. *de Uxore Ebraica.* Et Buxtorfius, *de ſponſalibus, & divortiis.*

Non hic agimus de polygamiâ *ſucceſſiva*, ut quis poſt unam defunctam uxorem, ducat aliam. Hoc enim confeſſi juris, & extra controverſiam eſt. ſed de polygamiâ *juncta* כאחת, quando quis ſimul eodem tempore plures habet uxores. Neque diſputatum unquam fuit de polygamiá paſſivâ *virorum*, ſive ut una mulier pluribus ſimul juncta ſit viris; ſed *mulierum*, ut plures ſimul fæminas habeat unus vir. Nos autem illam, de qua diſputatio eſt, polygamiam cenſemus non ex jure profluere divino, ſed ei repugnare, & eſſe in ſe ratione juris injuſtam, & iniquam.

Primo, ex Conjugii inſtitutione, & jure primævo, quo Deus unum virum, & fæminam unam creavit, conjunxitque in iſtam vitę ſocietatem, non vel viros, vel fæminas plures, ad unum matrimonium, has non magis, quam illos, dixitque ut duo, non plures, eſſent in carnem unam. Ergo quando plures una conveniunt, contra naturam, jus & primam conjugii eſt inſtitutionem, aliter ac Deus voluit & ſanctificavit. Geneſ. 11. 24. *ideoque relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, atque erunt in carnem unam.* adhærebit *uxori*, non uxoribus; & hi *duo* erunt; non in carnem variam, vel in carnes, ſed in carnem *unam.* Inde etiam Menaſſe, lib. 111. de reſurrect. cap. 1x. ſtatuens, animas omnium hominum initio pares creatas, ſeu conjuges, ait, *cum anima maris, & fæmina in principio creationis copulata, ac ſociata fuerint, directa via unica cuique conjux propria, ac naturalis eſt, indirecta via alia omnes propter peccata impropria ſunt.*

Secundo, expreſſa ejus rei lex habetur & prohibitio, Levit. xv111. 18. ואשה אל אחתה, *& mulierem ad ſororem*, hoc eſt phraſi Hebræa, *mulierem unam ad alteram* (quemadmodum Exod. xxv1. 3. & Jezech. 1. 9.) *ne aſſumito, ad affligendum, ad retegendum turpitudinem illius in vita ipſius.*

Dicunt, intelligendam hic non aliam fæminam fæminæ ſuperinductam, ſed ſororem ſorori, præciſe ita ſumtis, ut non polygamia, ſed inceſtus prohibeatur. *Reſp.* ſi advertamus locum hunc & totam περικοπήν, leges inceſtus in anterioribus habentur; ab hoc verò verſu poſitæ leges generales &

Digitized by Google

communes extra rationem inceſtus conſideratæ. Leges quotquot hic leguntur de conjugio, vel revelandâ turpitudine, manifeſte ſe diſtinguunt in duo genera: a verſ. 6. ad hunc 18. habentur, quæ proximitatem & conſanguinitatem ſpectant. ecce verſ. 6. in initio איש איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו, *Quiſcunque vir ne accedat ad propinquam carnis ſuæ, ad retegendum nuditatem: ego Jehova.* verſ. 7. *nuditatem patris tui &c.* Et ſic in ſequentibus. ubique ponuntur nuditates propinquorum. Sed verſ. 18. non uti hactenus, *nuditatem* hujus aut illius conſanguineæ dicitur; ſed, argumento de re aliâ agi, videlicet communi & univerſali, ואשה, &, vel, *Item mulierem ad alteram ne aſſumito.* verſ. 19. *Item, ad mulierem in ſeparatione immunditiei ſuæ ne accedito.* Et ſic in ſequentibus, non de inceſtuoſis agitur vel conſanguineis, ſed de communibus nuptiis. II. gradus hic conjugii ducendæ ſororiæ ſatis prohibitus intelligitur verſ. præc. 16. *nuditatem* אשת אחיך *fratriæ tuæ ne retegito, nuditas fratris tui eſt.* Par ratio ſororis uxoris tuæ, nam nuditas ſororis tuæ eſt. Vel, quod fratriæ tu es, ſc. mariti frater, inter quos propter ſanguinis proximitatem prohibitum matrimonium; idem tibi eſt ſororia, vid. uxoris tuæ ſoror: ut par ratio prohibitionis ſit in utroque.

Tertio, Polygamia eſt contra legis confirmationem & expoſitionem apud Malachiam, cap. II. 14. 15. *propterea quod Jehova teſtificatus eſt inter te, & uxorem adoleſcentiæ tuæ, contra quam tu perfide agis cum ſit ſocia tua et uxor fœderis tui Nam nonne unum effecit, quamvis ſat ſpirituum haberet reliquum, et quare unum iſtum* האחד? *Quærebat ſemen Dei.* Senſus eſt, peccas contra uxorem, & primam à Deo conjugii inſtitutionem, nam quum adeſſet Deo copia, ut non unam, ſed plures æque facile homini conjungere uxores poſſet, unam duntaxat voluit, & hanc juſſit ſociam atque uxorem eſſe fœderis tui, & ſic conjugium atque ſemen tuum benedictum ſanctumque efficitur, non verò ſi pluribus te contamines, aut præter fas & æquum, repudio thorum violes.

Inter Judæos etiam non deſunt, qui nobiſcum cenſuerunt, polygamiam eſſe illicitam. Ita Sadducæi. & R. Ami, citatus Seldeno, *de Uxore Ebraica*, pag. 63.

Objiciunt, qui tuentur contrarium, *exempla* Patriarcharum, Prophetarum, & Regum, qui olim plures una paſſim habuerunt uxores: quorum referta eſt hiſtoria Sacra. *Reſp.* Primum autem polygamiæ, quod legimus, exemplum dedit Lamech, in familiâ Caini, Geneſ. IV. 19. *aſſumſit verò ſibi Lamech uxores duas.* Ut non adeo fauſto vel ſancto *omine* hoc

factum

factum incæptumve obſervent etiam Judæi, inter eos Abravanel in hunc locum. II. Non exemplis vivitur, ſed *legibus*: neque de illis quærimus; ſed iſtis. III. Deus illo tempore Patribus varia, inter quæ & hoc *indulſit*, non *conceſſit*, permiſſione *facti*, non *juris*, in foro *ſoli*, non *poli*. Ut, quantumvis facta iſtiuſmodi non puniret Deus, vel ulciſceretur graviter, haud tamen vel licuiſſe, vel juſta fuiſſe, in conſcientiâ, exiſtimare debeamus. IV. Denique Judæi ipſi, de primis polygamis ſub diluvium דור דבריי ſcribunt, illos binas ducere uxores ſolitos, alteram prolis, alteram libidinis modò & concubitus gratia, quæ ſterilitatis exhaurire poculū ſolita, deliciis atque ornatu meretricio in hoc ſolum fovebatur, ut libidines ſuppleret. Ita Selomo Jarchi, ad hiſtoriam Lamechi. Quę certe probabit nemo.

Objicitur ſecundo. Deum de polygamiis tuliſſe leges, quibus hoc negotium circumſcripſit. Ut Deut. XVII. 17. de Rege, *neque multiplicabit ſibi uxores.* Non ultra octodecim, dicunt Magiſtri. & ex illis Schickardus, Seldenus, Friſmuth, *de Rege*. Deut. XXI. 14. *Si fuerint alicui duæ uxores, una dilecta, et altera exoſa, pepererintque ei filios dilecta & exoſa, fuerit autem filius primogenitus ejus quæ exoſa eſt etc.* Quibus videtur Deus polygamiam approbare. *Reſp.* I. Negatur. Quin primo loco Deus polygamiam expreſſe prohibet. Cæterum leges quidem tulit Deus licentiam, vel procacitatem populi quovis modo limitantes & coërcentes, non tamen illis probavit eam vel laudavit. Non magis, quam ut una prę aliâ cui ſit exoſa, vel minus, quam pro uxore, dilecta. Hoc non approbat Deus, & tamen circa hoc legem conſtituit & regulam. Ita circa repudium, homicidium, & alia.

Object. III. Sed & probaſſe Deus videtur, Davidi dicendo, quod eſt II. Sam. XII. 8. ואתנה *et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui* בחיקך *in ſinum tuum, & dedi tibi domum Iſraëlis* &c. *Reſp.* I. Multis modis hoc exponi poteſt, ut tamen non ad probandam faciat polygamiam. Dedi tibi uxores heri tui in ſinum tuum, non quod ideo probarit Deus, quod eos David acciperet ſibi in uxores: non magis quam quod eodem cap. ſequitur, verſ. II. *Sic ait Jehova, ecce ego ſuſcitaturus ſum contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam* ונתתי *proximo tuo, qui cubabit cum uxoribus tuis coram ſole.* Datio hæc eſt actio providentiæ Dei realis, gubernantis res pro libitu; non quaſi probet ea quæ ex illa providentia veniunt, & patrantur ab hominibus. Alii illud, *dedi in ſinum tuum*, exponunt ſub tuam poteſtatem. Dare in Scripturis ſignificat etiam, permittere, ſinere aliquid ut fiat, vel non. Geneſ. XX. 6. *ideo non dedi tibi*, לא נתתיך,

Digitized by Google

לא נתתיך, id eſt, non permiſi tibi *eam attingere*. Exod. III. 19. *nam non dabit* לא יתן *non ſinet vos Rex Ægypti abire*. Similis locutio, Num. XXI. 23. Pſalm XVI. 10. *non dabis*, לא תתן id eſt, non ſines *ſanctum tuum videre corruptionem*. Pſalm. lv. 23. *non dabit* לא יתן, *non permittet Deus in aeternum ut juſtus commoveatur*.

Hic ſi illud ageretur, digne perſtringendus mihi eſſet & calumniæ intolerandæ arguendus Joannes à Chokier de Surlet, Canonicus Leodienſis, qui in libro, cui tit. *Fax Hiſtoriarum*, Centuria ſecunda, cap. LXXXIII. polygamiæ patronos facit, quos contumelioſe Novatores appellat, interque eos præſertim Lutherum, & Calvinum, ſic ſcribens: *Non defuere Haretici antiqui, inter quos Hermogenes, adverſus quem ſcribit Tertullianus, qui polygamiam probarunt, & veluti haſtis amentatis defenderunt: quippe qui cum Mahomete ſuſtinebant tot uxores licere ducere, quot unuſquiſque facultatibus ſuis ſuſtentare poſſet. Ab his ſteterunt noſtri temporis Novatores, inter quos in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus, qui illum inter Chriſti Apoſtolos numerat, qui quidem polygamiam ad pelvim uſque tuetur, imo pluribus argumentis (ſi argumenta dicenda ſunt, qua ab Orco proveniunt) quam unquam Mahometes prædicavit.* Verùm aliud nunc inſtituimus, abſque quo eſſet ut pro merito calumniam in aprico poneremus, quæ ſuum Auctorem pudore mulctaret apud omnes & digna infamiâ. Ad alia pergendum.

Similis cum polygamiâ ratio eſt repudii. Sed repudii, quale apud Judæos vulgare, ob quaſque fere, & leves cauſas, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, etiam παρεκτὸς λόγου πορνείας. Nam, ubi adulterium intercedit, quemadmodum hoc ſua naturâ dirimit conjugium, eamque unitatem, qua conjuges fiunt in carnem unam, ita cauſam ſuppeditare juſtam repudii, in confeſſo eſt, nec olim modo, ſed & hodie. Neque enim id eſt, quod Chriſtus abrogavit, ut non liceat propter adulterium repudiare: quaſi hoc antiquorum fuerit, quod caſtigarit, & ob eam cauſam licitum quidem fuerit illis repudiare, non autem nobis. Quæ ſententia nonnullorum, Pauli Burgenſis, Toſtati, Joh. Houſoni in Angliâ, cui ſe oppoſuit Th. Pius, libello, *de Divortiis Judaorum*. Alio quippe modo adulterio occurrebatur, conſtitutâ in id pœnâ capitali. Neque hoc per ערות דבר in lege Deut XXIV. 1. notatum, quod alio verbo ac loquutione exprimi ſolet, quam latâ illâ, ac generali. Neque etiam, quæ Hillelitarum erat ſub ævum Chriſti ſententia & controverſia cum Sammaitis, diviſim illa in lege ſumenda, ut intelligatur repudium inſtitutum ſive propter ערות *turpitudinis* aliquam cauſam, aut

דבר ſim-

Digitized by Google

דבר ſimpliciter *rem quamcunque πᾶσαν αἰτίαν*, uti dicunt in Euangelio, Matth. XIX. 3. quemadmodum repudiabant paſſim ob leviſſimam quamque cauſam, adferentes non gratam ſibi uxorem eſſe: quo trahebant tum legis verba, *ſi non invenerit gratiam in oculis ejus*. Ita docebant Hillelitæ, inter quos & ſectam ſive domum Sammai perpetuæ acerrimæque contentiones, præcipue de rebus & quæſtionibus octodecim, de quibus convenire haudquaquam potuerunt. Harum una fuit de divortio, ob quamnam cauſam licito vel inſtituendo: Sammaïtis dicentibus, ob ſolam cauſam turpitudinis, inhoneſti, dedecoris, qui ſic explicabant ערות דבר turpitudinem rei, vel rem turpem; & juxta hoc exponendum eſſe, ſi non repererit gratiam apud virum: Hillelitis verò cauſam ultra extendentibus ad quæcunque, ſive ערות turpitudinem, quod Sammai dicebat, vel etiam דבר *rem*, cauſam αἰτίαν quamcunque, qualiquali modo gratiam non inveniret in oculis mariti, aut ei minus placeret, quomodo apud Poëtam eſt:

Non amo te conjunx, nec poſſum dicere quare,
Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.

Sammaitæ nolebant dimitti uxorem, niſi ob rem & cauſam turpem in eâ deprehenſam, libidinis, impudicitiæ, vel laſciviæ: uti (dicebant) ſi in publicum prodiiſſet capite aperto, vel diſciſſis ad latera veſtibus, aut denudatis brachiis, aut pectore, quemadmodum fæminæ Chriſtianæ in Galliâ ſolent, ſcribit Selomo Jarchi; ſi in platea neviſſet, vel duxiſſet fila; ſi in eodē cum viris balneo laviſſet; vel in balneo, quo viri ſe lavare ſolent; aut luſiſſet cum juvenibis; & ſimilia. Aliqua aſſignant Magiſtri, ob quæ putent repudiari *debuiſſe* uxorem; alia, ob quæ *potuiſſe*, non item debuiſſe, cenſeant; denique & ſi quando *vellet* maritus, Hillelitæ, ac præſertim R. Akiba, nihil reclamabant. Ita Flavius Joſephus, de ſe teſtatur in Vita ſuâ, quod uxorem ſuam Alexandrinam dimiſerit, μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν, *offenſus ejus moribus*. Duas generales cauſas repudii, conſtituit Abravanel in *Deut.* XXIV. turpitudinēm & impudicitiam; etiam morum diverſitatem, & incongruentiam. Sed adhibendus libellus, quem appellant גט: quod in genere quidem inſtrumentum ſignificat, & tabulas, ſed ſynecdochice vulgò notat libellum repudii. De quo integer in Talmude tractatus, *Gittin*. ספר כריתות *libellum exſicionis* etiam appellant, vel פטורין, & אגרת פטורין Ieſa. L 1. *epiſtolam dimiſſionis*. Quo loco prima libelli iſtius mentio occurrit latam ſuper eo legem *Deut.* XXIV. 1. Ipſum repudium vel dimiſſi[illegible]m appellant גירוש, de quo etiam titulus eſt, גירושים. Lex Deut. XXIV. 1. ſic habet, *quando duxerit vir fœminam, & maritaverit eam* ובעלה, *& ſit ut non*

reperiant gratiam in oculis ejus, כי *quoniam invenit in eâ turpitudinem aliquam* ערות דבר, *ſcribet ei libellum excisionis* ספר כריתת, *et dabit in manum ejus, & emittet domo.* Jubetur, ut non deſerat uxorem, niſi ſcripto, traditoque ei libello: non ſatis ut fuerit, quemadmodum apud Romanos, ſolis verbis rem peragere, & renuntiare uxori ſuas ut ſibi res haberet. An verò Hebræi etiam ante hæc tempora quidem deſeruerint uxores, & uſurpatum fuerit divortium, ſed ſine ſolemnitate libelli, verùm uti contractus alii ſocietatis, & forte nuptiæ abſque tabulis, ſic quoque divortia conſtarent, & non maritus uxorem, ſed & viciſſim illum hæc repudiarit, quibus refrænamdis lex hæc poſita, marito repudianti, non fęminę, & conſignato prius libello, non facile dixerim. Hoc conſtat, repudium ab hoc tempore permiſſũ non fuiſſe, niſi intercedente libello, in quo vir ſe mulierem dimittere, & ſui juris facere, ut cui vellet nuberet, declarabat, quem libellum conſignabant adhibiti quoque teſtes. Formulam ejus multi exhibent, Maimonides, Halach. *geruſchin, cap.* IV. R. Alphes, *Gittin, cap.* IX. Fagius, ad *Paraphraſin Chaldaic. Deut.* XXIV. Buxtorfius, *in Grammatica Chaldaica. pag.* 399. *Synagoga Judaic. cap.* XXIX. Et *de Sponſalibus pag.* 160. Schickardus, *de Jure regio, cap.* 101. *pag.* 53. Thomas Godwin, *Antiquit. Hebraic. lib.* VI. *cap.* IV. Seldenus, de *Uxore Ebraicâ, lib.* III. *cap.* XXIV. Ita conſcribebatur hic libellus, ut ad quamplurima diligenter attenderetur, ne libellus & totum negotium redderetur irritum. Pręſertim ut maritus ſe eam volenter dimittere teſtaretur, neque quippiam fiebat niſi ברצונו ejus voluntate & placito. Tum, ut poſt ſcriptionem mox traderetur, & in manus vel uxoris, vel procuratoris ejus, coram teſtibus. Mikkotzi, pręcepto affirmativo L. *Si cuipiam diſplicuerit uxor ſua, ſcribat ei libellum repudii & ableget eam à ſe. Deuteron.* XXIV. *Ut uxor legitime repudietur, multa ſunt ex lege advertenda. Primo quod citra voluntatem mariti id fieri non poteſt.* Et quæ ſupra pag. 516. adduximus, ibidem legenda. Contra mores vero erat, ut mulier viro repudium mitteret, quod in Salome, Herodis ſorore obſervat Joſephus, quæ marito Coſtobaro Idumeæ præfecto libellum dedit, labaſcente Reip. diſciplina, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους; ἀνδρὶ γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν, *non ſecundum leges Judaicas. Marito enim apud nos hoc licet facere; mulieri verò nec abeunti nubere niſi eam dimittente priore marito.* Antiquit. lib. XV. Utcunque autem temerarie ſatis & procaciter ſuas paſſim deſererent uxores, quædam tamèn, ex conſilio Magiſtrorum, conſtituta, ſed ludicra fere, ſufflamina. Inter quæ hoc potiſſimum, quod non ita facile repudianda ſit uxor prima, quam quis duxerit, propter Malach. II. 15. ubi nominatur uxor adole-

adoleſcentiæ, *uxorem adoleſcentiæ tuæ non deſeres.*

Quod autem repudia illa Judaica in ſe, quemadmodum & de polygamiâ diximus, illicita ſemper ſint & contra legem, facile probamus.

Primo, ex natura & inſtitutione conjugii, Geneſ. II. 24. ubi dictum quod per matrimonium conjuges tranſeunt *in carnem unam*. Quod autem Deus conjunxit, homini ſeparare nefas.

Secundo, Malach. II. 14. 15. 16. *Propterea quod Jehova teſtificatus eſt inter te & uxorem adoleſcentiæ, contra quam tu perfide agis cum ſit ſocia tua & uxor fœderis tui. Nam nonne unum effecit, quamvis ſat ſpirituum haberet reliquum, & quare unum iſtum? quærebat ſemen Dei. quare caveatis ſpiritui veſtro, & in uxorem juventutis veſtræ ne prævaricemini. Nam odit derelinqui*, vel derelictionem, *dicit Deus Dominus Iſraëlis*, כי שנא שלח אמר יהוה *quamvis violentiam pallio ſuo operiat, inquit Dominus Deus: quare cavete ſpiritui veſtro, ne tranſgrediamini*, vel, ne agatis pervicaciter, aut perfide Non uti Judæi, aliique hoc vertunt, *ſi odio habes, dimitte, dicit Dominus.* Nam שנא eſt tertia perſona; non ſecunda. Tum & cum argumento objurgationis inſtitutæ non ita convenit hæc verſio, quam illa, neque adeo cum re ipſa repudii, quod non probavit Deus, aut ſuaſit, ſed indulſit tantummodo, & repudiantibus Judæis præſcripſit, non abſque libello rem hanc peragerent. Nequaquam verò conceſſit Deus, ut ex odio repudiarent, vel ſi quam ſimpliciter odio haberent. Confer Theod. Hackſpan ſuper hunc locum, ad R. Lipmanni Nizachon, *cap.* III. *pag.* 412. Porrò in textu illo varia improbati repudii argumenta obſervare eſt. Caſus enim, de quo mulieres conquererentur, & altare lachrymis ſuis atque ſuſpiriis obruerent, erat divortium, quo eas indignis modis mulctabant mariti ſui. Malum eſt, quod populo hic exprobrat, & in oculos ingerit Deus. II. improbat autem, quia committitur contra uxorem ſociam, & conjugem fœderis. III. Quum primâ conjugii ordinatione unum Deus effecerit, non plures; conjugium duorum in unum, non plurium. IV. Et tale conjugium fundamentum præbeat, ac principium ſeminis juſti, non alterum. V. Demum exſerte dicit Deus, ſe dimiſſiones illas odiſſe. VI. Quum paſſim violentiâ, pervicacia, & perfidiâ peragantur ſummâ, & intolerandâ.

Tertio pugnant repudia cum *vitæ* conjugalis honeſtate, decore, & commodis. Et primo quidem cum *amore*, qualem ſibi mutuo debent, in hanc vitę ſocietatem congreſſi, qui non vulgaris eſt vel tralaticius, ſed ſummus atque indivulſus, qualis eſt ſui ipſius, conveniens unioni in quam

Digitized by Google

conjuges, concedunt, & quoque nulla major occurrit alia. Fortius etiam amabit mulier, quæ ſe deſeri non poſſe ſtatuat, quam quę quod deſeratur timet. Sic & maritus, qui in inſolubilem vitę ſocietatem noverit ſe uxorem adſciviſſe. II. Majoris virtutis eſt, conſtanter *ferre* amici, præſertim quem tenearis diligere, ſume parentum, fratrum, etiam mariti, mores incommodos & graves, ſic & conjugis tuę, nam par, quin hujus prę illis ratio fortior, quam deſerere propter illa leviter & repudiare. III. Et familiæ, præſertim *liberorum* intereſt, inſeparabilem parentum thorum eſſe fidemque; ubi ex diſſolutione matrimonii, quod in morte ſpectatur, & plus adhuc in divortio periculi, quibus duobus caſibus matrimonii ſolutio contingit, gravia paſſim incommoda oriri nemo ignorat. Quare neque legi, neque conſcientiæ, & vitæ hujus rationibus convenit, repudia frequentari. Vidit hoc inter Judæos etiam quiſquis ille fuit Ben Sira, inter cujus ſententias eſt, גרמא דנפיל בחלקך גרירה, *Os quod ſorte tibi contigit, rodito.* In quem locum extat commentarius à Fagio editus, qui illud egregie applicat conjugio, ut quiſque conjugem, quam nactus, ferat, & digne cum ea vitam tranſigat, לפי שהוא במזלו, *Quoniam ita fata ordinarunt, tametſi fuerit ei moleſtior quam Jezabel fuit Achabo; aut uxor Cora, quæ perdiderunt maritos ſuos. Et ſi non repudiaverit eam, bene agit; quia propter eam non deducunt eum in judicium. Sic etenim legimus: quatuor ſunt hominum genera quæ non deducuntur in judicium, ſcilicet qui extremâ laborant paupertate, qui patiuntur colicam paſſionem, qui magiſtratu funguntur, et cui eſt uxor mala quam non repudiat. Nimirum ſi repudiaverit, non bene facit, quoniam nec hora unica ei poſtmodum hilaritatis, ſed perpetuâ angitur triſtitiâ ideo quod repudiaverit eam. Atque hoc eſt quod dixit Ben ſira, os quod cecidit in ſortem tuam, ſive malum ſive bonum fuerit, rode.* Vide & Druſium, in Adagiis Ben Sirę, pag. 3.

Objiciunt, legem de repudio latam Deut. XXIV. I. Quid ergo Moſes ἐνετείλατο dare βιβλίον ἀποστασίου, ספר כריתת, & dimittere eam? Reſp. I. Non juſſit Moſes, neque probavit repudium ipſum. Nec hoc in lege eſt, ſed ut, quando vir repudiaret uxorem, ſaltem repudii libellum conſcriberet, traderetque. II. Indulſit Deus, non probavit repudium, ἐπέτρεψε, non proprie ἐνετείλατο. Quemadmodum magnum inter illa diſcrimen ubique notatur. Obſervant & ſæculares litterę. Cicero, vel quiſquis auctor librorum ad Herennium, lib. II. *Cum duæ leges inter ſe diſcrepant, videndum, utrum leges ita diſſentiant, ut altera jubeat, altera vetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat.* Item & lex de repudio, non eſt præcipiens,

piens, ſed permittens, non de bono quod probet, ſed malo, quod toleret, atque circumſcribat. Quemadmodum ſupra de polygamiâ diximus, quorum ſimilis ratio, permiſſio non juris, ſed facti, præter jus; quod Deus non probavit in Patribus, ſed neque caſtigavit aut ultus, quemadmodum cætera quidem, fuit. Neque ullum aliunde ejus probati proferri è ſacris documentum poteſt. E contrario ubicunque ejus mentio, haud obſcura indignantis & improbantis Dei, atque ęgre admittentis facinus indicia obſervantur. III. Nempe propter σκληροκαρδίαν & pervicaciam Deus illud conceſſit, fuit enim *populus duræ cervicis*, עם קשי ערף Exod. XXXII. 9. & XXXIII. 3. & XXXIV. 9. &c. ab initio autem non fuit ita. IV. Et quando Deus legem ſcribit repudio, vel ejus libello, nota quot cautiones occurrant: ne ſolo animi arbitrio id faciat maritus, vel nudis verbis, ſed ſcripto rem agat, & cauſam vel notam turpitudinis in uxore oſtendere queat. Libellum ipſe tradat. neque unquam dimiſſam iterum revocet, vel ad ſe recipiat. Quæ qui non videt eſſe ſolliciti & malum refrænare volentis, non injungentis vel probantis, argumenta, næ is parum admodum videt. V. Revera in omnibus hiſce verbis & verſibus nullum eſt præceptum, niſi de non revocandâ vel reducenda dimiſsâ uxore, poſtquam ab alio eſſet cognita, vel polluta: reliqua ſunt hypothetica, אם ſi, & nituntur non lege, vel bono aliquo approbato, ſed malo inter ipſos more atque conſuetudine.

Alia Abravanelis pro repudiis argumenta, conantis oſtendere non ob ſolum adulterium, ſed & alias leviores cauſas juſtè poſſe virum repudiare uxorem ſuam, proponit, examinat, & ſolide refutat vir in litteris hiſce verſatiſſimus, nobiſque amiciſſimus, Johannes Buxtorfius, libro, quem ex Auctoris dono habemus, *de Sponſalibus & divortiis* Hebræorum, à pag. 128. & deinceps, qui videatur.

Digitized by Google

CAP. VII.

DE

USURA.

USura Iudæorum in Chriſtianos mordens prohibita. Leges de uſuris: quarum aliæ vetitæ, aliæ conceſſæ. Singularis ratio Iudæorum fuit inter ſe, atque hoc fundamentum legis inter Iudæos politicæ, de uſuris. Diſtinguitur, mutuare, & fænerare. Tum hoc, ratione perſonæ cui; & quantum: illius habita ratio familiæ, & facultatum. Hic, uſuræ ſemper modus. Iudæorum uſura in Chriſtianos illicita. Tria uſuram quamcunque reddunt vetitam. Ex parte debitoris, ſi ſit pauper: creditoris, ſi plus æquo exigas: & pignoris, ſi ſumas quodlibet, etiam neceſſarium. Quomodo Iudæi uſuram diſtinguant, in conſtitutam, & quod appellant pulvis uſuræ. Karæi, inter Iudæos, uſuras improbant. Leges Eccleſiaſticæ, & politicæ contra Iudæos uſurarios. Multiplex ex Iudæorum uſurâ, in rep. Chriſtianâ, ſcandalum & malum.

COntra charitatem æquitatemque vehementer peccare Judæos eâ, quam in Chriſtianos vulgo exercent, uſurâ arbitramur: nominatim contra præceptum octavum, quod furtum prohibet, cujus haud minima ſpecies eſt uſura illa mordens, quæ τόκος apellatur נשך. Non quidem omnis prohibita uſura, vel in ſe & contra legem peccat contractus in mutuo fundatus, pro uſu mutui, aut quod ſupra ſortem lucrum aut תרבית acquiritur; alioquin nuſquam hoc fuiſſet aut licitum, aut conceſſum, quod Deus Judæis quidem prohibuit inter ſe, non cum gentilibus. Nam quod in ſe peccatum, ubique tale, & nullibi pro licito haberi, aut probari poteſt, neque apud gentilem. Leges ita habent, nam duæ hic attendi debent, alteræ quæ uſuram vetant Judæis; quæ concedunt, aliæ: Exod. XXII. 25. 26. 27. *ſi pecuniam mutuam dederis populo meo, qui pauper eſt apud te, non eris tanquam exactor* כנשה, *non imponetis ei uſuram* נשך. *Si pignore ullo acceperis veſtem proximi tui, ſub occaſum ſolis reſtituito illam ei. Nam id ſolum operimentum ejus eſt, hoc veſtimentum cutis ejus, in quo cubaret? eritque ubi clamaverit ad me, audiam, quia clemens ſum.* Ex quibus apparet, I. probari mutuationem pecuniæ, atq; etiam aliarum rerum, Deut. XXIII. 19. quæ populo invicem fit. II. præſertim egenti petentique. III. at non duriter illud exigendum ab eo, fœneratoris in modum IV. neque mordendum fænore. V. Pignus autem accipere haud prohibitum. VI. Sed non retinere: tale vid. quod ad vitam ſuſtentandam

dam alicui neceſſarium. Levit. xxv. 35. 36. 37. 38. *Quumque attenuabitur frater tuus, & vacillaverit manus ejus apud te, tunc confirmabis illum, peregrinum ſive inquilinum. Non capies ab eo* נשך ותרבית *uſuram aut fænus, verùm timebis Deum tuum, ut vivat frater tuus apud te. Pecuniam tuam ne dato ei* בנשך *in uſuram, neque in fænus* ובתרבית *dabis ei cibum tuum. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi vos è terra Egypti, ut darem vobis terram Canaan, vobis ut eſſem Deus.* Caſus iterum ponitur *frater*, iſque *pauper*. II. jubentur, eum adjuvare. III. nequaquam affligere vel opprimere, non per uſuram, aut fænus. Quibus modis fortiſſime aliquis premi & conteri ſolet. IV. Ratio, quia fratres inter ſe, communem ſingulari ratione patrē habeant, & hæreditatem, ac bona terræ ſibi immediate à Deo tradita, & aliqua ratione communia. Quæ fundamentum politicæ iſtius legis, quatenus ad Judæos ſpectavit, fuerunt. Deut. xv. 3. Atque XXIII. 19. 20. *Non dabis in uſuram* תשיך *fratri tuo,* נשך *uſuram pecuniæ, uſuram cibi, uſuram cujuſcunque rei quæ in uſuram datur* אשר ישך. *Peregrino quidem in uſuram dabis* לנכרי תשיך*: at fratri tuo non dabis in uſuram; ut tibi benedicat Dominus Deus veſter, in omni re &c.* Non in hac aut illa ſolum re, ſed quacunque fratri fænerari illicitum fuit: non ita gentili. Illi mutuò dandum ſine fænore fuit; huic non item. Namque alia & plura quidem illi debebant, quæ non huic. Ratio, quia illi fratres, hi extranei: uti fratribus & ejuſdem familiæ nobiſcum hæredibus alia quidem impendimus, quæ non ideo reliquis aliis. Diſtinguendum, I. dare *mutuum*. II. ex mutuo *fænerari*. Sed hoc fænerari iterum, reſpectu *perſonæ* cui; tum *modi* vel menſuræ, in quantum; Atque illâ quidem ratione, vel ut conditionem *familiæ* reſpiciamus, vel *facultatum*. Licuit omnibus mutuum dare, fratribus, alienis; divitibus, pauperibus, quibuſcunque. Fænerari autem non licuit Iſraëlitis: quia pro fratribus cenſebantur omnes inter ſe. Præſertim non pauperibus. An Iſraëlitis ditioribus? Non videtur: quia fratres erant, quamvis non pauperes. Quam verò gratiam præſtare tenebantur Iſraëlitis, non ideo debebant Gentilibus. Ratio diſparitatis manifeſta. Nulli unquam licet malefacere, quamvis non omnibus debeantur iidem benignitatis vel beneficentiæ gradus. Gentili non tenebantur illa officia, quæ ſuis quidem fratribus, offerre. Quare nec Gentili mutuum dare, abſque fænore. Qui charitatis mutuæ gradus ad ſolos ſpectabat fratres. Quod & inter Gentiles nonnullos obtinuiſſe olim ſcimus, ut amicis & conſanguineis extra fænus mutuarent. At da Gentilem egenum, cui Iſraëlita mutuaverit. Conſiderandum in illo commune jus & ratio *humanitatis*, vel *gentiliſmi*.

Digitized by Google

mi. Quidquid illi debebat, ex illo erat capite, non iſto. Nam Iſraëlita, uti propria Iſraëlitiſmi tenebatur ſuis reddere, ita nec oblviviſci communia humanitatis, ex communi & naturali lege omnibus debita hominibus. In homine ergo illo ſi ſpectaret gentiliſmum נכר, hinc ei nihil debebat; uti ex conſiderato Iſraëlitiſmo in fratre, ei fermè omnia. Deficiente ergo hac ratione, & jure in extraneo, tutò ei negabat, quæ Iſraëlitæ debebat jure φρατρείας. Sed tamen negare non potuit hominem eſſe, iſtique ut homini deberi communia hominibus jura & officia. Accedebat, ut pauper ſi eſſet, ne denegaret quæ ſibi tali caſu negata nollet, juxta legis ſummam à Moſe & Prophetis comprobatam, proximũ ut diligeremus, quemadmodum nos ipſos, neque alteri ſecus faceremus, ac vellemus agi nobiſcum. Ergo ſic non opprimebat eum: imo juvabat hominem benevolentiâ ſuâ, & beneficiis cuivis debitis, eleëmoſynâ, aliiſve modis, ex charitate & ex miſericordiâ communi, quam privatum jus officiaque domeſtica vel gentilitia nec obſcurabant nec tollebant. Habenda tamen & *modi* uſurarum ratio fuit, ne præter æquum juſtumque exigerentur; vel pro arbitrio & poteſtate, ſeu crudeli tyrannide ageret creditor, non pro æquitate. Exſugere itaque & mordere vel perdere gentilem uſuris, & quovis alio contra charitatem modo, non licuit. Sed & ſublevandus pauper ille, pro communi ſingulorum amore & miſericordiâ fuit. At ſpectato eo ut gentilis, & non pauper erat, nil prohibebat fænerari: quod non licebat item in Iſraëlitam. Hoc ex lege ſpeciali, politicâ; illud communi. Uſura ergo, vel lucrum ex mutuatione quæſitum non eſt in ſe malum. Non tamen licuit inter Iſraëlitas. Demta autem hac relatione aut circumſtantiâ, licebat apud alios; ſed hic, quod in omnibus officiis, ſervato ne contra commune jus, æquitatem, & benevolentiam peccetur naturalem, & pauper non modo non juvetur, ſed & affligatur atque crudeli נשך τοκισμῷ perimatur. Sic legem iſtam de uſurâ exponit Philo, dignus ut audiatur, lib. de charitate: *vetat igitur fratri fænerari, fratrem nominans non ſolùm ex eiſdem natum parentibus, verum etiam quemcunque civem tribulémve, iniquum ducens colligere fœnus è pecuniis, tanquam fœturam è pecoribus. non vult tamen ut ideo tergiverſemur, ſegniores ad beneficentiam, ſed largis manibus menteque donemus gratìs indigentibus, cogitantes etiam gratiam eſſe genus fœnoris, ultro ad nos redituri feliciore accipientis tempore. Quòd ſi quis nolit donare, ſaltem mutuetur alacriter, nihil præter capitalem ſummam recepturus, ſic enim nec pauperes redigentur ad extremam inopiam, coacti plura quàm acceperunt reddere: nec creditoribus quicquam decedet de rebus pretioſiſſimis,*

bonitate

Digitized by Google

bonitate, magnanimitate, exiſtimatione optima. nam ne cum una quidem virtute univerſa perſicæ gazæ conferendæ ſunt. illæ exanimes opes abduntur in terræ ſinibus, hæc autem in principali parte animæ. Virtutem enim ſibi uſurpat cælum portio mundi puriſſima, ipſeque Deus conditor rerum omnium. Contemplari libet iſtos ſordidos & ne obolares quidem minutias ſpernentes uſurarios, in magnis divitiis inopes, quos bene nummatos reges diceres, cum ne in ſomnis quidem unquam divitias, præter ſuas cæcas, viderint. hi miſerrimi omnium, quaſi pecuniâ careant, cibos mutuantur ut recipiant cum fœnore: iſti quomodo egeno ſtipem offerent, cum in proventu felici famem invehant, reditus ſibi parantes ex miſerorum hominum ventribus, ſic appendendo frumentum ne prægravet. Neceſſe igitur habuit è ſua rep. hoc genus quæſtus ejicere. Sunt enim ſervilis & illiberalis animæ talia ſtudia, degenerantis in ferinam immanitatem.

Cæterum Judæis in Chriſtianos fænerari illicitum, prout hoc vulgo fit, duplici ex causâ, I. quia, ſecus ac illi putant, Chriſtiani neutiquam habendi ſunt pro *extraneis* à Dei fædere, vel populo. II. quia illam ſuam uſuram exercent promiſcue in *pauperes*. Judæi, uti non amplius ſunt populus Dei, fæderatus ille qui olim, neque veri Iſraëlitæ, ſed manifeſti apoſtatæ, ita Chriſtiani non ſunt qui olim ipſorum parentes fuere, gentiles, ſed ἐνεκεντρίσθησαν εἰς καλλιέλαιον, & cum priſcis Iſraëlitis conjungendi ſunt, ut eorum veri ſucceſſores, & fratres. Neque Judæis indulgeri per nos debet illa falſa opinio & gloriatio, qua ſe jactant adhuc Iſraëlitas, & ſe cum iis componunt, quaſi ejuſdem per omnia cenſus ordiniſque, ut & nos paſſim habeant pro extraneis; quæ mirum in modum apud eos confirmantur vulgari ſuâ in Chriſtianos uſurpatâ pro arbitrio uſurâ. Præterea eſt & alia ratio, ad hominem, quare Chriſtianos non æſtimare debent pro extraneis, quia aliàs, quamvis male, oriundos illos dicunt ab Eſavo, & quę de Eſavo apud Prophetas, de Chriſtianis lubenter exponunt. Eſau autem Jacobi frater erat. Num XX. 14. *& miſit Moſes nuntios Kadeſcho ad regem Edom: ſic dicit frater tuus Iſraël, tu noſti &c.* Deut. XXIII. 7. *non abominaberis Idumæum, quia frater tuus ipſe.* Denique & iſtud hac in re ad animum revocare Judæos oportebat, ſe in terris Chriſtianorum, & inter eos non duriter, non ut extraneos, ſed amice ac fraterne haberi, ut in exponenda lege de uſuris Chriſtianos non tam vili loco conſtituerent, tanquam extraneos ſcilicet, uſuris ſuis quoquo pacto mordendos perdendoſque. Aliud ab iis flagitabat noſtra erga ipſos beneficentia, quam ut ita legem interpretarentur, & in nos intorquerent.

Digitized by Google

Quanquam nec lex illa, ut doctiſſimi Judæorum obſervarunt, contra Maimonidem, non eſt exponenda affirmative, debere uſuram exerceri in gentilem; ſed ſolummodò licere. Verùm maxime quidem hic culpanda eſt Chriſtianorum magiſtratuum ſocordia, uſuras illas Judæis, tanto cum Chriſtianæ rei præjudicio & excidio, permittentium: ipſos tamen impetimus propter gravem & iniquam legis contra nos expoſitionem.

Præter illud, tria ſunt quæ uſuram quamcunque reddunt illicitam & exitioſam, quibus quia Judaica maxime laborat, multis hæc quidem modis damnanda venit. Primum eſt ex parte *debitoris*, ſeu mutuatarii, ſi pauper ſit. Hîc nequaquam licet, & in lege de non fænerando in pauperem Iſraëlitam ratio adducta non ſolum particularis eſt petita ex ejus conditione Iſraëliticâ, ſed communis & moralis, quia pauper, attenuatus, juvandus ſit: quod & maxime apparet in lege de relinquendo ei pignore. Joſephus, Antiquit. lib. IV. cap. ult. *mutuum dare ad uſuram Hebræorum nemini liceat, neque cibum neque potum, non enim juſtum eſt reditus captare ex fortunis tribulium, ſed præſtat opem ferre illorum neceſſitatibus, & ad lucrum imputare eorum gratiarum actionem, & Dei retributionem quæ hujuſmodi beneficentiam ſolet conſequi.* Hæc communia ſunt. Adeoque proximo cuicunque faciendum id quod nobis ipſis velimus factum. Hoc modo explicandum illud Joſephi, quod hac de re habet, contra Appionem ſecundo, *δανείσας τόκον ὐ λήψεται. mutuans, uſuras non accipiet.* Alterum eſt ex parte mutuantis, vel *creditoris*, ſi pro mutuo nimium accipiat, & ſupra modum ac id quod juſtum eſt. Tertium, in ratione *pignoris*: ſi quodlibet, etiam neceſſarium quod ad vitam eſt, quoque carere non poſſis, exigatur. Adverſus quod lex eſt Exod. XXII. 26. Deut. XXIV. 6. *non accipies pignori* רחים ורכב *molam utramque, non inferiorem, quia ipſam ejus animam pignori acciperes.* μύλον ἢ ἐπιμύλιον dixit Philo. *Metam & catillum*, alii vertunt. Paulus Ic. D. de inſtructo vel inſtrumento legato. L. XVIII. *eſt autem meta, inferior pars molæ, catillus ſuperior.* Reſtituendum erat pignus illud, quo quis ad vitam, vel parandum victum opus habebat, & quandocunque pignus aliquis exigebat, foris ſtabat, non intra domum, exſpectans ut efferretur. Vide Mikkotzi præcepto negat. CLXXXVI. & ſeq. affirm. XCIV.

Diſtinguunt Judæi uſuram, ex contractu *ſtatutam* debitamve, & *leviculum* lucri ſponte ſequens. Illud appellant קצוצה; iſtud, אבק רבית, *pulvis uſuræ. Speciem uſuræ*, dicit Menaſſe *Theſouro dos Dinim, Part.* 1. *cap.* XIV. ubi de variis illius ſpeciebus tractat. Neque hoc damnant Judæi,

Digitized by Google

Judæi, tanquam ex lege illicitum Magiſtri quidem etiam de pulvere uſuræ decreverunt, ſed modo ne conſtituatur ejus ex contractu certa ſumma, nedum nimia, at leve ſeu exiguum aliquod mutuator ſi recipiat ſupra ſortem, ubi mutuatarius lucratus eo fuerit, haud prohibent. Maimonides, citatus Seldeno, lib. VI de jure Ebræor, cap. IX. *fas erat Orphanorum bona mutuo tradere viro probo & fideli, ad hunc ſcilicet modum. Bonis hiſce negotiator tu, ſi inde lucrum eveniat, reddes orphanis partem ſuam etiam è lucro. Sin vero damnum, tibi illud ſit totum. Nam hic etiam pulvis eſt uſuræ. Et pulvis non prohibetur, niſi ex jure ſuperinducto, in quo de orphanorum bonis nihil præſtitutum eſt.* Stipulari ergo certam ſummam, nedum gravem,& quomodocunque ſe res haberent cum mutuatario,non licebat.

Ut nec ex ſuis legibus, nec ex communibus Judæi agant probe ſatis quando diriſſimas illas in Chriſtianos uſuras exercent ſuas & exactiones, quibus incurrunt in leges contra uſurarios, & maledictiones ipſis poſitas, præterquam locis ſuprà adductis, Pſalm. XV. 5. Nehem. V. 1. &c. Pſalm. CIX. 11. 12. Prov. XXVIII. 8. Jerem. XV. 10. Jezech. XVIII. 8. 13. 17. & XXII. 12. De Karæis,ſeu Judæis Scripturariis Victor à Carbe, converſus Judæus, ſcribit lib. II. cap. III. quod reliquorum Judæorum uſuras improbant: *Plurimi enim de gente & ſecta veſtra in aliis regionibus procul abhinc extant Judæi, qui Moyſi præcepta longe aliter ac melius forte & tradunt & ſervant qui inter vos Coraim appellantur: qui nec uſuras committunt, ut vos utique facitis.* In Miſna Sanhedrin, cap III. inter profanos & rejectaneos ponuntur,primi aleatores,tum *fæneratores*, מלוים ברבית. Atque Sixtus Medices, *de fænore Judæorum lib.* II. *cap.* III. refert, Judæos Romæ à Philippo Archinto, ſuper negotio uſuræ interrogatos ſub juràmento affirmaſſe, *nullo modo licere Hebræos neque in ſuos neque in alienos uſuras exercere.* Variiſque quà Eccleſiaſticis, qua politicis conſtitutionibus interdictum Judæis fęnerari, de quibus diximus in Prolegomenis pag. 28. Ob quam, inter alia, cauſam Angliâ expulſi fuerunt ſub Henrico III. Eduardo I. Et variis in Germaniâ Comitiis, acriter repreſſi. Auguſtanis a. cIↄIↄXXX. Ratiſbonenſibus, a. cIↄIↄXXXII. Auguſtanis iterum, a. cIↄIↄXXXVIII. & cIↄIↄXLVIII. & cIↄIↄLI. Ratisbonenſibus, a. cIↄIↄLXXVI. Francoſurtenſibus, a. cIↄIↄLXXVII. Namque non ſolum illa res bonis Chriſtianorum & facultatibus gravis ſupra modum eſt,ſed in maximum vergit fidei Chriſtianę,& converſionis Judæorum detrimentum. Dum Judæis concedunt Chriſtiani ipſi, duriſſimas illas in ſe exercere uſuras, ſemet intempeſtive Judæis ſubjiciunt,

Digitized by Google

& eos arrogantiores & pertinaciores faciunt in infidelitate ſua, lubenter opinantes ſibi dominium in Chriſtianos ceu gentiles & extraneos competere, eoſq; ſervorum & mancipiorũ inſtar cogi debere ipſis ut inſerviant. Uti hoc à plurimis obſervatum, magnum Judæis à ſuá contumacia abducendis grave ſemper hinc extitiſſe impedimentũ. Tum non hoc ſolum, ſed & Chriſtianis ex illâ non conſuetudine modò cum Judæis, ſed ſubjectione & exactione multiplex datur occaſio deficiendi. Quod etiam nimis quam multis exemplis experientia comprobavit. Quin Judæi utcunque in illa fœneratione Chriſtianis procaciter inſultent atque dominentur, tamen non ſatis conſultum etiam ſuis exiſtimant hac in re, quando tam familiari cum Chriſtianis utuntur paſſim commercio. Quanto ergo magis verendum pauperibus Chriſtianis, quos illi tam acerbe vexant & emungunt? גזרו *decreverunt, ne Judæus ex moribus Gentilis & frequentiori ejus inde conſuetudine male doctus evaderet.* Sed id quidem eo magis verendum hac in parte Chriſtiano, quo eum Iudæus immitius à ſe vitam quaſi mutuare, inde & religionem ferè, cogit. Quare & Chriſtianorum, & Iudæorum conſcientiam nunc erudivimus, hi ne inviſa fœnora exercere, illi ne admittere, ultra velint.

Cap. VIII.

De

MENDACIO.

De Mendacio officioſo, quod dicunt, num licitum ſit. Iudæorum ſententia. Variis rationibus probatur, peccatum eſſe. Et ad exempla Patrum, mendacio forte ſe imprudenter tuentium, reſpondetur.

Supereſt ultimo loco loco hoc etiam breviter examinemus, idque ad præceptum Decalogi nonum, quod de *Mendacio* temere docent Iudæi, quaſi aliquando licito. Mendacium officioſum quod dicitur, ſed eventu, non natura, & eo quod videtur, non quod tale revera ſit, Iudæi etiam probant. Ita Menaſſe, Conciliat. in Geneſ. qu. XXXVII. ubi Abraham dicit, quod Sara ſoror ſua ſit, diſtinguit mendacium in pernicioſum, jocoſum, & officioſum, *ut tota* inquit, *hac res clarior fiat, dico ſecundum Auguſtinum, mendacii tres ſpecies eſſe, aliud enim pernicioſum, aliud officioſum*

Digitized by Google

cioſum eſt. Pernicioſum appellatur, quod legi et bonis moribus adverſatur, et nemini prodeſt, alicui nocet. Hoc ſemper eſt peccatum mortale. Tale fuit mendacium ſerpentis, Saræ, filiorum Jacobi apud patrem ſuum, uxoris Potifaris, Gabaonitarum, meretricis quæ ad Salomonem venit, falſorum teſtium Izebel, falſi Prophetæ Betel, Guehazi, Hazael, & Haman, qui mentiti ſunt neminis commodo, ſed damno alieno. Mendacium jocoſum ad movendum riſum, & oblectandis hominibus uſurpatur: ſed tali abſtinere debet quicunque Deum reveretur, hujuſmodi erat Simſonis mendacium apud uxorem Delilam, quod vita ei tandem ſtetit. Sed officioſum eſt, quod neminem offendit, & quibuſdam prodeſt, idque ſi neceſſitas urgeat, licitum eſt: hoc uſus Abraham apud Pharaonem, & Abimelechum, & famulos ſuos: deinde et Joſeph, Iſhac, Jahacob, Patriarchæ; obſtetrices Hebrææ in Ægypto, Rahel, Mihal, David, Huſai, Eliſſah: qui mendacii beneficio à periculis evaſerunt, abſque damno aut offenſa cujuſquam. Verùm non eſt ut vel authoritas alicujus nos ducat in ſententiam ſacris & veritati minus congruam, vel ſola exempla regulam vivendi prębeant. Non ſi quid vel Auguſtinus, vel alius dicat, ideo verùm, ſed ſolius Dei conſulenda vox eſt & doctrina. Neque quidquid Patriarchę aut Prophetę egerunt, ideo probandum eſt. Aliud eſt, quod docuerunt, & hoc ex divinâ inſpiratione ac dictamine: nam & quia homines, & peccatores, nonnunquam contra egerunt, pro communi vitę hujus imbecillitate, ac agendum ſciebant docebantque ipſi. Ibidem Menaſſe, *Cæterum, ut dixi, quando aliter eſſe nequit, neque offenditur quiſquam, licet uti mendacio officioſo.* Tum de æquivocationibus: *Talibus autem ambagibus atque intricatis verbis, & quocunque ducantur inclinaturis, uti licet, modò neceſſitas urgeat, & bono fine, atque abſque alterius damno id fiat. Sic quoque veteres noſtri ſapientes dixerunt, quod in Talmud Babylonico, Hieroſolymitano, Jalcut, & pluribus locis Rabot, confirmatur,* מותר לשנות מפני השלום, *licet variare pacis cauſa: ubi illud variare, ambiguitatem verborum denotat: pacis autem vocabulum id, quod nemini detrimentoſum, & proximo utile eſt, finemque bonum habet.*

Nequaquam vero licent illa: vel ita loqui, ex quibus non niſi falſum colligi & intelligi poſſit, quod, quidquid ſit de eventu, vel naſcente hinc hominibus commodo, mendacium in ſe continet, quale quale illud ſit; ſed veritatem ſectari, & loqui ſemper oportet, & pręferre omni in caſu. Ratio prima, quia hoc *jubemur*, & hinc commendatur prędicaturque viri probitas, ſi loquatur verum in corde, vel ex corde ſuo, ודבר אמת בלבבו, Pſalm. xv. 2. Addit hic Menaſſe, *in veritate mundum à Deo creatum, nec*

ſine eâ ſtare poſſe. Quod denotatur in principio et fine creationis; nimirum ברא אלהים את *creavit Deus: quarum vocum tres poſtremæ literæ ſunt* א מ ת *Aleph, Mem, Tau, quæ conjunctæ faciunt vocabulum* אמת *veritas. Unde ait Pſalmographus, Principium verbi tui veritas. Rurſum in fine creationis dicitur,* ברא אלהים לעשות *creavit Deus ad faciendum. Ubi ſimiliter tres poſtremæ literæ formant vocem* אמת *veritas. Eſtque unum ex divinis attributis illud, nam ait Jeremias: Et Dominus Deus veritatis. Hoc dicunt ſigillum ejus eſſe: quia ex tribus illis literis prima eſt princeps alphabeti, altera media, tertia noviſſima; ſuntque ſymbolum primæ cauſæ quæ principium medium et finis eſt; novit præterita, præſentia, ac futura. Adeoque ipſa veritas eſt, nam ille ſolus verè exiſtit, quia ab alio non dependet. Igitur his de cauſis æſtimanda eſt moralis illa virtus, quia ut ait Isbac Abravanel ad cap. III. Zechariæ, includit omnia activa præcepta, et virtutes Theologicas.* Deinde, omne mendacium in genere prohibetur, improbatur à Deo, atque jubemur illud fugere. Exod. xx. 14. Pſalm. IV. 3. & V. 7. Prov. VI. 17. & XII. 22. & XIX. 5. 22. & XXX. 6. 8. Ieſa. LIX. 4. 14. 15. Ierem. V. 31. Hoſ. IV. 2. Zach. VIII. 16. Atque hinc tanti fit in Scripturis veritas, ut eo omnis virtus κατ' ἐξοχὴν & per compendium denotetur. *Via veritatis*, id eſt, virtutis, Pſalm. CXIX. 30. 86. 160. Hoſ. VII. 1. Quarto, regula abſoluta eſt & perpetua, non eſſe faciendum malum, ut inde eveniat, vel ſperetur aliquod bonum. Nam ſic nimis lata nobis, & arbitrio noſtro omnis maliciæ daretur porta & prætextus. Neque noſtrum ſub arbitrium flectenda Dei præcepta, vel officia nobis ab eo præſcripta. 1. Sam: XV. 21. 22. Quinto, ſpeciatim mentiri non licet, putatitii alicujus boni cauſa; ne pro Deo quidem. Iob. XIII. 7. *num pro Deo loquemini iniquitatem, vel pro eo loquemini dolum?* Denique & malum, & omnis mali cavenda nobis eſt ſpecies. Quare quum pro ſpecie ſaltem mali nemo non habiturus ſit mendacium illud, omittendum fugiendumque omnibus erit qui veritatis pietatiſque amantes eſſe velint.

Quod exempla nonnullorum objicit, vel adfert Menaſſe, ad id jam reſpondimus, & notum ſatis eſt, exempla regulam non facere, neque exemplis vivendum, ſed legibus, ex quibus de vita, non viceverſa hinc ex illis judicium formandum eſt. Probamus quidem, ut quantum fieri poteſt Patres à peccatis excuſentur, uti in multis quæ Menaſſe hic adfert, à mendacio defendi facile poſſunt, non tamen ut putentur peccato prorſus caruiſſe: neque ad ipſorum facta, nedum peccata, leges flectamus. Homines fuerunt, quamvis ſancti, non autem impeccabiles, doctrinâ infallibiles

libiles, non vitâ, quando Spiritus S. aliter eos egit quando docerent, aliter, nec pari certitudinus gradu, dum viverent.

Liber Octavus.
De
Hominis Extremis.
Caput Primum.

De mundo futuro. Quid עלם *Hebræis. Ejus diſtinctiones, & diviſiones. De mundo animarum. Mundus, vel ſæculum Meſſiæ, & ejus epulum. De Zadducæis, animarum negantibus immortalitatem.*

POſtremum hunc librum, rerum ultimis, Hominis imprimis, ejuſque ſtatui poſt hanc vitam extremo, diſcutiendis reſervavimus. Nam & de hoc eſt, quod cum Judæis diſceptemus. Vocant עולם הבא *mundum*, vel *ſæculum venturum*, diſtinguentes paſſim, in עלם הזה *ſæculum hoc*; & עולם הבא, *venturum*, quod etiam עתיד *futurum*. עולם ſignificat *tempus*, *ævum*: & deinde quod in eo eſt, hoc *univerſum*, *mundum*. quemadmodum αἰὼν, & αἰῶνες, de tempore, & univerſo ſumitur. namque αἰῶνες etiam facti à Deo dicuntur. עלם *mundus* accipitur vel pro *magno* mundo עולם הגדול; vel *microcoſmo*, ſeu homine עולם הקטון. Ille triplex dicitur, *infimus* השפל, qui terræ & aquæ globum continet; *medius*, התיכון aëris, & cæli ſtellati; *ſupremus*, העליון locus beatorum, Angelorum. Reſpectu *temporis* עולם aliud *præſens*; aliud *futurum*. De hoc diſputant inter ſe Judæi, quodnam intelligi debeat. Nam de tribus uſurpant, mundo vel ſæculo *animarum* hinc decedentium, quod appellant עולם הנשמות: vel de diebus, & tempore *Meſſiæ*, quem adhuc expectant, ביאת המשיח: vel de tempore & ſtatu poſt *reſurrectionem* futuro, תחית המתים. Nos primum dicemus, de ſtatu *animarum*, per mortem à corpore ſeparatarum: deinde, de hominis *reſurrectione*: tertio, de *fine mundi*: denique ſtatu hominis *æterno*, ſive in *cælis*, ſive *inferno*. Namque in ſingulis variæ ſpectandæ Judæorum ſententiæ ſunt, tum examinandæ.

De

Digitized by Google

De ſæculo autem vel diebus Meſſiæ dicere nunc ſupervacuum: quoniam in præcedentibus error ille graviſſimus oſtenſus à nobis eſt, quo eum adhuc venturum temere affirmant Judæi. Cætera de felicitate & deliciis, quæ fingunt ſibi miſeri, dierum iſtorum, quando ſcilicet ſplendidum illud epulum inſtruetur, ex bove ſilveſtri שור הבר hunc ſolum in finem creato, ſaginatoque, de quo nempe Job. xl. 10. 14. Pſalm. l. 10. qui diebus ſingulis mille depaſcat montes, de nocte iterum in ſuum alimentum tantundem egerminantes: ex piſce Leviathan, de quo ſcilicet Job. x. 20 Pſalm. civ. 26. (nam hæ immanes feræ ne nimis multiplicarentur, ut binæ creatæ, Deus fæmellam (ſic tradunt) interemit, ſaliitque in hoc ſc. celebre convivium; mares autem caſtravit): ex ave Juchna בר יוכנה, cujus vel unum ovum tantæ magnitudinis, ut è nido forte aliquando projectum trecentas cedros altiſſimas contunderet, & liquore ſuo inundaret ſexaginta pagos: tum ne vinum deeſſet delicatiſſimum, ad hoc jam ab initio creatum dicunt, de quo Targum, Cant. viii. 2. ארבינך מלכא משיחא. *Ducam te Rex Meſſias, & introducam te in domum ſanctuarii mei, & docebis me timere à facie Domini, & ambulare in viis ejus, & ibi prandebimus prandium, & bibemus vinum vetus, quod reconditum eſt in uvis ſuis, à die quo creatum eſt ſæculum, & de malis punicis, quæ præparata ſunt juſtis in paradyſo voluptatis.* iſta jam ipſis Judæis pudori eſſe cœperunt. Quare alii maluerunt myſtice exponere, & per allegoriam: magis quid è re ipſorum ſit, ſpectantes, quam quid de ſenſu & ſententia Antiquorum; qui illa ſic credi, prout referrent, voluere. Menaſſe, lib. ii. de Reſurrectione. cap. xix. *Atque hæc intelligentia, intimaque ac perfectiſſima rerum omnium cognitio, eſt epulum illud, de piſce Leviathan, de quo legitur in tractatu Baba Batra, quod Deus iſto tempore præparabit illis, qui optime, ac ſanctiſſimè in terris vixere. Hæc eadem eſt fragrantiſſimum vinum illud conſervatum in uvis ſex dierum Bereſit ſive creationis, cujus mentio fit in Berachot. Quæ omnia non ſunt proprie, ſed metaphorice intelligenda; uti recte monemur in libro Zoar, Paraſt Toldot. Et quemadmodum probe obſervatum eſt à R. Gabay, in libro abodat à codes, per iſta, ac ſimilia, ſignificatur ſpiritualis animarum oblectatio, voluptas, ac gaudium quo in illo ſtatu potientur: ſicuti enim vinum hic hominum animos oblectare, & exhilarare ſolet: ſic etiam ſtatus ille ſpiritualis reſuſcitatos omni ac perpetuo gaudio perfundet. Sed de his Rabbinorum, et Talmudis allegoriis alias, ac ſeorſum ſingulari tractatu agere, mihi propoſitum eſt.*

Quod ad *animas*, & ſæculum vel mundum Primò animarum, aliqui docuerunt

Digitized by Google

docuerunt mortales eas eſſe, non immortales. Ii duum fuerunt generum, (de Judæis loquimur): Alii ex ſolâ animi *impietate* illud dixerunt; ex quadam opinionis *hæreſi* alii, quos Judæi מינים appellant. De quo vide Buxtorfium, in Lexico. Illi ſectæ ſuæ auctorem habent Cainum; hi Zadokum. Cainum fratri Abeli dixiſſe, quando eocum ad pugnam & cædem uſque contenderet, refert Targum Jeroſolymitanum, Geneſ. IV. 8. לית דין ולית עלם אוחרן ולא למתן אגר טב לצדיקיא ולא לאתפרע מן רשיעיא, *non eſt judicium, neque judex, neque ſæculum aliud, neque merces bona juſtis, vel ultio de impiis.* poſtquam Deus illum graviter ibidem dicitur de futuro judicio & ſæculo admonuiſſe.

Sectæ Zadduceæ origo ſatis nota, à Zadoko Antigoni diſcipulo. Antigonus iſte quum docuiſſet, Deo non ſerviendum eſſe inſtar mercenariorum, אל תהיו *Ne eſtote ſimiles ſervis, qui ſerviunt Domino mercedis gratia: ſed illis, qui abſque ſpe & exſpectatione mercedis, Domini juſſa exequuntur, & timor Creatoris veſtri ſit ſupra vos*: diſcipulorum alter Zadokus hoc ita accepit, quaſi Magiſter ſimpliciter negaſſet mercedem poſt hanc vitam, eoque & animas eſſe immortales: quum non hoc, ſed ne ſolo mercedis intuitu Deum colerent, edixiſſet, nedum ut de animabus quid, vel earum ſuſtuliſſet immortalitatem; uti contra Zadokum acriter & melius id tenuit ſocius & condiſcipulus ejus Baïthus. De quibus in Pirke Avoth, *cap.* I. Joſephus, *de bello, lib.* II. *cap.* XII. R. Nathan Juſtus (ita editio mea Baſilienſis auctorem ſuum præfert: de quo & Druſius, *Obſervat. lib.* XIII. *cap.* II.) in *Aruch, voce* ביתוסין. Atque ex illis paſſim alii.

Nec deſunt hodie etiam inter Judæos Zadducæi. Cujus rei fidem faciunt libri Menaſſis *de reſurrectione*; & *de animâ*: in quibus ex profeſſo, & multis, contra Zadducæos diſputat, & tum argumenta contra illorum hæreſim, tum objectiones ipſorum profert, & examinat. Adde Urielis Hebræi *Examen traditionum Phariſaicarum, cum lege ſcriptâ collatarum, contra animæ immortalitatem.* Et Samuelis de Sylva tractatum, *de immortalitate animæ*, libros Amſteldami impreſſos. Ut nihil hac in re addere nobis opus ſit, dum hæreſim illam ſatis exagitant Judæi ipſi, quam *Scriptura, ratio, ſenſus*, & *conſenſus* omnium clare ſatis, valideque explodunt. Atque hinc contra Sadducæos perpetuo eorum adverſarii Phariſæi, de quibus Joſephus antiquit. lib XVIII. cap. II. *animas credunt eſſe immortales, & ſub terris eorum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito, et has perpetuis damnari carceribus, illis facilem eſſe ad vitam reditum.*

CAPUT SECUNDUM.

Sententia Iudæorum de anima à corpore ſeparatâ, & per XII. *menſes circum cadaver ſuum volitante. Quam tum temporis facile in priſtinum corpus Magi queant reducere. De Samuele, an à Pythoniſsâ fuerit evocatus.*

ANimam à corpore ſeparatam Judæi ſcribunt, per integrum adhuc annum circum cadaver ſuum vagari, amore videlicet ejus & deſiderio, nequiens oblivíſci vetus amicumque contubernium: atque eo tempore à Dæmonibus aërem inhabitantibus, quos מלאכי חבלה, & aliis nominibus appellant, facile in priſtina ſua corpora reduci poſſe, ac inſervire artibus, rebuſque magicis. Quod vel hoc ſolo ſatis redarguitur, quia nefandæ arti in ſubſidium confictum eſt, & patrocinium. Neque enim, vel animas copore exutas *vagari*, vel circum ſedes *corporum* ſuorum, aut poteſtati *dæmonum* ſubjectas, ab iiſque in corpora ſua reduci poſſe ulla, vel ratio, vel Scriptura docet.

Quod de Samuele à Pythoniſsâ excitato I. Sam. XXVIII. 14. objicitur, ſolvi facile poteſt, & ab ipſis Judæorum Doctoribus reſpondetur, non ipſam Samuelis animam fuiſſe, ſed vel ſpectrum magicum; vel à Deo ipſo ſuſcitatam animam fuiſſe, ut Sauli futura prædiceret; aut fortem Regis fuiſſe imaginationem: certe non ut tantum in animam hominis demortui & Prophetæ, vel Pythoniſſa, vel Dæmon potuerit, ut eam inquietare poſſet, aut reducere. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. VI. pag. 167. *Ac primo quidem ſciendum eſt, multos fuiſſe ex antiquis, qui exiſtimarint fieri non poſſe, ut animæ juſtorum, ac præſertim tanti viri poſt mortem inquietentur; ac proinde totum illud à fraude muliebri eſſe profectum. Hoc ſenſit R. Samuel Hopni:* pag. 168. *R. Sebadiach Ogaon, et R. Hay dicunt impoſſibile fuiſſe ut Pythoniſſa iſta Samuelem excitaret, animamque ejus inquietaret, niſi Deus ipſum prius ſuſcitaſſet, eo fine ut Saul, quæ ventura ei eſſent prædiceret.* pag. 169. *R. Levi ben Gerſon opinio eſt, quod Saul ſæpiuſcule cogitans ea quæ Samuel ei prædixerat fore, ut regnum ejus extingueretur; tantum cogitationibus, ac phantaſiæ indulſerit, ut putarit ſe videre aliquem, qui ſibi extrema annuntiaret; ita ut univerſa hiſtoria tantum imaginaria ſit dicenda.* Verùm nulla iſtarum ſententiarum Menaſſi placet, *Quare lubet amplecti opinionem antiquiorum, quam in libro Zoar expreſſam legimus: Quæ hoc fundamento nititur, quod Deus dicitur ex puriſſima materia x. Scephirot ſive divinas luces feciſſe, & ex impuriori alios x. ſpiritus, potentias exteriores, quos vocant*

קליפות

Digitized by Google

קליפות Keliphot ſive putamina. Decem priores ſunt ſummi & ſupremi, & alii decem ſunt inferiores ſeu ſublunares. Idcirco certo ſtatuendum eſſe dicunt, dari ſpiritus quoſdam, quorum tanta poteſtas in animas hominum defunctorum ſit, ut eas ſibi ſubjectas habeant, & quo ipſis videtur corpore induant. Sed neceſſe eſt ut id faciant intra ſpatium XII. *menſium, poſt exceſſum hominis: Nam per id tempus ſæpenumero (ut in Gemara Sabat legitur) anima aſcendit & deſcendit ad corpus. Et ratio eſt, Anno integro anima non omnino abeſt à corpore ſuo, neque amorem domicilii ſui plane abjicit, hinc quamdiu annus iſte abſolutus non eſt, remigare ac retrahi poteſt à ſpiritibus in corpus ſuum, quippe qui in aëre habitant. Atque hæc veriſimillima opinio eſt; dicendum proinde eſt Samuel animam arte magica pythoniſſæ in corpus ſuum revocatam, potuiſſe Saulem alloqui eique futura prædixiſſe. Quemadmodum etiam à R. Meyr Gabay in libro Abodat à Kodes obſervatum eſt. Item ab antiquis in Jalkut dictum legitur.* כל הנביאים כלם נבאו בחייהן אבל לא כמותם חוץ משמואל שנבא אף לאחר מותו שנאמר מחר *(Reliqui prophetæ omnes, præter Samuelem vaticinati ſunt, dum viverent: ille autem non tantum in vita; ſed etiam poſt eam prophetavit, quoniam dixit Sauli: Cras tu & filii tui mecum erunt.* Sed primo, ponit multa, quæ non probat. Quod de creatis x. Scephiroth, vel Keliphot: de illorum in animas humanas poteſtate: termino temporis, intra duodecim ab exceſſu animæ menſes: de animarum iſto tempore adſcenſione, & deſcenſione: amore & deſiderio erga priſtinum corpus, & domicilium: ut nec vera, nec veriſimilis opinio dici poſſit, quæ tot laborat hypotheſibus incertis non modo, ſed falſis. Tum, quid minus vero ſimile, quam alicujus, ne dicam tanti viri animam potuiſſe arte magicâ Pythoniſſæ, in corpus revocari, & illius nutu prædicere futura?

Sed, *à muliere diſerte quæritur, Quem vis, ut tibi ſuſcitem? & Saül reſpondit, Samuelem. Si ſpiritus malus ſub perſona Samuelis fuiſſet, quomodo dixiſſet, Cras tu, & filii tui mecum, quaſi vero Saul, et filii ejus in dæmoniorum numerum fuiſſent recipiendi?* pag. 169.

Reſp. I. Ergo quemvis ſuſcitare, pro lubitu, mulier poterat? negatur. Nam nec ejus verbis, nec arti damnatę credendum, neque opinioni, quam de ſe haberi voluerit. II. *Quem vis ut tibi ſuſcitem?* nempe prout ſolebat & ferebat ars ejus, id eſt, in ſpectro, non veritate. III. Samuelem cupiebat Saul, quia reſponſum petebat & prædictionem, quam à nemine putabat ſe certius petiturum, quam à Samuele. Tum, ubi quis ſe in poteſtatem & officinam iſtorum hominum tradit, ad eorum nutum & opiniones ſe componere & loqui ſolet, quo plura ab iis reſciſcat; non quod ex illo tum ſermone aliquid certi veri-

Digitized by Google

que colligi queat. IV. *Cras tu, & filii tui mecum*, ſignificat, nôn in dæmoniorum ſuturas poteſtate & contubernio, ſed in ſtatu mortuorum. Quod conjicere Spiritus potuit, tum ex derelictione divinâ, qua Saulem Deus nunc à ſe rejecerat; tum ex conturbatis Iſraëlitarum contra Philiſtæos rebus. Denique vel ſi diceremus, hunc verum Samuelem fuiſſe, non tamen dicendum eſſet, eum arte magicâ ſuſcitatum fuiſſe, neque in omnes animas tantam Dæmonum eſſe poteſtatem; ſed dici poſſet, Deum voluiſſe, ut ad operationem magicam, non ejus vi, nec voto, non ſpectrum, quomodo ſolebat, ſed verus Samuel appareret, qui ſua contra Saulem vaticinia & ſermones pridem habitos confirmaret. Et quod inde tum mulier, tum Saul ipſe, conſpecto Samuele, ut re inopinatâ, adeo obſtupuerint, & Rex quidem clamarit voce magnâ. Qua ratione diſtingui hic debet, an dicamus, verum Samuelem Sauli *apparuiſſe*, an à *Pythoniſſa excitatum*. Hoc nullo modo ſtatuendum: illud ſi quis dicat, non adeo impingit. ſiquidem apparuit; à *Deo*, non Pythoniſsâ ſuſcitatus fuit: neque ad comprobationem artis nefandæ hoc factum, ſed judiciorum & vaticiniorum Dei. Sic dici quidem poſſet, ut nihil adeo, quod contra analogiam fidei valde eſſet, hinc ſequeretur: atque ſic inter Hebræos rem expoſuerunt Saadia Gaon, & R. Hay. Non tamen præferendum priori ſententiæ & expoſitioni arbitramur. Vel propter id etiam, quod Menaſſe in contrarium movet: *etenim ſi Deo placuiſſet Sauli indicare, quæ eventura ei eſſent, quare id non feciſſet quando ab eo conſulebatur per Urim & Thumim? aut in ſomnis, vel per prophetam? ſed quia Saul quærebat Pythoniſſam, eamque invenerat, ex eo non obſcure colligitur, eam magica ſcientia ac ſolertia inſtructam, futura illi expoſuiſſe.* Scilicet, prout illi homines futura exponere ſolent, non prædictionis certitudine, & verâ futurorum ſcientiâ, ſed conjecturâ, & certitudine morali. Quæ hic Menaſſe, eadem repetuntur in Conciliatore ejus Hiſpanico, ad 1. Sam. XXVIII.

CAP.

CAP. III.

DE

גלגול, SIVE ANIMARUM μετεμψυχώσις.

TRanſmigratio animarum credita olim Ægyptiis; Pythagoræ; ejus præceptori Pherecydi Syro, Theologo; Platoni. Druidibus, apud Gallos. Inter Iudæos, Phariſæis. Duplex Iudæorum גלגול vel revolutio, animarum, & corporum. Animarum tranſmigrationem docent aliqui, de animabus hominum proborum, alii & malorum. Vel in corpora humana duntaxat, vel etiam brutorum. Atque tribus illam contingere vicibus. Reſpondetur ad Job. XXXIII. 29. *Commentum rejicitur, ſanioribus inter Gentiles, atque Iudæos, exploſum. Reſpondetur argumentis Menaſſis, illud propugnantis. Reuchlinus, per Cabalam, myſtice interpretatur ſententiam & dogma Pythagoræ, de metempſychoſi.*

QUi animas manere dicunt, & non cum corporibus intermori, in diverſas abeunt ſententias, de earum ſtatu, & vitâ. τὴν ψυχὴν καὶ ἐπιδιαμένειν καὶ μετεμβαίνειν dixerunt Ægyptii Philoſophi, apud Herodotum, in Euterpe; & Diogenem Laertium, in Proœmio, *animam & perdurare, & ſubinde migrare.* atque ita Philoſophorum inter Antiquos plurimi. Ab Ægyptiis idem hauſit Pythagoras, cujus ſententiam, & varios per plurium corpora Æthalidis, Euphorbi, Hermotimi, & Pyrrhi, caſus commemorat idem Diogenes, in ejus vitâ. Hinc & apud Ovidium, lib. XV.

Morte carent animæ, ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam &c.
Omnia mutantur; nihil interit, errat & illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoſlibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis ſignatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas ſervat eaſdem,
Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eandem
Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.

Pherecydem Syrum, Pythagoræ Præceptorem, qui primus ſcripſiſſe

dicitur

dicitur opus, quod θεολογίαν appellavit, unde & cognominatus Theologus, (Salmaſius, in *Solinum, part.* II. *pag.* 841. Voſſius, *de Hiſtoricis Græcis lib.* IV. *cap.* IV.) primum opinionem illam de animarum tranſmigratione, è Phænicum, ut probabile, commentariis hauſtam, tradidiſſe, Illuſtrius auctor eſt, in libello *de Philoſophis*. Similia Plato docuit in Menone, ſaltem tradit ab aliis doceri, φασὶ γάρ. Druides, apud Gallos: alii alibi. De illis Cæſar, comment. lib. VI. *Inprimis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios: atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.*

Cæterum inter Judæos eandem amplexi ſententiam fuerunt Phariſæi: de quibus Joſephus, lib. II. de bello, cap. VII. ψυχήν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην. τὴν δὲ τῶν φαύλων, ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Animam quidem* docent, *omnem incorruptibilem eſſe, tranſire autem in alia corpora, ſolam bonorum; improborum verò interminabili ſupplicio cruciari.* Μετεμψύχωσιν, vel μετάβασιν illam, aut μετεμσωμάτωσιν, μεταγγισμὸν Epiphanio, Rabbini appellant גלגול, & גלגול הנפשות, *revolutionem animarum*, de corpore in corpus. Alioqui per גלגול intelligere etiam ſolent cadaverum per abditos terræ meatus & cavernas revolutionem ad terram uſque Canaan, ut hic reſurgant: quod Judæis obventurum credunt extra Canaan mortuis, & ſepultis. Unde verò Phariſæi opinionem illam hauſerint, quave occaſione, ego non dixero. Illi ad piorum animas hoc reſtringunt; alii commune faciunt omnibus, & piorum animas in humana; impiorum in bruta tranſire corpora, exiſtimant: atque tribus id contingere vicibus. Sic Tiſbi, in voce גלגול, *ſententia Cabaliſtarum eſt* ודעתם *unamquamque animam tribus vicibus creari: volunt dicere, quod ea volvat ſe per corpora trium filiorum hominis. Et locus Scripturæ, unde probationem ſumunt, eſt iſte, Ecce omnia iſta operatur Deus cum hominibus tribus vicibus,* Job. XXXIII. 29. *unde ſic dicunt, quod anima primi hominis volutaverit ſe in corpus Davidis Regis, & ex Davide volvet ſe in corpus Meſſiæ: idque ſignificari per litteras, quæ ſunt in voce* אדם, *quarum unaquæque integram dictionem conſtituat,* א *Adam,* ד *David,* ם *Meſſias.* (Vide & Buxtorf. in abbreviat. אד״ם.) *Sic quoque dixerunt, quod anima hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, uniuſcujuſque anima ſecundum id, quod peccavit. Exempli gratiâ, qui rem habuit cum maſculo, anima ejus migrat in leporem; quia is ſcilicet in coitu modò marem agit, modò famellam. Qui verò rem habuerit cum alterius uxore, anima ejus in gamelum migrat; ideoque David ait, Cantabo Domino,* כי גמל עלי.

Pſal.

Pſal. XIII. ult. *quod explicatur, Cantabo tibi, & confitebor tibi, quod abſtuliſti peccatum meum, & liberaſti animam meam de gamelo.* Atque ita dicunt, Labanis & Bileami eandem fuiſſe animam; Phinees, atque Eliæ eandem: procul dubio ob paritatem zeli. Levi ben Gerſom, in 1. Reg. XVII. 1. Kimhi, in 1. Paral. IX 20. Quodque blaſphemum ſupra modum, animam Eſavi dicunt deſcendiſſe in Chriſtum noſtrum: quandoquidem & litteræ nominis conveniunt, ישו. Abravanel, in Jeſa. XXXV.

Quod Job. XXXIII. 29. dicitur, Deum bis vel ter ita agere cum homine, שלש פעמים; nequaquam ad animarum tranſmigrationem trahi debet, de quâ iſto loco ne γρῦ quidem: ſed de communibus Dei erga hominem actionibus intelligendum; præſertim providentiâ ejus erga hominem ſervandum & liberandum à malis atque calamitatibus. Philo etiam, libro de Somniis, non omnes, ſed aliquas animas quandoque in vitam redire philoſophatur, prout deſiderio corporum & vitæ corporalis tenentur: *ex his aliæ tactæ vitæ deſiderio rurſum ad eam recurrunt aliæ pertæſæ hujus vanitatem, corpus ceu ſepulchrum aut carcerem fugiunt, & ſublimem ætherem petentes pennis levibus totum ævum ibi exigunt.*

De ipſa ſententia verò, ejuſque momento optime pronuntiavit Lactantius, lib. 7. cap. 12. *quæ ſententia deliri hominis* Pythagorę, *quoniã ridicula, & mimo dignior quam ſcholâ fuit, ne refelli quidem ſerio debuit, quod qui facit, videtur vereri ne quis id credat.* Mirum autem valde, id quod inter Gentiles habuit alios ſaniores & melius edoctos, quique refutarę id ſciverunt ac rejicere, ſapientibus Judæorum placere potuiſſe, ut arriperent. Sed nec omnes Judæos ejus erroris inſimulare debemus: ipſe Menaſſe, qui in luto hic hæret, Saadiam Gaon, Joſephum Albo, & Ambonit, novit contra ſe ſtare, & tranſmigrationem illam reſpuere. Etiam Benjamin Tudelenſis, in Itinerario, pag. 34. quando illam quorundam ſententiam refert, quos appellat Dogzin, docentes, *animam quum ex alicujus probi corpore migrat, occupare corpus cujuſdam pueruli, qui eo momento quo anima è corpore ſuo migrat, naſcitur: ſin ex improbo diſcedat, occupare canis, aut jumenti corpus.* ſubjungit, זה דרכם כסל למו, *hac ratione ſtoliditatem ſuam ſatis produnt.*

Audiamus tamen, quæ Menaſſe pro iſtâ ſententia adſerat. Probat autem eam non uno in loco. Conciliat. in Geneſ. Quæſt. XLIII. *Septimo atque ultimo, divini Cabaliſtæ in* μετεμψύχωσιν, *ſeu animarum tranſmigrationem credunt, multis quoque gentilium traditam, & in his Orpheo, Mercurio Triſmegiſto in Pœmandro. Pythagora, Platoni in Phædro,*

Timæo, &

Timæo, & Menone, ac Virgilio, qui ſexto Æneid. ait:

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

Lib. II. de Reſurrect. cap. XVII. *Celebris, ac decantata illa opinio Cabaliſtarum, de tranſmigratione animarum fundamentum ſuum juxta eos habet in gratia, ac miſericordia divina. Addunt vero iidem, quod ſicut operationes animæ, plerumque ſequuntur temperamentum corporis; ita animæ etiam aliquo modo apud Deum conquerantur de eo, quod in meliora, & aptius diſpoſita corpora ab eo non fuerint miſſa ac compacta, cum tota differentia, quæ inter homines, eſt ratio, à corporum temperamento vario dependeat. Hinc cholericus forte dicat, in corpore meo prædominatur bilis; ignavus, ac ſegnis, in corpore meo phlegma, ſeu pituita redundat; libidinoſus, in meo ſanguis bullit, atque ita in reliquis. Ob hanc rem Dominus Deus, ne habeant animæ quod conquerantur aut prætexant, eas in alia nova corpora tranſmigrare facit; & quidem triplici de cauſa; vel ut perfectionem iſtam acquirant, quam ob malam prioris corporis temperiem conſequi non potuerant, vel ut perfectiores multo, imo omnibus virtutum numeris abſoluta fiant in hoc mundo, qui virtuti exercendæ deſtinatus eſt, uti futurus mundus præmio ac remunerationi; vel denique, ut caſtigentur, &*

Reſp. I. Non negamus, Ethnicorum illam ſententiam fuiſſe, ab Ægyptiis proditam; ſed probatam, negamus. Imo hoc ei obſtare potius debet, quod à Gentilibus orta; non eam commendare. II. Neque plus fundamenti habet in gratiâ & miſericordia divina: quæ non ad lubitum noſtrum confingenda; ſed juxta Dei voluntatem interpretanda. Alioqui quid non hoc fundamento poſito comminiſci facile homines poſſent, & ſtatuere? III. Unde probat, animas de hoc apud Deum conqueri, quod illa, vel talia corpora ſibi obtigerint? Unde, quod in hoc cauſam peccatorum ſuorum conjiciant? Quod hoc Deus comprobet, eoque iis alia & alia corpora de novo deſtinet ac largiatur? & prioribus meliora? Hæc ſumere, & nihil probare, eſt hominum non diſputantium, ſed nugantium. IV. ſequatur anima corporis temperamentum, non ei ita tamen illigata vel obnoxia eſt, ut non vincere poſſit debeatque, ratione primum, tum religione, & Dei ſpiritu. V. Triplicem finem conſtituit tranſmigrationis animarum, ut acquirant perfectionem, ad quam in priori corpore attin-

Digitized by Google

à peccatis, ac vitiis iſtis purgentur, quæ in priore corpore commiſerant, ut ita purgatæ, ac liberatæ à peccatis in hoc mundo, in mundo animarum bonis quibuſdam frui poſſint; atque ita tranſmigratio hæc tota cedat bono ac commodo animæ. Hanc tranſmigrationem dicunt ter fieri voluntate ac permiſſu Dei, juxta illud Iobi, Ecce omnia iſta operabitur Deus vicibus tribus cum homine. Ac licet à R. Sebadya Agaon, et R. Ioſeph Albo negetur hujuſmodi tranſmigratio animarum: nihilominus tamen ea in Zoar, non exiguæ autoritatis libro, comprobatur ac confirmatur. Quam vera etiam hæc ſit opinio, patet ex hiſtoria Iudæ, & Thamaris, & ex precepto de ſuſcitando fratri ſemine, ſi improlis diſceſſerit. Multi præterea ex antiquis Philoſophis agnoverunt tranſmigrationem animarum; uti ex Platone in Phædro conſtat, qui refert ultima Socratis verba hac de re fuiſſe, cum Athenis ad mortem damnatus venenum bibere eſt coactus. Similiter Pythagoras, et Virgilius hac de re multa ſenſere: et fortaſſis hanc opinionem hauſere vel à prophetis, vel à ſuperioribus ſeculis. Eandem quoque opinionem ſequutus eſſe videtur Chaldæus Paraphraſtes apud Eſaiam cap. XXII. XIV. *Si expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini. Vbi addit,* מותא תנינא (*morte ſecunda*) *Id eſt, donec in aliud corpus anima tranſmigret, & ſecunda morte ab eo ſeparetur. Hic itaque quæritur, cum unica tan-*

attingere non potuerunt, ſibi tamen neceſſariam: ſed ut tantum corporis ratio valeat, tum ut per hanc ſolam non poſſis eò pervenire quò debeas, vel ab hac pendeat quod id acquiras, haud probaverit. Deinde, ut animæ hic reddantur abſolutè perfectæ: ſed ipſe Menaſſe lib. *de Fragilitate humanâ*, contra hominis perfectionem diſputat, oſtenditque, neminem hac in vitâ eò pervenire, ut abſque peccato eſſe poſſit. Tertio, ut caſtigatæ animæ purgatæque à peccatis, in mundo animarum beari queant: quaſi in aliquo corpore, vel vitâ, aut vitæ parte homo ſit, ubi caſtigationem non experiatur, vel caſtigationes ſemper id perficiant apud hominem, quod deberent. Et quod à caſtigationibus exſpectatur boni, ſemper ſequatur. VI. Ad locum Jobi ſupra reſpondimus, neque eo quidpiam de tranſmigratione animarum, non trinâ. Et cur ter potius, quam pluries, vel minus? Quartâ forte vice purgaretur anima, vel perficeretur. VII. Nil opus eſt ut liber Zoar apud nos, etiam apud Menaſſem, majoris ſit auctoritatis, quam apud R. Joſephum Albo, & Saadiam: neque librorum aut Auctorum res hæc agi debet nominibus, ſed rationibus. VIII. Ex S. Scripturâ quomodo opinionem illam confirmare vellet Menaſſe, pluribus oſtendere debuiſſet. In tractatu *de Animâ*, *lib.* IV. *cap.* VI. adfert in eandem

tum ſit anima informans corpus, eaque in duo, vel tria corpora tranſmigret; in quod iſtorum trium revertatur die reſurrectionis, quoniam unica anima non poteſt in pluribus ſimul corporibus eſſe? Reſpondemus, quamquam verum eſt ſapientiſſimum Ambonit in Epiſtola iſta quam ad Ariſbam ſcripſit, iſta ratione adductum negaſſe animarũ tranſmigrationem: nihilominus tamen doctiſſimus vir Iſac Abravanel iſtam quæſtionem erudite ſolvit in commentariis ſuis ad legem divinam: & refutat inſuper ea, quæ ab Ariſtotele adverſus iſtam de גלגול *gilgul, ſive tranſanimatione opinionem objiciuntur. Ac primo quidem ad quæſtionem iſtam in ſpecie reſpondens, probabile eſſe ait, in reſurrectione mortuorum, animas quaſque reverſuras in prima quæ informarunt corpora, ut in iis, et cum iis præmio, aut pœna afficiantur. Quod attinet ad alia corpora, in quæ poſtea migrarunt, ut in illis virtuti operam darent, vel caſtigarentur, ac punirentur, in iſtis à Deo tempore extremi judicii non judicabuntur: quoniam inſtrumenta tantum fuere voluntatis divinæ. Cæterum opinio illa plane pugnat cum traditione veterum: nam in Zoar hunc in modum dicitur, Paraſ. Haye Sara.*
אמר רבי חזקיה אי תימא דכל גופין דעלמא
יקומון ויתערין אינון דאתנטעו כנשמתא חדא
מה תהא מיניהו אמר רבי יוסי אינון גופין דלא זכו
דלא אצלחו הרי אינון כלא הוו כמה דהוו עץ
נש בהאי עלמא הכי נמי כדה כתהיא זמנא וגופא
בתראה יקום דאתנטע ואצלח ונטל שרשו כדקא יאות

rem nonnulla de Adamo, Setho, Davide, & Rubeno; verum quæ elenchum non faciunt. Primum eſt, quod Deus Adamo, poſt peccatum dixit, pulvis es, & in pulverem reverteris. atque hoc putat, primam ejus ſignificare revolutionem in terram, tum ex ר״ח ex litteris vocis אדם formans cum Cabaliſtis, Adam, David, Meſſias, addit, animam Adami in Davidem, denique in Meſſiam tranſmigrare. Iſtud probat hinc, quia dicitur David peccaſſe duntaxat in facto Uriæ: hoc, quia Meſſias aliquoties appellatur David. uti, & ſervient Domino Deo ſuo, & Davidi Regi, apud Hoſeam, atque alibi. Ex Setho idem probare intendit, quia Deus dicitur eum poſuiſſe loco Habelis, quem interfecerat Kain. nempe in Setho erat anima Habelis. Tum dicitur, vivat Ruben, & ne moriatur. i. e. inquit, vivat in hoc ſæculo, & ne moriatur in futuro, intelligendo id de continuâ tranſmigratione. Quæ certe nugaciora, quam ut ſeriò refutentur. Proba, illa de animarum tranſmigratione intelligi debere: non quod tu velis, vel interpreteris, aliis credendi regula eſt, quod accipere debeant & amplecti, præſertim in re putida adeo & ridiculâ magis quam gravi. Nedum ut tanti ſit, de quo pronunciare audeas, quod articulus fidei eſt fundamentalis כי היא אמונה אמיתית ועיקר כי עיקר התורה, quemadmodum loquitur. IX. De Gentilium Philoſophis jam

עליה כתיב והיה כעץ שתול על מים ויעבד אבין ינטע שרשי ואצלת כרקא יאות ועל תהוא נופא קדמאה כתיב כערער בערבה ולא יראה כי יבוא טוב טוב דא תחית המתים (*R. Hiſquiba inquit, ſi mihi dicas, quod omnia corpora expergiſcentur, ac reſurgent, quid ergo, quæro ego, futurum eſt illis corporibus, quæ informata fuere ab una anima? Reſpondit R. Joſeph, quod attinet ad corpora illa, quæ nihil meruerunt, neque quicquam boni præſtiterunt: certe cum illis agetur, acſi nunquam in rerum natura fuiſſent; & quia non aliter quam arbor ſicca fuerunt in hoc mundo, non aliter etiam erunt in futuro. Poſtremum tamen quod informatum ab ea fuit corpus reſurget: quoniam fuit plantatum, & fructus protulit, radiceſque egit, uti oportet. Idcirco etiam ſcriptum eſt:* Pſal. I. *Et erit inſtar arboris conſita juxta aquas: quippe fructus dedit, & radices extendit. Quod ad primum corpus attinet, de eo fiet, uti ſcriptum legitur.* Jerem. XVII 6. *Et erit tanquam juniperus in planitie, & non videbit cum venerit bonum: (bonum, ſcilicet, reſurrectionis mortuorum.) Facile liquet ex verbis iſtis, quæ fuerit veterum opinio. Ratio etiam pro hac opinione eſt: æquum, enim ac par eſt, ut corpus conſequatur iſtud bonum, quod promeruit vel bene agendo, vel ob delicta, & peccata ſua pœnas ferendo.*

At magnus, & inſignis ille Cabaliſta R. Iſaac Lorienſis paulo aliter quæſtionem hanc ſolvit: ſed ſupra dictum, jam dictum. *Fortaſſe* quod dicit, illos opinionem ſuam à Prophetis hauſiſſe, levis conjectura eſt, & nulla. X. Quod de morte ſecundâ, ſive apud Paraphraſtem Chaldæum, ſive alibi occurrit, imperite ad mortem in ſecundo aliquo corpore trahitur. Figmentum merum. Sed ſignificat mortem æternam, quæ ſecunda dicitur à corporali. XI. Non bene ſolvitur difficultas propoſita, quæ hæc eſt: ſi una anima informarit ſucceſſive plura corpora, in utro illorum noviſſimo die reſurget? Illi optime, qui vel propter hanc rationem, opinionem illam tranſmigrationis repudiant. Alii vero reſpondent, reſurrecturam in corpore primo; alii, in ultimo. Poſtremum Menaſſes accipit. Verùm, quod ſi in poſtremo corpore anima non profecerit, ſed abierit in deteriora? quid ſi in primo, vel ſecundo corpore melius vixerit? tum propter illam rationem, ob quam dixit tertium reſuſcitatum iri corpus, ſecundum certè reſurgere debebit, vel primum. Et nulla eſt vel certitudo, vel neceſſitas, quare non tam deficere in ſecundis corporibus anima poſſit, quam proficere; in poſtremo æque ac in primo. *Ratio etiam pro hac opinione eſt*, ſunt Menaſſis verba, *æquum enim ac par eſt, ut corpus conſequatur iſtud bonum, quod promeruit.* Deinde, ſi *æquum eſt, ut corpus non ſequatur iſtud bonum quod promeruit vel bene agendo,*

vel

ctam opinionem, quam in libro Zoar contineri diximus, hic ſufficiat in medium attuliſſe, quia huic dubio ſatisfacit. Idem propugnat *lib.* III. *de Animâ. cap.* X. *& lib.* IV. *cap.* VI.

vel ob delicta & peccata ſua pœnas ferendo, omnia & ſingula corpora reſuſcitari debent, ut vel bona, vel mala ſua referant. Nec videtur ratio eſſe, quare unum corpus magis reſurgat, quam aliud. Sit ut in poſtremo corpore anima ad perfectionem pervenerit: ſed in ſecundo illum vitæ melioris modum forte iniit, vel illos fecit gradus, ut non minoris virtutis præmiique æſtimari debeat, quam iis poſitis fundamentis perfectionem inducere. Quare ergo iſtud corpus magis privabitur reſurrectione, quam aliud? Vel in ſecundo corpore graves ſuſtinuit forte afflictiones, per quas purgata eſt anima: nec tamen merebitur reſurrectionem, (ad hominem hic loquimur) æque ac illud? XII. Omnem hactenus culpam in corpus conjiciunt: ſed quid ni corpora adverſus animas conquerantur, eo juſtius quo ratione præditæ & in hoc conſtitutæ fuerunt ut corpus domarent atque regerent? & fac eo loco, quod animæ indignatæ fuerunt, ſe non in meliora & rectiora corpora intruſas, iſta conqueri, quod non meliores Dominos ſortita fuere, ob quæ infinitis bonis & in hac vitâ, & in reſurrectione priventur: quid quæſo pro corporibus reſponderi poterit, æque ac pro animabus adverſum corpora, ſemel ſi iſtiuſmodi proceſſus ineantur? Nam à temperamento corporis haud magis anima pendet in ſuis operationibus, quam à ratione mentis, corpus. XIII. Totum illud nititur opinione Phariſæorum, de tranſmigratione animarum humanarum in corpora humana, non brutorum: at ſi juxta Judæorum alios ſtatuatur, etiam animas tranſire in beſtias, quid tum fiet de illâ vel difficultate, vel fine tranſmigrationis ad purgandam hominis animam, aut perficiendam? XIV. *Cum unica tantum ſit anima informans corpus*, uti Menaſſe benè loquitur, quomodo anima vel in vivos homines immigrare poteſt; quemadmodum, lib. III. de animâ, cap. X. *diverſa hominum exempla* dicit ſe ponere, *in quos vivos defunctorum animæ immigrarunt*? vel in animalium copora humanæ animæ tranſire, ibique habitare queunt? XV. Opinio illa reſurrectionem hominum evertit. Nam v. g. ſi eadem anima ſit Adami, Davidis, Meſſiæ; eadem Labanis, & Bilhami; tum Phineæ, ac Eliæ, & in poſtremo corpore animæ ſint reſurrecturæ, jam non Adamus, & David, non Laban non Phineas reſurgent, neque pro hominibus habendi erunt. Dein tertia revolutio ubi eſt animæ Labanis, ac Phineæ? nam dicunt, Deum ter ita agere cum hominibus. Denique, mirum eſt Menaſſem, qui alia ſuorum commenta Caba-

liſtica

Digitized by Google

liſtica (inter quę illud etiam de גלגול המתים ſive revolutione cadaverum per terræ meatus abditos uſque in Paleſtinam, ut ibi reſurgant, *lib.* II. *de Reſurrect. cap.* II. de epulo Meſſiæ, *lib.* II. *cap.* XIX. & ſimilia) myſtice interpretari conatur; non illud quoque Pythagorico-Cabaliſticum de animarum tranſmigratione allegorice explicuiſſe, uti certe alii faciunt, non quod hominum animæ in alia corpora tranſeant, ſed illis corporibus, præ humanis, digniores videantur, quibus ſe moribus & vitâ ſua ſupra modum aſſimilant. Quomodo Pythagoram volunt illud intellexiſſe, ut iſto emblemate, & fabulâ ſuos à bruta & irrationali vitâ deterreret. & hinc obſervatam illam ſimilitudinem, ut crudelis & injuſti hominis animam in feram; libidinoſi & ſpurci, in ſuem; levis, in avem, & ſic porro, abire & commigrare dicerent. Quod & Judæis illis obſervatum, qui uti Tiſbi dicentem audivimus, hominum animas in ſimilium beſtiarum corpora tranſcendere, ac moribus & peccatis ſuis hic retulerant, docuerunt, כל אחד לפי ענינו. Uti ἀρσενοκοίτων in lepores; adulterorum, in gamelos &c. Atque ita Pythagoræ Metempſychoſim interpretatur Reuchlinus, ſive Capnio, *lib.* II. *de Cabalâ*; ubi & illud quod Pythagoras dixerit, ſe in bello Trojano Euphorbum fuiſſe, ſimilem in modum exponit de pari animo, ſtudio, & bellandi cupidine, qua flagrarit olim Euphorbus, & ſe præditum Pythagoras agnoſcebat. Qualia à Pythagorâ, ſeu ſerio, ſeu joco dicta, ab invidis & malevolis contra ejus mentem in alium ſenſum tracta, exiſtimat. Quomodocumque autem is intellexerit, Judæos ſimpliciter ita accepiſſe, vidimus; eo indignius, quo & illa exempla, quæ hic adſerunt, commodius de ſimilitudine morum aliquâ exponere; & à Gentilibus illa ad ſe veniſſe; nec aliqua Cabaliſtica aliter quam ſymbolice & ænigmatice interpretari ſciunt.

CAP. IV.

DE

RESURRECTIONE.

Reſurrectionem credunt Iudæi: atque etiam ejuſdem corporis. Statuunt, piorum corpora, non ita ut aliorum, ſtatim à morte, in cinerem abire, attamen horâ unâ ante reſurrectionem totùm reſolvenda in pulverem, ut ex eo ſuſcitentur. Diſputant inter ſe Iudæi, an etiam improbi ſint reſurrecturi Qui etiam improbos reſurrecturos ſtatuunt, non id tamen de omnibus illis intelligunt & ſingulis; ſed excipiunt aliquos, & quos. Probatur, omnes reſurrecturos, & ſingulos.

Reſurrectionis תחיית המתים *veritatem* agnoſcunt & tuentur nobiſcum Judæi, adverſus Zadducæos, & infideles alios. etiam *ejuſdem corporis*. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. xv. *Variæ ſunt opiniones de corporibus, quibus induentur reſuſcitati: multi enim arbitrantur ea longe alia, atque à prioribus diverſa fore, ſcilicet aërea, ſubtilia, & agilia; alii putant ea ſimilia futura cæleſtibus & angelicis corporibus: verùm meo judicio opiniones illæ non ſunt aſſis faciendæ, neque admittendæ: nam reſurrectio nihil aliud eſt, quam ejuſdem corporis cum eadem anima conjunctio, in eadem forma ac figura, ac proinde vocatur (* תחיה *) id eſt, nova vita, quia hæc reſurrectioni propria eſt. Quare ex communi Hebræorum ſententiâ dicimus reſurrectionem fore, quoad idem numero corpus, eaſdemque numero qualitates.*

Cum autem ex *pulvere* reſuſcitanda corpora ſint, in quem per mortem fuerunt reverſa, nugantur, piorum corpora non ita ut aliorum incinerationi eſſe obnoxia, attamen brevi ante reſurrectionem tempore in cinerem redigenda omnia, ut ex eo mox ſuſcitentur. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. XVII. *Sed dato, at non conceſſo, fabulam eſſe, eo antiqui (uti ſæpe inculcare ſolent) docere voluerunt, quod in eorum cadaveribus, qui recte atque honeſte vixiſſent, nihil juris vermes habituri ſint; & quod tamen cadavera eorum hora una ante reſurrectionem mortuorum convertenda ſint in pulverem; nec enim omnibus mortuis ſuſcitandis commune erit, uti ex Adamo liquet, qui ex eorum numero eſt. Huic enim dictum legitur, pulvis es, & in pulverem reverteris. Quia autem quorundam, qui pie, probe, ac juſte vixerunt, cadavera integra, atque incorrupta manent in ſepulchro, quæ alibi ab antiquis recenſentur: idcirco R. Mary inquit, quod ea tandem quoque in pulverem*

Digitized by Google

verem redigentur. & pag. 213. *Quando autem dicimus neceſſarium eſſe, ut illud quoque in pulverem redigatur, ſciendum eſt, id futurum etiam proxime ante reſurrectionem mortuorum, & tum immediate ſtatim totum corpus inſtauratum iri.* Quaſi vel piorum hominum dignitas in corporibus hæreret, vel cadaveribus, iiſque, prout diutius corruptioni reſiſtant: & non, quod Adamo dictum pulvis es, & in pulverem redibis, ad omnes in eo ſpectaret homines: atque experientia comprobaret, ſine diſcrimine cadavera corrumpi, redigique in cinerem?

Diſputatur autem de reſurrectionis futuræ *univerſalitate*, quinam ſint reſurrecturi, an omnes, an modò aliqui? Concedunt, de univerſalitate *locorum*, ex omnibus ubique locis reſurgendos. lib. II. de Reſurrect. cap. II. *Evidentiſſime liquet ex propheta Ezechiele, reſurrectionem mortuorum fore univerſalem, ſive in omnibus mundi partibus*, Deinde etiam *hominum* quorumcunque, ſeu piorum, ſeu impiorum. Quamvis ſuper hoc inter ipſos ſit diſputatio haud levis. Ad ſolos pios reſurrectionem, ut peculiare ipſorum beneficium, reſtringunt Saadia à Gaon, in Dan. XII. 2. Ezra, Raſchi, Kimhi, in Jeſa. XXVI. 14. Moſes Gerundenſis, Ezra, Kimhi, in Pſalm. I. 5. & Jeſa. XXXVIII. 18. Apud Joſephum Gorionidem, lib. III. cap. V. Fratrum Maccabæorum quartus inquit ad Regem: *nos quidem moriemur pro Domino Deo noſtro, qui rurſus vivificabit nos, tibi autem nunquam continget reſurrectio.* Eademque ſententia Maimonidis eſt, & aliorum. Menaſſe lib. II. de Reſurrect. cap. VIII. *Accedentibus nobis ad tertiam cauſam, nempe materiam, prima quæſtio ſit, an reſurrectio futura ſit univerſalis? Super eo variæ ſunt Rabbinorum opiniones; R. Sehadia Gaon, & R. Moſes Gerundenſis, & R. David Kimchi ad Pſal. 2. exiſtimant reſurrectionem mortuorum ad ſolos juſtos pertinere: quod confirmant antiquorum teſtimonio, quod hunc in modum ſonat*; גבורת גשמים לצדיקים ולרשעים אבל תחית המתים לצדיקים בלבד (*Pluvia beneficium commune eſt probis, & improbis: ſed reſurrectio mortuorum duntaxat eorum bonum eſt, qui pie ac probe vixerunt.*) R. Haſday Creſcas ſtatuit, quidem pios, & impios reſurrecturos, non verò intermedios, qui inter bonos maloſque medii, de quibus in præcedentibus loquuti ſuimus. Exiſtimat ille, ſatis eos pro medio ſuo ſtatu, beneficii retuliſſe, quod in mundum animarum pervenerunt, neque neceſſe eſſe, ut propter eos, reſurrectio contingat. Menaſſe, pag. 179. *R. Haſday Creſcas in libro ſuo Ora-ſem motus autoritate quorundam locorum, quæ jam citavimus, ſtatuit, reſurrectionem mortuorum ſolum pertinere ad eos, qui vel rectiſſime, vel peſſime vixerunt: non autem ad illos, qui inter utrum-*

que

que medii fuere. Dicit enim intermedios illos ſatis præmii conſecutos eſſe, cum ſint in mundo animarum : neque neceſſe eſſe, ut propter illos adeo magnum miraculum fiat, quale eſt reſurrectio mortuorum. Ac proinde, cum antiqui ajunt, omnis Iſraël particeps erit futuri ſeculi, illud omnis, exponit de majore parte; vel per futurum ſeculum, intelligit illud, quod manet poſt mortem, id eſt, mundum animarum. Menaſſi autem neque hæc, neque illa ſententia placet, at quoſcumque, etiam improbos, reſurrecturos docet : *non minus improbos, quam probos reſurrecturos eſſe; uti liquet non modo ex lumine intellectus; ſed etiam autoritate ſacrarum literarum, veterumque ſapientum.* Quamquam omnium, vel quorumvis, non tamen ſingulorum vult futuram reſurrectionem. Nec id volunt Judæi reliqui. Quidem, *quod omnis generis homines reſurgent.* pag. 181. Et non Iſraelitas modo, ſed quoque Gentiles. Cap. IX. *Non minus veriſimile eſt, omnes gentes, ac nationes æque reſurrecturas eſſe, atque Iſraëlitas, juxta illud veterum dictum,* חכ׳רי אמורת העולם יש לחם חלק לעולם הבא *(Piis ex gentibus mundi pars erit in futuro ſeculo.) Ex his nationibus omnes, ac ſinguli reſurgent, qui probe ac pie vixerunt, quales ſunt, qui juxta R. Moſem, & R. Meyr Gabay obſervarunt diligenter præcepta ea, quæ data ſunt Noacho: cujuſmodi ſunt, Non committes idololatriam.* Non occides, *Non adulterabis, Non maledices nomini Divino, Non latrocinaberis, Non comedes membrum animalis vivi, Et conſtitues judices, qui curent, ut ſex illa præcepta probe ac diligenter obſerventur.* Neque tantum reſurrecturos; ſed & beandos docet : *Neque illi tantummodo reſurgent, ſed etiam beatitudinis futuri ſeculi participes erunt, juxta veterum illud pronunciatum.* אין הקדוש ברוך הוא מקפח שכר כל בריה *(Non fraudat Deus præmio ullam creaturam.) Ac proinde dicunt, illis pars erit. Neque dubium eſt : quin illi quoque, qui recte de Deo ſenſerunt, pariterque honeſte, pie, ac probe vixerunt, partem in reſurrectione mortuorum obtinebunt : uti ſentit R. Moſes Ægyptius in epiſtolis ſuis : quamvis talis aliquis fuerit ex gentilibus, uti Socrates, Plato, &c. Idem quoque confirmari poteſt ex alio antiquorum dicto, quod ita ſonat.* ארבאה הדיוטות אין להם חלק לעולם הבא ואלו הן בלעם דואג אחיתופל וגחזי *(Quatuor Ediotot non erunt participes futuri ſeculi, nempe Bilham, Doeg, Achitophel, & Gehazi.) Ex quibus verbis in Talmudico concluditur* בלעם הוא דלא אתי הא גוים אחריני אתו *(Bilhem eſt, qui non veniet, ſcilicet in futuro ſeculo; ergo alii gentiles venient.) Non mala equidem iſta conſequentia eſt : nam ſi non omnes gentiles ſunt reſurrecturi, ſuperfluum omnino eſt etiam Biliami mentionem facere. At vero quia ejus mentio fit, hinc colligere licet, quod alii etiam gentiles Bileamo ſimiles, reſurgent, nempe ſi digni ſint reſurrectione.*

Simi-

Digitized by Google

Similiter mali atque improbi reſurgent, ut crucientur ac puniantur. Denique, *liquet, quod inter gentes improbi æque, ac probi reſurgent.* Conciliat. in Deuter. qu. II. *Unde & veterum ſapientum exſtat dictum hujuſmodi*, חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא, *Pii ex nationibus mundi, pars eſt in mundo altero. Idem quoque R. Moſes colligit ex Miſna, cujus exordium eſt: Quatuor idiotæ non habent partem in altero mundo: quos inter reponitur Bilham gentilis; idque ne haberetur unus è piis gentium, quibus ſors erit in futuro ſæculo. Etiam variis locis magni & egregii operis Miſnè Torà, & in Directore lib.* III. *cap.* XVII. *ait, nullum bonum opus mercede apud Deum carere, juxta dictum* אין הק'בה מקפח שכר כל בריה, *Deus benedictus nulli creaturæ præmium ſuum denegat. Hinc in Semot Raba legas, Deum juſſiſſe cani cadaver objici, quia adverſum Iſraelitas non latraſſet: alia ejuſdem generis exempla prætermitto. Etiam R. Jehuda Levita ait, Hebræos dicere nulli è gentibus mercedem negari operum ſuorum; quamvis non æquent peregrinum ſibi ipſis, eo quod Propheta evadere nequeat. In ſacro quoque libro Zoar traditur, Regibus, omnibuſque adeo magiſtratibus, qui juſta exercent imperia, & Hebræos in ditione ſua habent, certum in Paradyſo gradum eſſe aſſignatum; quemadmodum eoſdem, ſi malè Hebræos habeant, pœna certa manet.* Ergo cujuſcunque generis quidem homines, Iſraëlitas, gentiles, probos, improbos ajunt reſurrecturos; non autem ſingulos. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. VIII. *Quare ex mente; ac opinione omnium antiquorum, concludimus, reſurrectionem mortuorum non fore generalem, ac communem omnibus hominibus; uti etiam ex loco Danielis conſtat, multi ex dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur. Nota quod dicat multos, non vero omnes. Interea tamen inter multos illos, erunt cujuſvis ſortis ac conditionis homines, probi, improbi, & intermedii.* In Sanhedrin, cap. cheleck, §. III. דור המבול *generatio*, vel *homines diluvii non habebunt partem in futuro ſeculo, neque etiam ſiſtentur judicio.* Idem ibidem pronunciant de Sodomitis, & Corazitis: etiam de triplici hoc hominum genere, qui negant, Deum eſſe, legem Moſis divinam, & reſurrectionem. Neque enim convenire videtur, ut reſurrectione gaudeant, qui eam negant. Menaſſe, lib. II. de Reſurrect. cap. VIII. *Omnis Iſraël particeps erit futuri ſæculi. Cæterum ex omnibus iſtis tria genera tantum excipiunt, primo, eos qui non credunt reſurrectionem mortuorum, deinde, qui negant legem eſſe divinam, denique Epicureos. Item in Midras Soher tob legitur.* דור המבול אין להם חלק לעולם הבא (*Generatio diluvii non erit particeps futuri ſæculi.*) *Idem quoque confirmatur in Sanhedrin, & Bereſit Raba.* Idemque de quatuor idiotis dicunt, non viſuros eos futurum ſæculum. Menaſſe,

 pag.

pag. 184. *Idem quoque confirmari poteſt ex alio antiquorum dicto, quod ita ſonat.* ארבעה הדיוטות אין להם חלק לעולם הבא ואלו הן בלעם דואג אחיתופל וגחזי. *(Quatnor Ediotot non erunt participes futuri ſeculi, nempe Bilham, Doeg, Achitophel, & Gebazi.*

Verum omnes reſurgendos & ſingulos homines, propter eandem rationem, ob quam quoſvis putas, dici debet: nempe ut referant omnes & ſinguli quod egerunt in corpore, ſeu bonum, ſeu malum. Cur enim probi & improbi reſurgent, niſi ut vel probitatis, vel improbitatis ſuæ fructus ferant? & ſic ſingulos propter eandem cauſam, bonorum malorumve operum mercedem reportare oportet. Quorſum primi mundi homines? quorſum Sodomitas, aut Corathitas ſecludas? niſi forte putes illos omnes tum æternâ pænâ damnatos fuiſſe; quod, uti de omnibus, præſertim cunctis & ſingulis primi ævi hominibus dicere nefas, ita nec impedit, ut reſurgant ii non minus ac alii, qui æque ad æternas pænas damnati, atque decretorio illo die ſiſtantur univerſali publicoque judicio. Negarunt Deum, & legem Moſis divinam, atque futuram reſurrectionem: ſed ejus improbitatis, ut alii aliorum, pænas dare, & audire ſententiam in communi hominum judicio, debent hi non minus quam alii. Neque reſurrectio ut nudum beneficium conſiderari debet, quo nempe aliqui videantur indigni; quia ſic omnes eo ſecludendi forent impii: ſed ut talis Dei actio, quæ ſiſtat judicandos Deo homines, & pro meritis condemnandos impios. Menaſſe, dum probat, non ſolos juſtos, ſed impios quoque reſurrecturos, eo id facit argumento, quod non minus de omnibus & ſingulis concludit, quam de aliquibus, & quibuſvis. lib. II. de reſurrect. cap. VIII. *ſi finis reſurrectionis eſt, ut corpus conjunctum animæ, præmio aut pœna factorum afficiatur (uti ante oſtendimus) ergo etiam improbi ſuſcitabuntur, ut crucientur, ac puniantur. Ex ſacris literis, quia apud Danielem dicitur, Multi ex dormientibus in pulvere terræ ſuſcitabuntur. Quod ſi illi multi ſoli juſti forent, pauci profecto eſſent: nam tales haud ita multi inveniuntur. Quid quod ſtatim addatur, Alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper: Quod equidem de malis & impiis dicitur.* Videatur Idem, cap. XX. XXI. XXII. ejuſdem, de reſurrectione, libri.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De oſſiculo dorſi, לוז, ex quo corpus, rore prius cæleſti emollitum, reſuſcitandum Iudæi fingunt. Nullum vel in naturâ, vel Scripturâ, fundamentum habet. Vnde, & quando Deus corpora noſtra reducturus ſit, potentiæ & ſapientiæ ejus relinquendum. Animæ, an corporibus in ſepulchro, an extrà indendæ? Veſtimento eodem mortuos dicunt revicturos, quo fuerunt ſepulti. In Palæſtina ſepulti, an primi reſurgent? De Eliæ adventu, ante reſurrectionem, & judicium. Vltimo die qui vivi deprehendentur non morientur proprie, ſed mutabuntur.

QUod ad futuræ reſurrectionis modum, nonnulla attingit Menaſſe, quæ perſtringenda obiter ſunt. Quum enim difficultatem contineat haud exiguam, poſito, quod credendum utique, eadem numero corpora reſurrectura; unde idem corpus, forte à feris abſumtum, vel ab hominibus dilaniatum, aut quâ alia ratione in pulverem, & ventos diſperſum, conſtituendum ſit, Judæi hoc ut expediant, dicunt, in ſpinâ dorſi eſſe oſſiculum aliquod incorruptibile, לוז *luz* appellant, ex quo ſolo, deſtructo & abſumto reliquo homine ſeu corpore, id reduci reſtaurarique poſſit: ſed, quo tantundem auferunt jam, ac prius dediſſe videbantur, quod à nemine (dicunt) oſtendi queat. Menaſſe, de Reſurrect. lib. II. cap. XV. *Ajunt in ſpina dorſi aliquod oſſiculum eſſe, quod nunquam pereat: ex iſto oſſiculo ſolo poſt interitum & annihilationem omnium aliarum partium, dicunt, hominem inſtauratum, reſtitutumque iri, in reſurrectione mortuorum; juxta illud, quod in Bereſit Raba Paraſ. 28. legitur, Adrianus (cujus oſſa comminuantur) quæſivit ex R. Jeoſuah filio Hanina, unde Deus benedictus germinare faciet hominem in futuro ſæculo? reſpondit ille, ex* לוז *luz ſeu oſſiculo ſpinæ. Rurſus alter, unde noſti hoc? da mihi illud, inquit ille, oſſiculum, & te docebo: contudit illud in mola, ſed non tuſum eſt; conjecit in ignem & non conflagravit; conjecit in aquam, & non attritum eſt; impoſuit incudi, malleoque cecidit; ſed ne hilum comminutum eſt: Imperator Romanus, ſive quod rideret reſurrectionem mortuorum, ſive quod audiverat aliquod incorruptibile oſſiculum eſſe in corpore humano, cupiditate ejus ſciendi; vel quia, uti veriſimilius eſt, hæſitabat ob difficultates eas, quas jam recenſuimus, quæſivit ex R. Jeoſua filio Hanina, unde, vel quomodo reſtituerentur mortui, quorum membra tam longe, lateque diſperſa eſſent ac diſſipata? Reſpondit illi R. Jeoſuah, ex oſſiculo ſpinæ dorſi, appellato luz, quod incorruptibile eſt. Qui cum non poſſet facile adhibere fidem, experimento ei oſtendit ita eſſe. Hæc opinio, ſi quid antiquis credimus, non improbabilis eſt. Iſtud enim oſſiculum tale eſt, ut nequeat interire, quamvis hodie nullus ſit, qui illud noverit.*

verit. Sunt qui arbitrentur, Davidem hujus oſſiculi mentionem facere, cum ait, Cuſtodiens oſſa ejus, unum ex iis non conſumptum eſt. Pſalm. XXXIV. 21. Deinde, oſſiculum illud dicunt, rore quodem cęleſti molliendum, & extendendum, adinſtar fermenti, quod in totam ſe maſſam diffundit, vel quemadmodum granum aliquod tritici, in criſtam ſe exporrigit. Quò etiam ttahunt Jeſa. XXVI. 19. *quia ros olerum, ros tuus.* Verùm temerè ſeu de oſſiculo, ſeu rore finguntur illa, quæ nec in naturâ, nec Scripturâ fundamentum ullum habent. Oſſiculum illud ubi, quale eſt, quæque ei tribuitur vis totius corporis πλαστική, unde habetur, unde probatur? Tum, illud de rore quale eſt? Deus ex pulvere corpora noſtra ſuſcitabit, neque enim totum materiæ perit, vel annihilatur. Ubi verò ſervet Deus materiam illam, atque unde, & quomodo educturus ſit, ſatis eſt ſi potentiæ atque ſapientiæ ejus committamus. Noſtrum non eſt in ea curioſius inquirere, vel ob difficultatem, quæ ſe alicubi offerat, aut de rei fideique certitudine quidpiam remittere, aut in earum ſubſidium ad temeraria confugere commenta & fabulas. Nunquam adeo totum hominis interit, vel omnis evaneſcit materia, ſive in cinerem, ſive hic reſolvatur in aquam, quin ſatis ſemper Deo ſupereſt ad evocandum hinc & reſtituendum homini priſtinum ſuum corpus. Videmus atque miramur Chymicos, artis peritos, ex quovis corpore educere ſuum ſal, ſulphur, & ignem: nec Deus ex materia corporis ultimâ, idem quod ante fuit reducere poſſet humanum corpus? Atque tum in Scripturam, quæ de Dei teſtatur voluntate, tum in ejus potentiam recumbere oportet, ſuper omni, quæ hic offertur, difficultate. Atque id ſatis eſt.

Similis fere commatis & alia ſunt, quæ ad idem Noſter habet argumentum. Ut quod exiſtimat, in reſurrectione, animam indendam corporibus ex ſepulchro *eductis*, non ante. *lib.* II. *cap.* VII. Nempe quia anima Adamo data, formato jam corpore. Sed ita dicere debuiſſet, in ſepulchro, formato corpori eam jungendam, non educto corpori. Ut Adami corpus ſimul ac formatum, antequam quid egiſſet, vel promoviſſet, animâ præditum fuit. Atqui apud Jezechielem Deus inquit, cap. XXXVII. *ego aperturus ſepulchra veſtra, & educturus vos de ſepulchris veſtris, et dabo Spiritum meum in vobis, et vivetis.* Sed ſpiritum vitæ demum poſt eductionem, & non in ipſa eductione, vel ad eductionem infundendum non dicit. Quomodo enim egrediantur ex ſepulchris non animata corpora? ut non niſi liberati, & novâ iſtâ quaſi vitâ præditi ex captivitate corporali Babylonicâ exiverunt, aut exire potuerunt Judæi. De quo locus ille intelli-

intelligendus venit, non proprie de ultimâ corporum Reſurrectione.

Futile verò eſt, & nugatorium, quod, non iiſdem modo corporibus, ſed *veſtibus* quoque reſurrecturos putat homines, quibuſcum fuerunt ſepulti, lib. II. cap. VI. Unde Cleopatræ interroganti, num nudi, an veſtiti prodituri eſſent in reſurrectione mortui, reſpondiſſe ferunt R. Meir, in Tractatu Sanhedrin; triticum ut contemplaretur, atque videret, ut hoc nudum quidem terræ mandetur, ſed non niſi bene tunicatum ex terrâ ſuccreſſeret: ſic quoque mortuos non abſque operimento reſurrecturos. Verùm eo uſque ſimile hoc ſi extenderet, triticum deberet eodem veſtitu in terram conjici, quocum redit: quod non ita eſt. Ergo non eſt, ut in omnibus ſimilitudo conſtituatur: non certe in hoc, quod vili adeo indumento, paleâ triticum redit, quale cum gloria & decore corporis reſuſcitati non poteſt comparari. In Talmude Jeroſolymitano R. Nathan urget illum in finem & locum Job. XXXVIII. 14. *mutatur ſicut lutum ſigilli, et ſtat ſicuti veſtimentum.* Quod eum in ſenſum accipiunt, *quamvis lutum ſepulchri corruperit ſigillum corporis humani, nihilominus tamen indutum eadem veſte ferali reſurget.* At nihil hic, quod de reſurrectione, corpore, aut indumento humani corporis in reſurrectione prodituri accipi ullâ ſpecie queat. De luce agitur, omnia innovante & mutante in terrâ, & quâ omnia tanquam veſtimento ornata conſiſtunt. Sic enim locus habet: תתהפך כחמר חותם ויתיצבו כמו לבוש, *mutatur* terra ſc. *ſicut argilla luti, et conſiſtunt eâ* luce ſc. res, *tanquam veſtimento.* Nec deſunt illis, quas huc trahant, legendę, fabulis, quam hiſtoriæ ſimiliores, veræ γραώδεις μῦθοι: primùm de R. Johanan, qui moribundus, inter alia, ſic præceperit: *ſepelite me veſtibus deroca* בדרוקא, *id eſt candidis, neque nigris: ne quando reſurgam inter juſtos ac probos, pudeat mei ob nigras meas veſtes: vel ſi inter malos ac impios reſurgam, me mei pudeat ob veſtes candidas.* De R. Irmihah, qui dixerit, *Veſtite me amictu puro ac candido, et induite me caligis, & date mihi in manibus baculum, & calceis includite pedes meos, ut quando Deus me vocat promptus ac paratus ſim.* Quaſi alterum audiremus Diogenem. Nugæ.

Eodem referendum, quod ſtatuunt de ſepultis in *Palæſtina*, quod, jure quaſi & privilegio loci, primi omnium reſurgent. lib. II. de Reſurrect. cap. III. Verùm non temporis magnum intervallum futurum autumant inter Palæſtinorum, & reliquorum reſurrectionem, ſed momentum modo aliquod; quorum gloria præ aliis in hoc conſiſtet, quod primi futuri ſint, per quos veritas reſurrectionis erit maniſeſtanda. Sed nec hoc poterit, quia nullum temporis tantum faciunt interſtitium, ex quo reliqui ſint reſurrecturi,

Digitized by Google

ſurrecturi, nedum ut ad eos cognatio & fides reſurrectionis præcedentium ſit perventura, antequam eandem omnes in ſe experiantur. Argumentum tamen petunt ex cura & ſtudio Patriarcharum ſepeliendi in terrâ Canaan.

Quare Patriarchæ mandarunt, & glorioſum ſibi duxerunt ſepeliri in terra ſancta? R. Elhazar ait, non fruſtra illud ab iis juſſum eſt, ſed ejus rei aliquæ rationes ſubſunt. Tum R. Jeoſuach ben Levi quæſivit, quænam ſunt? Hæ ſcilicet; ambulabo coram Domino in terra viventium Pſalm. 116. 9. *Magiſtri noſtri, duo argumenta adferunt in nomine R. Helbo, quare Patriarchæ voluerint in terra ſancta ſepeliri, quoniam defuncti terræ ſanctæ primo reviviſcent tempore Meſſiæ, & annis Meſſiæ fruentur. Videmus omnes idem ſentire, quare Patriarchæ tantopere deſideraverint ſepeliri in terra ſancta. Verum R. Jacob ben Habib aliam ejus rei rationem dat; quoniam, inquit, illic primo creatio facta eſt, & Deus terram iſtam ſingulari providentia ſua dignatus eſt: ideo conſentaneum mihi videtur, ut in ea tantum miraculum, quod eſt inſtar novæ creationis, primo fiat.*

Reſp. I. Rationes hæ quidem adſeruntur; non probantur. II. Aliæ longè commodiores atque manifeſtiores aſſignari poſſunt, quare voluerint præſertim ii qui vixerunt ante occupatam & poſſeſſam ab Iſraëlitis terram, ibi ſepeliri: nempe ad teſtandam *fidem* ſuam promiſſionibus divinis habitam, de terrâ illa ſuis, ſuoque ſemini aliquando futurâ. Et *communionem* ſuam cum ejuſdem fidei & cognationis hominibus. Atque ad *reſurrectionis* veritatem, vel ſocietatē, non autem prioritatem, ſignificandam. III. Alia ratio iſtius terræ fuit olim, quando ejus populus in fœdere Dei ſtetit, atque ejus ſignaculum & ſacramentum aliquod in eâ habebat; alia nunc, ubi nec terræ, nec populi ullum inſuper πρεσβεῖον, ſed potius contraria omnia, & terra potius maledicta, & inferior aliis, propter ſcelera & patrata ab ejus incolis facinora. IV. Jam nec minoris Deo ſunt fideles & pii reliqui per totum mundum, quam qui in Palæſtinâ olim vixerunt omnes, ut in hoc præferri hi debeant, vel primi ſint reſuſcitandi. V. In Palæſtinâ factam primam hominis creationem haud facile R. Jacob ben Habib probabit. Eoque etiam dato, ideo terram iſtam ſingulari Dei providentiâ donatam: quum reliqua à Deo creata æque ſint. neque congruentiam, quam in hoc collocat, ut in ea primum edatur opus reſurrectionis. Hæc ponit quidem, non probat. Quare ſatius eſt ſtatuere, ubique terrarum ſimul edendam reſurrectionem, *momento quaſi temporis*, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ.

De *Eliâ* quod dicunt, eum primum omnium ſuſcitandum, ut inſtantem

reſurre-

reſurrectionem annunciet, ex malâ nominis *Eliæ* acceptione, eſt in prophetiâ Malachiæ, & *diei*, quem præceſſurus dicitur, applicatione perversâ.

Elias, *uti ajunt, primo reſuſcitabitur, ſive corpus ejus igne ætheris fuerit conſumtum, (quemadmodum R. David Kimchi, aliique plures cenſent) ſive vivat in terreſti Paradyſo, ſecundum corpus & animam, uti opinio priſcorum ſapientum fuit: hoc certum eſt, illum primo appariturum, ut annuntiet reſurrectionem mortuorum, ſicuti manifeſte liquet ex Malachia, cap.* 4. 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram excidio. Dies ille magnus, et terribilis, eſt dies judicii, qui erit conjunctus reſurrectioni: ante eum, inquit, veniet Elias, ut pacem & amorem inter omnes conciliet, non tantum in rebus corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus: ideirco dicitur, convertet cor patrum ad filios, & filiorum ad patres.*

Reſp. I. De corpore Eliæ quid actum fuerit, obſcurum eſt. Neque eſt quod id nos vexet. Hoc autem, quod Menaſſes, cum aliis Antiquioribus ſtatuit, eum in terreſtrem Paradyſum tranſlatum, *corpus ejus non fuit corruptum: ſed integer (ex opinione omnium antiquorum) cum corpore et anima tranſlatus fuit in terreſtrem Paradyſum*, dici omnino non poteſt, quia terreſtrem Paradyſum exſtare, nullâ ratione aſſeritur. Nihilque adferri poteſt, quare non dicatur unâ cum totâ terra diluvio generali abſorptus fuiſſe deletuſque. II. Argumentum apodicticum peti poteſt ex ſententia R. Jacobi ben Habib, qui hominem dum creatum dicit in Palæſtinâ, non procul ab eâ conſtituere cogitur Paradyſum: at certum eſt, nec Paradyſum ibi, neque Eliam deliteſcere. III. Elias ille, apud Malachiam, uti & antea oſtendimus, non eſt in propria perſonâ Thiſbites ille; ſed præcurſor Meſſiæ qui futurus erat in ſpiritu & virtute Eliæ. IV. Sed videamus, ut adventum Meſſiæ, tantopere prædicatum olim expectatumque, nunc inducant Judæi, neque aliquid ejus ſupereſſe judicent, quam quod cum ultimo judicio, adventuque ejus ad judicandum altero omnes exſpectamus. Elias præcedet paulo ante adventum Meſſiæ, hunc annunciaturus. *Elias primo reſurget, uti diximus, vel primus conſpectui noſtro reddetur: verum non erit in mundo reſurrectionis, ſed paulo ante adventum Meſſiæ.*

Hic autem dies Meſſiæ, quem antecedit paulò Elias, eſt idem dies judicii, & reſurrectionis, atque conjunctiſſima omnia inter ſe; neque aliam jam dicunt redemtionem cum Meſſia, quam reſurrectionem, vel cum reſurrectione, pag. 154. *Uti in populi redemtione ex Ægypto, duo legati fuerunt,*

runt, ita in futura redemtione, ſive reſurrectione, duos futuros legatos, Eliam, & Meſſiam. Et, pag. 152. *Dies ille magnus & terribilis, eſt dies Judicii, qui erit conjunctus reſurrectioni: ante eum veniet Elias.* Huc ſpectant, quæ Idem habet, lib. III cap. II. probans, *quod reſurrectio mortuorum conjuncta erit diebus Meſſiæ.* Ergo conjungunt, vel confundunt jam Judæi, diem adventus Meſſiæ, cum die Judicii, & reſurrectionis. Neque priorem, vel alium Meſſiæ adventum agnoſcunt, aut exſpectant. Magnum, ſed deplorandum deſperati animi cauſæque argumentum. Sic juſto Dei Judicio pœnam contemti repudiatique Meſſiæ ab iis exigente, ut eum jam non amplius niſi ad judicium ſibi venturum credere cogantur. Eliam, dicunt hic, adventurum, non tantum pro rebus & bonis *corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus*: quare mirum eſt, eos ex Meſſia facere regem corporalem & mundanum, nec potius ſpiritualem, & ſpiritualium datorem: eoſque nobis in hoc refragari, quod Meſſiam ad ſpiritualia conferenda veniſſe credimus atque tuemur.

Denique, ad quæſtionem, *an qui vivi adhuc erunt in die reſurrectionis, morituri ſint, ut deinde reſuſcitentur, an vero non?* quia nihil de eo ſcriptum reperiunt, varie reſpondent. *R. Sehadya in libro ſuo Aemunot, inquit, quia hac de re nihil ſcripto à majoribus traditum eſt; totumque quod de ea dici poteſt, arbitrio doctorum ex rationibus naturalibus judicandum relinquatur, ideo variæ ſuper eo ſunt opiniones. Fuerunt, qui exiſtimarunt, eos qui in die reſurrectionis vivi ac ſuperſtites adhuc erunt, nunquam morituros eſſe; alii contra qui id affirmabant, & quod deinde reſuſcitandi eſſent, ut iſta ratione reſurrectio communis & univerſalis eſſet. Alii erant qui dicerent, eos aliquot annis quidem ſupervicturos, ſed tandem morituros nec in vitam reſuſcitatum iterum iri. Ex his tribus opinionibus amplectitur prædictus R. Sehadya poſteriorem.* Nos autem ex ſacris noſtris edocti, quod rationi conveniens, & difficultates, quas in hac materiâ Judæi experiuntur, ſolvit, commode reſpondemus, Homines ultimo die ſuperſtites non proprie morituros, ſolutione vitæ, atque animæ à corpore, ſed analogam *mutationem* ſubituros, quæ ipſis loco mortis futura ſit. *Ecce myſterium vobis dico,* inquit Apoſtolus, 1. Cor. XV. 51. *non quidem omnes dormiemus, omnes verò mutabimur.* Atque, 1. Theſſ. IV. 15. *Hoc autem vobis dicimus verbo Domini, quod nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, ὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας.* 17. *Deinde nos qui vivi relicti, una cum iis* reſuſcitatis fidelibus, *rapiemur in nubibus in occurſum Domini in aërem: atque ita ſemper cum Domino erimus.*

CAP.

Cap. VI.

De
FINE MUNDI.

Judæorum aliqui mundum æternum docent. Alii melius, finem ejus fore, & deſtructionem, atque renovationem in melius. Quod ſingulis mille annorum ſeptenariis futurum, dicunt Cabaliſtæ, uſque ad millenarium mundi quinquageſimum, tunc omnia in nihilum redigenda. Conjungunt hodierni Iudæi cum tempore reſurrectionis & novi mundi, adventum atque dies Meſſiæ ſui.

FUerunt inter Judæos, qui mundum finem habiturum negarent, ſed *æternum* fore, aſſererent. Quæ verò de mundi fine dicta in Scripturis occurrunt, ea non de univerſali mundi, ſed particulari gentis aut populi alicujus deſtructione accipiebant. Tales fuere, R. Levi ben Gerſom, & R. Moſes Ægyptius. Contra quos agit Menaſſe, cum alibi, tum Problemate de Creatione ultimo, & lib. III. de Reſurrect. cap. IV.

Communior verò & aliorum, & Cabaliſtarum ſententia eſt, mundum hunc deſtructum iri, non quidem æternâ abolitione, ſed *mutatione* in melius. Quæ ſic explicat Menaſſe, lib. III. de Reſurrect. cap. IV. *mundum uno die, vel unica hora deſtructum iri, id eſt, toto illo tempore, ſuſpenſis, ac immotis ſtantibus orbibus cæleſtibus, nullam futuram neque generationem, neque corruptionem, omniaque per reſurrectionem innovatum iri, & ad meliorem ſtatum reditura eſſe.* Eodem capite: *Mundumque non mille annis everſum aut deſtructum iri, ſed unico die, ſeu puncto hora ingentem mutationem paſſurum eſſe, & poſt iſtam mutationem, ilico ſecuturam reſurrectionem mortuorum, & tum futurum novum mundum.* Pag. 273. *Juxta hoc effatum, opinio Aben Eſræ erit, quod totalis atque univerſalis mundi reformatio ſit futura. Quanquam vero textus habet novos cœlos, tamen, non eſt neceſſe, neque ſenſus poſtulat, ut id intelligatur dictum de aliis, ac diverſis cœlis: ſed ſententia eſſe poteſt, futuram tantum cœlorum quandam inſtaurationem, ac reformationem in melius, ſicuti Samuël Sauli dicit, cum jam ante rex conſtitutus eſſet: Eamus in Gilgal & renovemus ibi regnum tibi.* Quæ hactenus non improbamus, & conveniunt cum communi Theologorum ſententia, quæ eſt, mundum ita hunc deſtruendum, ut mutandus, & in ſtatum meliorem reformandus à Deo ſit. Sed Cabaliſtarum hæc ſpeculatio alia eſt, poſt ſingu-

los ſex mille annos mundum renovatum iri, uſque quo ſteterit quadraginta novem annorum millia, tum, quaſi in ſuo jubilæo, omnia in nihilum redigenda. Menaſſe, de reſurrect. lib. III. cap. IV. *Ad quod multi commentati ſunt, mundum elementarem, et terreſtrem ſex millibus annorum duraturum eſſe, et ſeptimo millenario, omnia ad antiquum chaos reditura eſſe, ex quo facta ſunt. Deinde vero exſtiturum novum mundum, eumque ſimiliter, ubi ſex millia annorum ſteterit, relapſurum eſſe ad priſtinum chaos; atque ita mundi revolutionem duraturam uſque ad quadraginta novem millia annorum: tum vero cælum, ac terram, omniaque illis comprehenſa, in nihilum redactum iri.* Hæc ad conſuetas Cabaliſtarum commentationes rejicimus. Neque minus pro temerario habemus, quod Menaſſe libri hujus cap. VI. inſtituit *graphice & accurate*, quemadmodum dicit, mundi reformationem, juxta ſex creati mundi dies, ex ingenio ſuo depingere. Quod noſtrum non eſt, in illa quæ Deus non revelavit, involare, atque hinc Deo quaſi agendi modum præſcribere. Satius eſt reſpondere, quod R. Jehoſuam ben Hanina Alexandrinis feciſſe refert, pag. 325. *quando iſthic ero, tum id ſciam.* Interim nec hoc præterire poſſumus, vel debemus, quod iterum deſperatos Judæorum animos & conditionem arguit in vanâ Meſſiæ exſpectatione, quod ejus dies jam conjungunt cum hoc tempore reſurrectionis & novi mundi. Menaſſe, cap. VI. pag. 305. *Verum ſi recte quis expendat ea, quæ ſuper hac ſententia in Midras a-Nehelam dicuntur, is comperiet, illud accipiendum eſſe de novo mundo, qui incipit à reſurrectione mortuorum. Vel, ſi cui ita videatur, is poteſt hæc etiam aliquo modo referre ad tempora Meſſiæ, quia utrumque tempus conjunctum erit, uti ante oſtendimus.* Conjunctum nunc ipſis tempus eſt reſurrectionis, novi mundi, atque Meſſiæ. Eheu! quo abierunt miſerorum hominum rationes, qui non alium nunc Meſſiæ adventum, quam poſtremum illum, cum mundi hujus fine, agnoſcunt & exſpectant. Quam hæc diverſa à Veterum continuis de Meſſiâ, ejus adventu hunc in mundum promiſſionibus, expectationibus! Quam irrefragabile & reale argumentum deſperatæ Judæorum cauſæ & religionis! quos nil niſi mera agit nunc alitque contumacia, & obduratum cor. Adeo palam inducere omnes de Meſſię adventu promiſſiones, Antiquorum enixas ſpes & ratiocinia, quodque præcipuum, Dei infallibilis fidem & veracitatem, nec velle credere manifeſtariæ veritati tam efficaciter ſe ingerenti, convincenti, ſed quævis potius deſerere, quam errorem & infidelitatem ſuam? Revera tremendum in iſtum, qui olim Dei, populum juſti Judicis, ob repudiatum indignè Meſſiam ſuum, judicium, & vindicta.

Digitized by Google

CAP. VII.

DE

EXTREMIS.

Fælicitatem reſuſcitatorum etiam conſtituunt Judæi in actionibus corporalibus edendi, bibendi, generandi &c. Quod refutatur. Item, quod reſuſcitatos peccaturos etiam, & morituros, opinantur. de Paradyſo Gehennâ. de damnatis in inferno. An ad pænas aliqui, juxta Judæos, æternas? An, & quale ſtatuant Judæi in inferno Purgatorium? De XII. *menſibus cruciatuum in inferno; & pænis ibidem frigoris, tum caloris. Aliqui Judæorum docent; animas improborum & damnatorum exſcindi plane & deſtrui. Plures negant, & certo in gehennæ tempore torqueri aſſerunt. De Dæmonibus, docent eos quoque extinguendos.*

QUæcunque hic dicenda occurrunt, concernunt vel *beatorum*, atque *damnatorum* ſtatum: tum utrorumque *locum*, ſive illorum *cælum*, & paradyſum; ſive iſtorum gehennam, & *infernum*.

De Beatis, vel reſuſcitatorum fælicitate mirum in modum philoſophantur Judæi. Ac primò quidem ab ea non abhorrere dicunt, ut actionibus *corporalibus* edendi, bibendi, generandi intenti ſint, inque iis pars beatitudinis ipſorum conſtituatur: etiam ut *peccare*; denique & *mori* illos contingat, non repugnare eorum conditioni, Judæorum ſaltem aliqui docent. De ſingulis videamus propius: atque de illo primum.

Menaſſe, lib. III. de reſurrect. cap. IX. ubi illam quæſtionem tractat: *An reſuſcitati cibo & potu uſuri, generationique prolis operam daturi, aliaſque animales actiones exercituri ſint?* ſic infert: *Ex eo quod hactenus conſtituimus de novo mundo, videlicet eum plane ejuſdem futurum perfectionis atque excellentiæ cum primo mundo, in quo Adamus fuit, antequam peccaverat, conſequitur, eos qui in iſto mundo reſuſcitabuntur, iiſdem animalibus ac naturalibus actionibus vacaturos & operam daturos eſſe.* Pag. 322. *Hoc ipſum ex eo quoque confirmari poteſt, quod reſuſcitati ab Elia, Eliſao, Ezechiele, ederint, & uxores duxerint. Cur itaque idem non fiet in ſeculo reſurrectionis? Hæc fuit opinio R. Sehadya Gaon, R. Moſis Ægyptii, R. Simhon bar Semah in libro ſuo Maguen Abot, & Iſac Abravanel.* Contraria ſententia eſt R. Moſis Gerundenſis, qui exiſtimat, *in futuro ſæculo nulli actioni corporeæ locum fore: nec aliam quam ſpiritualem vitam tum fore, abſque hujus*

carnis aut corporis actionibus. Menaſſe contrà diſputat, hunc in modum, à pag. 322.

Primo, quia Deus nihil fruſtra facit: at ſi id verum eſſet, tum fruſtra forent fructus, arbores, plantæ, quæ nutriendo et ſuſtentando homini ſerviunt. Secundo, corpus noſtrum reſuſcitatum eadem qualitate, ac conditione, qua ante præditum erit. Quare neceſſe etiam eſt, ut eoſdem habeat affectus & inclinationes; aut ut membra corporis fruſtra eſſe dicantur. Ad hoc Gerundenſis reſpondet, corpus humanum adeo exactæ atque perfectæ compoſitionis eſſe, ut in ſe mirabilia quædam ſecreta contineat; ac proinde non implicare contradictionem, ſi idem numero, iiſdemque qualitatibus præditum corpus, reſuſcitatum non eadem officia ac munia quæ ſolet, per membra iſta præſtet. Verum reſponſio hæc nemini facile ſatisfaciet: nam corpus hominis, eadem ſecreta etiam nunc habet, cum officium ſuum facit; & quis dicat, rem tum aliter ſe habituram eſſe? Certe ex ſententia doctiſſimi, ac nobiliſſimi viri Iſac Abravanel, omnino id ſequendum eſt, quod veriſimillimũ videtur. Quare cum homines reſuſcitandi ſint iiſdem corporibus materialibus induti, quod fatentur omnes; licet non æque compactis, & terreſtribus: fieri profecto nequit, ut ii qui corporei ſunt, non exerceant actiones corporales. Quid? an fidei ea natura eſt, ut nos cogat credere id quod rationi repugnat? Nequaquam. Itaque reſuſcitatorum actiones & functiones

Reſp. Πρῶτον ψεῦδος in tota hac diſputatione eſt, quod Menaſſe hominis reſuſcitati beatitudinem magis conſtituat & conſideret in terrâ, quã in cælo. Atque hoc male: nam certe futura illa æternaque fælicitas non terreſtris erit, ſed cæleſtis; non animalis, ſed ſpiritualis; divina, non humana. Extra omne dubium, in hoc ſita eſt ſuprema hominis fælicitas, quod ſummum ei bonum eſſe poteſt. Jam hoc non in corpore conſiſtit, ſed animâ; non in hac terrenâ vitâ, ſed aliâ, ideo, quia cæleſti, & perfectâ. In viſione & fruitione Dei peſercta שׂבע שמחות *ſatietas gaudiorum*, Pſalm. XVI. ult. non in re quacumque aliâ. Unde & Menaſſe, Problem. XVII. de Creat. pag. 73. *beatitudinem conſiſtere in unione Dei.* Illa verò poſt hanc vitam, non in terrâ, ſed cælo dabitur, hunc in finem parato formatoque, ut beatorum & glorioſæ fruitionis Dei locus eſſet ac domicilium. Cælum autem non ſubintrabit caro & ſanguis, id eſt, carnalis vitæ ratio. Sed, eſcæ ventri, venter eſcis; Deus autem & hæc, & illa abolebit. Non ipſam corporis ſubſtantiam, aut ventris, vel carnis aut ſanguinis abolebit Deus eſſentiam; ſed uſum iſtorum animalem & carnalem. Spirituales atque ἰσάγγελοι erunt beati conditione & ſtatu, non naturâ,

Digitized by Google

erunt eadem cum iſtis, quæ nunc exercentur, etſi earum longe major erit moderatio ac continentia. Si lubet etiam propius expendere ſententiam antiquorum; apparebit eam plane cum hac noſtra convenire: nam uti primo libro hujus operis diximus, Aaroni cum reſuſcitabitur, decimæ (uti ſcriptura ait) dabuntur, & Patriarchis terra Palæſtina, id eſt eorum ſingulis ſua terræ iſtius portio adſignabitur. At vero ſi cibi ac potus nullus tum uſus erit, quorſum dabuntur decimæ, & portiones ſuæ Levitis & Sacerdotibus? Accedat huc teſtimonium Eſaiæ Prophetæ, qui poſtquam egit de innovatione, atque inſtauratione mundi, ait, cap. 65. 21. Et ædificabunt domos, & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructum earum. Et deinde, cap. 66. 10. Lætamini cum Ieruſalaim, et exultate in ea omnes, diligentes eam gaudete cum ea gaudio universi lugentes ſuper eam. Ut ſugatis, et ſaturemini ab ubere conſolationum ejus, mulgeatis, et delectemini à ſplendore gloriæ ejus. Hinc tribus verſibus poſt rurſum, Et videbitis, et gaudebit cor veſtrum, et oſſa veſtra tanquam herba germinabunt. Ecce Propheta promittit hic gaudium corporale illis, qui ſuper Hieroſolymis luxerunt. Atque hæc quidem argumenta, partim à ratione, partim à S. Scriptura, & antiquorum autoritate petitâ ſufficiant, ad ſententiam noſtram comprobandam.

talibus ſatiari queant, non cæleſtes, turâ, eoque rebus illis carnalibus non indigentes. Unde R. Maimonides, in Jad. chazaka, halach. teſchuba, cap. VIII. in futurum ſæculum non corpora, ſed ſolas animas ingreſſuras ſtatuit, ideoque nec illis eas rebus neceſſe habituras, uti eſu, potu, &c. quibus hic egemus. Citatq; in eandem ſententiam Antiquorum dictum: העולם הבא אין בו אכילה ולא שתיה ולא תשמיש אלא צריקים יושבין ועטרותיהן בראשיהן ונהנין מזיו השכינה, *in futuro ſæculo non erit eſus, neque potus, neque officium conjugale, ſed ſedebunt juſti & coronæ ipſorum in capitibus ſuis, atque delectabuntur ſplendore majeſtatis divinæ.* Quæ præterea, non ex hoc ſolo probari poſſunt, quod animalis illa vita, ejuſque ſimiles functiones talia ſecum ferant, quæ cum ſtatus optimi beatiſſimique felicitate conciliari non poſſunt, ut quæ ad eſcam & eſum ſequuntur excrementa (niſi cum Muhammedanis, quorum ſimilis hic ſententia, dicas; illa per ſudores excernenda odoriferos), quæ ad generationem prolis non minus tetrica, ſupremæ cæleſtique beatitudini haud convenientia: ſed quod animus & deſiderium piorum in promiſſam exſpectatamque fælicitatem protenſum, ſiſti vel ſuppleri terrenis ac corporalibus rebus non poſſit. Ut brutas terreſtreſque animas eſſe oporteat, quæ & divinas. 11. Quare ad argumenta

 Me-

Digitized by Google

Menaſſis, negamus ſequi, aut fruſtra futura corporalia in mundo, fructus, arbores, plantas &c. ſi illis homo beatus non nutriatur; vel fruſtrà ejus corpus, præditum facultatibus & organis corporis, ſi iis ad functiones animales non utatur. Nam, præterquam quod nobis de fine uſuque divinorum operum ex ingenio reſpondendum non ſit, ſed ex Dei voluntate & ordinatione, præſertim quem uſum habitura illa ſint in futuro ſæculo, de quibus pauciora nobis revelata ſunt; ita ad ſolum uſum animalem & carnalem illa aſtringenda non ſunt, ut hunc ſi minus habeant, nullum omnino habere poſſe, exiſtimari debeat. Quid, quando in ſpiritualem uſum convertuntur, ad demiranda, & prædicanda Dei opera omnia, & in iis quoque ſpiritualiter paſcendum animum ruminatione divinæ bonitatis atque ſapientiæ, fruſtranea cenſebuntur? Imo abſque hoc, illa non adhibentur in uſum, quem hominibus, quem ſpiritualem degentibus vitam, debent. Quid enim an ſolo eo contentus homo erit, vel hoc præcipue ſectabitur, quod ei cum brutis in uſu creaturarum commune eſt? & non ad altiora elevabit animum, ad ſpiritualem oblectationem, eſum, uſumque rerum quantumvis corporalium? Certe hic præcipuus & præſtantiſſimus eſt, quem homo rerum quarumcumque facere debet, uſus. Ut hunc ubi obtinet, non fruſtra res illas adhibuiſſe & delibaſſe, putari debeat. Jam quanto magis id dicendum de ſtatu futuræ vitæ, ejuſque beatitudinis? ut totum ſe tunc homo tradat ſpiritualibus, & præſtantiſſimis actionibus, inque iis gaudium & voluptatem ponat, non in rebus vel actionibus carnis. Accedit hæc etiam ratio, quod arbores, fructus, & cætera id genus non illas tum mutationes ſubitura ſint, & corrumpenda, tum iterum oriunda, uti nunc, neque illæ anni tempeſtates futuræ, quæ pro præſenti generationis, & corruptionis rerum conditione requiruntur. Atque ſimiliter de humanis corporibus reſponſum, quamvis eſſentiam ſuam, non tamen illum animalem & carnalem uſum habitura, quem pro hujus vitæ ſtatu debuerunt; ſed glorificata, & ſupra iſtam conditionem evecta, vitæ alteri, totùm divinæ cæleſtique inſervitura eſſe. Nec neceſſe ut idem corpus eaſdem ubique & ſemper habeat inclinationes & affectus; è contra verò ut pro vitæ & ſtatus varietate, ſeu miſeriæ & peccati, & terræ hujus; ſeu gloriæ, & perfectionis, & cæli alias & alias habeat conditiones, æquum non modo, ſed & neceſſarium. Adeoque iſtam vel corporis, vel vivendi diverſitatem non ex interno aliquo corporis principio, vel ſecreto, cum Gerundenſi; ſed ex ſtatus varietate, & ſeu hujus vitæ, ſeu cæleſtis gloriæ, derivamus. Menaſſe, cap. XI. hujus libri oſtendit

Digitized by Google

oſtendit contra Maimonidem, & Abravanelem, reſuſcitatos, quamvis ex quatuor elementis conſtent eorum corpora, attamen non ideo morituros. Unde facile eſt inferre, nec licere ei ex conditione corporis naturali vel eſſentiali argumentari ad omnes eaſdemque corporis paſſiones, quibus hac in vita illud obnoxium eſt. III. Actiones corporales duum ſunt generum, aliæ ſimpliciter *naturales*, ut audire, videre, ambulare *&c.* aliæ pro ſtatu, & loco vivendi, *terreſtres* atque animales. Illæ cum corpore ſunt perpetuæ, adeoque durabunt etiam in alterâ vitâ; iſtæ, quia non in *naturâ* fundatæ, ſed vitæ *ſtatu* atque conditione, variabiles ſunt, & non ſequitur, quia hac in vitâ uſus fuerunt ſui, ideo eaſdem futuras in alio vitæ ſtatu, in gloriâ, & in cælo. Neque hac ratione aut fides rationi repugnat, aut illa quidpiam nos jubet credere, quod huic repugnet. IV. Nuſpiam Scriptura docet, cui omnis Antiquorum cedere debet auctoritas, Aaroni, poſtquam reſuſcitatus fuerit, decimas; aut Patriarchis Palæſtinam tradendam eſſe. Nec Jeſaias, cap. LXV. 21. & LXVI. 10. de ſtatu vitæ futuræ agit, vel cæleſtis, ſed eccleſiæ, ejuſque fælicitate ſub Meſſiâ, cum vocatione gentium ad eccleſiam. quod patet ex cap. LXV. verſ. 20. 24. 25. & cap. LXVI. verſ. 8. 10. 12. nec gaudium promittitur hic corporale, ſed ſpirituale, quamvis figuris quandoque corporalibus adumbratum. Maimonides, loco ſupra citato, ubi de vitâ futurâ, ejuſque agit conditione, inquit, וחכמים קראו לה דרך משל לטובה זו המזומנת לצדיקים סעודה, & *Sapientes per ſimilitudinem appellant bonum hoc præparatum juſtis, convivium.*

Magis adhuc contra omnem rationem & Scripturam eſt, beatos in illo ſuo ſtatu forte adhuc *peccaturos*, & *morituros* eſſe, ſaltem quod peccare & mori poterunt. Menaſſe, lib. III. de Reſurrect. cap. X. pag. 331.

At ei non repugnat dicere, iſtic peccatis quibuſdam levioribus, et minoribus locum futurum: nam uti diximus, Deus non auferet homini liberum arbitrium, quæ fuit opinio R. Sebadiæ. Et pag. ſeq. *Quare concludimus, reſuſcitatis libertatem arbitrii relictum iri; ſic tamen, ut maxima ex parte proclives futuri ad virtutem, & ſi quis peccet, monſtri ſimilis, & maledictus in terra ſit futurus.*

Reſp. I. Univerſus hic error exinde provenit, quod Menaſſe conſiderat hominis ſtatum, & fælicitatem in terris, non in cælo, eamque ad commentitios Meſſiæ dies & ſæculum admetitur & comparat, non cum cælo & cæleſti gloriâ. II. Inepta conſequentia, erunt homines beati liberi arbitrii, ergo peccabunt, vel à peccato non erunt immunes. Quaſi libertas arbitrii neceſſario & per ſe peccandi inferret neceſſitatem vel rationem? Quaſi non

cam

cum libertate poſſit conſiſtere, ut tamen quis non peccet? Deus eſt liberrimus, neque tamen peccare poteſt. Angeli ſimiliter creaturæ ſunt libertate volendi præditæ, & tamen in ſtatu ſunt non peccandi. Sic & beati, non quidem per naturam, ita enim ſolus Deus, ſed per ſtatum gloriæ, non peccabunt, neque peccare poterunt. III. Si libertas arbitrii cauſa & fundamentum ſit peccatorum, non leviorum & minorum duntaxat, ſed & majorum erit atque graviorum. IV. Si illa ſit natura vel conditio liberi arbitrii, ut per eam poſſint male agere etiam beati; ergo etiam per eandem poterunt bene agere damnati: atque ſic cælum cum inferno, & ſtatus horum cum illis confundetur. E contra ipſe Menaſſe non diffitetur, in hac vitâ eſſe ut homines ſtudeant virtuti, tamquam in viâ, in alterâ eos eſſe in termino. Non ergo ſtatuendum in iſtâ vel peccaturos etiam beatos; vel damnatos, ex eadem nempe liberi arbitrii cauſa, incubituros virtuti, aut ſaluti ſuæ.

Nam, qui dicunt, beatos peccare, & *mori* poſſe addere neceſſe habent: quare ſequetur eodem modo, & damnatos bene agendo ad vitam forte perventuros. Menaſſe, lib. III. de Reſurrect. cap. X. *Ex his liquet vitam illam ſanctiſſimam & integerrimam perfectiſſimarumque virtutum plenam futuram; & ſi quem forte continget peccare, eum vel à parentibus ſuis propriis vulneratum & confoſſum iri, uti ante ex Zecharia oſtendimus.* Capite tamen ſequenti, ubi ex profeſſo in hoc inquirit, an reſuſcitati denuo morituri ſint, aliorum ſententias proferens, inquit, *ſciendum eſt, clariſſimum virum Iſaacum Abravanelem, & ante illum R. Moſem Ægyptium, plane in contraria opinione fuiſſe: nimirum reſuſcitatos denuo morituros eſſe, & animas eorum à corpore liberas ac ſolutas in mundo animarum feliciter, ac beatè victuras.* Hanc tamen ſententiam rejicit, pag. 340. *Sed verò opinio hæc non eſt accepta, neque probata à quoquam.* Et quia reſuſcitatorum vitam ac ſtatum hactenus conſideravit in terris, non in cælo, dicit hoc quidem capite, illos poſtquam longo tempore hic vixerint, in cælum, vel Paradyſum, apud Henochum, & Eliam rapiendos. Pag. 338. *juxta opinionem R. Sehadya Agaon, & R. Moſis Gerundenſis, aliorumque ſapientum, iſti non redigentur unquam in cineres & pulverem, ſed multis annis poſt, corpore & anima ſimul transferentur in Paradiſum, in quo Hanochus & Elias ſunt. Opinio hæc eſt inter veteres receptiſſima.* Et pag. 344. *Itaque quod ad reſuſcitatos ex Iſraële attinet, liquet ex conſenſu antiquorum, eos non morituros amplius.* Ergo, inter Judæos ſaltem ſunt, qui dicunt reſuſcitatos iterum morituros eſſe, & Menaſſe varius eſt. Eo capite, quo diſputat de illorum

Digitized by Google

illorum morte, negat; ubi de illorum libero arbitrio, capite ſcilicet præcedenti, uti concedit, illos quidem peccaturos, ita & dicit, eoſdem à propriis parentibus confoſſum iri, & juxta ea quæ alibi atque adeo hoc ipſo capite diſputat, ubi peccatum, ibi & mortem eſſe, negare nequit, morituros eos, quos peccaturos putat. Verùm omnia hæc, uti diximus, ex confuſo ſtatu beatitudinis, cæleſti cum terreſtri, & rejectis vel creditis Meſſiæ diebus poſt reſurrectionem, originem ſuam trahunt.

Paradyſus variis modis accipitur. I. pro quovis *horto*, & pomario. Ita in Targum ſæpius. II. pro *Paradyſo* terreſtri, in quo primi collocati parentes fuere. III. pro mundo *animarum* ſeparatarum. IV. pro mundo *reſuſcitatorum*, à communi reſurrectione. loquimur juxta Theologiam Judæorum. V. denique pro *cælo* beatorum. In Seder Tephillin, vel Breviario ſuo, pag. 5. precantur Judæi, ut Paradyſus ipſis ab hac vitâ obtingat, perpetuo ſabbatho, להעדן בגן ערן עולם שכלו שבת.

Neſcio, cur Tisbi, in voce פרדס dicat, Gentes hortum Edenis paradyſum appellare, quia ſc. פרדס in genere hortum, & pomarium ſignificat, ומזה קורין הגוים לגן ערן פארדים. quum Judæi ita quoque paradyſum primorum parentum nominent. Hinc Menaſſe de eo diſputat, Problem. XVII. & XVIII. de Creatione. qui eundem locum videtur ſtatuere, pro recipiendis animabus ſeparatis. Problem. pag. 71. *Veteres ſapientes quoque ſimpliciter ſecundum literam acceperunt paradiſum; dixeruntque eſſe locum, in quo anima piorum hominum, defuncto corpore, fruuntur præmiis ſuorum bonorum operum: quemadmodum etiam traditum eſt variis in locis Zoar. Similiter refertur in Pirque Abot, diſcipulis Abrahami patriarchæ, obtigiſſe paradiſum; diſcipulis autem Biliam, infernum. Et alio in loco dicitur, ſervantibus legem paradiſus paratus eſt, infernus vero legis pravaricatoribus. &c. Secundo tractatu Temura legitur quoque, Moſem M. N. cum per paradiſum proficiſceretur, dixiſſe Iehoſua, propone nunc omnia dubia quæcunque habes.* Et ſub finem Problematis, *certiſſimum eſt vere & non figurate locum exſtare, qui dicitur paradiſus, in quo antiqui noſtri L. M. referunt ſeptem habitationes eſſe, ſive gradus felicitatis, quos divini Theologi in Zoar* היכלות *Palatia, appellarunt. In iis quilibet juxta eos poteſt per opera felicitatis gaudia et delicias conſequi, quemadmodum abunde ſatis de eo agitur in libro Midras a-Nebelam. Rabbi Iehuda Levita etiam aſſerit, gentiles, omnes quotquot ſcripſerunt de paradiſo, omne iſtud ex Scriptura S. hauſiſſe. Quare concludimus locum aliquem eſſe, in quo omnes qui ſapienter, pie, honeſteque vixerint, præmio operum ſuorum fruuntur.* lib. III. de reſurrect.

pag. 343. *Concludimus eos, qui reſurgent, non morituros eſſe: ſed poſt multos annos, quibus vixerint, cum corpore, et anima in terreſtrem paradiſum in cœlum tranſlatum iri, inſtar Hanochi et Eliæ.* Apud Joſephum Gorionidem, lib. III. cap. VI. Junior fratrum Antiocho ita reſpondiſſe introducitur: *quod ſi modicum quid patimur, et ſuſtinemus dolorem hunc in iſto mundo, ecce nos pergimus* לחיי עולם הבא *ad vitas futuri ſæculi; tu autem morieris morte variâ in plagis magnis, deſcendeſque* שאול תחתית ולחשכי חפתה *ad infernum inferiorem et ad tenebras gehennæ, ubi neque vita eſt, neque lux, ſed tenebræ et umbra mortis. Non habebis ibi requiem ullam, aut lucrum aliquod, ſed tribulationem et anguſtiam, ignem, et ſulphur.*

Infernum, aut gehennam agnoſcunt locum eſſe damnatorum: origine vocis iſtius omnibus nunc ſatis notâ. Tisbi in גהינם *Gehinnam. Rabbini noſtri locum ubi impii poſt mortem puniuntur Gehinam vocant, ab eo ſcilicet, quod vallis Ben Hinom prope Hieroſolymam locus immundus fuit, in quo exurebant filios ſuos idolo Moloch. Fuit autem locus iſte ſic denominatus à rugitu et clamore pueri, qui ibi exurebatur.* אשתא דגהנם *ignis gehennæ*, in Targum aliquoties. & Cant. VIII. 6. creatus dicitur ſecundo die. Quod etiam Menaſſes ſequitur, quem vide Problem. XX. Deſcribunt nimis accurate Judæi inferni ſtatum, ſitum, portas, loca. Menaſſe, Problem. XIX. *Quamvis autem nonnulli imperite & inepte putaverint infernum nihil aliud eſſe, quam privationem gloriæ: veterum tamen longe alia opinio fuit, dixeruntque revera locum eſſe qui exſtet in centro terræ. Nam in quibuſdam locis libri Talmudici, & Zoar exſtat ejus ſpecialis deſcriptio, & inter alia dicuntur eſſe quatuor portæ.* & pag. 79. *Alicubi refertur ſeptem loca inferni eſſe, ſecundum nomina, quæ illi in ſacris literis attribuuntur.* שאול אבדון באר שחת בור טיט הצן צלמות ארץ תחתית. *Et in Zoar dicitur ſeptem loca ſupplicii eſſe, reſpondentia ſeptem ſpeciebus malorum, nimirum* רע בליעל חוטא רשע משחית לץ יהיר *malus, perverſus, peccator, impius, impoſtor, ſannio, ſuperbus. In tractatu Hirubin etiam dicitur, Davidem deplorantem infauſtum interitum Abſolonis filii ſui, octies iteraſſe* בני *(mi fili). Septies quidem ob hanc cauſam, quod eum ereptum et liberatum cuperet ex ſeptem locis, ſeu gradibus ſupplicii infernalis: octava vero vice, quod eum in paradyſum tranſlatum eſſe optaret. Quæ cum ita ſint, concludimus infernum certum aliquem ſupplicii locum eſſe.*

De damnatis, eorumque *animabus* non una eſt inter Judæos ſententia. Statuunt quidem illas in inferno torquendas, etiam poſt reſurrectionem. Menaſſe, *expergiſcentur, ac reſurgent, ut in æternum crucientur.* de Reſurrect. pag. 181. ſed quemadmodũ in tria homines genera diſpertiti fuerint, probos,

Digitized by Google

probos, malos, atque intermedios: illos in vitam ęternam reſurgere; iſtos in pænam ac cruciatus; hos ad pænas temporarias in inferno ſuſtinendas, uſque dum plenè emundentur, & ſalventur, ſcribunt. Reſurgent *probi ad ſuum commodum ac bonum ut recipiant præmium virtutis. Improbi, ad incommodum & malum ſuum, ut corpore atque anima ſimul puniantur, ac miſere crucientur. Intermedii expergiſcentur ſuo bono: nam aliquamdiu quidem punientur, ſed poſtea puri atque immaculati facti, recipientur in ordinem bonorum. ut cum illis pari felicitate fruantur.* In hunc cenſum referunt quemvis Iſraëlitam, qui ad primam claſſem non pervenerit: exceptis quibuſdam ſingulariter improbis, quos dicunt æternum torquendos. *In hunc ordinem recipiunt quemvis antiqui, qui ob unicum tantummodo præſtitum præceptum, non rejiciens interim cætera, ſed ea approbans, meretur nomen Iſraëlitæ; excepto triplici illo hominum genere, primum qui negant Deum eſſe, deinde qui legi Moſaicæ divinitatem derogant, denique qui non agnoſcunt reſurrectionem mortuorum: tales enim etiamſi honeſte ac probe in cæteris vixerint, nihilominus tamen beatitudinis participes non erunt: ſed expergiſcentur, ac reſurgent, ut in æternum crucientur juxta verba Eſaiæ, Et egredientur & videbunt cadavera virorum prævaricantium in me, quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt nauſea omni carni.* Non habent Judæi Purgatorium, diſtinctum ab inferno; ſed in inferno: non pro piis, ſed aliis: atque poſt hoc etiam ſæculum, & diem Judicii. Cæterum Pontificiorum Purgatorium & limbum aperte rejiciunt. Menaſſe, Problem. xxi. *Hoc totum mera eſt fabula. Itaque primo negamus apud inferos eſſe locum, quem vocant ſinum Abrahami: nam certo credendum eſt, Patriarchas, & eos qui fuerunt juſti, ut Hanochum & Noachum, ſi in vita, quando anima eorum conjuncta adhuc erat corpori immundo, fruerentur ſpiritu & gratia Dei, tanto magis poſtquam mortui ſunt, iiſdem frui. Multa etiam loca paſſim inveniuntur, ex quibus hæc confirmari queunt. Nam Deus variis in locis promittit obſervantibus legem, vitam et bonum; contra vero mortem et malum legem non obſervantibus. Denique non eſt neceſſarium, ut ponamus purgatorium: nam ponimus varios gradus eſſe in inferno, pro ratione multorum aut paucorum peccatorum, quæ quis commiſit. Quid quod in ſacris literis nullum veſtigium eorum locorum reperire eſt? et gentiles qui locuti ſunt de præmio et pœna animarum, non plura poſuere loca, quam infernum et paradiſum, quorum hunc vocarunt Elyſios campos, illum Tartarum. Denique alii quoque multi ex gentilibus quos omnes referre nimis longum videatur, tantum meminere iſtorum duorum locorum: & fieri poteſt ut illud acceperint à Prophetis.* Ploblem. xix.

Google

Illud etiam intelligi poteſt ex hiſtoria R. Johannan filii Zacay, qui cum æger eſſet, & à diſcipulis inviſeretur, flere cœpit: rogatus ejus rei cauſam, reſpondit, duas homini poſitas eſſe vias, unam paradiſi, alteram inferni, et neſcire ſe qua anima tranſportanda ſit. repetitque idem lib. II. de Reſurrect. cap. xx. Alii ergo ſecundum Judæos in inferni cruciatibus, diu: alii æternùm manent: alii inde ocius liberantur. Menaſſe, Problem. xvII. de Creat. exponens locum I. Sam. xxv. 29. primò dicit eo contineri, *animas eſſe immortales, & incorruptibiles, quia in illis non eſt cauſa efficiens corruptionis. Quarto animas impiorum etiam æternas eſſe, & non interire cum corpore. Quinto puniri malos & impios, cum animæ ejuſmodi hominum nunquam quietis fiant participes, ſed ſemper inquietentur, non aliter quam in funda lapillus, antequam ejiciatur, nunc huc, nunc illuc agitatur: nam ſurſum aſcendere conantes, deſtituuntur alis virtutis, & bonorum operum, & ad corpus redire cupientes, non inveniunt illud: quare perpetua inquietudine & turbatione aſſidua in & cum eo vexantur, inſtar Siſyphi, vel Tantali, de quibus Homerus in Odyſſea ſua. Sexto denique animas impiorum aliquando pœnis, & cruciatibus liberatum iri, quia eorum tormenta non ſunt perpetua: ideo enim dixit in circulo fundæ; quoniam ejuſmodi animæ nondum ſunt abjectæ in locum longinquum & remotum, ſicuti petræ funda projici ſolent, ſed ſine emiſſione quaſi in fundo & centro fundæ hærent, uſque dum vitia eluerint & purgaverint.* Satis aperte oſtendit, pænas damnatorum, ſaltem non omnium, in inferno non fore æternas. Libro tamen *de Fragilitate humana*, pag. 18. R. Jonam introducit docentem, alios, præter eos quos Menaſſe ſupra dixit, in lib. *de Reſurrect.* in inferno æternùm puniri. *Denique R. Jona, cognomento Pius, quatuor genera leproſorum ante portas inferni, ut plurimum inveniri ait: nempe primò illos qui vi coacti peccârint: Deinde qui per ignorantiam deliquerint; Tertiò, qui à ſenſitivo appetitu victi, ſponte tamen peccaverint. Quartò, qui eâ mente deliquerint, ut irritarent Deum, ac legem ejus abrogarent. Horum quatuor generum, illos quidem, qui primi erant, ac coacti peccaverant, ſtatim liberatos ait. Alteros, erroris reos, examinari, eoſque, ſi dum viverent, ſacrificia fecerint, aut afflicti fuerint & calamitates paſſi, itidem liberari. Illos verò, qui appetitu victi peccaverint, in infernum ingredi, & ibi detineri, donec debitum ſolverint, ac ſe purgarint, atque ita Paradyſum ſubire. At eos qui peccaverint, quo Deum irritarent, æternum puniri dicit, juxta illud Eſaiæ verſu ultimo: Et egreſſi videbunt cadavera hominum illorum, qui defecerunt à me: nam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* &c. Adeo diverſimode, hac in re, loquuntur Judæi. Iterum in

Baba

Baba metzia dicunt, fol. 58. col. 2. כל היורדין לגהינם עולים, *omnes qui deſcendunt in gehennam adſcendunt iterum, exceptis tribus, qui deſcendunt, & non adſcendunt, rem habens cum alterius uxore; pudore afficiens ſocium ſuum publice; & appellans ſocium ſuum cognomine malo, ſeu turpi, licet id uſitatum fuerit.* Judæus, in Amicâ Diſput. qu. XIX. *Secundus* ſcripturæ, inquit, *locus ſtatuit æternum ſupplicium, venturum ſuper omnes hujuſmodi animas quæ fœdus Dei violaturæ, ab eoque deflexuræ eſſent, his verbis: Et quando anima ex voluntaria malitia ſive indigena ſit ſive advena dominum aſpernatur, exſcindetur anima talis è populo ſuo. Nam verbum domini contempſit & præceptum ejus violavit. Anima hæc exſcindetur & manebit peccatum ejus ſuper ea.* Num. XV. 30. Hæc habui ex Judæis, quæ de infernalium pænarum æternitate adferrem. In Talmude, Schabbath. libro Zohar, atque alibi damnatorum judicium definitur tempore duodecim menſium: ideoque dicunt aquas diluvii, & Noachum in arca, tanto tempore duraſſe, quia nempe illo tempore durat judicium peccatorum in gehennâ; ſex menſes ut puniantur frigore, vel aquâ frigidâ; totidem menſes igne. Quare rogatus R. Joſe, quomodo homines diluvii ſolâ aquâ viderentur judicati, reſpondit, ambobus gehennæ judiciis judicatos imo fuiſſe, videlicet aquis, supernè quæ deſcendebant, frigidiſſimis, inſtar nivis; & ſubtus emergentibus aliis, quæ ſervebant inſtar ignis. Vide & Buxtorfium, in voce גהנם.

Alii Judæorum cenſent, animas per cruciatus illos enecari & *interire*. Moſes Gerundenſis, apud Vorſtium, in Maimonidem, de Fundamentis legis, pag. 48. *qui obnoxii fiunt pœnæ, judicantur in gehennâ duodecim menſes, unuſquiſque prout convenit ipſi, poſt duodecim autem menſes anima ejus comburitur, & fit inſtar cineris, hoc eſt, deperit forma ejus, ut ſit veluti res exuſta.* Et paulo poſt, ubi dixerat animam impii poſt mortem circumrotari in orbe ignis, indeque in fluvium ignitum deturbari, ait: יה פש, *Atque anima hæc revertitur in elementum ignis, eique affigitur.* Atque ita etiam Maimonides ſtatuit, halach. Teſchuva, cap. VIII. כל מי *quicunque non meretur vitam, morti traditur, neque vivit in æternum, ſed exſcinditur* אלא נכרת *in malitia ſua, atque inſtar beſtiæ perit.* Atque ita exponit כרת ſeu *excisionem*, peccatoribus ſæpe in lege comminatam, de qua quum variæ ſint Judæorum ſententiæ, (de quibus videre licet, Abavanelem in Num. XV. 30. inde Ainſworthum, ad eundem locum. Fagium, ad Paraphraſim Chaldaicam; in Exod. XII. 15. Sixtinum Amamam, in Antibarbaro Biblico, pag. 954. Seldenum, de jure Hebræor. naturali lib. VII. cap. IX. l'Empereur in Jachiadem Daniel. pag. 157. & in Bertrami Remp. Hebræor.

pag. 351. aliiſque) Maimonides accipit pro exciſione & interitu animæ, שתאבד הנפש ולא תהיה, *quod peribit anima, neque amplius erit.* In tractatu Maddah, שאינו חי לעולם אלא נכרת ברשעו ואבד כבהמה *non vivit in ſeculum, ſed in impietate ſua exſcinditur, & perit inſtar jumenti. & hoc eſt*, inquit, *excidium memoratum in lege.* Ejuſdemque ſententiæ fuit R. Moſes Nachman, qui ſpeciem כרת ſeu exciſionis exponit aliquam conſiſtere in animæ annihilatione & deſtructione totali poſt hanc vitam. Quemadmodum illorum hac de re ſententias profert Abravanel, in Commentario ad Num. xv. 30. quæ ſectio à Buxtorfio latinitate donata, legitur poſt ejus tractatum, de Hebræorum Sponſalibus. Abravanelis verò ſententia illi oppoſita dicit, excidium vel כרת eſſe, & hominis in hac vitâ, quando dies vitę ejus abbreviantur, ut moriatur ante exhauſtas naturæ & vivendi vires; & animæ in vita alterâ, in mundo animarum, quod privatur ſplendore majeſtatis divinę, & influentiâ supernè deſcendente in animas ,, juſtas ex faſciculo vitę. Hac de cauſa venit hæc pæna nomine כרת hoc ,, eſt excidii, quod proprie competit ramo, qui exſcinditur ab arbo- ,, re, à qua accipit nutrimentum, & vitam, quam diu ei conjunctus ,, manet: ſic anima exſcinditur ex illo faſciculo vitæ ſuperioris, ne- ,, que recipit ſplendorem majeſtatis divinæ, quæ eſt voluptas & mer- ,, ces animalis. Hæc tamen non eſt privatio animæ mera, aut de- ,, ſtructio totalis: eſt enim ſubſtantia ſpiritualis, per ſe ſubſiſtens, & ,, natura ſua incorruptibilis: ſed כרת ſive excidium eſt pœna & dolor ,, magnus animæ, recipiens magis & minus, & poſtquam accepit ,, pænam, recipit etiam oblectationem & voluptatem, ſicut dicitur, *eſt ,, enim de arbore ſpes ſi præciſa fuerit, & adhuc pullulabit, & propago ejus non ,, deficiet.* Job. xiv. Et quamvis Rabbini noſtri dicant, pænam impio- ,, rum in gehenna, durare duntaxat per duodecim menſes; tamen non ,, dixerunt hoc de excidiis: quia excidiorum pæna animalis durat longio- ,, re tempore: neque omnia excidia ſunt æqualia quoad pænam animæ; ,, ſed variant in duratione temporis, quoad magis & minus, pro gravi- ,, tate vel levitate peccati. Hæc Abravanel, qui breviter dein Excidii hanc ponit deſcriptionem. quod ſit abruptio vel abſciſſio & decurtatio vitæ in mundo hoc, & abſciſſio voluptatis animarum in mundo venturo. Cum quibus tamen vix video quomodo conciliari queant, quę idem Abravanel habet, lib. de Capite fidei, cap. ult. ubi ex verſione Vorſtii, inquit, pag. 114. *impii in vitâ ſua vocantur mortui, atque anima eorum perdenda cum ignominia corporis, neque habitura eſt immortalitatem vel æternitatem.* Sen-

Digitized by Google

Sententiam verò Maimonidis de animarum excidio & interitu, Abravanel, aliique paſſim repudiant. Menaſſe imprimis, qui lib. de *Reſurrectione*, atque de *anima* prolixe ſatis diſputat de animarum immortalitate. Atque lib. 1. de Reſurrect. cap. x. de ſententiâ Maimonidis illâ, *priuſquam deſino*, inquit, *illud monitum oportet, quod R. Moſes Ægyptius exiſtimat exciſionem illam animæ, nihil aliud eſſe, quam ejuſdem annihilationem. At vero R. Moſes Gerundenſis, & doctiſſimus vir Abravanel, diverſum ſentiunt: animam enim nunquam totaliter aut prorſus evaneſcere aut perire volunt: ſed pœnam illam, qua anima afficietur, dicunt aliud nihil eſſe quam abſentiam & carentiam divinæ gratiæ & gloriæ; quæ pro ratione delictorum longa vel brevis eſt futura. Poſt hæc, cum punita ſatis, & ab omni pœna ſoluta erit anima, tum inquiunt, jungetur ramulus iſte iterum radici ſuæ, à qua abſciſſus erat.* Hunc in ſenſum Targum effert quod dicitur Jeſa. LXVI. ult. de verme non morituro, & igne improborum inextinguibili ארי נשמתהון לא ימותון, *etenim animæ eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur. & erunt impii judicati in gehenna, donec dicant de eis juſti, ſatis vidimus.*

In quem ſenſum an accipiendus ſit R. David Kimhi, in Pſalm 1. incertum eſt. Dicit ibi quidem, improborum animas perire; cum corporibus ipſorum, in die mortis: ſed varie de hoc diſputant Eruditi. Vide Sixtini Amamæ Diſſertat. In Anti-Barbaro, pag. 966. Verba Kimhi hęc ſunt, ad verſ. 5. *propterea improbi ambulantes in via malâ in hoc mundo* לא יקומו במשפט, hoc alii vertunt, *non reſurgent in judicio*; alii, *non conſiſtent*. Sequitur, *vult dicere* ביום הדין והוא יום המיתה לא תהיה להם תקומה, *in die judicii, & hic dies mortis, quo non erit iis* vel *reſurrectio*, vel *conſiſtentia*. Sequuntur, quę maxime quidem perpendenda, אבל הרשעים לא תהיה להם תקומה אלא תאבד נפשם עם גופם ביום המיתה, *Sed improbos quod attinet, illis non erit* vel *reſurrectio*, vel *conſiſtentia*, i. e. ut ſtare poſſint, *ſed peribit anima ipſorum cum corpore ipſorum in die mortis*. Quęritur, de verborum & Auctoris ſententia, an fuerit, improbos non reſurrecturos, ſed cum corpore, animas etiam ipſorum interire: an ſolum, quod non ſint perſtiturę, ſed caſurę cauſa in judicio, ut iſtud תקומה ſignificet, non reſurrectionem. Ego, quamvis de hoc nolim fortiter contendere, annon תקומה illo ſenſu forte accipi poſſit, quemadmodum apud nos reſurrectio, quę quandoque non eam ſimpliciter, ſed ἀνάβιωσιν τῆς ζωῆς ſignificat; attamen ſimpliciter poſita, ſæpiuſque, ſine, addita ſingularis iſtius ſignificationis notâ repetita vox, videtur, pro uſitatâ acceptione, ſimpliciter pro reſurrectione ſumenda: ſed potiſſimum, & ad quod viri docti non reſpondent, eſt quod additur,

Digitized by Google

ditur, I. quod apertè *peritura* dicuntur *ipſorum animæ*. II. una cum *corporibus*. III. in die *mortis*. Quæ, utcumque ſuperius illud חקימה alio ſenſu accipi poſſet, haud facile in aliam ſententiam, quam quæ dicta, trahi poſſunt. His potius dicentibus quo ſenſu הקימה, quam hoc; quo ſenſu illa exponenda ſint. Neque quæ adferuntur ex aliis ejuſdem Auctoris dictis & ſententiis quæſtionem expediunt. Imo quæ habet ad verſ. Pſalmi illius ultimum, utpote eadem cum prioribus, vulgatam expoſitionem magis confirmant. Quidquid ſit, ſenſerit ita vel non, an hoc loco per incuriam ſibi verba quædam non ſatis forte attento exciderint, ſuæ doctrinæ & ſententiæ contraria, dicendum videtur, ſaltem verba in communem illam interpretationem, de negatâ improborum reſurrectione, & interitu ipſorum totali, animæ corporiſque, propendere. Quodque in initio ſententiæ dicit, *Ideo improbi qui ambulant via mala in hoc mundo non* יקומו *reſurgent in judicio, vult dicere, in die judicii hoc eſt, in mortis.* neque videatur in die mortis locum habere reſurrectio. hoc nihil confert ſive ad hanc, ſive illam expoſitionem, quomodocunque dixerit diem judicii eſſe diem mortis. Deinde, ſenſum loci non hunc dabimus, ut הקימה referatur ad diem mortis, uti ad diem judicii: neque revera hoc verba ejus ferunt: ſed ut dies judicii referatur ad diem mortis, & in morte etiam fiat judicium, quod omnino ita eſt, vid. judicium de ſingulis particulare, non reſurrectio. Atque ita etiam Menaſſe, quemadmodum cap. IV. hujus libri audivimus, ſententiam Davidis Kimhi in Pſalm. I. accepit, quod negarit impiorum reſurrectionem. Quomodo autem intelligat, animas ipſorum interire, quemadmodum & corpora, an ſtatim à ſolutione, & vitæ hujus exitu; an poſt & per cruciatus infernales, aliquamdiu perpeſſos, uti & aliorum inter Judæos habet ſententia, non facile dixero. Sufficit nobis hactenus illa de Judæorum opinionibus protuliſſe.

In hoc quidem probanda eſt Abravanelis, reliquorumque ſententia, contra utrumque Moſem, & Maimonidem, & Nachmanidem, quod negat animarum interitum, exciſionem, & annihilationem, utpote quæ immortales ſunt creatę; ſed minus in hoc, quod pænas infernales negant æternas eſſe, & vel XII. menſium, vel longiores, non ſempiternas eſſe eas, quum tamen ſimpliciter dicatur, vermem illorum non mori, neq; ignem extingui. Et congruum ſit, pro læſa infiniti Numinis majeſtate, ut peccatum infinitâ etiam vindicetur pæna. Pręterea quia & locus ſuppliciorum in inferno, non ſit emendationis vel gratiæ, ſed termini & pænarum.

Deni-

Digitized by Google

Denique ejuſdem commatis, & cenſus eſt, quod Menaſſe docet, in reſurrectione extinguendos omnes *Diabolos* & ſpiritus malos, lib. III. de reſurrect. cap. VI. nullâ adductus vel Scripturâ, vel ratione: ut multis examinare vel refutare ea nil ſit neceſſe.

Cap. VIII.

OPERIS CONCLUSIO.

POſtremò, jam tandem eſt, ut operi, cum Deo, huc uſque perducto, imponamus finem. In quo quid præſtiterimus, judicium penes probos erit, penes Eccleſiam, addo & penes illos, quibus convincendis, convertendiſque iſta noſtra inſudavit opera. Edere Syſtema aliquod controverſiarum Judaicarum conſtitutum nobis fuit: quo non unum vel alterum ex controverſis caput, & illuſtre hoc atq. à multis ſemper tractatum de adventu Meſſiæ, ſed, quantum poſſemus, colligeremus omnia, & ſi non cunctas, præcipuas certe & graviores, quæ cum Judæis ſunt, quæſtiones fidei & religionis ſuo ordine diſponeremus, & in proprium quaſi formaremus corpus. Tantum laboris fere fuit in inquirendis ſententiis, quam aut diſponendis, aut examinandis. Alii, quorum in Hebræorum ſcriptis major peritia, ſolertia, ſtudium, & quibus, citra aliarum rerum detrimentum, plus illis vacare licitum, majora conentur, & præſtent; nos pro modulo noſtro incubuimus negotio, quod ſive tempora noſtra, ſive Theologiam reſpiciamus, eſt ex maxime neceſſariis. Utinam hac quidem in parte, uti in cæteris Theologiæ controverſiis, frequentiores ſequerentur aliorum ſupra alios libri, ſcripta, & communem cauſam certatim Chriſtiani omnes hanc agerent, promoverent! Certe multum operis hic adhuc reſtat, & nuſpiam latior campus eſt ubi cum fructu opereris, ac hic. Forte non vane nobis hoc inter alia pollicemur, quod noſtro exemplo plures & crebro magis atque ſerio de hoc argumento ſint cogitaturi, deque officio ſuo, quod Judæis, eorumque converſioni omnes debent. Profecto nimis ſocordes hactenus ſumus, ad nos vel ad alia intenti, potius quam ad hoc, quod tamen tum momentum ſuum, tum temporis

præſens ſtatus ſupra omnia urget. Nos Deo ex animo, prout fas eſt, agimus gratias, quod & animum & ſtudium ad præſens opus dederit, & uti incipere, ita finire ſuo ſub ductu largitus ſit id, quod nunc eidem ejus benedictioni, cujus eſt in ſolidum, commendamus. Faxit ille, ut quomodo hæc ab eo accepimus tradidimuſque, tali & ab hominibus animo, à Chriſtianis, atque Judæis legantur, & in uſum, quem debent, convertant ſedulo. Non hic mea ſpecto, ſed quæ Dei, quæ gloriæ, quæ regni ejus, quæque tum fidei Chriſtianæ confirmandæ, tum erudiendis ſalvandiſque Judæis, facere queant. In quem finem & hæc, & mea omnia, me totum ut dirigat ſervetque Deus, ipſum Unicum, Creatorem cæli terræque, Deum Abrahami, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, in & per Jeſum Meſſiam benedictum, precor. Et ſi quod boni à Deo per me tibi contigiſſe Lector, quiſquis es, ſeu Chriſtianus, ſeu Judæus (utriſque enim ἰσφιλέτης εἰμί) ſentias, idem ut pro me votum Deo nuncupes, hoc ſolum abs te peto.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

A.

ABravanelis ſamilia qualis habita? pag. 139. 145.
Adamum bicorporem creatum eſſe, quod Judæi volunt, refutatur. 335. 336. etc.
Adamus fuit caput communis naturæ & generis humani. 344. 345.
Alexandra Regina confirmat traditiones Pharizæor. 72.
Alkoranus æquè probari poteſt quod ſit divinus ac Talmud. 104.
Angelorum tria juxta Judæos genera. 303. 304. &c.
Angelorum bonorum decem ordines. 308.
Animæ ſeparatæ diu circa corpus ſuum volitant, ſecundum Jud. 538. & refutatur ibid.
Animæ ſine corpore in aere 311.
Animæ humanæ ſimul creatæ ab initio ſecundum Jud 319. 320. & ſeq.
--- ad argumenta Jud. reſpondetur p. 321. & ſeq.
Animæ maris & fæminæ conjunctim creatæ ſecund. Jud. 333. 334. quod refutatur ibid.
Animarum tranſmigratio quibus olim credita? 541. à Pharizæis aſtruitur 542. ad argumenta pro ea reſpondetur 544.
Anima Adami, Davidis & Meſſiæ eadem ſecundum Jud. 542.
Animæ an corporibus in reſurrectione indendæ in ſepulchro, an extra. 556.
Animæ improborum pereunt ſecund. quoſdam Jud. 573. &c.
Antigonus Hieruſalem occupat 160.
--- ab Herode necatur ibid.
Antipatri 6. Hiſtoria 159. 160.
Arca tollenda fuit tempore Meſſiæ. 459.
Ariſtobulus rex qualis fuerit 159.
Ariſtobulus. 2. ibid.
Armilli Judæor. Antichriſti Hiſtoria. 253. 254.
Articuli fidei Jud. 110. 111.
Articuli Judæor. tres fundamentales 433.

B.

BAgdad regnum Iudæor. fictitium 139. c. a. 145. 146.
Baytoſæi 74.
Barcozba Pſeudo-Meſſias 209. 210.
Bethlehem debuit eſſe Patria Meſſiæ 229.

C.

CAbala vide Kabala.
Cadaver R. Abay locutum 250.
Cæremoniæ vide lex cæremonialis.
Chaſer & mela quid? 92.
Chiluf quid? 92.
Chriſtus. vide Ieſus.
Chriſtiana religio. vide: Religio Chriſtiana.
Chriſtiana dogmata probari poſſunt per Kabalam 96

Digitized by Google

Circumciſio arguit peccatum originale 353. 354.
Circumciſio tantum durare debuit uſque ad Meſſiam 458.
Cælum animatum & rationale ſecundum Iud. 310. &c. *quod refutatur* 313. &c.
Cæli quomodo narrant gloriam Dei 316. 317.
Concubinæ apud Iudæos trium generum 514. *earum diſcrepantia ab uxoribus* 515.
Conjugia fauſta & infauſta unde ſecundum Iudæos? 320.
Converſio tota eſt à Deo 480. &c.
--- *ad object. Iud. reſpondetur.* 483.
Creatio ſeptem rerum ante mundum, ſecund. Iud. 300.
Creatio quomodo dicatur ſex diebus abſoluta. 329. *eſt ſolius Dei opus* 381. &c.
Cuthæi vid. Samaritani.

D.

Danielis prophetia quanti habeatur apud Iud. 41. etc.
Dæmones quales ex Iudæor. Sententia 304. 305.
--- *Eorum Hiſtoria* 306. 307.
--- *Eorum creatio juxta Iud. refutatur.* 308. 309.
Damnati quomodo cruciantur. 570. 571. & *ſeq.*
David el David Pſeudo-Meſſias 210
Dei nomen quid apud Iudæos? 300.
Deus ſolus creator. ibid.
Dei perfectiones ſeu emanationes dicunt quid diſtinctum à Deo 301. 302. &c.
Deus ſedet inter quatuor Angelos. ſecundum Iud. 303.
--- *non habuit conſiliarios aut coadjutores in creatione* 381. etc.
--- *quibus modis ſe prophetis manifeſtarit.* 44.
--- *eſt prima cauſa omnis boni operis* 481.
--- *quomodo perſonam non accipiat* 485. 486.
Diabolo abrenunciandi modus olim in eccleſia uſurpatus 272.
Diocletianus fruſtra putavit ſe deleviſſe Chriſtianos 266.
Divortium vide repudium.

E.

Elias quomodo venire debuit & venit ante Meſſiam 204. 205. &c.
--- *an primus reſuſcitabitur* 559.
Eſſeni rejiciunt traditiones 71. 74.
Euangelii Doctrina, et præcepta ſancta. 261.
--- *Veritas & divinitas probatur* 262. &c.

F.

Feſta ceremonialia tollenda tempore Meſſiæ 461. etc.
Fœdus novum à Deo promiſſum fuit. 453.
Fœlicitas reſuſcitatorum in quibus conſtituatur à Iudæis? 563

Fami-

Digitized by Google

Fœmina apud Iud. duor. generum 514.

G.

Gedolot quid? 92.
Gehenna unde ſic dicta? 570.
Gemara 59. *à quo facta.* 100.
Gematria 91
Gentium vocatio diebus Meſſiæ. 151.
Gentium confluxus ad Meſſiam Prædictus 294.
Gog & Magog. 239. 240. 251. 252. *etc.*
Gratia Dei qualis à Iud. ſtatuatur in converſione? 479.
--- *requiritur ad bonum opus tum incipiendum tum perficiendum* 479. & *ſeq.*

H.

Hebdomadæ Danielis quomodo intelligendæ, & ſupputandæ 168. *etc.*
Hebræi unde dicti? 1.
Herodes rex Iudææ declaratur. 160.
--- *renovavit templum Hieroſ.* 155.
--- *Hieroſol. expugnavit.* 160.
--- *Ejus crudelitas in occidendis amicis, et uxore* 161
--- *Ejus ortus ac Familia ibid.*
--- *Vita et mores* 162. 163.
--- *Mors miſerabilis* 165.
Hillel & Sammai authores Pharizæor. 71. 107. *Hillelis ſententia de adventu Meſſiæ* 114.
Homo corruptus naſcitur 348. 349.
--- *naturâ ſuâ ad ſpiritualia ineptus eſt.* 479, *etc.*
Homines boni, mali, intermedii quinam apud Iud? 427.
Homines omnes ſunt peccatores 437, 438.
Hyrcanus in regno confirmatus à pompeo 159. *interemptus ab Herode* 161.

I.

Jehovæ nomen incommunicabile 394. *etc.*
Iehuda Sanctus quis fuerit? 99.
--- *Scripto comprehendit legem oralem* 61. 99.
Ieſum eſſe Meſſiam probatur. 96. 97. 141.
Ieſus quid ſignificet? 212.
--- *Iudæis non ignotus.* 214. 215.
--- *Verus Meſſias prob.* 216. & *ſeq.*
--- *Argum Iudæor. refelluntur* 293, 294. *etc.*
--- *cum natus fuit, Meſſias valde expectabatur.* 218. 219.
--- *Ejus origo & genealogia* 219. *etc.*
--- *Natus ex virgine* 222. *etc.*
--- *quomodo Emanuel nominatus* 228.
--- *ejus ſanctitas, Doctrina, miracula* 231. 232. 233.
--- *fuit propheta* 236. 237.
--- *Sacerdos* 238.
--- *Rex.* 239.
Ieſu Nazareni cædem Iudæi etiam cauſam dicunt ſuarum afflictionum 286. c. 1.

Infernum quale ſtatuant Judæi? 570.
Johannes Baptiſta commemoratus Judæis. 217.
Ioſephi de Voiſin ſententia de tradition. Pharizæor refutatur. 74.
Ioſephi teſtimonium de Ioan. Baptiſta 217. *de Meßiâ veſpaſiano.* 218. *de Ieſu Chriſto* 297.
Iſraelita omnis, niſi apoſtata, partem habebit in futuro ſæculo 432.
Iuchna avis immenſæ magnitudinis ex Iud. fabulis 536.
Iudæi unde dicti? 1.
--- *cur Hebræi appellati ibid.*
--- *eorum antiquitas* 2.
--- *Calumniæ Græcorum de Iudæis* 2. 3
Iudæor. diſperſiones 4.
--- *hiſtoria poſt urbem à Romanis deletam* 5. 6.
Iudæi in quibus regionibus habitent 6.
--- *Scriptores contra Iudæos* 7. etc.
Iudæor. libri pro ſuâ Doctrina 10.
--- *præjudicia.* 11. *& ſeq.*
--- *religio non eſt eadem cùm Moſaicâ* 13.
Iudæi oderunt Papam 16, *& ſimulachra* 17. *Miſſam ibid. et Monachos* 18.
Iudæos perſequi an liceat? 20, 24.
Iudæis an Synagogæ permittendæ? 26, 27
Iudæos convertendi media
--- *Eccleſiaſtica* 20. *& ſeq.*
--- *Politica.* 24.
--- *Scholaſtica* 31.
Iudæor. Doctores 33.
Iudæi aliquando convertentur 35. etc.
--- *quomodo cum iis diſputandum* 39, 40.
Iudæi hodie talem Meßiam non expectant, ac olim 113, 114.
--- *aliqui negant Meßiam in mundum venturum* 114.
--- *in Babylone reliqui poſt captivitatem* 146.
--- *jam olim imperium amiſerunt* 129, 130.
--- *regnum cum rege fictitium in Bagdad.* 145, 146, 147.
--- *quomodo poſt captivit. Babylon. vexati fuerint* 158. *eorumque hiſtoria ibid. & ſeq.*
--- *contradicunt ſibi invicem in ſententia de adventu Meßiæ.* 180. 181. etc. 186, 189.
Judæorum hodie miſerabilis ſtatus 192, 193. etc.
Judæi in terram Canaan reverſuri & templum extructuri poſt reſurrectionem. 255.
--- *ſemper fuêre rebelles contra Moſem et Prophetas* 281. 282.
Iudæos repudiaturos Meßiam Prædictum fuit. 282.
Judæorum afflictionis cauſæ 284. 285. 291. etc.
Iudæor. frontalia & manualia ligamenta 493. *& ſeq.*
Judicium Dei triplex apud Jud. 423.
Juramentum per anchialum quid? 499.
Iuramentum per creaturas apud Iud. licitum 500.
Iuramentum tantum fieri debet per nomen Dei ibid. etc.
Iuramenta temeraria illicita 501.
Iuſtificatio in quibus conſiſtat 422.

--- de eâ Iudaeor. Sententia.ibid & ſeq.
--- Propriis operibus non poteſt obtineri 435, 436. etc.
--- fit remiſſione peccatorum ob juſtitiam Meſſiæ 439
--- ad objectiones Iudaeor reſpondetur 440. et ſeq.
Iuſtificationis certitudo probatur 443. ad object. reſpond. 444.

K.

Kabala quid ſignificet? 59, 89.
--- ejus definitio 89.
--- ejus 13. regula 90.
--- ejus authoritas apud Iud. 93.
--- eſt ſpeculativa & practica 94.
--- per eam fieri poſſe miracula Iudæi credunt. ibid.
--- qualis æſtimanda ibidem.
--- non eſt pars divinæ legis 95.
--- ad inepta & mala æquè adhiberi poteſt ac ad bona et vera ibid, item 141.
--- regulari debet ad legem Dei 96.
--- ex ea probari poſſunt dogmata Chriſtiana ibid.
--- non eſt firma ſecundum ipſos Iudæos 97.
--- à Sadducæis rejicitur. 71. etc.
--- Argum pro ea refelluntur. 97, 98.
Karaitæ vel Karai 71. horrent traditiones 73. infra Turcas et Chriſtianos ab aliis Iudæis habentur ibid improbant uſuras Iudæor. 531.
Kare la quetib quid? 92.
Ketannot quid? ibid.
Kippur feſtum expiationis 202, 423. & ſeq. non poteſt peccata expiare 441.

L.

Lex oralis quibus libris contineatur 99. 101.
--- Ejus hiſtoria 59, 60, 61.
--- à Moſe, ut volunt, accepta & à Iehuda Sancto conſcripta. 62, 63, 99.
--- apud Iud. eſt divinæ authoritatis. 62.
--- Ejus abnegator pro quo habeatur? ibid.
--- non eſt divina 63. &c.
--- Argum. pro ea refelluntur 75. etc.
--- Scribi eſt prohibita. 65. 105.
--- à multis Iudæor. ſectis rejicitur, 71, 72, 73.
Lex omnis quam Moſes accepit eſt ſcripta 65, 66. ut & à Ioſua. 67.
--- ſcripta tantum eſt obſervanda 69.
--- ejus exponendæ modi 93.
Legis præcepta affirmativa & negativa 428.
Lex Dei à nemine perfectè obſervatur 437.
Lex dividitur in moralem, cæremonialem, et politicam 449.
Legis politicæ capita 450.
Leges cæremonialis & politica conſiderantur vel ut in naturali æquitate fundatæ, vel ut ad Populum Iſraeliticum reſtrictæ 450 &c.
Lex cæremonialis abrogata eſt ut Prob. 451. 452 etc.

--- non fuit ex naturâ ſuâ, ſed ex conſtitutione Dei bona. 452.
--- uni tantum populo data ibid.
--- cum Meſſia, et vocatione gentium ſtare non potuit 453. & ſeq.
Lex politica poſt Meſſiam non obligat 466.
--- ad objectiones Iudæor pro legis perpetuitate reſpondetur 466. et ſeq.
Leviathan 536.
Liberum arbitrium ad bonum ſpirituale nullum in homine 480.
Libertas agentis non tollitur per prædeſtinationem 487.
Lilith fæmineus dæmon. 304.
Loci unius præ alio ſanctitas tempore Meſſiæ deſinere debuit. 458.
Lux in hiſtoria creationis quinquies repetita quid ſignificet apud Menaſſ. 331.
Luz ſeu oſſiculum dorſi ex quo corpora reſurgent ſecund. Iud. 555.

M.

Marci Euangelium incipit ubi Malach. deſinit. 180.
Mariamne 160. juſſu mariti interempta. 161.
Maſora quid ſignificet? 59.
Mendacium omne, etiam officioſum illicitum 533, 534.
Menaſſe ben-Iſraël rationes pro traditionib. refutantur. 79 etc.
--- ejus ſententia de Talmude 108.
--- ejus ſententia de adventu Meſſiæ. 115. 187.
--- de hebdomad. Danielis 169. etc.
--- de creatione animarum. 320. 321.
--- de animarum tranſmigratione 543, & ſeq.
--- de beatitudine refutatur 563, 564, 567.
Meſſiæ vox quid ſignif? 113.
Meſſias talis hodie non exſpectatur à Judæis ac olim. 113. 114. etc. 119. 242.
--- ejus adventus futurus ab aliquibus Iud. negatur 114.
--- ejus adventus à Menaſſe rejicitur in tempus reſurrectionis 115. 256. 257. & ſeq.
--- quamdiu ejus dies durabunt, variæ Iud. opiniones. 118. 119. 182. c. I.
--- adventus ejus hodie valdè vilipenditur à Iud. 115. 119.
--- Romæ natus eſt (ut quidam volunt) ſed nondum patefactus 120.
--- Poſtea ab Elia ungetur in Meſſiam. 121.
--- in ejus adventum inquirere prohibitum 123. Arg. pro inquiſitione prohibitâ refutantur. 124.
--- eum veniſſe probatur multis & validis argum. 127. & ſequentib.
--- venire debebat ante ſceptrum ablatum à Iuda. 129. 130. etc.
--- naſci debuit ſtante templo ſecundo 150, 151. & ſeq. ante devaſtationem urbis Hieroſol. 167. etc. brevi poſt tempora Malachiæ 179. 180.
--- naſci debuit (ſecund. multos Iud.) ſtatim

ſtatim poſt millenarium mundi quartum. 180. 181. *etc.*
-- *ejus tempus elapſum fatentur* 187, 194, 197.
— *propter peccata dicitur retardari* 187. c. 1. 194, 195, 196. *ſed male,* 197. *etc.*
Meſſias naſci debuit ex virgine 222, 223. *& ſeq.*
— *naſci Bethlehemi* 229.
— *debuit reſurgere à mortuis, aſcendere in cælum, ſedere ad dextram Dei* 235.
— *debuit eſſe Propheta par Moſi* 236. 237.
— *Sacerdos* 238.
— *Rex* 239.
— *duplex ejus ſtatus* ibid.
— *Duo Judæis Meſſiæ* 239, 240, 253, 254.
Meßiæ regnum, & quæ de eo in Scriptura ſpiritualiter intelligenda 245. 246.
--- *ejus regnum, & epulum ſecundum Iud.* 249. 536.
Meßiam à Judæis repudiatum iri prædictum fuit. 282.
Meßias quomodo pacem allaturus erat. 294. 295.
--- *debuit eſſe Deus-homo.* 360. *etc.*
--- *quomodo Davidis Dominus ſimul et filius.* 367. c. 2.
--- *quomodo reges confodere debuit* 368. c. 2.
--- *Iehova vocatus* 370. *et ſeq.* 394. *& ſeq.*
--- *debuit pati* 406. *et ſeq.*
--- *debuit eſſe juſtus* 413.
— *debuit pro peccatis ſatisfacere ibid & ſeq.*
Meßiæ authoritas ſupra Moſem. 455.
-- *ejus tempore cæremoniæ abrogandæ fuerunt.* 451. *& ſeq.*
Meſſiæ falſi ſeu pſeudo Meſſiæ 209. *etc.*
Mezuza quid? 494.
— *ſanctitas quæ illis tribuitur* 494. 495
Miracula Ieſu Chriſti 232. 233.
— *non fuere magica* 233.
Miſchna quid? 99. 100. *vide Lex oralis*
Miſſa Papiſtica facit Iudæos abhorrere à Chriſtianiſmo 17.
Mons domini quomodo ſupra alios montes evehendus tempore Meßiæ 293. *etc.*
More quid denotet apud Iud. 33.
Mors pæna peccati 351. 352.
Moſes in monte Sinai accepit legem oral. ut Iudæi volunt 59. *quibus tradidit* 60. *ſed falſo* 63.
— *omnia quæ à Deo accepit Scripſit* 65, 66, 67.
Moſes pſeudo-Meßias 210.
Mundus quamdiu ſtabit ſecundum Jud. 180.
Mundus hic ſecundus juxta Kabaliſtas 301.
Mundus quo anni tempore creatus 342
Mundi finis qualis futurus. 561. *etc.*

N.

NEceßitas quædam cum libertate conſiſtere poteſt 487.
Nekudot quid? 92.

Noach

Noachi ſeptem præcepta 447, 448.
Notaricon quid? 91.

O.

Opus bonum mercedem ſemper mereri dicunt Iudæi 433, 434.
Opera bona non poſſunt ſatisfacere pro delictis. 438.
Oracula tempore Chriſti conticuerunt 273. *et ſeq.*
Othniel fil. Kenazi de ingenio ſuo produxit 3000. *traditiones luctu propter Moſem perditas* 64.

P.

PAn mortuus ex Plutarcho 275.
Papiſmus multa ſcandala præbet Iudæis 16. & *ſeq.*
Paradyſi vox quomodo ſumatur 569.
--- *de eo Iudæor ſententia ibid.*
Patriarchæ quare voluerunt ſepeliri in terra Canaan? 558.
Peccatum originale negatur Iud. 344.
--- *probatur.* 344. 445. *etc.*
Peccati originalis pœna non repugnat miſericordiæ Dei 355. *et ſeq.*
Peccatum originale quomodo traducatur 356.
Peccatum omne mortem meretur 358.
Peccata quomodo expiantur ſecundum Iud. 422. 523. *etc.*
Peccata gravia et levia apud. Iud. 425, 426.
Perſonarum in Deo pluralitas prob. 378 *etc. Trinitas* 397.
--- *ad argum. Iud. reſpondetur* 400. 401. *etc.*
Perſonalitates an ſint perfectiones in Deo dicendæ? 401.
Pharizæi 71.
--- *Soli propugnant tradit ibid.*
--- *Docent animarum tranſmigrationem* 542.
Phaſaëlus ſeſe interimit. 160.
Plato hominem androgynum creatum voluit 340. *c.* 1. 341.
Plinii Teſtimonium de Chriſtianis 279.
Polygamia legibus Chriſtianor. prohibita 514.
--- *ejus prætextum quem obtendant Iudæi?* 516.
--- *repugnat juri divino, & primæ conjugii inſtitutioni* 517.
--- *ad objectiones reſpondetur* 518. *etc.*
Pompejus de rebus Iudæor judicat. 159.
Porcina caro comedi licita tempore Meſſiæ 465.
Prædictiones Dei certæ 125. *&c.* 197. *etc.*
Precatiuncula matutina Iud. 325.
Prophetiæ de adventu Meſſiæ 127. 150. 167. 173. 178. *veræ* 199, 200. *In Chriſto Ieſu adimpletæ* 220, 221 222. *etc.*
Prophetæ olim ungebantur. 235.
Prophetarum munus 237.
Purgatorium Iudæor. in inferno. 571. 572.
Proſelyti apud Iud. 448.

Que-

Digitized by Google

Q.

Quetibla kare quid? 92.

R.

Rabbi quid apud Iud? 33.
Raſe rebot quid? 91.
Regenerationem Judæi ignorant 478.
Religio in quibus conſiſtat? 261.
Religionis Chriſtianæ veritas probata. 262, 263. &c.
— ejus conſtantia et perpetuitas 266.
Religio Chriſtiana per totum orbem divulgata. 276, 277, 278.
— continet perfectam doctrinam de Deo, hominis juſtificatione, ſanctificatione, & beato poſt hanc vitam ſtatu 278. 279.
— eſt pacifica 295. 296.
Reſipiſcentia qualis ſecund. Iud. 477.
— ejus ſeptem ſpecies ibid.
— ejus definitio ex Philone 478.
— partes ibid.
— eſt planè à gratia Dei 479. etc.
— Argum. Judæor. refelluntur 483.
Reſurrectio mortuorum à Iudæis pleriſque contra Zadducæos defenditur. 550.
— corporum piorum qualis ibid.
— an univerſalis futura, variæ Jud. ſententiæ 551. etc. probatur 554.
— qualis futura, juxta Iud. 555.
--- an iiſdem veſtibus quibus homines fuere ſepulti? 557.
--- quinam primò reſurgent ſecundum Jud? 557, 558.
Reſurrectionis tempore qui vivi erunt non morientur, ſed mutabuntur 560.
Repudium. Hillelitarum et Sammaitarum de eo diſputationes. 521.
--- ejus ritus 521. 522.
Repudium Iudaïcum in ſe illicitum 523
Repudium olim à Deo indultum non Probatum. 524.
Rex quot uxores habere potuit ſecundum Iud? 517.
Regum Iudæor. Poſt captivitatem Hiſtoria. 159.
Reges ungebantur. 235.

S.

Sabbathum quouſque obſervandum? 462.
Sabbathi aliud morale, poſitivum aliud 503.
Sabbatho quænam opera Iudæi Prohibeant. 503, 504. etc.
Sabbatho quid Iudæi tribuant. 506, 507.
Sabbathum poſt Meſſiam non obſervandum ſeptimo die. 509.
--- quando inſtitutum. ibid. & ſeq.
--- an omnibus hominibus injunctum? 509, 510.
--- à Chriſtianis religioſius obſervatur, quam Iudæis 513.
Sabbathica epula 506.
Sabbathicum iter 507.
Sabbathica militia. 508.
Sacrificia & Sacramenta V. T. per Meſſiam abolenda. 456. etc.
Sacerdotes olim ungebantur 235.

Digitized by Google

Sacerdotum munus 238.
Salome repudiavit maritum 160.
Samaritani traditiones rejiciunt 71, 73.
Sammai & hillel authores Pharizæor. 71, 107.
Samuelis anima non fuit ſuſcitata à Pythoniſſa 538, 539.
Sceptrum ablatum à Iuda 129, 130.
Schilo quid? 128. etc.
Schilo Iud. dicitur eſſe David. 133. c. 1. malè 137. c. 2.
--- *Moſes* 135. *malè* 141.
--- *Abia Silonites* 137. *refutat.* 144.
Scriptura ſacra vet. teſtam. iiſdem ac totidem libris continetur apud Iud. ac apud nos 58, 40.
Scriptura continet multas locutiones figuratas 242. etc.
Scripturæ verſio LXX. *interpretum* 49.
Senſus literalis & myſticus quid? 89, 90
Setumot & petuhot 92.
Simulachra à Iudæis rejiciuntur 17.
Sophe tebot quid? 91.
Spiritus Sanctus, eſt perſona Trinitatis 397.
Stellæ animatæ Iudæis 311.
Syrus Pſeudo Meſſias 210.

T.

TAlmud quid ſignificet? 59.
--- *quid ſit apud Iud. ibid.*
--- *ejus partes Miſchna, & Gemara quando prodierint?* 99. 100.
Talmud Ieroſolymitanum, & Babylonicum. 100.
Talmudis ſectiones, & materia. 101.
Talmud præfertur ſcripturæ à Iudæis 101. 102.
--- *Argum. pro eâ refelluntur* 104. 105.
--- *ſupra judicium ſenſuum extollunt* 103.
--- *non magis eſt divin. quam Alkoranus* 104.
--- *Argumenta contra Talmud. ibid.*
--- *ejus errores, & contradictiones.* 106. 107.
--- *quanti æſtimetur à Menaſſe* 108.
--- *an abolendum?* 34.
Targum ſeu Chaldæa Paraphraſis 47. etc.
Templum primum ſtructurâ et ornatu ſuperavit ſecundum 155.
--- *quinque rebus ſecundo præſtantius.* 156, 157.
Templum ſecundum XLVI. *annis extructum quomodo intelligendum?* 165.
Templi Hieroſ. exſtructio aliquoties fruſtra tentata 192. 193.
Templum Ezechielis 256, 257. etc.
Tephillin quid? 493. *ſanctitas quæ iis aſſcribitur* 494, 495. etc.
Thami nautæ hiſtoria 275.
Traditiones à Pharizæis recipiuntur 71
--- *à multis Iudæor. Sectis rejiciuntur* 72.
--- *perdita iterum reſtituta ab Othniele* 64.
Trinitas Perſonarum. vide Perſonarum Trinitas.
Tzizit quid? 497.

Vocatio

V.

VOcatio gentium prædicta olim 268. etc.
--- impleta 269, 270.
--- à quo, quando, quibuſque mediis ex quo vitæ ſtatu, ad quem ibid.
Urim & Tummim non fuerunt in ſecundo templo 156, 157.
Uſura quænam licita quænam prohibita? 526, et ſeq. 530.
Uſura Iudæor. in Chriſtianos illicita 529.
--- improbatur Karæis 531.
--- multis legibus interdicta, ibid.
--- magnum malum præbet rebus publ. Chriſt. 532.
Uxor quomodo diſtinguatur à concubina? 515.
Uxori quænam debeantur juxta Iud. ibid.

Z.

ZAdducæorum origo 537.
Zadducæi rejiciunt traditiones et Kabalam 71. 72.
--- negant angelos & animarum immortalitem. 309. 310. 537.
--- Hodie etiamnum aliqui 537.
Ziruf quid? 91.
Zura quid? ibid.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 7. *Alphonſi hominis.* l. boni hominis. ſic in MS. Pag 27 *graviter.* l. gnaviter. Pag. 41. *errore.* l. errare. Pag 46. c. f. *quos* l. quod. Pag. 47. *ſub anno.* delendum, *ſub* pag. 62. *intelligendo.* l. intelligendum. Pag 104 *commendant.* l. commentantur. pag. 119. c. f. *quam exilem.* l. quodque tam exilem. ibid. *foveant.* l. fovent. pag. 127. *apparetando.* l. apparet. Unde in &c. Ibid. *ſeſquimillia* l. ſeſquimille. ibid. *Meſſiam alium* l. Meſſiam olim. pag. 128. *ſultam.* l. ſultan. pag 133. *converſâ.* dele notulam ablativi. pag 144 *abſque nulla* l. ulla. pag 173. *ſed triplo.* adde, aut quadruplo. Pag. 203. *videre.* l. videri. Pag. 253 lin. 4. *cui non etiam per.* l. cui non etiam melius hinc quam per. Pag. 262. *ſuæ.* l. ſui. Pag. 291. l. 8. *veſtrum ulli.* l olim veſtrum ulli Pag 299 *Meſſias.* l. Meſſiam. Pag 314 *animis.* l animabus. Pag 325 l 5 *hec* l. illo loco. Pag 328. c. f. *videbimus.* l. vidimus. Pag 333. lin. 10. *lib.* adde, de animâ Pag 335 lin. 3. *& tertium.* adde, tranſire. Ibid *conjunctum* l. conjunctim. Ibid *interiſſet.* l interiiſſet. Ibid. *infame androgynorum nimis.* l. infame nimis androgynorum Pag 363 *coænomia* l. æconomia. Pag. 374 *fiduciam.* l. fiducia. Pag. 423. *valdeque &* dele & Pag. 445 lin. pen. *reverearis.* l. reverenter colaris. Pag 449 *fuit,* l fiat. Cætera, namque omnia percurrere haud vacat, Lector, niſi malignus, corriget facile atque emendabit.

Digitized by Google

Addenda.

Pag. 7. inter Scriptores, contra Judæos.

Gilberti Abbatis Weſtmonaſterienſis Diſputatio, ad Anſelmum, *contra Judaos*. Diſputatio eſt, quam Gilbertus ille habuit cum Judæo Moguntino. atque Mſ. eſt in Bibliotheca celeberrimi Ant. Thyſii.

Antonii Bonromei comitis, & equitis, artiumque ac Juris Doctoris Opuſculum, *de Chriſtianâ religione contra Hebraos*. Tractat Quæſtiones aliquot, cum Hebræis: atque ad illorum argumenta reſpondet.

Dominici Garſiæ, Hebreæ linguæ Profeſſoris in Academiâ Complutenſi *Propugnaculum fidei Chriſtianæ, adverſus perfidiam Iudaorum*.

Mag. Bernardi Cliverii, Ord. Fratrum Eremitarum Auguſtini lib. *contra perfidiam Iudæorum*.

Tractatus, *de Impoſturis & ceremoniis Iudaorum* noſtri temporis, ab Auctore Germanicè editus; poſtea in latinum converſus à Condrao Huſero Tigurino, edituſque Baſiliæ a. 1575.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google